UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome Annalivm Trevirensium

Masen, Jacob


Augustae Trevirorum, 1676


urn:nbn:de:hbz:466:1-12542

Visual Library

P III
2

Th. 5225.




EPITOME
HISTORIAE
TREVERI
CAE
Joan. Georg. Rudolphi del.
Melchior Kusell. f.

EPITOME ANNALIVM TREVIRENSIUM

QVA

ANTIQUÆ URBIS AC DIOECESIS

TREVERICÆ,

IN POLITICO ET ECCLESIASTICO REGIMINE EXORDIA, PROGRESSÚSQUE,

AC

RES BELLO AC PACE ADMINISTRATÆ, BREVI CLAROQUE ORdine digestæ sunt, cum aliis Romani Imperii Gestis eidem conjunctis.

Ex legato Celsmi Principis P. E. R. Ferdin: Epi Paderb: et Monaster. R. P. 1683.

JACOBUM MASENIUM

è Societate Jesu.

Collegij Soc: Jesu Paderb.

Anno 1676.

Augustæ Trevirorum, typis & sumptibus Christophori Wilhelmi Reulandt.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

APPROBATIONES.

EPITOMEN Historiæ Trevirensis laudatæ antè hac sæpius & approbatæ à R. P. JACOBO MASENIO SOCIETATIS JESU sacerdote conscriptam in communem omnium usum & utilitatem luce publicâ typisque donari posse autoritate officij nostri judicamus. In cujus rei fidem præsentes manu nostra subscriptas & Sigillo consueto communitas extradi jussimus & fecimus, Treviris 7. Martii 1676.

JOANNES HENRICUS ANETHAN Ep. Hierap. Suff. V. G. Trev.

EGo infrascriptus SOCIETATIS JESU per inferioris Rheni tractum Præpositus Provincialis, potestate mihi factâ à R. P. N. JOANNE PAULO OLIVA Societatis nostræ Præposito Generali, facultatem tribuo CHRISTOPHORO WILHELMO REULANDT imprimendi EPITOMEN *Annalium Trevirensium*, à P. JACOBO MASENIO SOCIETATIS JESU Sacerdote conscriptam, & per constitutos censores lectam probatamque. In cujus rei fidem, hasce manu mea subscriptas, & consueto Officii Sigillo munitas dedi Treviris ANNO 1672. Julii Mensis die 15.

WINANDUS WEIDENFELD.

EPI-

EPISTOLA DEDICATORIA
AD
Reverendissimum & Celsissimum Prineipem

JOEM HUGONEM
EPISCOPUM SPIRENSEM
ET S. R. I. PRINCIPEM,
Eminentissimi & Reverendissimi Principis

CAROLI CASPARI
ARCHIEPISCOPI TREVIRENSIS
ET S. R. IMP. ELECTORIS AC PER
GALLIAM ET REGNUM ARELATENSE
Archicancellarii, Administratoris Prümiensis
Perpetui &c.

COADJUTOREM.

Reverendissime & Celsissime Præsul ac Princeps.

DEatere illius ad Celsitudinem Tuam Historiæ Epitomen bonis deferri auspicijs, cujus jam dudum exspectati Annales Eminentissimi Archiepiscopi atque Electoris Caroli favore nuper lucem adspexêre. Idem sanguis studiumque propagandæ religionis, ac pietatis avitæ ad alios me transire in hujus opellæ meæ Dedicatione vetat. Notum est, quanto multorum per Europam desiderio res gestæ Trevirorum, & antiquitate memorandæ, & sanctitate celebres, fuerint exoptatæ. Cœptus hic à pluri-

bus, dignissimus rep. Christianâ, labor; sed vel mole vel etiam caligine rerum interceptus, usque ad hæc ultima hæsit secula. Post veteres Archiepiscopos Balduinum & Cunonem, horum Annalium non otiosè cupidos, Ennenius deinde ac Kyriander, ille tenuiter admodum, hic etiam (ut fidem Deo Principique suo violârat) perversè res Trevirorum prosecutus est: donec tandem superiori avo ab Eltzio, Schonebergio, Lotharióque Principibus Brouverus è Societate nostra, plurimum huic studij, ac postremùm & ego laboris aliquid, perurgente inclyto Principe Avunculo Tuo contuli, atque in lucem, benevolentissimâ ipsius ope, & nunquam peritura apud gratam posteritatem memoriâ, produxi. Neque enim minus, quàm urbem novam Trevirensibus visus est condere, qui hoc egit, ut quidquid à tota antiquitate magnificum, quidquid pium sanctùmque, quidquid glorioſum in recordatione Majorum superfuit, hoc ab oblivione vindicatum, ad lucem conspectúmque Nepotum, velut uno in theatro spectaculóque, propositum sit: ut quæ facta olim seculis diversis jam reproducta simul, nostra hac ætate, literarum beneficio, videantur.

Sed cum vastior illa Annalium duobus in tomis moles sit ad præcipuas tantùm Europæ Bibliothecas, literatorum transferenda; multis etiam è doctorum vulgo, aut pretium, aut tempus, aut fortasse ingenium ad prolixiora hæc scriptorum monumenta evolvenda, intelligendáque desit; plurimum tamen referet ea nosse, quæ olim vel perperam, vel rectè à Majoribus patrata sunt; ut ista declinare fugâ, hac imitatione digna exprimere liceat. Nulla etiam cognitio honestior utiliórque rerum humanarum quemque doceat, quàm quæ Proavorum instituta prosequitur

eosque

nosque in laudatissimis sanctissimisque Majorum vestigijs pedes docet collocare. quibus imprimis Treviri, ab ipsis Apostolorum temporibus ac discipulis ad orthodoxam fidem eruditi, nunquam degenerantibus posteris, gloriantur, necessarium multis visum est, ut majori compendio, magisque dilucido scribendi genere, praeclarissima quaque Trevirorum gesta prodirent; quo & gravioribus negotiis occupati, & tenuiori aere instructi, & parciori eruditione tincti, à laudabili hac rerum cognitione non excludantur. Cum dignissima veterum Trevirorum memoria sit, praesertim in sanctitate morum & nunquam abolito religionis cultu posita, quae posterorum animis insideat, suóque quasi secularis, quà religiosa vitae homines, exemplo stimulet; ne ab illa Proavorum gloriâ degeneres abeant, & ad lubricam vicinarum regionum libertatem devolvantur. Stat etiamnum apud Treviros priscae gentis, & in pietate constantia, & in religionis constantia pietas: & quantum per belli injurias licuit Monasteria, Parthenones, Ecclesiae, suis institutis, ornamentisque hac aetate, si non in dirutis muris, certè in praestantibus hominibus florent: nullo facilius consilio frenóque, quàm Majorum imaginibus, in omni honestate morum eximiis, ad gloriam & imitationem propositis, in officio continendi. Cum enim admirabilis quadam suadendi vis insit exemplis, tum eis praecipuè, quae à parentum nostrorum recordatione derivantur, quod veluti cum natura haec ad posteros virtus propagetur, & sua etiam consanguinitate pietas gaudeat.

Quae tantò lubentius commemoro, quantò majori tuam celsitudinem ex Caroli *Avunculi cura, ad perfectam Ecclesiastica vitae normam directam formatamque intelligo: ut ex anteacta vitae rationibus, cum Romae in*

Pontificio tũ Seminario, Spiræ Trevirisq; in nobili Canonicorum ordine, nihil Tibi acceptius fore suspicer; quam, ut Avunculo Teque Rectoribus, pristinus religionis morumque Christianorum laudabilis in Majoribus vigor, vestris quoque annis auspiciisque, in diœcesi universa conservetur. Augebis hoc decus exemplo vitæ hactenus inculpatæ & eximio Ecclesiasticæ disciplinæ studio, quâ & singularem à Nationibus exteris laudem ad tuos retulisti, & eandem, sedulo virtutum atque imprimis religionis studio, prosecutus, à Tuis Trevirensibus Spirensibusque transfundis ad exteros. Et ita quidem versaris cum hominibus, ut præcipuo humanitatis, demissionisque excellas præconio; ita cum Deo ejusque Ecclesiâ, ut illustri pietatis & devotionis exemplo commenderis, sive Treviris hactenus Choroepiscopi, sive Spiræ Decani atque nunc etiam Principis munere præsederis, ut novum Historiæ Trevericæ ornamentum Te aliquando, spectatissimis post Carolum moribus, allaturum confidamus. Neque meum illud, sed publicum Tuorum Collegarum testimonium fuit, qui conspirantibus Te nuper votis Adjutorem Successoremque decessori (si ita visum superis) Electori votis designarunt. Quorum deinde judicia secuti Spirenses, unum Te ex pluribus, ad hoc munus idoneis Principem præoptarunt. Horum igitur ductu perspicacique judicio, juxta animi mei sensum, impulsus, ad eum potissimum hoc elaboratæ Epitomes argumentum consultò direxi, qui pulcherrimis illud quondam virtutum ornamentis, rerum à se gestarum commemoratione, illustrare posset. Ut cœptus à me labor honorem ab ipsem obtineret, à quibus principium sumpsit.

Mag-

DEDICATIO.

Magnorum semper Principum cura ingens Historiæ per scriptores idoneos prosequendæ fuit; quod illa, ut Tullius loquitur, lux sit temporum, magistra morum, memoria vitæ: *addo ego, politicæ disciplinæ custos, Ecclesiasticæ conservatrix, virtutum instructrix, decus & ornamentum reip. Quæ & bene meritos suis extollit laudibus, & iniquos justâ reprehensione castigat: ut illorum æmulatione posteri ad bonum accendantur; horum detestatione à malo arceantur, intelligantque par sibi à morte superstitis famæ præmium aut reprehensionem præparari.*

Non ego hic veterum studia Principum Cæsarúmque, longo ad persuadendum, ut possum, ordine inducam: Solius Maximiliani I. Cæsaris, hic apud Treviros familiariter aliquando versantis historiarum amorem curámque memorabo. Pluribus ille diebus, ac temporum quoque intervallis, Treviris moratus, ad illius loci reconditas antiquitates, thesaurósque Ecclesiæ, sub Richardo præcipuè Archiepiscopo, perlustrandos, operam, omnem, studiumque convertit. Idque alibi quidem per Europam, ut erat hujus veritatis cupidissimus, per doctissimos quosque legatorum, qui Monasteriorum, Principum, ac rerump. archiva excuterent; sed Augustæ Trevirorum per semetipsum. Tanta apud eum erat huius loci æstimatio. Et verò impetravit, ut jam diu recondita è tenebris in lucem produceretur inconsutilis Christi toga: cuius non tantum spectator ipse esse voluit, sed ejusdem publicæ veneration exponendæ autor inprimis fuit. Quo facto admirandam populi latè ad urbem affluentis religionem excitavit. Reversus subinde ad eandem urbem, præter diversa antiquitatum, & Trevericæ sanctitatis argumenta, Popponis, laudatissima ex Austriacorum prosapia memoria olim Archie-

piscopi, sepulchrum in vestibulo basilicæ S. Simeonis aperiri postulavit. Cujus post aliquot secula incorruptum corpus, non sine intimo pietatis sensu, contemplatus est.

Et quam sapienter: cum nulla homine dignior in rebus humanis cognitio, quàm de hominibus orbi præpositis, eorumque factis queat suppeditari. ut se quisque aliosque exemplo Proavorum, tam ad malorum fugam, quàm bonorum prosecutionem accendat, offensionibus illorum periculisque evadat cautior, successibus erigatur, firmetur virtutibus. Quot heroas ad fortia audendum Alexandri Magni Juliique Cæsaris rebus gestis, eruditâ historiâ propositis, inflammatos intelleximus! Carolus ille Magnus, & alter Quintus laudatissimi Imperatores, quot bellicarum rerum gloria studioq; adres arduas, exacuerunt! Illorum virtus aliorum calcar fuit. Jam vero ubi in historia Trevirica tot sanctitate illustrium virorum, Principum atque Episcoporum glorioſa facinora virtutesque minimè vulgares adumbrantur, suisque ornantur laudibus, quis neget has esse scintillas inflammandis multorum animis idoneas? quod illi potuerunt (sibi quondam oggerebat Augustinus) tu non poteris? quo tandem imitationis ardore succensus, tam illustrem de se posteris historiæ materiem reliquit, nunquam satis laudanda optimorum Episcoporum idea. Quæ me causæ, præter aliorum hortamenta, impulêre, ut Mathematicorum quorundam artificiosam, in parvo vitri orbe collectam amplissimi viridarij repræsentationem secutus, latum Trevericorum Annalium campum, in breviorem hanc contraxerim Epitomen, quæ & ad multorum pervenire manus posset, & compendiosiori labore evolvi. Ita tamen ut præstantissima quæque hujus lineamenta historiæ oculis, ad æstimatio-

nem imitationemque subjicerem; ne paucorum tantùm nobilium scrinia, illustriorésque solum bibliothecas, hi Annales implerent. sed in his velut pugillaribus, ad vulgus quoque eruditorum, & avidioris populi, ac religiosorum hominum (unde præcipuus sperari fructus queat) manus transirent, patrióque nonnunquam sermone, in arctioribus hisce tabulis legerentur. Cum enim ex omni generis, ætatis, sexusque ordine, illustria per hanc historiam exempla morum suppeditentur, fas erit ad omnium quoque oculos instructionémque transferri. Inveniet hic suos Wendalinos & Werneros juventus, Irminas, Anastasias, ac Gertrudes Chorus Virginum: Helénas, & Genovevas mulierum; Lubentios, Goares, Severos ordo Presbyterorum; Eucharios, Agritios, Nicetiósque Episcoporum: Palmatios, Justinos, Crescentios gradus Senatorum: Thyrsos, Florentios, Victores statio militum. Religiosorum porrò hominum numerus sine numero exemplis sanctitatis prælucebit, ut tot tantisque præclaræ adeò Majorum suorum imagines subtrahendæ non fuerint, ne in historia nimium avari dispensatores fuisse videamur.

Hunc igitur laborem meum publicis emolumentis divinaque à me gloriæ amplificandæ destinatum, si Tuo Celsissime Princeps, post Avunculum Carolum, patrocinio dignatus fueris, egerisque, ut subditi exteríque hisce stimulis ad virtutem religionémque e studiosè excolendam animentur, rem & Deo gratam, & patriæ utilem & tibi per quam honorificam acturus es, intelligésque de vestra non minus famâ posteros, quàm vos de Majorum existimatione propaganda sollicitos vivere. Ita superi utrisque diu feliciterque regentibus adsistant.

Ita vovet speratque

Devotissimus humillimusque Cliens J. MASEN.

BENEVOLE LECTOR.

EPITOMEN longioris Trevirorum Historiæ rogatus, variis de causis incolis exterisque gratificaturus, exhibeo. Grandior ille duorum Voluminum apparatus, multorum è populo, atque etiam literatorum vulgo manus subiturus non erat; quorum tamen ad institutionem exemplúmque intererat illustria Majorum gesta, ac facinora, propugnatam, & ad hæc usque tempora propagatam ab Apostolis fidem ac pietatem, non ignorare: glorioſos in certaminibus diverso tempore Martyres ac proavos suos, in Martio Trevirorum Campo propositos intueri: æmulari fervorem, ac religionem sectari. Deinde & illi, qui prolixiorem Historiam nostram cœperunt volvere, ob sublimius principio, & cum quadam obscuritate conjunctum, scribendi genus, desiderabant lucem sibi aliquanto majorem, breviori magisque aperta scriptione dari: ut proinde tam habituris grandiorem Historiæ apparatum, quàm eo carituris hoc beneficium impenderim: illis, ut inspecta EPITOME Annales profusiores facilius penetrent: his, ne præcipuarum saltem rerum cognitione destituantur.

Ceterùm qui Antiquitates Trevirorum illustriores, quarum memoria superfuit, suis etiam in figuris non paucas, comtemplari ac penetrare voluerit propius, quique etiam gravissimarum rerum fundamenta, decretis Cæsarum, Pontificumque ac Principum diplomatibus innixa penetrare voluerit, IS, nisi facultas defuerit, consultò Annales ipsos aditurus est. Cùm mihi proprositum solum fuerit res ipsas nudè, sine ejusmodi stabilimentis, exponere, præcipuis tantùm adjunctis, vestitas. Quare & citandis autoribus aliisque testimoniis supersedi, quod hæc desideraturo Annales paterent. Illud verò observandum Lectori, meamque EPITOMEN cum Annalibus collaturo, erit. Non eisdem me sedibus annisque per partes Historiam quamque sigillatim digessisse, quibus in Annalibus à Brovvero, aut me, fixa reperitur; sed ad præcipuum rerum gestarum, mortisque, aut etiam vitæ alicujus herois, facinorisve vel eventus caput revocasse non rarò plura, quæ per Annales diversis locis distributa fuère, quod non brevitatis minus quàm claritatis gratiâ faciendum duxi. Ut sic ubi in anno quopiam vel plura, vel pauciora quàm Annales, EPITOME hæc mea representet, non iccirco, vel adjecta, vel omissa per incuriam censeri debeant. Quanquam & nonnunquam, ubi Brovveriana scriptio, minus aperta esset, cum originalia documenta suppeterent, religioni mihi non duxerim clarius rem aliquanto, suis cum adjunctis exponere: præsertim ubi minimè ambigua suppeditarentur; quod alia ad historiæ illustrationem via promptior non esset. Sed parcè id actum volui, ne Compendii rationes limitesque transilirem. Quæ denique ea methodo ac fine direxi, ut vernaculâ aliquando linguâ Trevirorum res, ad vulgi desiderium manusque transferri possent. Hæc te scire, lector amice, meâque hac EPITOME ad majus Dei obsequium, tuamque salutem frui volui. Vale, ac fave.

AD EPITOMEN ANNALIUM TREVIRENSIUM

Introductio DE ANTIQUIS TREVIRORUM moribus ac Monumentis.

QUam vastis ANNALIUM spatiis Trevirorũ historiam complexi sumus, hanc & brevioribus in tabellis minori apparatu proponere visum est, ut hoc veluti prælibamento quodam ad lautiores illius epulas cupidum Lectorem invitemus. Quod nonnullis Indorum Populis solenne esse hodiedum accepimus, ut ferculorum hospitibus exhibendorum catalogum præbeant, quò invitati famem gratis maximè eduliis reservent. Id ego, ceu quodam Historiæ Trevirensis oblato indice meditor, daturus magis occupatis compendium, minusque avidis facturus, desiderium. Neque enim de trivio sumpta reperiet, sed multis ætatum clausa periodis, abditisque monumentis recondita, quæ sera demum posteritas in lucem eruit, fruendaque erudito huic seculo proponit, Inveniet illustria hoc loco, cùm Trevericæ, tum Romanæ antiquitatis vestigia, gentium priscarum superstitiosos ritus, Christianorum in susceptâ Apostolorum temporibus fide constantiam, religionisque orthodoxæ studium ad nos usque, inviolatâ Pontificum serie atque integritate, traductum. Quo nescio, an felicitas, aut laus major cuiquam gentium obvenire possit. Quæ ut deinde perennet, nobisque propitium in scribendo, Lectorique in evolvendo hunc exilem laborem Numen conciliet, summis infimisque votis precamur.

Trevirorum historia reconditas antiquitates complectitur.

Perpetuam eorundem exhibet in fide Christianâ constantiam.

ORIGO. Gens hæc à Trebeta, Abrahami coævo, nomen sortita est,

Treberorum, seu, ut nunc loquimur Trevirorum gentem Mosellæ Rhenique, Fluminibus inter Galliæ Germaniæq; sitam confinia, veteres, novique scriptores plerique a Trebeta, Nini Assyriorum Regis filio Abrahami coætaneo deducunt. Non, quòd ille primus generis Pater, quem Gomerum ex Japeto sentimus esse; sed quod ex oriente Semiramidis Novercæ libidinem iraſque huc usque defugiens, civilis autor vitæ, ad unius urbis mœnia legesq; agrestem populũ traduxerit, Assyriorũ, quæ jam noverat, instituta ædificiaq; gentis æmulatus. Ut iccirco Trevirorũ urbs inter Europæas facilè prima celebretur, vulgatoq; decantatũ sit carmine:

Treviris urbs 1. Europæ noscitur.

Ante Romam Treviris stetit annis mille trecentis.

lib. 2. Com. ad Galat. Treviri in orientem victores penetrarunt.

Galatarum, seu Galliarum, gentem Treviros habitam, non obscurè ex Hieronymo discas, qui traductos olim Brenno Duce in Orientem Galatas, Trevirorum, quibus convixerat, linguâ usos affirmavit. Verùm tamen, ut affines Germanis, his accenseri, jam olim etiam, Tacito autore, maluêre. *Treviri* enim *& Nervii*, inquit, *circa affectationem Germanicæ originis ultro ambitiosi sunt, tanquam per hanc gloriam sanguinis, à similitudine & inertia Gallorum separentur.* Nec quibusvis in Gallis, sed Belgis sunt habiti, quos Cæsar his olim verbis extulit, *Gallorum fortissimi Belgæ*, & Pomponius Mela, *clarissimi Belgarum Treviri.* Cæsar alibi quoque comperisse se affirmat, pleroſque Belgarum à Germanis ortos, Rhenumque antiquitus traductos, propter loci illic fertilitatem, Gallis loco pulsis, consedisse. Quare, ut ad Gallorum olim arma, non Italia solum, cùm ad ipsum penetrarent Capitolium; verùm & Asia latè, illorum concussa & occupata exercitibus, trepidavit; ita deinde Germani, Francique, ex his orti magis, quàm nati, (si primam Regum indolem, gentisque spectes) Gallorum cervicibus metuendi incubuere, ut jam nec propria satis tuerentur, qui aliena impunè quondam rapuerant. Ita divinæ providentiæ placuit, nullam gentium tam asteri formidandam condere, quæ

Tacit. de Moribus German. Cæsar lib. 1. Melæ l. 3. c. 5. lib. 2. Treviri Gallo-belgis olim, dein Germanis accensi.

non

non aliquando aliam, ceu validiorem, formidaret. Unde tot imperiorum vicissitudines, ut mortales discerent, nullum in terris regnum dari immortale.

LINGUA olim ex Belgicis Germanicisque permista vocibus.

Lingua Trevirorum, ex prima Francorum regnantium ætate producta, Germanicis Belgicisque permista vocibus, vix (ut in priscis monumentis supereſt) hujus seculi usum refert, cum suis, ut solet, gentium seculorumque mutationibus variata: ne quicquam in hominibus, nec sermonis quidem literarumque constantia perpetuum existeret.

RELIGIO Trevirorum cum Gallis communis fuit.

Religio hujus gentis prisca, partim hic ex superstitioso Deorum cultu, tanquam abortivum veræ religionis sensim degenerantis, nata, sub Druidum utriusque sexus sacerdotum institutione vigebat; partim ab orientalibus, quorū victores erant, traducta populis, ceu quoddam Tartari spolium, in Græcanicorum Deorum observatione consistebat. Druidæ Pythagoricæ disciplinæ sive autores, sive assectæ, metempsychosin, hoc est transmigrationem animarum de corporibus, ad nobiliora seu ignobiliora alia, pro merito, corpora tradidêre. Unde ingentes ad fortiter agendum moriendumque suppeditabant suis cultoribus animos, ipsi plerumque ex prima nobilitate conspicui venerandique, quâ religioni suæ authoritatem dignitate præstabant. Reconditis plerique in physicis ethicisque, quæque augurandi disciplinâ contineantur, artibus instructi, qualē Divitiacum Æduum hospitem suum Cicero, *a* de divinatione agens, laudavit. Quin & juventuti instruendæ adhibiti, & litium arbitri, humanas divinasque causas definiebant verùm, quod eis fecisse nomen creditur, *b* quercuum inprimis, Jovi sacrarum, veneratores fuêre, ex quibus dimanans viscum magnâ religione solenniq; ritu excipiebant. Siquidem candidatus Sacerdos, tauros geminos, candidi coloris, jugumque inexpertos, Diis immolans, arborem scandebat, ac deinde falce aurea metebat viscum. Quo in potu oblato fecunditatem animantibus dari sterilibus, & venena sumpta enervari sentiebant.

Druidæ eorumque religio & dignitas in sacris profanisque.

a lib. 1. de divin.

b δρῦς *enim quercus dicta*

Quercus honoratæ, & viscus demptum.

tiebant. Unde læta omnes conclamatione viscum cadens excipere solebant, ut Ovidianus meminit versus.

Ad viscum Druida, Druidæ clamare solebant.

Hoc prorsus in ista pietate impium, quod detestabili alicubi sacrificiorum genere, humanis, & plerumque innocentum victimis, iras suorum Deorum placandas censerent; ut si homines, nisi suorum interitu, servari non possent. Nec amentiæ minus habet, licet à crudelitate remotum sit, quod angvino ovo cum sibilis in sublime jactato, sagisque intercepto, litibus sopiendis, Regumque victoriis promovendis vim, virtutemque inesse sentirent, Dæmone hanc illorum superstitionem secundis nonnunquam eventibus alente: ut huic impostori jam olim usitatum fuit, per serpentem homines fallere. Druidis Eubages & Bardi, illi in sacrificiis, hi in cantu subserviebant. Neque insuetum his Majorum gesta versibus intexta odisque posteritatis memoriæ committere. Quamvis Druidis solenne fuit, arcana disciplinæ suæ nequaquam in vulgus spargere, ideoque peregrinâ hæc Græcorum linguâ, suæ sectæ hominibus tradita, populari cognitioni subtrahebant, ne, ut pronum est, notitia contemptum induceret.

Homines in sacrificiis impiè mactati.

Ovum serpentinum observatum.

Sacrifici & Cantores.

Arcana disciplinæ Græca lingva tegebant.

Dii quondam Trevirorum, cum Græcis iisdem communes fuêre Gemini etiamnum Montes, is qui ad orientem Augustæ urbis surgit, Martis, quique ad occidentem trans flumen extollitur, Appollinis nomen, non vano culti Numinis utriusque argumento, tuentur. Quanquam ex Christianis posteri conati sint, nominibus S. Martini & Pauli Eremitæ Treviris honorati gentilium Deorum memoriam, sed frustra, obruere. Mercurium verò à Gallis inprimis observatum, & Cæsaris & Taciti attestatione cognovimus. Nec abs re erit Galbæ verbis, quod hospes ipse Trevirorum & testis oculatus meminit, reddere. *Treviris*, inquit, *est Galliæ civitas nobilis, ubi Senecio quidam, cujus hospitio usus sum per* XII *dies in suburbio civitatis ferream effigiem Mercurii volantis magni ponderis ostendit, in aëre pendentem.* Erat autem

Mons Martis & Apollinis Treviris est.

Brouv. Prop. c. II.

Mercurius in aëre inter duos magnetes libratus.

autem magnes, ut hospes idem mihi ostendit, supra in fornice, itemque in pavimento. Quorum naturalis vis è regione sibi ferrum adsciscebat, sicque quasi dubitans remanebat ingens ferrum.

Vidi etiam, in eadem urbe, ingenti & pretioso marmore Iovem, scutellam auream duorum pedum latitudinis tenentem, ubi hoc inerat scriptum: IOVI VINDICI TREBERORUM, EX CENSU QUINQUE CIVITATUM RHENI, PER TRIA DECENNIA DENEGATO, SED FULMINE ET COELESTI TERRORE EXTORTO, FACTUM ARTE MECHANICA. *Nam thus, quasi prunis impositum redolet, si immiseris. Nec tamen deficit: quia ita probavi esse.* Iupiter aure & thure ultro redolente honoratus. Hæc ille, Mercurialis simulachri reliquiæ diu apud Pontem urbis, cum hac inscriptione servatæ sunt.

Ferreus in vacuis pendens caducifer auris.

Supereſt etiamnum Veneris, ut apparet, nudæ, ex candido marmore ſtatuæ truncus ſuperior, qui ad S. Matthiæ cæmeterium, intra ferreos muri clathros, puerorumque lapidationi exponitur, jamque formam omnem amiſit. Cum ad execrationem fœdæ gentilitatis, hanc à longa retrò proavorum memoria conſuetudinem imitatione traducant, ut religioni neglectæ imputent, hoc opprobrium priſcæ religionis obliviſci. Venus hodiedum lapidari ſolita.

Reſpublica Trevirorum, pro temporum Dominorumque mutatione, varia fuit. Repertos in Gallia Reges Cæſar diverſis locis a meminit; at quos ſupra Principum hoc tempore in Germania poteſtatem vix eminuiſſe potentiâ terriſque colligas. Induciomarum (quem L. Florus b Regem nuncupat) & Cingentorigem accepimus Trevirorum principes affinitate junctos, ſed clientelis ſtudiiſque fuiſſe diviſos. Unde & hunc adverſus ſocerum Cæſar ſibi adjunxit. Et de Julio Claſſico Tacitus c ait. *Regnum illi genus, & pace belloque clara origo. Forte ab Induciomari ſangvine.* Cæſar d certè ad Induciomari propinquos delatum refert imperium. Verùm hoc ego Trevirorum imperium, quod ſub optimatibus, ſive RESPUBLICA ſub Principibus.

a *lib.* 1. 2. 5. 6. 7.

b *lib.* 3. *c.* 10.

c *lib.* 4. *hiſt.*

d *lib.* 6.

Sub optimatibus ſive Præfectis,

quotannis eligendis.

sive præfectis, stetit, magis certum reperio. Quorum unum delectum ex pluribus *Vergobretum* nuncupabant, annuâ potestate in fortunas vitamque omnium dominantem. Isque aut principum populi, aut, si hi dissiderent, Sacerdotum suffragiis erat deligendus. Inter hos tamen, seu Præfectos, seu Principes malis, ordo ille per Gallias est habitus; ut penes quosdam jus esset convocandi ad universale Galliarum concilium ceteros, in quo ad totius gentis commune bonum consilia, leges, federaque conciperentur. Tale, Helvetiis à Cæsare superatis, ad declinandum, imminens servitutis jugum, à Gallis celebratum est. e Tale & postea indixit Cæsar, cùm Trevirorum absentia, pro indicio defectionis est habita. f Hoc Concilium universæ imperabat Galliæ. Unde & ab illo Tacitus g ait Treviris fuisse imperatum. *Scribuntur*, inquit *ad Treveros Epistolæ, nomine Galliarum, ut abstinerent armis, impetrabili veniâ, & paratis deprecatoribus, si pœniterent.* Subjicitque: *Restitit Tullius Valentinus, obstruxitque civitatis suæ aures*, malè deinde ob hanc discessionem multatæ.

Comitium totius Galliæ optimatum suprema potestate præerat.

e *Cæs. lib.* 1.
f *lib.* 6.
g *lib.* 4.

Treviri deinde sub Rom. Imp. Francorum & Germanorum Regibus.

Quæ verò deinde sub Romanorum Præfectis atque Imperatoribus Trevirorum sors ac resp. quæque sub Austrasiæ Francorum Regibus, ac demum sub Germanorum, ac Principum suorum imperio fuerit, ipso historiarum decursu pandetur, quidque arte olim ac Marte, adversus Cæsarem, ceterosque hostium fortiter aut segniter moliti sint, paucis, at veris lineamentis expræsentabitur.

URBIS Augustæ magnitudo.

Urbis olim Augustæ amplitudinem, situm, formam, majestatem, rarissimaque antiquitatis vestigia atque opera Romanis digna, præterire minus æquum existimem, cum & Majorum decora in posteritatis laudem cedant, & obtentæ quondam gloriæ Proavorum dulce etiam sit Nepotibus meminisse.

a *vel Saravi.*

Amplissimum urbis antiquæ spatium à Saræ a Moselæque confluentibus undis, in septentrionem sex facilè excurrebat passuum millibus, verùm inter montes, tanquam

quam valla, mœnibus hinc inde ad pedes jugûm procurrentibus, sita, latitudinis nunc profusæ, nunc adstrictæ, naturæ ductum, ædificiorum ordine sequebatur; ut quæ alicubi ad duo se explicaret passuum millia, alibi nec unum quidem mille æquaret. Augustis tamen ubique spectanda ædificiis, ac palatiis operibusq; urbs, quæ, si ingentis solidique operis pontem Mosellæ instratum excipias, pleraſque à Romanorum istic dominantium temporibus nata credimus, ut ex perfunctoria plerorumque inspectione patebit.

Aquæductuum hic instructorum, Romani populi more, & varietas reperitur, & raritas, hisque subterranea, per meatus cryptasque, receptacula, non dissimili elaborata arte, accedunt. Sub quibus bellorũ, aut persecutionis tempore, vel latebant, vel cum pretiosiori suppellectile thesauriſq; aliò ad vicinas munitasq; arces transibant, aut in silvas etiã & loca abdita effundebantur. Quæ per ipsam quoque urbem diffusa, vicina turrium inter se munimenta jungebant; ut & captæ ab hostibus, aut suis collisſæ factionibus, tam vastæ urbi, non deessent fugæ defensioniſve præsidia. Unde hodiedum nova ædificia molientibus hæc subterranea sese Treviris aperit, ingentesque sub fornicibus receſſus ostendit. De Aquæductu qui ex Riveri, in Erubrum sese insundente, Treviros infra per montium latera flexuſque, unius facile diei itinere ad Palatium Archiepiscopale ducitur, nota suis etiamnum ex ruderibus canalibusque structis res est, & haud procul à fonte, juxtaque Trevirorum Martis clivum, suis sese hiatibus aperit. Sed qui trans Mosellam alter, ex remotis Eiffliæ abscessibus juxta Smidthemium ab Orffæ fontibus, plurium dierum intervallo, hinc Coloniam Ubiorum, inde supra Treviros (quanquam intervallis abruptus) Aquæbillichium tangit, multò plus operæ artisque & admirationis possidet. Qui diversis hodiedum locis pervius, ambiguam multis præbet disceptandi materiam; quo fine consilio ve hoc tam latè diffusum opus, à Romano milite, his locis

Aquæductus & cryptæ subterraneæ.

Admirabilis ex Eiffliacis fontibus Aquæductus.

cis interquiescente, cœptum, perductumque subter ipsa Agrippinensium habitacula, & summæ ædis fundamenta sit? Magisque hic plerique occupandi exercitus, qui per otium enervatur ac diffluit, quàm utilitatis publicæ quæsitam rationem autumant. Nam qui vina commeatumque his undis vectricibus transmissum opinantur, eis fabulam pro historia venditare jucundum est. Cum tamen his ferè partibus & militares Romanorum viæ, aggestâ tellure, minutisque constratæ lapillis visantur, & aquæductus illi, suos per intervalla præstent aditus, ad puram in commeantium copiarum usum sufficiendam aquam deserviisse, existimandum est. Quod quidem ego inter præcipua tanti operis emolumenta reposuero.

Romani militis occupatio, etiam in sternendis viis, non inutilis.

Amphitheatrum ruderibus vestigiisque suis reliquum.

Amphiteatrum priori, qui ex Olevia procedit, aquæductui, intra urbem Martiique montis caput ad orientem adsitum, suis vestigiis, cùm turrium, tum caveārum, ipsaque in medio circi arena, adhuc spectabile eminet. In quo Constantinus Magnus, à victoria, hostium captos duces bestiis ad certamen objecit, priusquam sacris Christianorum imbutus, hoc in spectaculo scelus agnosceret. An verò hoc idem Amphiteatrum, Constantino debitum sit, jure ambigas. Illa certè oratoris Belgæ hic Treviris illi applaudentis gratulatio est, *Video hanc fortunatissimam civitatem, cujus natalis dies, tuâ pietate celebratur, ita cunctis mœnibus resurgentem, ut se quodammodo gaudeat olim corruisse, auctior tuis facta beneficiis, video circum Maximum, amulum credo Romani, video basilicas, & forum, opera regia, sedemque Iustitiæ, in tantam altitudinem suscitari; ut se sideribus, & cœlo digna, & vicina promittant.* Ex quibus illius temporis Augustæ urbis faciem utcunque æstimes.

Orat. Paneg.

Magnifica opera Constantini M.

Capitolium & Centisanum, seu Pantheon, quibus locis steterint.

Nec defuêre magnificæ Deorum sedes, Capitolium, ac Centisanum apud Treviros celebrata, sed locis, quæ conjecturâ magis quàm exploratis notæ antiquitatis vestigiis designantur. Illud Brower us in Ecclesiæ Abbatialis

batialis ad SS. Martyres campo; hoc propius Mosellam in S. Barbaræ vicinia collocat. Cui in utroque quidem statuendo ægrè assentior; cùm Centisano longè aptior fuerit basilica, nunc in portam Archiepiscopalem, olim in Templum SS. Trinitatis conversa; In Capitolii verò sede metanda, magis ad collem, nunc S. Crucis (olim urbis pomœriis inclusum, magnificisque operibus celebratum) propendeam; quod hic loco mediocriter elato, & portæ Albæ triumphantium vicino, conspicua emineret; istic humili humentique agro, & nigræ triumphatorum portæ propius despiceretur.

Alba triumphantium & nigra triumphatorum porta.

Nam & his portis, ad honoris ignominiæque famam in victoribus victisque extollendam, urbs insignis erat, Albâ ad meridiem, nigrâ ad septentrionem, tanquam ad lucem tenebrasve, spectante portâ. Et illam quidem, cum victoria ab hostibus reversi, triumphantium ritu, aut ovantium, ad vota in capitolio Diis solvenda victimasque, seu bestiarum, seu hostium litandas subibant, omnium plausu & gratulatione susceptî: hanc nigram, tacito silentique agmine, inter exprobrantium sibila execrationesque permeabant. Quæ etiamnum raro opere, solidissimisque ex quadrato lapide muris superat, Romanæque architecturæ rarum est argumentum. Cujus expressum ære simulachrum in Annalibus dedimus, estque superioribus seculis, in sacram D. Simeoni Eremitæ ædem, à Poppone Archiepiscopo, transformata, & Canonicæ disciplinæ Clericis attributa.

Nigra porta, quæ & Martis dicta fuit, in templum conversa est.

Campus huic Martius affinis est, ideoque hæc eadem porta Martis est nuncupata, quòd (ut erat intra urbem) bellicus illic senatus cogeretur, quæque ad exercendum regundumq; spectarent militē, caperentur consilia.

Campus Martius.

Palatia hâc in Augustâ urbe olim ingentia, miris substructionibus aulisque fuêre exculta. Metropolitani templi ædes ex D. Helenæ palatio, nonnullis adhuc muris fusilibusque immani mole columnis superstiti, erecta est, Imperatricis liberali dono ac voluntate

Palatium D. Helenæ in summam ædem, Constantini verò in Monasterium cessit.

tate. Uti S. Maximini, quod nunc ante urbem Monasterium, cum Ecclesia, nobilissimum est, ex aula Magni Constantini natum surrexit. Quod verò Dominorum de Ponte juxta S. Barbaram Palatium fuit, Valentiniani & Gratiani Impp. triumphali arcu, nonnulli formatum sentiunt. Verum hoc nuperis annis dirutum, partim Electorali aulæ, partim excitandæ apud Societatis Jesu Patres studiorum Gymnadi aptatum est, formamq; obsoletæ antiquitatis amisit. Vicina tamen quadrilatera turris est, quæ in propugnaculi olim educta speciem surgentibus in altum, sine luce fenestrarum muris, rarâ operis soliditate hodiedum spectatur. Cujusmodi per urbem turres, ad quas subterraneis etiam viis accessus erat, haud minus quaternæ supersunt; nunc, post ignes, globosque, ac cuniculos, pyrio evibratos pulvere, magnum ad defensionem præsidium non amplius laturæ. Illud in Palatio Dominorum de Ponte rarum fuisse observant, quòd in ipso domus apice, piscina, emicantibus hucusque per canales tubosque aquis, instructa fuerit, cujus proxima ætas minimè obscura vestigia inspexit.

Turres propugnaculorum olim loco fuêre.

Piscina in vertice Palatii aquis plena.

Nec minus admirandæ aularum magnarum substructiones, quarum eodem in ædificio, cum nuper suffoderentur rudera, propriis inspexi ideam oculis, diversisque alibi locis arbitratus sum. Res hâc ætate architectonicæ magistris ignorata, scriptorum artificumque neglectu intercidit; hic paucis memoranda verbis, at fusius in Annalium Notis per me expositа. Aularum pavimenta spissitudinem explicatæ manus æquantia, supernéque tenui laterculorum tegumento instrata, infernè columellis ferè bipedalibus innixa sunt. Quæ columellæ ex decem circiter laterculis orbicularibus, sibi mutuò instratis, confectæ, uno fortè à se invicem pede discedunt, adeoque subterraneo meatu, immisso per os unum alterumve igni aditum præbent. Qui cavis receptus ambagibus quacunque circumfertur, atque, ab insequenti igne fumoque propulsatus, exitum in secessu positum vestigat, itáque oberratione pavimentum sensim

sim calefacit. Ita, ut non multis ignibus locus ingens hiberno tempore incalescat, nec receptum calorem, obturatis, post exspirantem ignem, ostiolis, facilè (ut in ceteris hypocaustis brumalibus assolet) remittat. Cujus artificium, qui non capit, figuram in Notis Proparasceves Browerianæ appositam consulat, quâ ducente, opinor, assequetur.

Spectatur hac quoque ætate nobile illud Secundinorum Principum sepulchrale monumentum, quod pyramidali lapidum structurâ supra pedes LXX. assurgit & quatuor discriminatum limbis, diversa incisarum figurarum emblemata exhibet, quas in iisdem reperies Notis expositas; resque Secundini Aventini gestas, & officia, diversosque fortunæ casus complectuntur. Orbis fastigio pyramidis incumbens, sub Aquilæ insidentis alis, cineres Secundinorum, Romanorum more ex busto collectos, sustinere creditur. Pagus Eigel, sic ab Aquila dictus, suburbanus olim, vix quadrante sub Augustæ urbis versus Austrum mœnibus, nunc ad quatuor millia passuum, decrescente ejusdem amplitudine, longius divellitur, seculari Lutzelburgiorum jurisdictioni addictus.

Pyramis Secundinorum memorabilis.

Pagus ab Aquila pyramidis nomẽ traxit.

Præter hoc diversa veterum monumentorum genera, cum suis epigraphis, in Annalibus damus, quibus hic locus non est. De lampadibus verò in sarcophagis, repertis, id sentio: angustas illas vulgaresque, quæ reperiuntur, perpetuum, ut ferunt, ignem alere non potuisse; sed capaciori ad hunc urna, qualem conspexi vitream, quæ igne accepto, & illæso, claudi posset, fuisse opus. In quam, fumus emergens, oleaceis rursum guttis, per latera adhærescens, solutus refluat, ignemq; in ellychnio Asbestino conceptum, perpetua revolutione (cum nihil exspirare, aut perire queat) conservet. Nam, si Plinio credimus, tale ellychnium flamma non consumitur. Sed hæc naturalium curiosis indagatoribus probanda deferimus, ad certiora transituri.

Monumenta sepulchralia diversa.

Lampades perpetuò ardentes.

LIBER

LIBER I.

DE TREVIRORUM PRINCIPATU ante Christum natum.

Treviri olim inter Gallobelgas.

BElgarum populi inter Gallos eximia quondam virtute celebrati, suo, ut supra vidimus, complexu Treviros attinuêre; adeò quidem, ut inter Gallos eminerent Belgæ, inter Belgas Treviri.

Galliarum altera Cisalpina, altera transalpina.

Gallorum duplex natio, cisalpinorum prima, Romanis sic dicta, quòd eis alpes in Italiæ se gremium bellator olim populus infudisset, transalpinorum, occidentem inter septentrionemque, altera; quæ in tres divisa partes, Gallobelgas intra Mosæ, Sequanæ, Matronæ, Mosellæ, Scaldis, & Rheni alveos claudebat: pugnacem maximè gentem, quòd assiduis pro Rheni possessione bellis, cum Germanis, barbarisque nationibus, ad fertilitatem horum agrorum aspirantibus, collideretur, nec probandæ virtutis inter armorum exercitamenta seges unquam deficeret, quam nisi bellandi disciplina potiores Romani, totiusque orbis viribus incubuissent, superaturi nunquam fuissent. Sed Romanis terrarum aliquando Dominis sub Christi adventum futuris, hæc invideri gloria non debuit, ne quibus Christianæ fidei Ecclesiæque toto orbe destinatum erat imperium, hi temporalis regni potestate atque honore destituerentur; cum longè minus sit armis, quàm religione eminere.

Trevirorum amplissima olim regio.

Porrò Trevirorum in Gallobelgis olim principatus, à Lingonibus, Nerviisque, ac Rhemensibus, per Eburonum ac Tungrorum fines, longè ad inferiorem Belgicam, atque inde per Mosam ad Clivios usque Rhenumque pertinebat, tum quod fatente Cæsare *a* Arduenna silva per medios Trevirorum fines porrecta sit; tum quod Eburones Condrusique finitimi eorum sese clientelæ addixerint *b* memoretque idem Cæsar *c* pontem in

a Com. lib. 5.

b Id. lib. 4. *c* lib. 6.

Trevi-

Treviris extruxisse sese adversus Suevos Sicambrosque in oppositam Ubiorum regionem, iis ubi nunc Agrippinatum ripa locis est. Uti etiam in Trevirici equitis sepulchrali cippo hac ætate Burungi * infra ubios reperto, argumentum haud sanè obscurum nobis relictum est.

* *Woringen Gelen. in Sacr. p* 198.

Prima verò quæ de hac gente in veterum Annalibus memoratu glorioſa produntur. Hæc T. Livius, *d* Justinus, *e* Strabo, *f* Polybiusque, *g* non uno loco prodidêre, ut cum celeberrimæ illius meminere expeditionis, quam Brennus Gallorum, sive Galatarum, Dux, trecentis facilè stipatus armatorum millibus, inter quos Trocmi, Tolistobogii, ac Tectosages numerantur, in orientem susceptit, olympiade, ut ferunt, 124. anno ante partam cum Christo salutem 270. Quandoquidem ut fertilitate hominum hæc abundat regio, liberaturi patriam diversi Principes, alii cum ingenti multitudine per Alpium claustra in Italiam, alii per Illyricos in Pannoniam Græciamque infusi sinus, divisis agminibus commodas sibi armis sedes quærendas esse statuerunt. Cum legi necessitatis lex nulla proprietasque terrarum præscribat, satiusque, quod gladiis parandum est, inter peregrinos, quàm affines quæratur.

d Dec. 1. l. 5. & Dec. 4. l. 8
e lib. 24.
f l. 4. & 12.
g lib. 2. & 4.

Anno ante Chr. 270.

Galli olim in diversas regiones, Italiam & Orientem effusi.

Ex his igitur Leonorius Luthariusque secessione à Brenno facta, cum XX. millibus Gallorum, oram sibi Propontidis denique vectigalem latè fecêre, atque inde auxiliares Nicomedi Bithyniæ Regi adversus Zybeam facti, tantum Asiæ intulêre terroris, ut quidquid cis Taurum incolarum esset, haud gravatè advenarum imperium admitteret, cum salutem servituti anteferret. Hinc partiti regiones, Trocmis Hellesponti ora data, Tolistobogiis Æolis & Jonia, Tectosagibus mediterranea Asiæ loca cessêre.

Pol. l. 4.

Oriens inter Gallos victore divisus.

A Belgio * Galatarum Duce contra Ptolomæum Ceraunum Macedonum Regem, solum in pluribus resistere ausum, majori etiam gloria, at felicitate terrarum obvenientium impari, certatum est. Nam licet in-

* *alii Bolgio*

tercepti Ptolomæi caput infixum lanceæ ad ludibrium terroremque circumtulerit; tamen Sosthenes in solium substitutus, arma non deposuit, ut Brennus ipse huic denique frangendo vim omnem roburque exercitus collectum impenderit. Et verò optando Gallis exitu, nisi post expilatum sacrilegè Delphici Apollinis fanum, ingenti ab Ætolis Phocensibusque clade multati, cecidissent. Ex quibus superstites, alii Tectosagum auro graves repetiere patriam, sed oborta vexati lue, non, nisi merso in Tholosanum lacum auro, liberari potuêre: alii in Asiam reversi Ancyráque Phrygum potiti oppido, supra Sangarium & Halyn amnes posuêre sedem, Gallograeci, ac dein etiam Galatæ nuncupati, quos Trevirorum sermone usos, utriusque inspector populi D. Hieronymus testatur, ut hinc constet, Treviros inter hos orientis expugnatores jure armorum censeri.

Treviri in Gallogræcia seu Galatia subsistêre.

Com. ad Gal. l. 2.

Verùm, ut suis respublicæ ac regna, tanquam mortalia quædam corpora, morbis mutationibusque obnoxia sunt, nec nisi certis annorum periodis & nascuntur, & consistunt, & occidunt, ita & Galliarum ac Trevirorum reipublicæ, quondam suis incrementis florenti dominantique nationibus ceteris, denique inclinata fortunâ ac viribus, sub aliorum potestate vivendum fuit.

Victores aliorum foris, domi postea à Rom. victi.

Romani enim illam, quam à Gallis didicerant Alpium superandarum viam, sibi vicissim, quamvis post aliquot ab occupata Italia oppugnatoque Capitolio secula, tentandam censuêre. Occasionem justi, ut rebantur belli, ab oppugnatis Massilienses, qui in fide Romanorum erant, accepêre, atque in horum invasores Salvios, auxiliaresque Allobrogum copias arma, M. Fulvio Flacco & C. Sextio, Ducibus sumpsêre. Ibat tunc annus Urbis conditæ 628. ante Christum 123. quando Fulvius bellum exorsus, quod surrogatus anno insequenti Sextius victor absolvit, primusque in urbem, quam hodiedum Aquas dicimus, ob copiosam è calidis frigidisque fontibus scaturiginem, coloniam Rom. duxit, suo ex nomine Aquas Sextias nuncupatam. Hinc deinde

Anno V C. 628. ante Chr. 123.

deinde Romanis ex Gallorum dissidiis quæsita oblataque fuit latius proferendi imperii opportunitas. Nullâ enim re magis quam discordiâ gentium res accrevêre Romanorum, perituræ non aliter, nisi ex eodem quo natæ sunt dissensionis mutuæ fonte. Hinc Taciti pro Romanis olim votum fuit. *Maneat quæso, duretque gentibus, si non amor nostri, certè odium sui, quando urgentibus imperii fatis, nihil jam fortuna præstare majus potest, quàm hostium discordiam.* Averni * igitur Galli cum Æduis, * nunc Burgundionibus in Romanorum societatem admissis, ob Galliæ principatum collisi, utrorumque in se arma vertêre, ingentique à Fabio Maximo bello fracti sunt. A quo, post Bituitum Regem centumque viginti armatorum profligata millia, partem non modicam Galliæ Romani factam juris arbitrantur. Trevirenses verò cum Æduis, quibus adhæsisse creduntur, sociorum in libertate substitêre.

Aquæ Sextiæ Colonia Rom. prima in Galliis.

De mor. Ger.

* *vel Alverni,*

* *vel Heduis.*

Cimbrorum subinde ex Oceani septentrionalis insulis trans Rhenum infusa natio, cùm intra Mosam Scaldimque subsisteret, viresque Belgarum fortiores, quàm ut in penitiora se Galliæ viscera infunderet, experiretur, impedimentis cum sex suorum millibus, eò, ubi nunc Andoverpia est, loci relictis, in Illyricum regressa, Cn. Carbonem, acie totâ victum, copiis omnibus exuit; ac subinde latè sui nominis terrore sparso, in Galliam Hispaniamque magnâ passim vastitate agrorum grassata est. Quam nec Treviri calamitatem vitare potuerunt. ut in armis, sic in dandis accipiendisque cladibus (cum Rheni claustra hostibus patuissent) nunquam postremi. At Cimbri demum Germanis sociati, postquam aliquoties Rom. victores quinque consulares exercitus, & M. Manlium atrociissimâ pugnâ confeciissent, duobus præliis à C. Mario ad Aquas Sextias anno V.C. 651 fracti ac denique insequenti, junctis Catuli legionibus, in Alpium faucibus, 140. hominum millibus fusis penitus, deleti sunt, Belgis hanc illuviem hominum, magnâ semper virtute propulsantibus. Subindè apud Treviros, ante

A Cimbris Rhenum superantibus oppugnati.

Anno V. C. 640. ante Chr. 111.

Romani Cimbrorum demum victores.

An. V.C. 651. ante Chr. 100.

ante Jul. Cæsaris adventum, magna quies, aut certè nulla memorabilis belli memoria fuit, quod hinc Romanos, in Narbonensi Gallia subsistentes, inde Germanos, mutua offensionis formido mediis his finibus arceret, hostisque utrimque in vicinia non speratam faceret securitatem.

Ex contentione Gallorum Arioviſtus Germ. Rex Sequanis potitur.

Verùm nativo soli ingenio Gallorum inquieta gens, causis inter se bellorum quæsitis collisa est. Cùm enim Ædui Romanorum societate freti, principatum Galliarum tenerent supremum, reliquis clientum jure addictis; Sequani hanc illis gloriam autoritatemque prærepturi, cum propriis se viribus, jam aliquot bellorum experimentis, impares sentirent Arioviſtum contra illos Germanorum Regem in armorum societatem vocarunt, cujus auxilio, Treviris nequicquam obnitentibus, potiores, Æduis in clientelam transeuntibus, principatum, mutatâ sorte, ademêre; sed brevi contentionis fructu. Nam Arioviſtus cum Sequanorum partem, in victoriæ præmium, occupasset, denique jam firmatis abundè sedibus, explicatisque latius, ut in fabulis echinus ad nidum leporis admissus, armis, Harudum adjutus manu, reliquum agrorum insedit.

Cæsar. l. 1. & 6.

Treviri Eburonum & Condrusorum clientela firmantur.

Interea & Treviri rebus suis firmandis intenti, cum reliquiæ Cimbrorum Advatici utramque Sabis, nunc Sambræ fluminis ripam insedissent, atque Eburones Condrusosque, sive Leodios Hujosque, cum vicinis, bello premerent, hos in fidem clientelamque suscepêre, mutua deinde armorum societate defensi, pacto, ut Treviris glorioso, ita Eburonibus non indecoro, cùm honesta sit servitus, quæ libertatem non eripit, sed tuetur.

Jul. Cæsar contra Arioviſtum in Gallias destinatur.

Arioviſtum dominandi libido jam in Sequanis quiescere nequaquam patiebatur, unde & Æduos Romanorum fidem implorantes aggressus, his cunctantibus non mediocriter atterebat; sed & Helvetii expeditionem in Galliã, adversum Romanos, ut apparebat, moliebantur. Julio igitur Cæsari, ingenio bellandiq; arte instructissimo, hæc provincia, &, insolenti quidē hactenus Tribunitiâ

Vatinii

Vatinii lege, in quinquennium mandatur. Is, ne plures simul in se hostes converteret, licet Divitiacus Æduorum princeps contra Arioviſtū auxilia poſceret, hunc tamen ut Regē amicumq; agnoſcerent, Romanis autor fuit. Verum Helvetiis anno V. C. 695. ingenti apud Æduos cæde profligatis, cum Ædui Treverique Cæſari faverent, accerſitum & venire detrectantem Arioviſtum victricibus pariter armis oppreſſit. Quæ res Senones, Suevorum pugnaciſſimam inter Germanos nationem, ingenti ad Rheni ripam exercitu jam contra Treviros ſtantes, ſortique, poſt caſum Helvetorum & Arioviſti, jam ſuæ metuentes, retrò ferre pedem coëgit, non ſine lautis Trevirorum, ac Rhenicolarum, terga prementium, ſpoliis.

Arioviſtus vincitur, Svevis retrocedentibus.

Subinde ad hoc Cæſar incumbendum ratus, ut conciliatis inter ſe Gallicorum Principum factionibus, quietem genti, fidemque Romanis præſtandam ſuaderet, per Lingonas Leucoſque flexo itinere, exercitum ad Sāræ fluminis caſtra, hodiedum ſuis veſtigiis nota, Trevirorum in fines traduxit. Remorum deinde urbem Galliarum voluit eſſe principem, cui jus indicendi regundique eſſet comitii, in quo de ſumma rerum deliberarent. Ita videlicet cum Remis ceteros ſe in poteſtate facilius Cæſar habiturus credebat. Et Treveri quidem neque Remenſibus invidebant, neque obluctabantur Cæſari. At Sueſſiones, quorum Dux Galba, Bellovacos, Nervios, Atrebateſque tantis ſecum copiis in belli ſocietatem, pro libertate adverſus Romanos, traxêre; ut licet Cæſar alio Gallorum, præter Italos, milite, inprimiſque valido Trevirorum equitatu obmunitus ſtaret: ad Axonam tamen flumen in caſtris hæreret, nec prælii diſcrimen auderet ſubire. Denique ab hoſte ſpretus deriſusque ignominiam non tulit. Educto tamen milite, equeſtri ſolum prælio, quo ſæpius ante concurrerant, decertatum eſt; quòd paludes explicatam plenè aciem non admitterent. At Belgas (quos ferro perrumpere non poterat) mora, & commeatus, in tanta multitudine, inopia diſjecit.

à quibus lauta Trevirī ſpolia referunt.

Cæſar apud Treviros ſocios Rom. caſtra metatur.

Cæſari Sueſſiones & Belgæ ſe infelici exitu opponunt.

Quos ad propria redituros, aggressus à tergo Cæsar in confusionem fugamq; vertit, exitumq; non paucis revertentium intercluſit. Quibus consultius fuerat, aut venisse nunquam aut de immaturo reditu non cogitasse.

An. V.C. 696. ant. Chr. 55. Insecutus porrò Cæsar, ac seorsim sua in ditione congressus singulis, facilem victoriam habuit, Eburones Condrusique temeritatem, quâ à Treviris abierant, magnâ clade expiarunt, Bellovaci & Ambiani in juratam Rom. fidem abiêre, Nervii soli restitêre pertinacius. Qui Cæsarem adventantem, cum plenis excipere castris non auderent, ex silvarum latebris tanto furore adorti sunt, ut passim imparatos confusosque Rom. ingenti clade sternerent, ideóque Trevirorum equitatus, ceu desperatis jam rebus, se domum unde venerat recipere, quàm pugnæ, in qua nec vinci, nec vincere glorioſum, insistere pertinaciter, maluit. At Cæsari, nec in tanto discrimine animus consiliumve defuit. Quare instauratis, animatisque ut poterat ad fortiter pugnandum ordinibus, rapto à novissimo militum scuto in primam sese aciem ingerit, exemploque pugnantes trahit, dum Labienus ex castris Nerviorum jam occupatis, subsidiarias Cæsari cohortes misit, quibus hostium fracta virtus postremò succubuit, & tota Belgarum gens metu consternata in Cæsaris obsequium concessit. Cui ob partam hoc bello gloriam Senatus Rom. XV. dierum supplicationem, inaudito honoris exemplo, decrevit.

Trevericus equitatus Cæsarem destituit.

Vicit tamen singulari fortitudine, Belgasque subjecit.

V. C. 697. Ant. Chr. 54. Insequenti anno qui fuit V. C. 697. Veneti in Gallia maritimæque ad Oceanum Britannicum gentes libertatis studio, admissum Rom. jugum excutere nequicquam conatæ, Cæsaris industria, armisque premuntur. Treviri etiam hactenus libertate & jure sociorum freti, cum oppressis ceteris, paria formidarent, federum bellorumque novorum cum finitimis consilia, Labieno superveniente, dissimulare coacti sunt, illo, ut hospite amicoque, in urbem recepto. Interea Romæ anno proximo V. C. 698. Pompejo & Crasso Coss. in alterum quinquennium Cæsari Galliarum imperium prorogatum.

Treviri servitutis metu à Rom. alieni, eos tamen amicè accipiunt.

tum est, auctæque copiæ, quæ ad 63000. præter magnam Sociorum & federatarum urbium vim, accessêre, Gallicanique militis una legio, quam Alaudam, seu Galeritam, dixêre, Romanis addita, quæ Cæsari semper fida, post devictum Pompejum, urbe est donata. Quâ potentiâ Cæsar fretus, jam impotentius in quosvis seu jure, seu vi grassari cœpit.

Invitabant Treviri Tencteros, Usipitesque transrhenanos, quorum illi quidem, à Suevis ejecti, sedes ultra citráque Rhenum quærebant, magnâque se nuper clade in Menapiorum * agros transfuderant, unde jam etiam in Eburonum & Condrusorum agros, non invitis Treviris se insinuârant, ut fortium virorum adversus Cæsarem non deesset in necessitate, auxilium. Quâ re Cæsar intellectâ præoccupandum ratus, priusquam uno in corpore cum Trevericis coaluissent, exercitum adversus illos movit, primoque, licet equitum, congressu, magna parte cæsorum, infelix, plenâ tamen acie institit, nec procul à Mosæ & Rheni confluente aggressus, exutosque castris, aut gladio, aut aquis confecit. Nec moratus strato per Rhenum ponte, toti Germaniæ terrorem incussit. Sed quod hostis deficeret, infinitique belli moles esset expugnare Germanos, in Britanniam freto angustiore definitam, & Gallis sæpe auxiliarem, rescisso ponte, transmissoque Belgio, Oceanoque, exercitus partem traduxit, partem Sabino & Cottæ legatis ad Menapios debellandos reliquit. Erant hi Trevirorum federati, & ab Eiffliacis horum finibus, latè per Rheni ripam ad oceanum penè excurrebant. Sed his in paludes silvasque abscedentibus extorqueri, præter domicilia igne consumpta, nihil ad plenam victoriam potuit. Cæsar quoque ex Britannia rebus nondum confectis reversus, distributo per hiberna milite, juris dicundi gratia (quod ex more præstabat hieme) in Galliam Cisalpinam concessit.

Treviri Induciomaro, præcipuæ factionis, quæ tunc urbem gemina tenebat, principe, statuerunt corripienda

* Juliaci Clivenses &c.

Tencteri Belgarum ad fines à Trev. invitati à Cæsare profligantur.

Cæsar frustra Rhenum transgressus in Britanniam recedit.

Menapii à legatis frustra oppugnantur.

enda esse arma adversus impotentem nimis Cæsaris dominatum, cujus nullum viderent esse terminum, ultra Rhenum atque oceanum exserentem sese sine fine modoque; ut sibi ad omnia quietis denique necessaria quoque servitus parata sit. Verùm ut in pace, sic in bello, alter Principum Cingentorix æmulusque dignitatis, à, socero licet, Induciomaro dissentiebat. Quæ res Treviris ceterùm in concordia metuendis Cæsari, exitio fuit. Nam ubi, transacta hieme Cæsar adversus Trevirorum copias, in Arduenna silva, sub Induciomari auspiciis collectas, venit anno V. C. 699. Cingentorix obviam Cæsari profectus, se suosque in officio amicitiaque Romanorum futuros profitetur. Quocirca & Induciomarus veritus, ne à suismet desertus Cæsaris potentiæ succumberet, per legatos idem obsequium defert. Qui, studio belli in Britannia conficiendi flagrans, simulati officii delationem admisit, Induciomaro cum ducentis obsidibus adesse jusso. Venit is, monitusque de fide præstanda, atque obsidibus retentis, dimissus est. proceres vero Trevirorum, ut Cingentorigi faverent, Cæsar exstimulavit. Quo facto Induciomarum, magis jam animo exulceratum, quod præferri sibi æmulum videret, quàm pacis consilia meditantem à se dimisit. Ipse Labienum ad Galliarum custodiam relicto, in Britanniam profectus secundis aliquot præliis sui juris Insulam reddidit, victorque sub autumnale æquinoctium reversus, ad Trevirorum inprimis custodiam militem in hiberna distribuit, T. Labieno in Remorum, Sabino & Cotta in Eburonum confinio castra metantibus. His tum Ambiorix & Cativulcus Principes imperabant, cum quibus Induciomarus ad Romanorum exitium conspirat, & hic quidem Labieni, illi Sabini Cottæque expugnandi consilia capiunt. Et Ambiorix quidem postquam vim frustra invadendis castris (quæ firmissimis semper locis operibusque muniebant) admovisset, ad fraudem versus, spargit sâ adventantium Germanorum latè famâ, simulatâ amicitiæ specie, Romanis discessum ab his suadere finibus

Treviri in factiones divisi Induciomaro autore Romanis bellum moliuntur.

An. V. C. 699. Ant. Chr. 52.

Cingentorix ex eisdem Cæsari adhæret. unde & Induciomarus dissimulare cogitur.

Induciomarus cum Ambiorige Eburonum regulo Romanos oppugnant; sed hic illo felicius.

cœpi

cœpit, ne in illos totus iucumberet barbarorum exercitus, ubi credulos in Arduennam Romanos protraxit, valle atque insidiis clausos omnes trucidavit, paucis ad castra relapsis, qui mutuis, quàm hostilibus gladiis cadere maluerunt; stulto mortalium consilio, qui turpiter perire decreverunt, ne honestè perirent. Ambiorix hoc lætus successu, ad Q. Ciceronis, qui in Nerviis hiemabat, castra expugnanda progressus est. Sed horum discrimini cum tempestivè Cæsar adfuisset, magnâ Eburones strage rejecti sunt.

Romani insidiis circumventi cæduntur.

Induciomarus Trev. Princeps, victoriâ Ambiorigis magis animatus, quam clade territus, armatum concilium indixit, quod puberes omnes more Germanorum patrio, in armis frequentabant. In curia Arduennæ, quæ Salmensi in pago, octo à Leodio passuum millibus, erecta olim fuit, hoc comitium institutum est, hostisque in eo pronuntiatus Cingentorix, ac Romanis bellum decretum. Ad quod, licet alios trans Rhenum Germanos frustra invitasset, nec universi quidem conspirarent Treviri, Induciomarus tamen intrepidus profectus est, nec castra Labieni uno loco ac die aggressus, telis cotumeliisque identidem lacessebat, dum Labienus, receptis clam subsidiariis cohortibus, redeuntes, post oppugnationem castrorum, ad sua Treviros, emisso quaquaversum equitatu prosecutus mandavit, uni præcipuè Ariovisto capiendo, aut interficiendo advigilent. Quod tantâ felicitate peractum est, ut in ipso fluminis vado hærentem occupatumque truncarint capite, quo ad Labienum delato, profligatisque jam sine Duce copiis, fidem victoriæ fecêre.

Induciomarus quoque improviso circumventus cum suis cadit.

Hac tamen clade irritati magis, quàm ad pacem compositi Trevirorum animi, ducis sui necem majori armorum apparatu ulcisci statuunt. Quare cum præter Ambiorigem recentis adhuc victoriæ ardore æstuantem, Nervios, Advaticos, Menapios ac Germanos denique ad belli societatem inflammassent; Cæsar hæc consilia celeritate intercepit, singulosque ante conjun-

Treviri ceteros Belgarum ad arma concitant, quos Cæsar divisim celeriter premit.

ctionem armorum adortus facilè oppressit. In his anno V. C. 700. primi Nervii, quos, hieme nondum confectâ aggressus, magno pecorum hominumque numero multatos, obsequentes rursum habuit. ac subinde remisso ad hiberna milite, concilium Galliarum indixit, in quo cum, præter Treviros, Carnutes, Senonesque non comparuissent; hos rebellionis notatos, improviso milite obruit, & quamvis invitis, pacem imperavit. Ad Menapios deinde Eburonum Trevirorumque propinquos versus, horum quoque auxilia intervertit. Nam ut invicti hactenus inter paludes substiterant; ita Cæsar has pontibus superari posse, & concepit animo, & eventu docuit. Labienum ergo in Treviros cum duabus legionibus ad eosdem intra limites continendos misit, ipse copiis tripartito divisis, stratisque hinc atque inde celeriter pontibus, in Menapiorum abdita penetrat, ingentique cæde ac clade subactos, Romanorum tum primùm, quod hactenus declinaverant, adire jugum coëgit.

V.C.700. Ante Chr.51.

Idem concilium bellicum Galliæ indicit absenteseque ut hostes persequitur.

Menapios superatis paludibus subigit.

Treviri interea rati Labienum à se posse opprimi, contra movent. At ubi veniisse Legiones duas à Cæsare auxiliares intelligunt, fixis castris subsistunt, promissaque Germanorum subsidia operiri constituunt. Quibus tamen Labienus occurrit, medioque Mosa flumine, bidui intervallo castra opponit, sed cum flumen plena acie congrediendi facultatem eriperet, ut Treviros, ante recepta auxilia, trans flumen, ad pugnam evocaret, spargit inter suos cessurum sese castris, neque Germanorum adventum præstolaturum, cum vix modo separem hostibus censeat. Quæ cùm à Gallis fama ad Treviros manasset, & Labienus velut metuens per tumultum castris discederet, Treviri, in spem prædæ victoriæque erecti, flumen raptim superant, hostemque persequuntur. Hic cum opportuno suos loco collegisset, in Treviros, malè compositos ac flumine intercep-tos, aciem convertit, qui inopinata re consternati, magisque de fuga, quam pugna soliciti, magnâ clade ceciderunt.

Labienus Treviris armatis occurrit, castrisq; dolo evocatos profligat.

derunt. Nec Labienus substitit donec victor Trevirim in potestate haberet, ac Cingentorigi, Induciomari factione oppressâ, principatum committeret.

Cingentorigi principatus Trev. committitur.

Germani, qui auxilio venerant, clade Trevirorum cognitâ cum propinquis Induciomari, trans Rhenum recessêre, cúmque Ambiorigem quoque in fidem, rebus Eburonum desperatis, recepissent, Cæsar ponte infra Confluentes strato, exercitum trajecit. Sed re nulla magnopere, ad votum ultionis, præstitâ, comperto Suevorum in armis apparatu, revocatum militem, in Eburones spoliis incendiisque vastandos immisit, has Cottæ Sabinique cæsorum Manibus inferias daturus.

Cæsar Rhenum frustra transgressus ad Eburonos spoliandos redit.

Jam inclinatus in hiemem vergebat annus, cum ob Clodii cædem turbatam factionibus Romam comperit, ideoque diducto in hiberna milite, in Galliam citeriorem maturat iter, propior urbi adfuturus. Quâ famâ in spem libertatis erecta Gallia, arma passim meditari cœpit. Treviris sub Cingentorige, unà cum Lingonibus Remisque, in fide Rom. stantibus, jamque Vercingentorige belli totius duce ingentes Gallorum copiæ ibant, quando Cæsar intellecta rebellione ex Italia repentè advolat, junctisque raptim exercitibus, vix opinantes, ad Alexiam Mandubiorum, nunc Burgundiæ, vicum, atrocissimo Gallos prælio invadit, vincit, profligatque universos, ipso principe, cum Alexia urbe, intercepto. Erat is annus V.C. 701. quando & Sicambri superato Rheno Q. Ciceronis castra in Eburonibus improviso adorti, multisque in frumentatione cæsis cohortibus, cladem haud contemnendam intulerant. Quæ res à devictis Gallis Cæsarem in Germanos rursum trans Rhenum, sed nullo ad vincendum emolumento, incitavit. Cum Germani novo pugnandi artificio Romanos docerent, se in fuga etiam victoriam quærere, pugnandumque cum hoste, non semper cum vult, sed cum opportunum est.

Absente Cæsare rebellantes (præter fidos Treviros) multi Gallorum, mox à reduce cæduntur.

An. V. C. 701.

Germani rursum frustra trans Rhenum quæsiti.

Cæsar igitur per Rhenum ad suos revertit, nec multo post Sicambri, tanquam bellorum alea cum Roma-

nis luderent, secuti, in Trevirorum sese etiam regiones effuderunt. ut horum multi dubitarent, adversusne Germanos, an Romanos starent? ac denique factum sit, ut in hos ferri aciem obverterint, Romanosque, quàm Germanos hostes mallent. Quod cum annus, V. C. 702. rursum armis faveret, Labienum ex mandato Cæsaris in Treviros convertit. qui cum equitatu illorum (quo potissimum valebant) congressus, prælioque superior proceres adversariæ factionis, in quibus & Surus Æduorum Princeps erat, & cum his omnem deinde rebellandi voluntatem sustulit.

V. C. 702. Ante Chr. 49.

Rebelles Trev. reliquiæ à Rom. vincuntur.

Porrò æquo tributorum onere Treviri subesse sunt jussi; quod profuisset ex his nonnullos cum Cingentorige Romanis constanter adhæsisse, ut problema disceptantibus esse queat: plusne ab illo factiosorum hominum schismate damni Treviris datum sit, an relictum emolumenti? cùm, quod ad victoriã de Romanis reportandam obfuit, hoc ad clementiam victorum obtinendam prodesset: interque secreta politicorum sit, factiones diversarum partium nonnunquam sequaces, studiosè alendas; ut quocunque in ancipiti se casu fortuna dederit, præsidium reperiat. Certè, si, ut eventu patuit, Romanis orbis imperium debebatur; Trevirensibus divisis inter se pugnâsse studiis (cùm nec patriam contra hostem prorsus deserere possent) saluti fuit.

Trevirensium factio recténe, an malè alita?

Cæsar verò, quod exspirante jam decennali imperio spectaret Italiam ideóque res Galliarum quietas rectéque compositas esse desideraret, ne quid ad plenam victoriam triumphandique de Gallis honorem deesset, urbes ipse præcipuas adiit, principesque muneribus excoluit, onera graviora sustulit, ac Galliam transalpinam universam in duas provincias dispescuit; alteram braccatam, seu Narbonensem, quæ interno alluitur mari, & ab Italia Varo amne discreta, ad Juræ Gebennæq; montes procurrit: unde altera, Cæsaris armis Romanorum adscripta juri, quam comatam à longo capillorum usu dixit, & Treviros Belgasque omnes complexa est, provincia

Cæsar Galliam cisalpinam in duas provincias partitus, Narbonensem, seu

vincia nascitur, Rhodano Rhenoque fluminibus terminata. Cui tributi nomine imperavit sestertiûm quadringenties, hoc est, aureorum, plus minus, decies centena millia. Penè idem, ut Vellejus ait, quod totus terrarum orbis Romanis contulit stipendium.

braccatam, & comatam: huic, à se victæ, ingens tributum imponit.

Primus igitur ipse sub L. Lentulo & C. Claudio Marcello Coss. provinciam velut Præses administrare cœpit, & ne ea discedere cogeretur, pro Consulatu sibi deferendo contendere. Qua in re, cum Pompejum quoque, hactenus fautorem, nunc æmulum supremæ potestatis sentiret, ac gravissimo Senatus-consulto abire juberetur, ipse in Italiam cum una Legione profectus, reliquas deinde sequi jussit, quòd Pompejum obstinatum ad arma videret. Atque Italia brevi potitus est. unde plebs quæ Cæsaris honori favebat, bellumque aversabatur, M. Æmilio Lepido suffragante, supremam illi Dictatoris potestatem defert, quâ fretus cum remp. composuisset, Hispaniamque ac Massiliam Pompejanis extorsisset, positâ rursum dictatura, in Asiam contra Pompejum, tanquam publicæ libertatis vindex, profectus est, illumque Pharsalica victum acie, in fugam vertit, mox in Ægypto perfidâ manu interimendum. Ita rerum summâ cum dictatura rursum potitus, D. Bruto, cui plurimum tribuebat, ac deinde L. Munatio Planco Galliæ Comatæ Provinciam, proconsulari potestate, per quinquennium regendam attribuit. Verùm quod Cæsar, pacatâ jam republicâ, pro more dictaturam non poneret, tyrannidis suspicionem odiumque incurrit, adeò ut optimi quoque amicorum, qui reip. libertatem unius privati hominis commodis honoribusq; præferrent, conjurantibus in ejus necem accederent, inque Pompejana curia multis confossum vulneribus trucidarent, ipso Pompei simulachro cruore occumbentis notato, ut si pro eodem ad vindictam accessisset. Adeò difficilè est crescenti ambitioni, nisi in ipsâ morte, modum imponere.

An. V. C. 704. ant. Chr. 48.

Cæsar Romæ dictaturam obtinet, ac hostes profligat.

Ipse, ut tyrannidis affectator, cæditur.

Hæc anno V. C. 709. ante Christum 41. perpetrata,

Triumviri Romæ electi Galliæ provincias certatim ambiunt.

mox aliam Romanæ reip. induxere faciem, nam lecti reip. constituendæ triumviri M. Æmilius Lepidus, M. Antonius, & Octavius amici Cæsaris, & hic quidem testamento nuncupatus heres, cui & nomen Cæsaris, & post longam, pro imperio, dimicationem, hoc denique in omnes absolutum mansit; ut sub uno terrarum orbis Augusto capite, humani generis caput Servatorque Christus Jesus, exspectatus dudum princeps, nasceretur.

Treviros interea Galliamque universam, quamvis hinc inde fluctuantem, perstitisse tamen Romanorum in fide, & omnium ambitione ejus post Cæsarem provincias quæsitas esse constat. M. Æmilius Lepidus cum L. Mun. Planco, eadem cum laude administrarunt, triumphales à reditu honores etiam sortiti, qui ad Rhodani Ararisque confluentes Lugduno urbe condita colonos eò traduxêre, prorogato à Senatu imperio, ne M. Antonio cui favere credebantur, accederent. Sed hic D. Bruto & Cassio Cæsaris interfectoribus (ad quorũ internecionẽ cum Octavio conspiraverat) utráq; potitus Gallia, hanc per Fusium Calenum, & P. Ventidium rexit. Donec Caleno mortuo Octavius ex voto successit, qui sorore sua Octavia Antonio, post mortem Fulviæ conjugis, in uxorem traditâ, neglecto Lepido, cum ipso orbem terrarum partitus est, orienſque Antonio, Octavio occidens cessit, potestate Rom. Coss. jam ad horum arbitrium redactâ. Unde Galliæ Trevirorumque imperium subinde ab anno V. C. 713. constanter penes Octavium mansit.

Octavio Augusto Cæsari occidentis regimen cessit, unáque Galliæ & Trevirorum.

Inter hæc Gallia plurium annorum quiete fruita, ortis ad Rhenum per finitimos Germanos tumultibus cœpit turbari, ad quos M. Vipsanius Agrippa Cons. avertendos an. V. C. 716. cum exercitu missus, fabricato ponte Rhenum superavit, infestosque Ubiis, Romanæ societatis ambitiosis, Germanos procul submovit, existimatumque ab eruditis est, Ubios eo tempore in citeriorem, quam nunc insident, Rheni ripam, ceu sedem tu-

An. V. C. 713. ant. Chr. 38.

tiorem,

tiorem, & adversus Germanorum transitum muniendam, traductos. Certè haud multo post tempore id factum, nemo negaverit.

Et Octavio, post Dalmatas Pannonesque devictos, Galliam adire placuit, Britanniam inde petiturus. Sed novi Dalmatarum motus tempestivè sopiendi frustra anhelantem revocarunt; donec tandem æmulatione cum Antonio recrudescente, ipse jam Consul III. copiis quotquot potuit adversus illum, ex Gallia Italiaque contractis, in orientem profectus, memorabili illa ad Actium victoria, Antonium cum Cleopatra, rebus suis desperantes, pessumdedit, anno V.C. 722. ante Christum 29. orbis deinde Dominus futurus. Quamvis enim id sibi palam vendicare ausus non sit, ne Cæsaris invidiam sortemque incurreret, tamen quà Senatum, quà populum, eâ humanitate largitionibusq; sibi demeruit; ut ad hos postulatus honores, & à Senatu civibusque Augustus proclamatus sit. Qui tamen illa moderatione imperium admisit, ut solo illud se decennio, ad procurandam reip. quietem, sumpturum profiteretur, & Provincias maximè pacatas Senatus populique arbitrio regendas traderet, difficilioribus sibi vendicatis. Quâ benevolentiæ specie, ut favere aliis, sic vendicato sibi ad turbulenta quæque componenda milite, viribus reip. detractis, seipsum communiebat. Ut Lepidus aliique ad insidias ejus vitæ struendas parati, vigilantiâ consilioque Imperatoris præpediti, desperarent; cùm gemino illum muro, amore & potentiâ suorum, munitissimum viderent, multisque reip. magis commodo, quàm suo imperare crederetur, quæ est prima ad regnum sibi stabile comparandum via.

Octavius contracto ex Italia Galliaque milite, Antonium in oriente prostravit.

Ac sibi per hoc stravit ad imperium viam Augustus Romæ Imperator dictus.

Galliam igitur, cùm sibi vendicasset Augustus Cæsar, anno V.C. 726. in quatuor illam, quæ transalpes est, provincias, Narbonensem, & Lugdunensem, Aquitanicam, & Belgicam partitus est, quo facilius per diversos eas Prætores regeret. Accessit his in ripa cis Rhenum duplex Germania, superior, quæ à summis Alpium jugis infra

Gallia quadripartita ab Augusto.

Germania bipartita partem agri Treverici non minus, quàm Belgica complectitur.

infra Moguntiam, Nava flumine apud Bingium terminatur; & inferior, quæ ad Rhenum Trevirorum complexa partem, ad Mosam Octaviam (sic ab Augusto dictam Coloniam) Tungrorum, Ubiosque, ac Menapios, usque ad Oceanum borealem excurrit. In Belgicam verò conjecit, quidquid ferè Mosa, Sequana, ac Matrona fluviis, usque ad Britannicum, & septentrionale maris litus clauditur. Quanquam & huic Treviri deinde ab historicis accenseantur. Legatos verò Prætoresque Provinciarum Cæsar, non deinde Proconsulum more, cum Lictoribus fascibusque, ne terrori hoc fastu essent; sed militari paludamento accinctosq; gladio, ut exercituum Imperatores, incedere voluit, cùm bellicis juxta civilibusque deinceps præfuturi rebus essent. Quibus & Procuratores, ad censuum vectigaliumque rationes habendas, addidit. Sed, quòd his de publico stipendium assignarit, hoc ingenti Provinciarum factum onere, novarumque rebellionum fuit seminarium, ac Romanum, ab avaritia, nomen multis invisum atque infame reddidit.

An. V.C. 727. Ante Chr. 24. Augustus Gallorum animos arte mitigat.

Augustus tamen ipse constituta jam Romæ rep. nihil prius habuit, quam Galliam cum exercitu adire, fluctantesque in fide animos, à belli consiliis ad pacem inflectere, moribus excolere Romanis, religione formare, ludis, balneis, conviviisque ad molliora feros animos inflectere. Unde cum ad rebellantes Britannos se transferret, hi missis legatis, ad avertendam armorum vim, ultro obsequium detulêre. Hinc igitur censu tributario à tribus Galliis, viritim, ut creditur, habito, rebusque compositis in Hispaniam, pari studio devinciendam profectus est, M. Vinicio Belgarum adversus Germanos Præside relicto, qui Rhenum transgressus dignam triumpho victoriam ab iisdem reportavit, ac discedens Tiberio Neroni Augusti privigno, nec multò post M. Vipsanio Agrippæ, Augusti genero successori, anno V. C. 734. locum fecit, qui ad juventutem Tiberii regendam maturo vir consilio adjunctus videtur. Idem subnatis

subnatis per Galliam Germaniamque contra Tiberium motibus, tractandorum jam non armorum minus, quàm animorum gnarus, opportunè adfuit, Treviriſque ac ceteris Rhenicolis pacem ſuaſit: illamque, quam, vel nuper, vel modò traduxit, Ubiorum gentem, ad certiorem Rheni, ſuique populi defenſionem, oppido firmavit, ab Agrippina Germanici filia, Claudii Neronis matre, in Coloniam Rom. ſub ejus nomine transformandam.

M. Agrippa Treviros componit, Ubioſque cis Rhenum firmat.

Porrò Agrippa Galliarum Germanorumque pace, ad illuſtrium planè operum molitionem, maximo, cùm gentis, tum militiæ, commodo uſus eſt. Viarum, in humidis præſertim locis ad commeandum difficultas ingens, non rarò profectionem, commeatumque retardabat. Quare à Lugdunò Galliarum in omnes Romani imperii partes, perque Trevirorum fines tribus facilè locis, vias militares regiaſque (terrâ, ubi humilior, in vallum congeſtâ, ubi elatior, ſectâ, lapilliſque densè congeſtis ſtratâ) per longiſſimos deduxit regionum tractus, hodiedum multis provinciis ad uſum ſuperſtites conſpicuaſque; ut vel hoc facto immortale ſui nominis decus impreſſum hiſce terris reliquerit.

Vias militares per Galliam & Treviros ſternit.

Succeſſit M. Lollius homo cogendarum pecuniarum, quam regundorum militum ſolertior. Unde Sicambri, Uſipetes, Tencterique in arma rurſum, & trans Rhenum faventibus incolis effuſi, inſigni Lollianas copias, captâ quintæ legionis aquilâ, clade perculerunt; ut iccirco Auguſtus ad inſtaurandam ruinam pacemque anno V. C. 737. in Galliam reverſus ſit, ultroque delata à Germanis fœdera, cum obſidibus admiſerit. ac ſubinde ad agendos cenſus, deducendaſque ex Romanis colonias, atque eorum legibus formandas converſus, ſtabilire hac arte pacem, imperiumque ciſrhenanum ſibi conatus eſt. Exiſtimandumque Treverim quoque id temporis Coloniam Rom. effectam. Siquidem haud multò poſt Petilii Cerealis illa ad Treviros oratio eſt: *Pacem, & urbem, quam victi victoreſque eodem jure obtinemus, amate.*

Lollius avarus Præſes à Germanis cæditur.

Auguſtus Coloniam Trevirorum deducit. *Tacit. l. 4.*

amate. & Vespasianus suis in nummis, hac epigraphe Trevirim ornat: *Colonia Augusta, Patricia Teverorum,* ut & ab Augusto conditam, & jure patricio Rom. fruentem, queat intelligi.

Licinius Gallus Præses Gallos auro emungit, quo Augustū demulcet.

Hæc aliaque rectè moderatéque Augustus; sed quod Licinium Gallum, libertum Julii Cæsaris, Galliis præfecerit, meliori ex nomine factum omine, quàm successu. Si quidem Gallo hoc nunquam rapaciorē exactorem Galli nacti sunt, qui, cum quot mensibus tributum penderent, astrologiæ novæ artifex, annum duobus mensibus, ad auctionem vectigalium, ampliabat, cumque eâ se re ad Augustum delatum agnosceret, Licinius suâ in domo, quidquid auri argentique aderat, explicatum oculis ipsius exponit: Et, hæc, inquit, non in meos, sed tuos, ô Cæsar, thesauros deportanda, Gallorum viribus, ad rebellionem imminuendis, subtraxi. argumento, quo suam non rarò avaritiam illi provinciarum spoliatores velare conabantur. Et Cæsari hæc tam pretiosa adulatio dissimulandam iniquitatem esse persuasit, Treviris ad id genus vexationum perquam sanè impatientibus.

Drusus Augusti privignus nascentem in Galliis rebellionem prævertit, & Germaniam latè subigit.

Unde absente jam Augusto hi, cum finitimis Belgis Germanisque arma rursum libertatemque spectabant, quos tamen substitutus ex Livia privignus illius Drusus, partim Galliæ Principibus ad festa Augastalia, Lugduni juxta erectam Cæsari aram, tanquam Deo, celebranda, evocatis, partim ingenti armorum expeditione in Germanos adornatâ, evertit. Quam Rhenum transgressus adeò secundam expertus est, ut per Usipetes, Sicambros, Batavosque progressus victor sit, Frisiisque subactis, ad Chaucos usque classe penetrarit. Quod cum anno V.C. 742. perpetrasset, anno insequenti ad Visurgim usque latè omnia perdomuit: altero verò tertioque post, jam Consulari ornatus honore, atrociſſima cum Cattis bella gessit, victoriasque ad Albim fluvium protulit, ubi Genius illi barbaræ mulieris, sed humanâ major, specie occurrit, Latioque sermone vetuit ultra tendere.

tendere. Inde (ut humanæ fortitudinis vanitatem agnoscas) umbrâ hominis territus, qui armatas acies non formidarat, morbo corripitur, atque ad Rhenum delatus, Romanis in castris, mortem juvenis fortissimus oppetiit, omnium dolore, præterquam Germanorum, qui hodiedum, sicui malum optent, Drusum capiti illius imprecantur ; nomen, quo pueris ipsis terrorem incutiunt. Monumentum juxta Moguntiam fortitus est, funus tamen Romam delatum, quod Tiberius Nero frater, honoris causâ, toto itinere pedibus antecessit.

Mortem spectro territus oppetit.

Idem quoque fratri in Germanico bello anno V. C. 745. surrogatus, multos in Romanum nomen obsequiumque jurare coëgit, Trevericumque, exhaustum bellis hominibúsque agrum, per citeriorem Rheni ripam dedititiis Germanorum implevit. quorum nonaginta cis flumen millia traduxisse memorant : ideóque Romam ovantis subiisse specie, & Consulatu ornatum. Quo tempore & Augusto in alterum decennium Romæ prorogatum imperium est, quod jam, citra hoc Senatus decretum, usurpaturus videbatur, cum, quem inter Deos sententiâ suâ collocassent, hunc hominibus deinde parere nefas esset. Ita adulatione sibi suâ Romani sensim servitutem instruebant; pedicas quas aliis fabricaverant, ipsi quoque induturi.

An. V. C. 745. ante Chr. 6.

Ab hoc tempore ad Christum usque per quinquennium, composito, ut videtur, ad pacem orbe, silent omnia : velut ad majoris Principis adventum pacificum suspensa natura, nil turbarum ciére auderet. Unde & Janus Romæ clausus. Anno igitur V. C. 751. (vel ut alii, 752.) qui erat Augusti, ab inito primum Consulatu, 42. Christus humani generis Redemptor in Decembri nascitur. Cujus tamen annus primus à calendis Januarii secutis ducitur, quando Augustus jam XIII. & M. Plautius Silvanus Coss. pronunciati sunt.

Pax ante Christi adventum orbe toto.

An. V. C. 751.

Hoc tempore per Galliam Treviroſque quies, sed Germania partim exhausta viris bellatoribus, partim muni-

munimentis à Druso excitatis coercita, necessitate magis, quàm voluntate parebat, quamcunque opportunè rebellandi occasionem sumptura. Drusus enim ad Mosam, Rhenum, Visurgim, Albim, quinquaginta amplius excitatis castellis; quaquaversum stringebat reluctantes. Bonna ac Gelduba Rheno impositæ eædemque ad superandum flumen pontibus junctæ, atque instructæ navalibus. Ut de Germanorum libertate, jam Romani triumphare viderentur. Nisi difficilius aliquanto esset contra hanc gentem, tueri parta, quàm non parta occupare. Nam libertatis in Germanis amor obstacula hæc perrupit universa, vindicibus latè armis ad opprimendos Romanos correptis. Quibus primò quidem oppositus M. Vinicius, hostium nunc impar, nunc par virtute copiis, quod illi pro victoria triumphoque Romæ suffecit. Neque Tiberius jam ab Augusto adoptatus in filium heredemque, atque ad debellandos Germanos missus, anno post quarto, plus ad illos infringendos momenti attulit (quamvis adulatoria, Vellei oratione res ejus gestæ extollantur) quàm, ut ingentibus copiis imminens, & fortè etiam ad Albim usque, ut vult, provectus, diversarum gentium, pacem eâ tempestate quietemque præ se ferentium, admiserit, supplicumque obsequiis delectatus sit. Nec Germanicus Drusi filius fortissimus Rom. Dux, tum quidem aliud, quàm custoditis apud Treviros Ubiosque Rheni limitibus, populos in officio ac fide continere visus est. Qui cum Tiberium denique ad illyricum bellum fortius urgendum secutus esset, & Quintilius Varus anno salutis X. successor, trans Rhenum cum Castris, Teutoburgensi Westphalorum in saltu, consideret, Germani, Cheruisci inprimis Bructerique, Arminio Duce aggressi, Varum cum suis ad internecionem oppressêre, tribus legionibus totidemque alis, & sex cohortibus, non procul Horna oppido, supra Lupiæ Amisiæque fontes, profligatis. Quæ Augustum clades penè ad doloris insaniam vertit, adeò ut illiso in fores capite exclamaret: *redde, Vare, redde legiones!*

Drusus 50. Castellis extructis Germanos coërcuit.

Ante Chr. 2.

M. Vinicius Tiberius & Germanicus rebellantes Germanos ægrè compescunt.

Quintilius Varus in Westphalia ingenti clade profligatur.

L. Aspre-

L. Asprenas subinde in Legati munere submissus, ægrè cum suis Rheni custodiam, ne in Galliam usque victores penetrarent, sustinuit, quanquam vigilantiâ præsentiaque militum Rhenicolas in officio contineret. Donec rediens, cum Germanico Nepote Tiberius instructiori rursum exercitu Rhenum transgressus, istic, velut pro excubiis, equestrium ludorum apparatu, in Augusti honorem, tempus exegit; ut jam animos Rom. non tam Germaniæ invadendæ, quàm tutandæ Galliæ Belgicæque cura stimularet; sollicitos non amplius, ut vincerent; sed ne vincerentur. Et Germanicus quidem Romam ad consulatum vocatus sua in vico Ambitarino Trevirorum, agri Meginensis (ubi nunc Monasterium Meinfeldiæ) æstiva hibernaque haud multò post, anno Christi 13. Germanico & C. Fonteio Coss. castra fixerat, ubi ex conjuge Agrippina C. Caligulam, postea Imperatorem, suscepit. quem Tacitus refert: in castris genitum, & in contubernio legionum eductum, auspicio militaris gloriæ, quam eventu meliori.

Romani Rhenum custodiunt.

Anno Chr. 12. *Dio l. 55.*

Germanicus fixis cis Rhenum castris Romam ad Consulatum abit.

lib. 1.

Vix tamen Germanicus exacto Romæ consulatu in castra reverterat, cum nuntius de Augusti morte & Tiberii successione allatus, non mediocrem turbationem legionibus intulit, quæ ad Rheni custodiam certis stationibus ita distributæ, omnia adversus Germanos munierant, ut quatuor legiones Germaniam superiorem, totidemque inferiorem tenerent. Illic per Tribocos, Nemetes, Vangiones, * ac Moguntiacum Legio II Augusta, Legio XII Gemina, Pia, Fidelis, dicta, Legio XIV Gemina, Martia, victrix, & Legio XVI. innominata suis præsidiis tenebatur: hic per Treviros Bonnam, Agrippinam Novesium, Vetera, Geldubam, Legio I Adjutrix Legio XXI Legio V. Macedonica. Legio XX Valeria, Victrix, quarum singulæ senis ferè peditum millibus, treceniſque constabant equitibus, plures emeriti, cùm, ob Varianam cladem, inviti militiæ sacramento auctorati, sublato Augusto, alii missionem, alii stipendia poscerent; plures Tiberium nollent Principem, Germa-

Augusto mortuo succedit Tiberius.

Distributio legionum ad Rheni custodiam.

* *Alsatas, Spirenses, & Wormatienses hodie.*

Rebellio maximè in castris Rheni inferioris post mortem Augusti.

nicumque ad colligenda vectigalia in Galliis absentem, postularent: nec jam C. Silius Germaniæ superioris copiis præfectus, aut A. Cæcinna inferioribus imperans suos in officio continere posset; hi verò maximè furerent, Germanicus advolat, sed promissis minisque nequicquam obluctatus, cum neque missione pluribus oblata, nec ex suo amicorumque ære confectis datisque stipendiis acquiescerent, Munatio quoque Planco Legato Româ, ad componendum furorem, misso adhiberent vim; ut hic deorum complexus aram, Aquilæque vexillum, ægrè se tueretur; uxorem denique Agrippinam cum infante, ceu desperatis jam rebus, Treviros dimisit, externamque fidem Romanæ prætulit: ipse jam suæ vix securus vitæ; ut cui ad imperium postulato, cum stricto in pectus gladio, hoc se potius interiturum, quam, invitâ Româ, recturum minitaretur, quidam acclamarent, ut feriret, miles etiam suum offerret gladium, addens, *hunc esse acutiorem.* Verùm tamen pudor denique invidiaque in Treviros, quorum jam fides præhaberetur Romanis, favorque, ex furore in Ducem immerentem, flexit; ut & quosdam rebellionis incentores ad pœnam dederent, & paratos ad sequendum quocunque duceret, ultro se offerrent, postquam obstinatos animos potenti oratione expugnasset, quâ & pristinam eorum in bellis gloriam, cum præsenti dedecore, & Augusti in illos merita facundè amplificârat.

Tacit. lib. 1. Annal.

Germanicus dimissa Treviros conjuge hanc ægrè componit.

Germanicus hoc utendum militis ardore ratus, deductum ad Vetera Castra, locum nunc Sanctis vicinum * postquam ad necem suorum Variana clade peremptorum ulciscendam hortatus est, in Marsos, Cattos, Bructeros que ducit, ac quidquid Lupiam inter Amisiamque amnes est, fœdè depopulatur. Auloque Cæcinna ad Arminium in Cheruscis juxta Albim persequendum misso, ipse mari ad eosdem à tergo populos invadendos progressus, bruma jam ingruente, cœpto magis, quàm confecto bello regredi coactus est. Interea apud Treviros confectus pons, qui Rheno instratus reduces ex

cipere

* *Breitheim.* Compositas legiones ad vindicandā Varianam cladem trans Rhenum ducit, non sine successu.

ciperet. Ad quem Agrippina, nuper militum in se affectum experta, ut quam abeuntem omni studio retinere nitebantur, grata rursum, occurrit copiis, applausitque victricibus, ac Germanici absentis munus functa, ut quis inops, aut saucius, vestem & fomenta largita est.

Hanc expeditionem anno sequenti, qui erat Christi XVII, Germanicus omni contentione prosecuturus terrâ marique, per Drusianas fossas, quæ tribus circiter passuum millibus, supra Arenacum * Geldriæ, ex Rheno ad Issalam prope Drusoburgum * perductæ, navibus flumen hoc Oceanumque ingressus est, Frisiamque ac Germaniæ oram prætervectus Cherusci, extremumque ad Albim gentibus latè terrorem incussit. At Tiberius non ignarus, quo apud exercitum loco Germanicus, quamque sibi metuendus Germanorum victor futurus esset, fingit ejus virtute sibi ad exortos in Oriente tumultus infringendos opus esse. Quâ honoris specie à legionibus abstractum, digressumque cum Agrippina, præcipitante jam hieme, Treviris Romam primò ad triumphum evocavit, Druso filio in Germanici, apud Rhenum, potestatem surrogato. Ita triumphatum de Germanis Romæ decies est, prius quam semel victi ad obsequium Rom. procubuissent. At Germanicus in Orientem missus suspicione veneni, apud Syros, Antiochiæ mortem anno Christi XX oppetiit, ingenti totius exercitus dolore, quòd supplicium aliorum sceleribus debitum, egregiis viri bellatoris virtutibus rependi viderent. Hæc nimirum infrequentia non sunt aularum præmia, in quibus invidia & ambitio, veritate atque æquitate proscripta, dominantur.

Magno illi apud Rhenum Treviroſque luctu parentatum est, arcubus etiam in defuncti memoriam excitatis, repertique hic nummi illius triumphales fuêre, quales in Annalibus exhibemus, qui unâ facie imaginem currui insidentis, alterâ pugnantis præ se ferrent: illic

An. Chr. 17.

* *Arnheimiũ modò.*
* *Duisburgum hodie.*

Tiberius Germanicũ victorem metuens avocat, & in Syriam amãdat, ubi veneno interit.

Ante Chr. 20.

Treviris Germanici grata memoria.

Germanicus: hìc, *signis victis* inscriptum, quod de receptis Vari signis, ex Tacito, interpretamur.

Pax subinde annorum aliquot, mutuò hinc Romanorum, inde Germanorum metu, illis ad Rheni custodiam subsistentibus his sua, non minori curâ tutantibus, stetisse videtur: dum hinc Treviri Julio Floro, inde Ædui Julio Sacroviro ducibus, illi Belgas, hi Gallos ad arma concirent, & tributorum onera, & Præsidum superbiam, insolentiamque militum incusantes. Nec Romana nobilitas utrique ducum collata, plusquam libertas propria valuit. Servire, omni illis nobilitate, visum est turpius. At Romanorum vigilantiâ, nondum sat firmatis Treviri viribus, qui sua rursum factione scindebantur, per Julium Indum, Trevirorum quoque, pro Romanis stantem, Ducem, in Arduenna silva, oppressi sunt, Floro desperatis jam rebus sua manu occumbente, ne hanc æmulo palmam cederet.

Treviri cum Æduis, sub Silio Præside, rebellant, sed infelici exitu.

An. Chr. 22.

Ita eodem in bello Treviri victi victoresque, plus tamen ignominiæ, quàm gloriæ retulerunt. Nec deinde adversus Sequanos, Æduosque C. Silio Rom. legato segnem navarunt operam, quando primò quidem equitatu suo aggressi Sequanos disiecêre, post etiam, cum Silio adversus Sacrovirum ingenti prælio victores, bellum eodem XXIII, quo natum anno, cum hostibus oppressêre. Silio Romæ decretus à Tiberio est triumphus. Sed quod suæ plus virtuti, quàm Tiberii fortunæ tribuisse visus, post biennium Sejani potentis apud Imp. aulici jactatus odio, mortem sponte sua manu oppetiit, ne mori invitus cogeretur. insaniâ, quæ id temporis, pro sapientiâ, observata fuit.

Sua rursum factione premuntur.

An. Chr. 23.

Tacit. l. 4.

C. Silius post triumphum opprimitur.

Submissus in officium L. Apronius, qui dùm, ut nondum pastus vultur, avidius in rapiendum ex tributis prædam involat, Frisios, vixdum sat jugo adsuefactos, rebelles sustinuit, contra quos dum animosius, quàm felicius pugnat, & magna parte militum, & tributis privatur. Corvus hians, qui dum umbram sectatur, prædam amittit. Ad quæ Tiberius dissimulare damna maluit,

An. Chr. 30.

L. Apronio surrogato, vinci ab hoste, saluti fuit.

luit, quàm sibi timendum hoc in exercitu Ducem intueri. Adeò nihil non improbitas metuit, quæ etiam virtutem aliorum reformidat.

Labebatur jam Annus Tiberii octavus ac decimus, quando sub Cn. Domitio Ænobarbo, & Vitellio Nepote Coss. Christus Jesvs, salus nostra, annos tres & XXX. natus, acerba Crucis morte per Judæos sublatus est, Tiberio, ut ferunt, ad Christum divinis honoribus colendum, non alieno; cum de illius Apotheosi ad Senatum retulisse Tertullianus sentiat. Verùm ægrè in tam infelici loliorum segete, herba adeò salutaris potuit adolescere. Christianorum tamen adversus Sejanum fautor stetit, magicamque in Gallis Druidarum vanitatem, & cruentas hominum pro aris victimas senatusconsulto sustulit. Quo nomine Treviri eidem, ad prima religionis semina facilius excipienda, multùm obligantur.

An. Chr. 33.

Tiberius Christo Christianisque favet.

Ceterùm parum laudatus princeps, quinto circiter post Christi Passionem anno humana deseruit, successore post se C. Caligula Germanici filio, flagitiosissimo mortalium relicto, ut hunc designasse sit creditus, quò majus sui desiderium posteritati relinqueret, atque ex aliena sibi infamia famã conciliaret. Quod politicorum principium, ad tegendum, ad scelus scelere, & dedecore dedecus repertũ est. Treviris certè ab hoc tam probroso alumno, Matris Fratrumque interremptore, & peste imperii parum ornamenti accessit.

An. Chr. 38. Mortuo Tiberio succedit Caligula, malo pessimus.

Galliam tamen, post exhaustam brevi Italiam, Germaniamque cum exercitu, magis prædo, quàm Imperator ingressus, ad centies quinquagies aureorum confecit millia, procerum ditissimis ad necem quæsitis, ut heres succederet, tanquam prodigium quoddam hisce terris exortus ac redditus. Ad Oceanum tamen usque, cum milite, progressus, ejus conchylia, ceu monumenta subacti terrarum orbis legere, Jovique in capitolio offerre jussit, ipse velut de substrato pedibus universo triumphaturus. Verum ubi Legiones, quibus olim rebellan-

Caligula ad Rhenum ubi natus malo fato reversus. Mortem hinc fugiens Romæ incurrit.

bellantibus, ad Treviros cum Matre sese recipere coactus fuerat, eodem penè loci adesse jussas, & ad concionem sine armis vocatas, neci destinasset, eæque se ab exercitu circumfundi sensissent, repentè ad arma provolant, insidias præoccupant, territumque, patefacto consilio, Caligulam in fugam conjiciunt. Ex qua, cum è Germania Galliisque se Romam recepisset, commune gentis odium, Prætorianorum denique militum furore inferis, post triennalem dominatum, fuit immolatus. Cui tamen perinde vecors Claudius Nero Drusi filius surrogatur. Ut totum jam Rom. imperium ad bestias damnatum videri posset. cùm ratio & sapientia in Capite deficeret.

An. Chr. 42. Caligulæ surrogatur Claudius æquè stolidus.



LIBER

LIBER II.

S. Petrus Rom. Pont. Claudius Rom. Imp. S. Eucharius I. Epiſcopus Trev.

POſtquam ſub Claudii imperantis exordia Romam delatus Apoſtolorum Princeps Petrus, orbis univerſi ad Chriſti agnitionem cultumque traducendi cupiditate flagraret, dimiſſis quaquaverſum Evangelii Præconibus, Eucharium, unum ex duobus & LXX Chriſti Diſcipulis, jam creatum Sacerdotem & Epiſcopum, cum geminis ſacrorum adminiſtris Valerio Diacono, & Subdiacono Materno, ad Auguſtam Trevirorum, præcipuam Belgicæ Urbem, jubet proficiſci. ubi, Galliæ Germaniæque propinquis latè per utramque gentem religionis propagandæ ſpes affulgebat.

Sub Claudio Imp. D. Petrus Romam venit. *Harigerus. Abbas Method. Marianus Scotus. M. SS. Trev.*

Hi, ſuperatis jam Alpibus, Tribocorum, quæ Alſatiæ nunc ſunt, ſedes attigerant, cum Maternus, ad Elli fluminis ripam in pago * cognomine, febrium æſtu correptus, morte defecit. Quo caſu afflictus Eucharius, Romam cum ſocio relegendam, ſeu novi Subdiaconi, ſeu conſilii à D. Petro accipiendi gratiâ, cenſuit. Reverſos Apoſtolus ſolatur, bonâque erectos recipiendi ſocii ſpe, cum baculo abs ſe porrecto, in viam remittit. Qui ſine cunctatione iter retrò emenſi, quadraginta dierum intervallo ſepultum refodi mandant, admotóque baculo, in virtute Chriſti reditum ad vitam imperant, impetrantque. Quâ novitate miraculi attonitæ hæ gentes, magno numero Chriſti religione auctorantur. Utque extaret facti memoria, veteres eò loci Baſilicam Reſurrectionis nomine excitarunt. cujus nondum obliterata veſtigia, magnâ hodiedum convenarum veneratione teruntur. Plures à Materno deinde, per Alſatiam ſuperſtione purgatam, Eccleſias excitatas memorant, in quibus & Argentorati & Mols-

* *Ellum.*

Eucharius, Valerius & Maternus Trevirim à Petro miſſi.

Maternus in Alſatia mortuus Poſt 40. dies excitatur Baculo D. Petri.

& Molshemii haud procul urbe D. Petro sacra ædes, & hæc quidem febrientibus salutifera esse creditur. Baculi etiam partem Ubii, partem Treviri possident. Et apud hos, jam ante 900. annos usitatum in Synodii Provincialibus, decreta Ecclesiastica hoc baculo impresso, confirmare obtinuitque consuetudo ne alibi, quàm apud solos Treviros, Romanus Pontifex cum baculo prodiret. adeò certis hæc veritas argumentis ad posteros est propagata

An. Chr. 50. Treviros deinde iidem sacrorum Triumviri appulerunt anno Christi L. Claudii Imp. IX. & Petri Pontificis VII. ad nobilissimam id temporis Urbem, Senatusque flore, Incolarum multitudine, Romanorum commercio cultúque, nulli id temporis in Gallia Germaniáve secundam. Nec dubium quin fama ex Tribocis comitante, à curiosa gente avidè sint auditi. Verùm, ut assolet, inflammati repentè adversus hos novæ religionis satores, Capitolini Pontifices sacrificulique, ut, qui sua cum sacris lucra per hos eversum iri prospicerent, animos plebejorum odio ac furore accendunt. Qui cum Eucharium socioque lapidibus exacturi urbe, ad hos corripiendos vererentur, obriguêre in hoc conatu omnes, alii in terram curvati, alii ad lapidum jactum fœdè membris distorti, ut jam furore in stuporem verso, ex persecutoribus supplices fierent, & miserationem positâ vindictâ implorarent. Nec diu cunctatus Eucharius conversa ad Deum prece, vincta exorantium membra restituit integritati. Quâ re ingens multitudo ad salutis consilia pronis auribus obsequióque mox inflexa est, seque præbuit erudiendam.

Sacrificuli Eucharium lapidantes à Deo puniuntur, ab Euchario sanantur.

Inter illos verò quibus baptismi gratia facta est, clarissima fuit opibus ac genere, senatorii ordinis vidua Albana, quæ cum spem familiæ, unicum quem habuerat filium, lethali recens morbo amisisset; supplex, per illum quem Eucharius prædicabat Christum, orabat, sui, filiique miseratione tangeretur, ac vitam redderet, nullâ se cunctatione interpositâ, tam sanctam religionem

conversio multorum & Albanæ viduæ post filium ejus à morte excitatum.

nem cum universa domo secuturam. Nec gravatè Divus annuit; sed in conferta multitudine ædes subit, Deumque pro salute adolescentis precatus, ejus prehensâ dexterâ ad gloriam JESU Redemptoris nostri, in pedes vivum incolumemque erigit, totamque spectantium coronam, in admirationem laudemque Christianæ religionis abripit. Tum enimvero plurimi cum Albana filioque salutaribus expiati undis Christo accessere, magnisque orthodoxa fides præconiis atque incrementis est propagata. memorantque Trevirorum gesta, hanc explicatam per totam latè Galliã, ab Euchario Ecclesiam, supremâ, eam post Apostolum, potestate, moderante. Missos enim cum eodem Româ ad Remos Sinicium, ad Catalaunos Memnium, ad Mediomatrices * Clementem, ad Leucos * Mansuetum. Ex quibus hi, duo populorum ultimi Trevirorum juri parent. Remi olim Gregorio VIII. teste, paruêre: qui sic Manassi Episcopo loci scribit: *Remensis, cui præsides, Ecclesia quodam tempore Primati subjacuit*; & cui, nisi Trevirorum? neque enim, ante hunc, alium hac dignitate hisce regionibus ornatum reperies. Virodunensis * quidem sedes hujus etiam autoritatem reveretur, sed aliquantò hæc serius procurante B. Dionysio, per Sanctinum Episcopum, sub Clemente Papa I. est instituta.

Episc. Trev. per Galliam Primatum tenuit.

* *M. SS. Trev.*
Paul. Diac.
* *Metenses & Tullenses*
Hinem. Epist. 6.

* *Virdunensis.*

Annus jam primus à quinquagesimo Christi volvebatur quando L. Pomponius legati munere exercitibus Germaniæ præfectus, Treverici equitatus auxilio Cattorum latrocinia coërcuit. Agrippina Claudii Imp. neptis ex Germanico fratre, uxorque, Coloniam, natalis memor soli, Ubiorum in urbe veteranorum constituit, suoque illam appellavit nomine ambitiosa mulier, imperium penè orbe toto pro Claudio occupans, Neronis postea regentis, sed infelix, mater. Druidarum quoque hoc tempore, quondam repressa, nunc propè extincta religio, Galliis ad veræ fidei incrementa, Claudio tamen hoc beneficium ignorante, profuit. Qui denique venenum stolida crudelitate promeritum, anno

An. Chr. 51.

Agrippina uxor Claud. Coloniam Ubiorum constituit.

A. C. 55. imperii XIII. bibit, & immaniori post se bestiæ Neroni locum fecit.

Claudio extincto, Nero subit.

Principio hic tamen humanitatis specie multorum animos occuparat. Ælius Gracilis sub illo Legatus Belgicæ præerat, tum L. Vetus & Paulinus Germanicis exercitibus. qui in pace otioque præfecti Christianæ disciplinæ latius proferendæ copiam fecêre. Vetus etiam, nisi obstitisset Gracilis (quod Galliam Germaniamque sociari classe nollet) rem moliebatur æternâ memoriâ dignam. Ararim namque apud Leucos ex monte Vogeso haud longè à Mosellæ fontibus nascentem, secto, quod medium erat, per otiosum militem, terrarum spatio, huic infundere cogitabat; ut copiæ per mare deinde Rhodano & Arari subvectæ, in Mosellam Rhenumque ac demum in oceanum borealem transfunderentur. Sed Gracilis invidentiâ res in solo conatu substitit.

A. C. 59.

Araris in Mosellam traducendi conatus.

Neronis insolentia, avaritia, & crudelitas.

Neroni inter hæc ad omnem insolentiam effuso hermaphroditas equas ex agro Treverico collectas Romæ subjicere Cæsareo carpento iisque circumferri placuit. Zenodorum è Gallia quoque postulavit statuarium, qui CX. pedum colossum, eidem formavit, quem demum Vespasianus, Neronis sublato capite, soli dedicavit. Ceterum intolerando hasce provincias tributorum gravavit onere, insatiabili primum auri, deinde & humani sangvinis cupiditate flagrans. Qua cum domi forisque confunderet omnia, odiisque Romanæ plebis atq; execrationibus peteretur, incendio tota urbe per sceleratorum administros sparso, quos ferro non potuit, flammis perdere conatus est, utque flagitia subinde flagitiis tegeret, in Christianos facti invidiam pœnamque vertit, eosque, velut Romæ incineratæ autores, omni supplicium genere sustulit, edictoque primùm vulgavit, ne cui impunè Christiano esse liceret. Hinc per omnes Romani Imperii fines immaniter in eosdem sævitum est: neque iccirco tamen religione deficiente, compertum; quòd sangvis Martyrum semen esset Christianorum. Ita Petrus Paulusque Apostolorum Principes sublati

ſublati Romæ, illâ in ſede ſucceſſorem habuêre Pontificem Linum, Nazarium cum Celſo puero Roma Mediolanum, indeque ejecti Treviros pervenêre, fidei, quacunque licebat, orthodoxæ præcepta tradendo. quos eo in opere deprehenſos Cornelius Belgicæ Proprætor, Neronis mandato, Mediolanum remiſit. Ubi ab Anolino Præſide, poſt varia tormenta, ad extorquendam Chriſti fidem nequicquam adhibita, gladio ſubjecti ſunt. Remis eadem tempeſtate Neroniana in Sixtum (quem aliqui primum illic Epiſcoporum ſtatuunt) Senecium Amantiumque S. Petri diſcipulos pari crudelitate animadverſum eſſe ſentiunt, Treverica nondum Eccleſia ad hanc purpuram vocata.

S. Petrus à Nerone occiſus, Lino ſucceſſore. A. C. 68.

Nazarius & Celſus, aliique Epiſcopi Gall. Mart.

Galli ipſique Romanorum legati impatientes tam ſtolidæ effreniſque tyrannidis, contra immanem hanc belluam arma ſumenda eſſe ſtatuebant, Julio Vindice, ex Gallica ſtirpe, Proprætore, qui Æduis Sequaniſque in ſententiam defectionis adductis, Treviros Lingoneſque * inflectere non potuit; tum quod infelici plerorumque rebellium exitu; tum, quod Germanici exercitus ſub Verginio Legato in fide ſtantis imminentiſque conſtantia abſtraherentur. Unde civile mox bellum exarſit. Quamvis Neronis defendendi ſtudio amoreque nemo ferrum caperet. Nam Germanæ copiæ cum Trevericis Verginio imperium, Vindex cum Gallis Sergio Galbæ deferebant, qui Hiſpaniarum Provinciam obtinebat. Et is quidem minimè tergiverſatus contra Vindicem duxit, obſeditque Veſontium, ubi poſtquam ad familiare colloquium ventum eſſet, Duces convenire niſi ſunt; Sed Vindicis miles loco movens, Germanos, Verginiique in ſe copias tanto ardore concitarunt, ut ad XX. Gallorum cæſa millia, deſperantem rebus ſuis Vindicem in necem voluntariam conjecerint; quòd perire manu ſua, quam Neronis experiri crudelitatem mallet. Quæ res Verginio ut inopinata, ita aliud jam, &, ut creditur, imperium Vindicis ope meditanti, triſtis accidit.

A. C. 69.

* *Lotharingios hodie.*

Civile bellum Gallorum à Nerone deficientium.

Interim

Neroni interfecto Galba Imp. succedit.

Interim Galba animis Gallorum qui pro Vindice steterant delinitis, pro eodem vindex novus adfuit, juvitque cœpti audaciam fortunamque, desperati jugulumque proprium confodientis Neronis infelix exitus, tum Legionum Rom. quæ inferiorem tenebant Rhenum, sub Vitellio Præfecto, accessio manifesta, superioris verò exercitus sub Hordeano Flacco simulata. Quibus fretus fidensque Romam ad imperium vocatus abiit. Verùm ubi senectam suam despectui vidit esse Romanis Pisonem illustri familiâ juventâque conspicuum adoptat. Qua re Othonis Silvii imperandi spe desiderioque inflammati, in se odia insidiasque concitavit; ut immissis hic denique percussoribus, post conciliatos militum animos, regnum occuparet.

A. C. 70.

Otho Galbæ occiso surrogatur.

Quæ dum Romæ aguntur Treviri Lingoneſque male nuper à Galba ob Vindicis cædem, detrectatumque ejus imperium, habiti, cum Ubiis, & Valente ac Cæcinna, Legionum inferioris Rheni Legatis, Vitellio Consulari viro à Galba ad exercitum missio imperium fidemque adversus Galbam deferunt. Quo, non sine cunctatione, inter epulas Coloniæ Ubiorum admisso (ut erat corporis saginæ impensè deditus) in Italiam cum suis Trevirorumque copiis movit, nuntioque per viam accepto, Othonem, pro Galba Semestri Imperatore, Romæ præsidere intellexit, quem demum per Cæcinnam & Valentem acie in Italia fractum, ad communem desperatorum barathrum, mortem spontaneam, adegit, ut si dulcius esset proprio, quàm alieno ferro vitam extorqueri.

Vitellius interempto Othoni.

Vitellius re cognitâ, Hordeonio Flacco summam belli tradidit, Juliumque Tutorem fortissimum Trevirorum Ducem Rheni defensorē pro Romanis constituit, ipse per Treviros Lingonasque inter præsidiarias cohortes Italiam petiturus. Sed priusquam Romam attigisset, ab orientali exercitu Vespasianum Imperatorem Othoni surrogatum esse cognovit. Quam sopire conatus est famam, ne ad seditionem novam occidentales

Tacit. Sueton.

tales provincias exercituſque raperet. Sed fruſtra fuit. Batavi occaſione uſi, Claudio Civili ductore Romanos totâ inſulâ victores abigunt, & cum Flacco Trevericiſque congreſſi copiis prælio vincunt, Batavorum, qui apud Romanos erat, milite ad populares tranſeunte. Ad caſtra igitur Clivorum Vetera ſe victi recepêre. Cum uſus diſſimulatione Civilis adverſus Vitellium pro Veſpaſiano Romanorumque diſſenſione tollenda arma ſe ferre dixit, Flaccumque, ut pro eodem ſtare vellet excitavit, qui dum militibus Veſpaſiano nomine ſtipendia numeraſſet, hi vino madidi, iráque in Flaccum inconſtantem moti, cubiculo extractum interimunt, fide in Vitellium, pro quo Treviri etiamnum faciebant, innovatâ.

Civilis Batavus Rom. rebellat.

Tum enimverò Civilis larvâ poſitâ Treviros ad ſocietatem invitat, ſéque pro libertate patriâ, Galliiſque, ſi lubeat, à ſervitute Romanorum vindicandis, arma ferre profeſſus eſt: conſilia tantùm vireſque ſociarent. Alam Trevirorum quæ Romanis ſervierat, regebat ex prima nobilitate J. Claſſicus. Quam ſuam denique in ſententiam cum Civilis pertraxiſſet, Julius Tutor Sabinuſque atque alii urbis gentiſque Principes acceſsére. Nec ſatis. hi, quâ erant apud Romanum militem authoritate, effecêre, ut Voculâ legato ſuo interempto, in Trevirûm Galliarumque fidem concederet. Ita Claſſicus ſumptis Rom. imperii inſignibus caſtra ſubiit, Tutoríque committit, ut ſuperioris Rheni Legiones ſuam quoque in fidem adigat. Nec fefellit eventus, Præfecto Caſtrorum pulſo, Tribuniſque occiſis miles obſequitur. Inde cum Civili Claſſicus in Clivos ad Vetera profecti caſtra, omni commeatu intercluſo fame exhauſtos ad deditionem obſequiumque compellunt, ac ſubinde in Treviros traducunt.

Treviri Civili accedunt; Jul. Claſſico, & Tutore Ducibus.

Romanum ſibi militem Treviri adjungunt.

Julii Sabini Lingonum Ducis major ex hoc ſucceſſu federatorum amentia fuit, quod Cæſarem ſe juſſerit ſalutari, ac turba populariurn ſtipatus in Sequanos reſiſtentes duxerit, à quibus victus, menſtruus Cæſar, voluntariâ

Jul. Sabinus Lingonum Dux elatione ſua perit.

luntariâ morte, aut latebris damnatus perpetuis, lucem hominum devitavit scenicus tantùm Imperator.

A. C. 71. Fl. Vespasianus Vitellio ad Gemonias conciso sufficitur.

Flav. Vespasianus jam Romam magno urbis plausu, & Vitellii turpissimi helluonis abominatione ingressus, hoc ad Gemonias scalas à plebe dilacerato, Petilium Cerealem cum exercitu ad Rhenum destinavit. cujus venientis fama commotæ Galliæ concilio Remis instituto frustra Lingonas Treviroſque ad servandam Romanis, in quam jurare decreverant, fidem invitarunt, quòd hi libertatem servituti præferendam esse jactarent, armorum virtute animosè magis fisi, quam consultò usi. Siquidem sparsis latè viribus, Civilis avia Belgarum, Classicus inferiorem, Tutor superiorem Rhenum oberrabat, neglectis Alpium claustris venienti Romano occludendis. Sed occurrentibus deinde ad Moguntiacum Flavianis impar, desertusque ab auxiliaribus, & coactis Legionariis, ingenti clade à Sextilio felice cæsus est, priusquam Cerealis adesset. Qui cum Tul. Valentinum Trevirorum Ducem Rigoduli, quinque ab urbe passuum millibus, se munitis objecisse castris intelligeret, omni suorum conatu, non sine clade eadem perrupit, interceptóque Valentino, profligavit. Victor Augustâ Trevirorum urbe receptus, vix avidum spoliorum militem ab ejus direptione continuit. Clementiâ tamen Cerealis, quàm ultione maluit celebrari. Qui dum res in urbe componit, adsunt à Civili & Classico litteræ quibus Galliarum imperium, si hoc velit acquiescere, Cereali deferunt; si nolit, arma. Cunctanterque mox perruptis ante urbem castris, occupatoque Mosellæ ponte, non segniter premunt. Qui ex lecto, ubi hæc accepit nuntia, provolans, trepidosque magnâ ipse virtute in hostem prævius, animans, rem penè collapsam, instauratâ acie, erexit. Tutor, & Classicus ac Civilis suis quique pugnam locis ciebant, Galli pro libertate, Batavi pro gloria, Germani etiam pro præda pugnabant, ad quam, dum omisso hoste, immaturè provolant, & victoriam, & prædam, & plerique etiam vitam

Cerealis Vespasi. Dux Treviros Batavosque confederatos profligat.

Cerealis Treviris receptus & frustra oppugnatus.

vitam amisêre. Collecta enim Vicesima prima Legio, non modò ruentes sustinuit, sed perrupit, & cum Cerealí fortunam secuta, tam aliena occupavit hostium castra, quàm propria restituit.

Properabat inter hæc classis Britannica, ut pro Romanis ab oceano Batavos invaderet; sed hanc adorti Caninefates * aut mergunt, aut occupant, parique mox felicitate invasores è Belgis Nervios profligant. ut Romanorum sors velut in rota, nunc assurgere, nunc inclinari rursum videretur. Classicus etiam Cerealis equitatum, infra Ubios aggressus, disjecit. At cùm Civilis Vetera ad Rhenum inferiorem, Germanorum auxilia operiens, teneret, Cerealis omni vi incumbens iisdem exuit; ut Tutor Classicusque, cum Trevirorum Senatoribus centum ac tredecim, ceu rebus domi desperatis, Rhenum trangressi, miseratione doniſque Germanorum auxilia secum traherent. Quibus utcunque fulti Tutor ac Classicus Romanas Legiones divisim carpunt, Cerealis etiam vix præsentibus periculis, nunc intercepta classe, nunc paludibus ipse clausus, pacem denique cum Civile Batavisque, in gratiam fidemque receptis, quàm bellum maluit. Quâ & Treviros complexum fas est opinari, argumentoque nobis est religionis mox amplificatæ lætissima in urbe seges, cujus in medio bellorum æstu sterilis est proventus.

* *Velavi, insulares Batavorum.*

Auxiliares Rom. à Batavis profligantur.

Cerealis mox victor ac victus.

Pace demum conciliatur.

Eo tempore quo Solymæ à Tito Vespasiani filio gravissima Judæorum strage expugnatæ sunt, Trevirorum quoque multorum incredulitas memorabili Senatoris conversione profligata est. Hunc per noctem augustiori, quam humanâ, vir specie decoréque illustris, crucem manu præferens commonuit, nisi salute destitui eáque sempiternâ velit, audiendos esse advenas, Crucis Christi, verique Dei prædicatores. Quam commonitionem ut ille luce proxima inter cives propalam cœpit profiteri, prævíusque exemplo fidem sacrumque baptisma amplecti, tanta repente multitudo ad sacras undas affluentium fuit, ut ad rivum, urbis umbelicum

Senator Trevericus cœlesti monitu fidem amplexus plurimos exemplo trahit.

secan-

secantem, accurrentem populum lustrari necessum fuerit, cui quod olei sacrati infusione permistus fuerit, Oleviæ hæsisse nomen, antiquitas vulgavit. Templum ab Eucharo exercitatur. Hâc animorum inclinatione usus Eucharius templum, in meridionali civitatis plaga, Albanæ viduæ liberalitate, sacris Christianis erexit, quod sub tutela D. Joannis Deo quondam dicatum, postea S. Eucharii, demum hoc tempore S. Matthiæ (post illatas hujus reliquias) dici cœpit. Idola deturbantur, ex quibus Venus superest. Quo facto, Idolorum magna per urbem strages secuta est. Veneriscque ex niveo marmore truncus, hodiedum juxta Eucharianam basilicam in muro asservatur, puerorum lapidationi expositus, cum hac epigraphe: *Me pridem Treviris coluit profanis aris: Iam truncus sacrilegi Numinis prostrata spernor inanis. Et dum* (Petrus) *Piscator legat Eucharium, Valerium, Tunc tollitur error.*

Harigerus. Eucharius moritur an. Chr. 73. 8. Dec. Valerio succedente. Demum Eucharius post annos XXIII. hoc in munere Apostolico S. transactos, cælitus de migratione monitus, Valerio successori commendat Episcopalem curam atque insolitâ circumfusus luce, adstantibus mira dulcedine delibutis, animam immortalibus inserit, corpus mortalibus relinquit, VI. Idus Decembris. quem anniversariâ memoriâ diem Ecclesia Trevirensis solennem retinet. Depositus in excitata à se Ecclesia est, in quâ XVII. ordine succedentium Episcoporum sepulchra præcipuâ olim religione colebantur.

Valerii Antistitis exordia prodigiosâ fertilitate ornare Deo placuit, siquidem fruges brumali suffocatas gelu, suo in germine, iterata sementis Martio facta, uberiori segete pensavit. *Plin. l. 18. c. 20.* Nec ipse æmulator Eucharii segnis, dum religionis Christianæ messem, suo cultu latè sparsam florentemque conspiceret, ab Eucharo post XV sui pontificatus annum, ad cœlestem mercedem, Materno pro se relicto, est evocatus, Anno salutis LXXXVIII. ad IV. Cal. Febr. postquam sacro Eucharistiæ viatico, in multorum frequentia, munitus fuisset. Valerius moritur Materno relicto. A.C. 88. Interea Cletus anno Chr. 79. Romæ Tit, Vespasianus

anno

anno 80. Romæ Patri succesſerat, gratus omnibus ideoque, *deliciæ generis humani* dictus, cui poſt annuum imperium defuncto, Domitianus frater, moribus impar, eſt ſurrogatus. Is enim quàm primo humanus aditu, tam deinde omnis humanitatis oblitus, ut alter Nero paſſim in ſubditos, maximè autem Chriſtianos, alterâ perſecutione graſſatus eſt. In Galliam Germaniamque adverſus Cattos è regione Trevirorum profectus, feroces gentis animos magis exacuit, quàm repreſſit. Ut tamen Romæ ſibi triumphum adornaret, emptis per commercia ſervis, habitum crineſque in ſpeciem captivorum formavit, nec alia, quàm ex Provinciis ſpolia extulit.

Domitianus Imp. Titi Veſp. ſucceſſor in Chriſtianos crudelis, triumphat de Germanis ſine victoria.

Porrò Chriſtianos (quos gentiles cum Judæis, exquibus orti erant, confundebant) id temporis Religioſorum hujus ævi vitam, jam tum expreſſiſſe argumento ſit, quod Tacitus de eis affirmat: *Non quicquam prius imbui, quam contemnere Deos, exuere patriam, parentes, liberos, fratres vilia habere*: juxta hauſtam à Chriſto diſciplinam. His nominibus inviſi plures Galliarum Epiſcopi & Sacerdotes, apud Santonas Eutropius, in provincia Belgica, apud Belluacos Lucianus, cum Maximiano & Juliano presbyteris, apud Rhotomagenſes Nicaſius Antiſtes interfectus eſt.

lib. 5 hiſt. Chriſtianorum priſcorum mores religioſi.

Maternus verò apud Treviros ſede fixa, latè ſeſe ad nationes vicinas effudit, hinc ad Rheni ſuperioris, Tribocus, notam ſibi dilectamque, à reddita iſtic vitâ, gentem, Nemeteſque ac Vangiones excurrens; inde ſecundo flumine Ripuarios, ſeu ripam Rheni accolentes, Agrippinenſes, quin & Eburones Tungroſque inviſens, pomœria Epiſcopalis ſuæ juriſdictionis, cum orthodoxa fide, latius proferebat. Quanquam B. Creſcenti, Galliarum Apoſtolo, ſua apud Moguntiacos, fortè & Ubios laboris ſeges relicta ſit. Nos Materni ſtudia proſequimur. Hic ad Coloniam Agrippinam delatus, Apoſtolico ſpiritu prædicare Chriſtum, ejuſque fidei veritatem cæleſtium virtutum ſignis ſtabilire aggreſſus,

A. C. 92.

Materni in fide latè propaganda zelus.

Creſcens Gall. Apoſtolus.

cum plures Christianis jam sacris aggregassẽt, templa collocasse DEO gemina, alterum sub patrocinio Dei parentis, alterum sub Apostolorum Principis D. Petri tutela narratur. Inde ad Tungrorum, nobilem quoque id temporis Coloniam, profectus, non impari conatu profectúque, & illic, & per vicinos Eburones, * Arduennæque populos rem Christianorum provexit, Ecclesiis ministrisque, ut id temporis licuit, constitutis, quod illud imprimis curæ esset, ut quotidianis sacrificiorum liturgiis, ministraretur Domino, & ad communicationem frangendi panis fideles convenirent. Memorantque (quod nonnullis, ut arduum, sic parum credibile est visum) principio, in defectu sacerdotum, eodem natali die Maternum Treviris, Agrippinæ, Tungrisque ad aram feciſſe, qui ipsi non minus, quàm Philippi in Azotum raptus possibilis extitit. Illud verò, memorabile iis ad Mosam gentibus, Materni nomen extulit, quòd, haud procul Dionanto; ad Bochum amnem, in vico Segnorum * quinque, ex prima gentis nobilitate, ruinâ letali oppressos ad vitam revocârit. Id quod difficile in Christiana fide insolensque occurrebat liberæ assuefactis vitæ, hoc divinâ miraculorum virtute levabatur.

Maternus Coloniæ D. Virginis & S. Petri templa excitat.

* *Leodienses* Tungros, Eburones, & Arduennates instruit.

Diversis locis sacrificat die eodem Natali D.

* *Chinei.* Quinque mortuos vitæ restituit.

Christi dehinc anno septimo & XC. Nerva Coccejus Domitiano succeſſit, qui annuum & quatuor mensium potitus imperium, haud multò post Trajanum Ulpium Galliæ Germaniæque insigni moderationis fama præfectum, & apud Ubios ferè morantem, in honoris laborisque consortem adscivit. Hic quod recusantis specie munus admisit, insigni deinde vigilantiâ, gloriâque armorum, latè per Germaniam ad Danubium usque celebre reddidit: firmatis ad Rhenum præsidiis inprimis memorandus. Nam addita Legione XXX. quam Ulpiam Victricem dixit, eam in fundata à se Colonia Trajana, hodie Sanctorum oppido, constituit. Treviros quoque, & suis muniisse ædificiis, & coluisse Legionibus firmasseque, ac per reliquam instaurâsse Belgicam collapsa, monumenta, nummique his locis reperti arguunt.

Nerva succedit Domitiano Imp. Nervæ Trajanus.

Colonia Trajana apud Sanctos opp. fundata.

Treviris urbs munita.

unt. Sed egregiè factorum laudem crudelitate in Chriſti ſectatores exercitâ fædè corrupit, tertia perſecutione in fideles excitata, quæ & Clementem Pontificem Cleti ſucceſſorem, in Ponti exilio merſum, involvit, anno ſalutis CI. ſubeunte in locum Anacleto. quem par ſub Trajano, martyrii palma decimo poſt anno manſit, Evariſto eandem in ſedem ſortemque ſuccedente. Tam paratæ tunc erant Chriſtianis ex patientia victoriæ. Maternus tamen hanc declinaſſe lauream locorum varietate, ad majorem ſuæ Eccleſiæ utilitatem viſus eſt. quód, ut generoſus illam in neceſſitate animus ſubterfugere non aſſolet; ita nec in opportunitate ſalutis proximorum, quærere, cùm publici boni ratio, privatæ rectius præferatur.

Perſecutio Chriſt. 3.

Maternus evaſit.

A. C. 117.

Hadrianus porro, Trajani mortui (anno alterius ſeculi XVII.) ſucceſſor, ejuſdem quoque impietatis proſecutor extitit. Hic peregrinandi luſtrandique Rom. Imp. urbium avidus, ut ſui ubique nominis monumenta relinqueret, urbes coloniaſque circumductis operum fabris paſſim inſtauravit, omneſque qui juſtas inopiæ cauſas dediſſent, quos Cauſſarios appellabant, liberalitate ſua, aut ære ſublevabat, aut fiſci oneribus abſolvebat. Utque populum molli ſibi in otio ſpectaculis jucundis devinciret, hæc in Theatra multis locis induxit. Reip. quoque totius formam ab Auguſto diverſam, alia provinciarum partitione, inſtituit. Gallia tranſalpina Britannis Aquitaniſque incluſis, in duodeviginti provincias tribuit. Belgium bipartito ſecuit. Illam quæ Rheno Germaniſque vicina eſt partem, Belgicam primam dixit, caputque ipſius Auguſtam Trevirorum urbem eſſe juſſit. reliquam quæ ad Sueſſionum fines uſque excurrit, Belgicam ſecundam dici voluit, Remorumque urbem, Duricorturum olim nuncupatam, principem ejus regionis nuncupavit. Officia quoque publica, palatinaque ac militiæ, in eam legem formamque compoſuit, quæ paucis ſub Conſtantino mutatis,

Hadrianus Imp. Galliam Belgiumque luſtrat, urbes inſtaurat, provincias aliter & officia partitur. Primam & 2. Belgicam inſtituit, & illi Trevirum præficit.

Hist. Misc. l. 10. *Victor. in Epit.*

perseveravit. Unde Rectores Præsidesque Provinciarum, Comites fisci, Præpositi thesaurorum, aliaque in *Notitia Imperii* indicata, per Treviros vicinasque regiones, munia. *Vrbes* quoque, ut Dio refert, *aquis, portubus, frumento, operibus, publicis, pecunia, honoribus ceterisque rebus auxit atque ornavit*, ut RESTITUTOR & LOCUPLETATOR ORBIS TERRARUM in nummis publicis sit prædicatus, neque Treviris illi parum hoc in genere debere sit visa.

Xiphil. A. C. 122.

Christianos 4. persec. premit.

Sed tam præclaram gubernationis politicæ famam odium in Judæos Christianosque fædavit. Quo in oriente præsertim, Christi nascentis patientisque honorata vestigia, fanis & simulachris Deorum substitutis, abolevit. Donec Helena, Constantini M. Mater, à Treviris in Orientem emergens, hanc sacrilegæ impietatis labem, Crucis, Christique memoriâ restitutâ, abstersit.

Paul. Nol. Ep. 2. ad Severum.

A. C. 128.

Maternus Coloniæ moritur, & Treviros ad Sedem transfertur.

Numerabatur annus à Natali Servatoris N. 128. qui Adriani circiter X. erat: quando ab Euchario Valerioque cælesti invitatus visu Coloniæ Ubiorum Maternus, post commissam suis Ecclesiam ad immortalem transiit, XV. Septembris. Cum Treviri Coloniam prefecti, insigni funeris pompâ, extis istic supra Coloniam relictis (quæ & Gentilium consuetudo erat) ad primam ejus Episcopatus sedem retulêre. Placuit recentioribus historicis, quâ fide non satis liquet, Maternum funus, cum pro eo Ubii juxta Tungrique contenderent, consilio ignoti senis impositum rati, adverso deinde Rheno & Mosella commeasse Treviros, adeóque his cœlitùs causam adjudicatam. Sunt etiam & ex vetustis quidam, asserentes Maternum fuisse viduæ Nain filium à Christo ad vitam revocatum. Quorum tamen magis fides vacillat, ob nimiam, quam in illum conferunt ætatem. Illatus principio Ecclesiæ, quæ nunc S. Matthiæ, deinde ad summam D. Petri ædem frequenti miraculorum gloria, in obsessis, cæcis, aliisque corporum infirmitatibus curatis inclaruit, suosque

deinde

deinde Treviris, quamvis nonnulli fruſtra obſtrepant, ſucceſſores nactus eſt, quorum anteſignanus, Methodio teſte, eſt *Auſpicius*, cujus (quod ancipites quoſdam fecit) res geſtæ, ſub gravi nube perſecutionum, ut in recens natis Eccleſiis Chriſti ſolebat, obſcuriores deliteſcunt, quâ & ſequentium aliquot Epiſcoporum lumen obfuſcatur. Hunc verò martyrio coronatum, primùm hanc Eccleſiam jam illuſtriori ſpecie Tyrannorum oculos percellentem, irrigaſſe ſub Antonino ſentiunt, eó-que nomine anniverſariâ octavò Julii memoriâ honoratur. Nec in quibuſdam Calendariis titulus Confeſſoris, olim etiam Martyribus tribui ſolitus, hanc opinionem infringit.

Apud Marian. Scotum Et M.S. Trev. Auſpicius Epiſc. Trev. ſuccedit.

Primus hujus Eccleſiæ Martyr.

At Hadrianus per Serenium Granianum Belgarum Legatum Virum ſapientem atque apprimé nobilem inſtructus de calumniis, quibus immerentes Chriſtiani gravarentur, odia iráſque Imperatori extorſit, adeò ut mente ad ſaniora conversâ, cœleſtes decerni Chriſto honores, locarique templa ſtatuerit. Sed nondum is Schola diſciplináque ſanctiore dignus, moriens *Antonino Pio* Imp. locum ceſſit. Hic ex Narbonenſi ortus Gallia, hanc & Coloniis, & caſtellis per Rheni limitem diſpoſitis, & pontibus viiſque militaribus egregiè illuſtravit, ſuo ipſe quod condidit Itinerario hactenus, & columnis miliariis, frequentibuſque apud Treviros repertis numis cognitus. Ad quos Coloniâ, Argentorato, Cabillone, Duricorturo iter expeditum ſtraverat. Cunctiſque ſub pacifico principe, ſolis Chriſtianis demptis (quæ erat calumniantium vis) quietis eſſe licuit.

A. C. 134. Hadrianus Imp. non averſus à Chriſto, moritur.

A. C. 139. Antoninus Pius ſucceſſor Gallias Coloniis, & viis militaribus, præſertim apud Treviros, ornat.

Celſus deinde Auſpicio ſurrogatus, animo verè Celſus ſublimiſque, ac clarus genere fuiſſe ſcribitur, moriendo fortiter pro Chriſto, anno ſalutis 142. idipſum teſtatus, quando ad XXIII Februarii diem *Felici* ſucceſſori ſedem hanc reliquit, ipſe meliori aſſertus in cœlis.

Celſus Trev. Ep. Mart.

Interea Romæ cum Pontificio Martyrium ſociarant, poſt Evariſtum, Alexander, Xiſtus, Telesphorus, Hygi-nus, Pius & Anicetus Papæ, ut nemo hujus candidatus

Felix Tr. Ep. cum multis Pontif. Martyr.

honoris, nisi qui ad hanc quoque aspiraret purpuram reperiri posset. Neque Felicem Trev. Episcopum dispar fortuna excepisse creditur, bis hoc dignũ, tam in vita, quam exitu nomine, qui *Mansuetum* deinde anno insequenti 168. habuit successorem, sub quo Bodabrigæ * apud Treviros Christiani plures militum Romanorum gladiis religionis odio succubuêre, à posteris, ut alibi videbimus cum gladio reperti. Jam enim passim invalescens fidei, tanquam fœcundæ vitis propago, quantò in tot Martyrum capitibus putabatur, amplius, tantò copiosius pullulabat. Jucundo ubique rectè sentientium spectaculo, quod *omnium ubique credentium eo esset atque anima una.* Quo etiam Irenæus, Gallicanæ Ecclesiæ decus, consensu lætus; *Etsi* ait *in mundi loquelæ dissimiles sunt; sed tamen virtus traditionis una & eadem est. Et neque hæ, quæ in Germania sunt fundatæ Ecclesiæ aliter credunt, aut aliter tradunt, neque hæ quæ in Hiberis * sunt, neque hæ, quæ in Celtis.**

Ingens hoc tempore pestilentiæ lues per Galliam Germaniamque innumerabilium mortalium clade & vastitate urbium agrorumque grassata, Romanæ quoque militiæ florem, suis ad Rhenum stationibus exhausit. Quâ occasione subinde usi Marcomanni, Quadi, ceteræque trans Rhenum nationes arma in Romanos latè per Rhenum, Alpesque circumtulerunt. Hi tamen denique non tam humana, quàm divina ope prævalentibus. Siquidem Melitina legio Christianis initiata sacris, cum in Quadorum, seu Bohemiæ finibus, contra hostem in acie stans, præ siccitate sitique deficeret, positis humi genibus, Christoque invocato, copiosam pro se de cœlo pluviam, unáque tempestatem in hostes horrendè fulminantem impetravit, ut hi refecti, illi in fugam versi, instantibus à tergo Romanis, ad internecionem cæsi fuerint. Unde M. Aurelius Antoninus id temporis imperans, L. Vero collega extincto, tanquam ad Jovis invocationem versus, hujus victoriæ laudem est assecutus. Legio tamen Melitina fulmina-

Mansuetus Trev. Ep. A. C. 168.

* *Poppardiæ* Martyres Poppardienses.

lib. 1. c. 3. Consensus Christianorũ veterum.

* *Hispanis.*

* *Gallis.*

A. C. 170. Pestem excepit bellum Marcomannicum.

Melitina Christianorũ legio, pluviam & victoriam cælitus exorat.

Tertul. Apol. c. 5. Euseb. l 5. c. 5. Oros. l. 4, c. 14.

trix

trix dicta fuit, ac denique experientiâ cognitum, auxilia de cœlo, nisi Christianis orantibus, non obtineri. Numi M. Antonini hac *Victoria Germanica* inscripti Treverico hodiedum in agro eruuntur. Miti is deinde imperio, remissisque Vectigalibus, præsertim *vicesimæ* partis, quæ ex hæreditate morientium militari Rom. ærario inferebatur, non ingratus Treviris vixit: cùm nobilissimus quisque illic Romanæ civitatis jure frueretur, quod à vicesima pendenda eximebat.

Multi Trev. cives Romani facti, à vicesima liberi fuêre.

Treviris interea pro Mansueto defuncto CLEMENS, pacifica quoque moderatione præsedit, sub quo Eleutherius post Anicetum, Anacletum, & Soterem Rom. Pontifex literas ad Galliarum Episcopos dedit, quibus de Accusatoribus Episcoporum Clericorumque, tum etiam de cibis, non sine ratione vitandis, quædam decrevit, ad Montani hæresin de Xerophagiis, ut credibile est, infringendam. Quæ decretales Epistolæ, ab Acatholicis explosæ, apud Treviros veteri in membrana fidem tuentur.

A. C. 173.

Decreta Rom. Pontif.

Tom. 1. decret. Epist.

MOYSES* IX Trev. Episc. surrogatus Clementi circa annum Christi 190, fuit. sub quo VICTOR proximus ab Eleutherio Papa decernit Pascha Christianorum celebrandum esse dominica post XIV. lunam æquinoctialem, ne cum Judæis ea festivitate concurramus. Quod & Treviris receptum est, Synodo in Galliis celebrata. Porrò qui in imperio Marco Antonino patri, anno salutis 181, successerat Commodus, moribus dispar turpissimis filius, reluctantes ad Rhenū subditos, vi magis, quam authoritate tenuit. Perennis apud illum Prætorio præfectus Christiani nominis hostis acerbissimus, omni hos injuriâ bonis exuit, impactâ calumnia, ut si heredem scribere Commodum recusassent. Galliam itaque Belgiumque inquietum usque ad Frisios Clodius Albinus militiæ Tribunus perdomuit, Cæsaris iccirco nomen Commodo illi deferente. At hic invidiam, & velut in esca hamum veritus, sapienter abstinuit. Maternus sub hæc Romanæ

* *Moyses* A. C. 190.

A. C. 193.

Gallia & Belgica bellis turbata.

militiæ desertor Dux rebellium prædonum factus latè Galliam Hispaniamque depopulatus est, à Pescennino Nigro egregiæ virtutis Principe, & suâ, militisque abstinentiâ, per Gallias, laudato, viribus vitaque privatus, Nec Commodi, à prævalido Athleta strangulati, dispar exitus, imperium vario competitorum ambitioni jactandum objecit. P. Helvius Pertinax prima honoris ambiti victima suo post bimestre fœdavit sangvine purpuram. Didius Julianus nil exemplo territus breve regni gaudium morte clausit. Subinde in oriente Pescenninus Niger, in Pannonia Septimius Severus ab exercitu Augusti salutantur: sed Gallis Treviriſque faventibus Severus victor, hìc Clodium Albinum Cæsaris jam titulo gaudentem reliquit, & Nigro in oriente confecto, hunc, quod olim prudenter caverat, nunc odium, velut ambiti sceptri incurrentem, experiri coëgit, belloque & vulneribus fractum per ultima mortis ludibria atrociter sustulit. Irâ deinde in Gallos Belgasque fautores versa, quibus Albino faviſſe exitiale fuit. Tam sensus teneri sunt cupidè imperantium, qui nullum in aliis gravius scelus plectunt, quàm, quo ipsi laborant maximè, ambitionis. Excisâ igitur à stirpe Albini familia, Antoninum, & Getam filios (& illum quidem à Christianis enutritum pullum degenerem) Cæsares, ac deinde Augustos secum dixit, ut unum jam simul imperium, majori onere quàm honore, tres ferret Imperatores, cum nec duos quidem Soles cœlum sustineat.

Varii in Rom. imperio Tyranni. Gallobelgicam turbarunt.

Se mutuo & remp. pessundant.

Plectunt in aliis, ambitum, quo ipsi delinquunt.

LIBER

LIBER III.

Victor Rom. Pont. Sept. Severus Imp. Martinus Anastasius &c. Ep. Trev.

REligio Christiana hoc tempore, Justino Martyre ac Tertulliano teste, latè toto vulgata orbe, ipsas Germaniæ ac septentrionis recessus, tanquam ad frigus animorum non minus, quàm corporum damnatos, penetrare non potuit. Lucium tamen Britanniæ Regem, post Romanam profectionem, ab Eleutherio Pontif. religioni Christi unâ cum suis auctoratum, memorant desertâ subinde regia ac regno, in Rhætiam ad Alpes se transtulisse fidei propagandæ gratia, ac manere etiamnum facti memoriam, & juxta Gutenbergiam clivum S. Lucio sacrum. Sunt qui à *Martino* Trevirorum. Moysis successore baptizatum asserant. Sed nescio, an his par fides præstari queat. Illud constat, quod in Christicolas, quintâ Severus Imp. persecutione excitata, passim grassatus sit, ex agno repentè lupus. Unde & Victor Rom. Pontifex Zephyrino succedente, & D. Irenæus; cum tota penè Lugdunensium urbe, denique & Episcopus Trev. Martinus, ANASTASIO surrogato, variis crudelitatis generibus sublati sunt, cujus Treviri memoriam ad XIX. Julii quotannis referunt. Severus porrò, ubi Britanniam ingenti per transversam Insulam sepsisset muro, filium Antoninum Caracallam (sic à veste cucullata, quam induxerat, nuncupatum) Eboraci mortuus, successorem habuit, qui à fratris Getæ parricidio imperium orsus, postquam cruento in Galliam adventu, cædibus rapinisque illam exhausisset, bellum ad Danubium contra Alemannos transtulit, quos continuisse eis limitibus, pro victoria fuit. Illorum tum primum & nomen cognitum, & explorata virtus, latius deinde cœpit celebrari. Sed Caracalla, orientem

An. Chr. 200. *Iust. in Dial. Tertul. in Apol. c.* 37. Lucius Britanniæ Rex Christianus factus. An Treviris baptizatus? Persecutio 5. sub Septim. Severo A. C. 203. *usq; ad* 210. Antoninus Caracalla Imp. Fratrem & Gallos opprimit. A. C. 217.

Macrinus hoc occiſo cum Diadumeno fil. ſuccedit.

tem bello petens, ſexto imperii anno occidit, à Macrino Prætorii præfecto, ſuæ vitæ formidante, præoccupatâ morte, ſublatus. Quem cum Diadumeno filio in conſortem imperii lecto, poſt annuum magiſtratum, violenta quoque mors ſuſtulit, luxurioſi hominis monſtro Antonino Vario Heliogabalo parem in ſortem ſubſtituto. Ita imperare & occidi, id temporis affinia erant, neminique regentium magis metuendum erat, quàm quem multi metuerent.

A. C. 220.

Heliogabalus illis ſublatis imperat.

Alexander Severus Imp. ſuccedit. Cujus Mammæa Mater Chriſtianis addicta.

Alexander deinde Severus Imp. licet Mammæa, Chriſtianis addicta, Matre genitus, ad illorum tamen excidium, ſeu proprio, ſeu malevolorum ingenio concitatus, Calliſtum Rom. Pont. zephyrini ſucceſſorem, ac poſt illum Urbanum, Pontiano in cathedram ſubeunte, per miniſtros his infeſtos ſuſtulit: Anaſtaſio verò Rom. & *Andreæ*, Trev. Epiſc. quietius minuſque infeſtum regimen obtigit, *Ruſtico* hic ad idem faſtigium vocato. Nec impunis Alexandro hæc fuit immanitas. Quamvis enim non ſine laude res belli forique adminiſtraſſet, & Provinciis recèns inſtauratis, Proprætorum loco, & Proconſulum (quorum illi Principium, hi Senatus Legati erant) Præſides regendis præfeciſſet, diuturnâ tamè orientalis belli abſentia viluit ejus apud Rhenum authoritas, fataliſque huc reverſio fuit; cum Ficeliæ * Maximino Thrace à militibus ſuffecto, ipſe cum Matre Mammæa interemptus Trevirorum in agro ſepultus ſit. Simulque ſpes magna Chriſtianæ religionis, jam in aulam ejus receptæ, ſucciſa. Deploratum utriuſque & Romæ & in Germania funus eſt.

A. C. 235.

Quæ Weſaliæ Trev. cum filio cæſa.

A. C. 236.

** Voſaliæ.*

Maximinus Imp. & Tyrannus S. Urſulam cum pluribus millibus interfecit Coloniæ.

Maximinus atrocis ingenii ſucceſſor, ubi familiares Alexandri ſuſtuliſſet, omnē in Chriſtianos furorem effudit, Pontianum Anterumq; Romanos Pontifices ſuſtulit, ac famoſiſſimam illam, me judice, perpetravit, Virginum Anglicanarum apud Ubios cædem, quarum Martyrio tota hodiedum inferior Germania nobilitatur ac conſecratur, hæreſi perfidiáque vix hic ſtabilem ſedem hucuſque figentibus. Scio Brower um alioſque hic fluctu-

A. C. 237.

fluctuare in tempore, atque ad seculum quintum rejicere historiam malle, Attilæque tyrannidi hanc cladem imputare; Sed plura nobis hoc ævum argumenta commendant, Cyriacique, ex Romanis Pontificibus adjungendi, ut & Pantuli Basileensium & Foilani Lucensium Episcopi, in ætate & martyrio societas, vix aliud patitur. Quin & hoc seculum sub Alexandro imperante longè quam Attilæ tempora peregrinationi Romanæ, multis locis vestigiisque probatæ, est aptius: neque sub Thrace ductore Hunnorum ignorata crudelitas fuit; ut hi à tam barbara cæde iccirco sint eximendi. Sed, ut cetera omnia desint, lapides monumentorum plures, uti historiæ, personisq; interfectorum diversis, ita tempori quoque fidem faciunt minimè aspernandam: ut ex nostris ad I. Annal. tom. Notis, & Ursulana Crumbachii historia, distinctius cognosces. *Annot. VII. pag. 593.*

Autor interea Trevirorum Ecclesiam post Rusticum moderabatur raræ probitatis Antistes, quem nonnulli persecutione quoque sublatum, alii naturali defunctum morte Confessorem venerantur. A posteris ille Brunswicum Saxoniæ urbem translatus, ut vivus Treviros, sic illam contra hostes mortuus tutatus est, ac denique apud Paderbornenses Abdinghofense Monasterium tenuisse memoratur. festivâ XX. Augusti recordatione honoratus. Autor Trev. Episc. vir sanctus, etiã mortuus plures tuetur.

Maximino in imperio Gordianus puer, Autori apud Treviros in cathedra *Mauritius* succeßit Episcopus, uterque brevis regni moderator. Nam huic triennio post *Fortunatum* præsulem felicibus auspiciis successisse; illi, fastidio militum post quadriennium cruenta morte sublato, Philippum Ducem Prætorianorum unà cum filio surrogatum esse constat, qui cum Romam millesimo Urbis conditæ anno ad solenne sacrificiũ ex Galliis transiret. Pontius ejus Præfectus jam Christiana disciplinâ eruditus, monuit Christo hunc potius, quàm Jovi honorem deberi, & persuasisse Philippo fertur, ut primus Imperatorum cum filio Christianis accederet. Marcia

A. C. 240. Mauritius Trev. Episc. & Fortunatus.

245. Philippus Pater cum filio Imperator, Christiani in his primi.

A. C. 248.

Otacilæ ejus conjugis memoria in numis. *Vels l. 6. rer. Aug.*

cia Otacila uxor ejus credita, simulque fidem amplexa, memoriam sui in numis Trevericis hac inscriptione reliquit: MARCIA. OTACIL. SEVERA. AUG. PIETAS AUG. S. C. Sed & T. Varius Clemens, Trevirorum id temporis Præses, ab Epistolis utrique Philippo fuisse visus est, vir in paucis memorandus. At Philippus more Majorum armis suorum militum Veronæ interemptus est, Decio in flagitii præmium substituto, qui unius anni regimen diriſſima in Christianos persecutione funestavit, indulgentiam erga hos Philipporum Fabiani Pontif. Rom. aliorumque cædibus ulturus. Quo Paludibus, in Mæsia contra hostes, merso, Gallus cum Volusiano filio ad imperium, & lanienam militarem quoque, intra triennium, vocatus. Valeriano cum filio Gallieno purpuram cessit, non unius Christiani hominis sangvine inficiendam S. Cornelius tamen Papa, cujus venerandum caput Treviri asservant sub Gallo cecidit, Lucio ac non multò post Stephano ad clavum admoto. Quorum hic post Novatiani errorem in Gallia repressum, ad aram factus victima, Sixto locum fecit, ut glorioso ante Laurentium Diaconum agone decertaret.

A. C. 251. Decius Imp. Philippis interfectis, & Christianis oppressis, ipse à Gallo, hic à Valeriano cæditur. 257.

Cassiano inter hæc apud Treviros sedes post Fortunatum patuit, anno 261. insequenti *Marco* XVIII. illorum Episcopo vacatura, sub quo barbari undique Rheni limitem Romanorumque custodiam penetrant, & Germani quidem agrum Ravennatem, Alemanni Moguntinum Trevericumque vastant, creditur que id temporis Augusta Trevirorum urbs, præcipua Romanorum his terris sedes, excisa, de cujus instauratione Constantino postea applausit panegyrista.

Cassianus Trev. Episc. & post hunc Marcus.

Urbs Trev. ab Alemannis excisa.

Miserat Valerianus Imp. in Gallias Posthumum ejus gentis hominem, obscuri quidem sangvinis; sed virtute bellica, & laude Imperatoris ornatum, cui tamen, in orientem ipse contra Persas discedens, Gallienum filium limitibus tutandis adjunxit. Hi consilia & arma sociabant;

263. Valeriano Imp. a Sapore Persarum capto Post-

bant; tantáque fides Posthumi visa est; ut Gallienus, parum acceptus Gallis recedens, filium illi Saloninum Cæsarem, disciplinâ militari imbuendum traderet. Verùm ubi Valerianus, atrox ille Christi hostis, à Sapore Persarum Rege victus captusque, extremæ servitutis, notas pœnasque, pro scabello pedum adhibitus, subiit, Gallieno spreto, diversi per orientem occidentemque Tyranni imperium usurparunt, Saloninus quoque cum militi hostilem prædam, quam Posthumus indulserat, negasset, intra Agrippinensis Coloniæ mœnia occisus est, illique delatum imperium. Quod adversus Gallienum tuitus, cum Moguntiacum adversus Lollianum, summâ istic potestate imperantem, obsideret, nolletque diripiendæ urbis facultatem avido militi cedere, tumultu interemptus, rursum amisit. At Victorinus collega Posthumi Lolliano oppresso sceptrum tenuit, dignis Imperatore virtutibus si vaga libido defuisset. Quã cum, una cum Victorino filio, Coloniæ funesta morte expiasset, Victorina mater animi virilis femina exercitibus imperare ausa, obsequentes amantesq; sui milites habuit, iccirco *Matris castrorum* titulo honorata, quem Trevericis in numis, omni ære cusis, sæpius usurpat: Virum tamen viris præficiendum rata, Tetricum Aquitaniæ præsidem ad hoc munus pertraxit, fuitque, præcipua horum sedes Treviris, plerorumque monetis, & ut credibile istic cusis, signata. Certè Diocletiani temporibus illustrem hic officinam rei extitisse monetariæ, Triumviroque eidem præfectos, exploratum est, & docent numi his literis S. TR. & P. TR. hoc est *signatum*, aut *percussum*, *Treviris*. testanturque non ita pridem effossæ in vitifero Carthusianorum fundo scabrę incudes formæque cudendis numis destinatæ.

humus Galliæ contra Gallienum occupavit, hujus filio Salonino interempto.

Moguntiæ occisus. A. C. 268.

Victorinus collega vindex Lollianum, hunc cum filio, ob libidinem, miles tollit,

Victorinæ Matri, obsequens: Quæ numis Trev. Mater castrorum dicta est.

Tetricũ Imp. assumpsit.

Treviris res monetaria viguit.

Invenit subinde in imperio locum vir, extra fidem Christianam, optimus, Flavius Claudius Constantii Cæsaris, vel patruus, vel avus, qui cæso apud Mediolanum Gallieno, barbaris sensim ultra Rheni limites rejectis; sed inimicus Christi ejusque cultorum brevi ferrum la-

270.

Fl. Claudius optimus Imp. ab Aureliano successore cæsus

tere

tere hausit, & Domitio Aureliano, immaniori sese hosti, ne palæstra Christianis deesset, Italiam gubernandam reliquit. Nam zenobia Odenati Augusti relicta conjunx supra virilem istic majestatem prudentia ac fortitudine memoranda, amicis hostibusque dominabatur, seque cum Victorina superesse, quæ imperare viris nossent, non vanè hac rerum tempestate jactabat. Sed Aurelianus denique multis elatam victoriis majori vi pressit, captivamque duxit; ut hoc exemplo Tetricus rerum summam etiamnum in Gallia sustinens, venienti sese Imperatori ultro dederit; verùm, spectabili cum zenobia triumpho, Romam abducendus.

Zenobia orientis Imp. & Tetricus vicți & ducti in triumphum.

273.

Eodem tempore *Navitus* Trevirorum Episcopus, simul & Tungrorum, Marco successit; ut quas Maternus olim utriusque gentis Ecclesias rexerat, supremi rursum Pastoris curâ moderaretur. Quod à septem deinde insequentibus Trevirorum Episcopis, usque ad Agritium Trev. Archiepiscopum, & Servatium Tungrorum Præsulem, utriusque Ecclesiæ Annales, factum testantur.

Navitus Tr. & Tungrorũ Episc. plures utrobique successores nactus est.

Aurelianus non hostium minus gloriosè, quàm ignominiosè Christianorum purpuratus cruore, in medio fortunæ cursu servi Mucapori manu Jugulatus est: ut denique mihtem turpitudinis, in electione ac cæde suorum Imperatorum, pudor tangeret, arbitrioque Romani Senatus pristinum eligendi jus subjiceret. Quo facto dum semestris spatii intercedit mora, Germani Rhenum transgressi, cum sparsum sine Duce exercitum Rom. profligassent, LX. facile urbibus per Gallias potiti sunt. Quibus primi subsellii Senatorem Tacitum Romani opposuêre, non tam clade mœsti, quàm læti de electionis potestate ad se postliminiò relata, literis hac de re ad Treviros destinatis. *Vt estis*, ajunt, *liberi semperque fuistis. lætari vos credimus, creandi Principis judicium ad Senatum rediit: simul etiam Præfe-*

Jus eligendi Imp. ad Senatus Rom. arbitrium à milite relatum est.

Vopiscus in Floria.

Præfecturæ Vrbanæ appellatio univerſim decreta eſt. Inſcriptio hæc erat Epiſtolæ SENATUI AMPLISSIMO CURIÆ TREVIRORUM. Curiales enim in Coloniis Rom. Senatores dicti, à præcipuo decurionum ordine. Quanquam magnam varietatem magiſtratuum, & hic, & alibi in coloniis Rom. Codicis Theodoſiani reſcripta exhibeant. Quod verò Treviri appellentur *liberi*, id priſci juris olim eximium obtinuêre. Cum in duumvirûm conſulatu, inque Senatorio Equitumque ordine, Romanæ Reip. præ ſe ferrent imaginem, inſuper Prætoriana ac Principum illic ſedes, utque fas creditu, vectigalium ratio, locatioque, actionum civilium curia, & Annonarum, publicorumque operum cura penes eorundem arbitrium eſſet.

Treviri libertate Rom. gaviſi ſunt.

Tacitum, vix ſemeſtre tranſgreſſum, ſenium ac mors confecit. Florianus verò frater ad imperium ſubiit, gratiâ impari vix bimeſtre implens, cùm, vitâ ſimul regnoque exturbatus, Valerio Probo ſe fortiori locum fecit. Qui inſtructo exercitu Gallias ingreſſus, ſeptuaginta urbibus cis ultraque Rhenum occupatis, longè Germanos trans flumen non rejecit ſolùm, verùm & ſubjecit. Memorandumque hoc loco eſt, quod is magno numero Francos cis Rhenum, & in Batavorum ut apparet fines, receperit; cùm non tantùm excolendis agris, verùm & nauticæ piraticæque inſigni navium apparatu operam dederint; atque in mare mediterraneum uſque in Africam Libyamque ac Græciam effuſi, Syracuſis nobiliſſima urbe expugnatis direptiſque potiti ſint. Hæc Francorum ſeſe efferentium principia. Porrò cùm, apud Ubios, Proculus ac Bonoſus contra Probum affectarent imperium, his citò feliciterque oppreſſis, ad Illyricum pacandum ſeſe tranſtulit, ubi juxta Sirmium, conſueto Imp. fato victima Martis cecidit, cùm, militaris inter hiberna otii impatiens, laborem parùm volentibus imperaſſet. Tanti periculi res erat, militem irritaſſe, ut dubites, duxne an exercitus regendi ſibi principatum vendicaret? Non defuêre tamen qui ſola imperandi libidine

Tacitus à Rom. Imperator lectus eſt. A. C. 277.

Valerius Probus ſucceſſit. *Nazar. in panegyri: Zoſimus l.* 1.

Francos cis Rhenum admittit, qui piraticam exercuêre.

Probus Proculi & Bonoſi victor, à propriò cadit milite.

Carus Imp. cum filiis succedit probo.

bidine hoc discrimen ambirent. Ita M. Aurel. Carus, cum Numeriano & Carino filiis admissus est, divisisque regionibus Carino Gallia, atque in hac Treviri regendi obtigêre, qui juvenis in luxum intemperantiamque solutus, tam sibi indulgens, quàm in alios crudelis fuit. sub quo Navitus Christi testis, sangvine pro fide dato, *Marcello* XX. Trev. Episcopo sedem reliquit. Romæ etiã, post Dionysium, Felix Pontifex sub Aureliano; Eutychianus sub Numeriano cadens, locum Cajo dedit. Carum subinde in oriente lapsum cœlo fulmen, Numerianum, anno pòst, Apri, qui socer erat, gladius sustulit, ut iccirco Diocles Comes domesticorum, Aurelii Val. Diocletiani assumpto nomine, imperium occuparit, Aproque velut per venationem & ludibrium confosso, Carinum in Mæsia ultorem sustinuit; vincendus, nisi is à Tribuno proprio, in ultionem contrectatæ uxoris, cecidisset. Ita quem Mars non potuit, Venus profligavit.

A. C. 282.

Carinus præest Galliis, Treviriſque improbè.

Marcellus Trev. Episc. 283.

Diocletianus, Caro cum filiis sublato, imperat. 285.

Carinus ob libidinẽ perit

Sed hoc Galliarum dedecus alius, haud paulò immanior, successor cohonestavit. M. Aurelius Maximianus is fuit, à Diocletiano in Collegam assumptus, & cum Africa Hispaniaque, præfectus Gallis. Quorum ille gravissimus in oriente Christianorum hostis; ut sub quo sola Ægyptus 144. Martyrum censuit occubuisse millia; hic in occidente, non impari crudelitate grassatus, integras legiones militum, urbesque idolomaniam aversantes excidit. In quibus Augusta Trevirorum urbs facilè princeps fuit. Res breviter exponenda est.

Maximianus Imp. Galliis præficitur.

Thebæi milites, ab eo traducti Alpes variis locis, pro Christo, cadunt. 286.

Bagaudarum in Galliis factio, hoc est agrestium hominum pro libertate arma rapientium, Amando & Æliano Ducibus, invaluerant. Contra quos à Diocletiano Maximianus, Thebæa legione in exercitus supplementum adjunctâ, missus est. Qui, post alpes Penninas superatas, lustratis copiis apud Octodurum, Sacrificare omnes Diis jubet. Sed cùm Thebæi, sacrilegii declinandi gratia, Agaunum deflexissent, submissi percussores, qui primo iteratóque decimum quemque, ac demum

demum restitantes constanti in fide universos cæderent. quorum Duces Mauritius, Primicerius, Exuperius signifer, & Candidus senator. Alii Thebæorum ad Taurinum in Pedemontana regione: alii Soloduri in Helvetia cum Urso ac Victore Ducibus oppressi: alii ad Mosellam Rhenumque; adversus Carausium Menapium Romanis suspectum, missi sunt. In his quatuor è Thebæa legione cohortes erant: quarum primam Tyrsus, Secundus, & Bonifacius moderabantur, alteram Cassius, & Florentius, tertiam Gereon, Victor Primicerius quartam.

Thyrsus Dux cum sociis & cohorte sua Treviris cæditur à Rictio Varo.

Thyrsus sociique, cum primâ cohorte Treviris recepti sunt, quando jam fama, de aliorum nece, vulgata, hos quoque Christianos esse sparserat, tantóque amantius & majori plausu ab orthodoxis in urbem hospitiaque admissi sunt, ubi Palmatius consulari tunc potestate præsidebat. Verùm Rictius Varus Belgicæ Præses, Maximiani jussu eodem accersitus, animadvertere in omnes Idololatriam recusantes severissimè cœpit. Siquidem evocati in campum Martium cum militeDuces, ubi frustra sacrificium, Deorumque venerationem imperasset, exercitu concluso morte nefandâ sustulit. Nec furor hoc sangvine extingui potuit. Amicos, Christiani militis receptores, Palmatium cum illustri Trevirorum Senatu, in quibus Hormisda, Papyrius, Constans, & Jovianus viri Christianâ fortitudine, æquè ac splendore natalium inclyti, in hanc arenam evocati, cum sacrificare Diis nollent, variis tormentis subjecti, denique, cum capite, vitam posuerunt.

Palmatius Consul Trev. cum Senatu occiditur.

Neque hic sævitiæ finis, universa ex urbe multitudo in campum Martium evocata, aut mori, aut Diis thus adolere jussa, mortem perfidiæ prætulit. Nam pari constantiâ Christum profitentes pridie Nonas Octobr. inclusos militari coronæ, promiscuâ cæde, nullo ætatis sexusque discrimine, trucidavit; adeò ut à colle Martis ad Mosellam usque, fœdâ mortalium strage, sed gloriosa cadentibus, squalerent agri, & flumen, ad cujus se

Plebs Trev. promiscua cæde martyrium subit.

ripam plures receperant, ad decem facilè passuum millia sangvinolentis undis profluueret. Cujus rei argumentum sacellum vetus, superiori jam ævo instauratum. in ora Mosellæ paulò supra Noviomagum, tanquam limes purpurati fluminis, hodiedum supereſt.

Cassius Bonnæ, Gereon Coloniæ, Victor Sanctis interimitur.

Eadem subinde tempestas cohortem alteram Thebæorum, cum Cassio ac Florentio Ducibus, Bonnæ deprehensam involuit. quibus hac in causa occumbere pro victoria fuit. Gereon verò, cum aliquot è Mauritana manipulis, cadens, Coloniam Agrippinam nobilitavit, ut Victor cum sociis Coloniam Trajanam, ab eo Sanctorum deinde oppidum nuncupatam. Tanti erat ad loci æstimationem, vel horum pro Christo cadentium corpora excepisse.

Maximianus cæsis Bagaudis, repressisque Germanis, Treviris resident.

Post tragicam hanc in proprium militiæ robur lanienam exercitam, velut piacularibus jam hostiis persolutis, contra Bagaudas progressi, rusticanorum facile copias, bellandi arte consiliisque destitutas, dissipavere; sed majus deinde Maximiano adventanti, cum Germanis, passim limitum custodiam, non sine hominum pecorumq; præda, perfringentibus, certamen fuit. Unde opportunam sibi Trevirorum Coloniam pro sede potissimum deligere rerumque ac hominum ruinas subinductis idololatris instaurare cura fuit. ut hinc velut e munitissimo præsidio in hostem sese efferret, nec si panegyristæ credimus, absque operæ pretio, cum, ut ait *Mamert.* Chaibones, & Heruli, internecione ab eodem cæsi sint.

Vota Impp. Treviris persoluta.

Quare & tum cœpêre Treviris, solennia Imperatorum nuncupari vota singulis vel lustris, vel decennii aut vicenniis instaurari: publicis victimis, pro salute illorum cæsis, non sine publica largitione solita. Quæ ab Augusto Cæsare consuetudo, per quinquennium decenniumque primò, ac vicennium, ex indultu populi, imperium prorogantis solennique illud suplicatione cu

ne ordientis, originem duxit,& ad posteros est propagata. imperio deniq; velut ex jure perpetuum occupato.

Ita Christianis rebus Treviri profligatis, Marcello etiam illorum Pontifice sublato, non defuit tamen successor *Metropolus*, qui ad idem se, cum onere, discrimen offerret,remque illic orthodoxam supremâ authoritate tueretur. Illius, cruentâ morte sublati, memoria perstitit ad IV. diem Septembris. Politica tamen dignitas Trevirorum, à solio Imperatoris ibidem constituto, haud paulò illustrior extitit. ut *Ausonius* purpuratus Vates, *in suis, de claritate urbium, versibus* meminit, dum ita canit:

Armipotens dudum celebrari Gallia gestit,
Trevericaq; urbs solium: qua proxima Rheno,
Pacis ut in media gremio secura quiescit:
Imperii vires quod alit, quòd vestit, & armat.

A. C. 287.

Metropolus Trev. Episc. Marcello Martyri surrogatus.

Maximianus, Germanis feliciter trans Rhenum rejectis, purgatáque Galliâ, Mediolanum in Italiam se contulit, ubi cum Diocletiano, qui advenerat, communicatis consiliis, divisis imperii curis limitibusque, de adjutore uterque ac successore legendo constituêre. Reversus deinde Treviros Maximianus, post vota quinquennalia persoluta, Francos sub Genebone Duce, Batavia potitos, Carausioque nuper infelici bello sociatos, in amicitiam recepit, atque ad Trevirorum & Nerviorum agros excolendos admisit, nunc quidem hospites servosque, sed aliquando dominos futuros,hospitali domo in possessionem versâ.

288.

Franci ad Trev. agros excolendos admissi.

Porrò ut Imperii molem in aliorum humeros simul inclinarent, Diocletianus adoptavit in filium Cæsaremque Galerium Maximianum Dacum; Maximianus verò Flav. Constantium Dardanum, ex Patre Eutropio, & Claudia Romana natum, militiæ juxta togæque virtutibus clarissimum, qui Germanicis jam in oris celebris Helenam Trevericæ nobilitatis feminam duxerat, ex eáque susceperat in Britannia Constantinum, Magni cognomento inclytum. Sed ut Diocletianus suam Ga-

Diocletianus & Maximianus filios & successores adoptant, & hic quidem Constantiū.

A. C. 291.

lerio, ita Maximianus filiam in thalamum Theodoram, velut pignus speratæ fidei, obtulit. Unde libellus repudii Helenæ datus est. quæ tamen, quod in viro solatium amisit, in filio præstantissimo reperit. Cumque Treviris suo in palatio relicta, castrorum esse mater non posset, Ecclesiæ Christianæ parens, tam in marito ad fidem instructo, quàm Constantino ad eandem exstimulato, fuit. Ita ex Trevirensi fœmina lumen universam Ecclesiam illustraturum affulsit.

Helena Trev. Constantiũ ad fidem convertit.

Subhæc applausserunt Treviri Mamertino, ut videtur, Oratore Maximiano & Constantio, dum Natalem Romanæ urbis celebrant, ovantque de Carausico ad oceanum usque (quo adhuc navali potentiâ fruebatur) victoriosis armis submoto. Quem eodem anno Alectus, armorum socius, sibi vendicato maris imperio, sustulit; mox ipse, per Constantium, æmulâ classe, in Britanniæ litora, aciemque Prætorianorum, quâ cecidit, adigendus. Ita duplicem perfidiam in Romanos & amicum unâ clade expiavit. Hæc prima belli fortuna celebrior Alemannicâ victoriâ, licet ancipiti casu ventilatâ, fuit. Nam *circa Lingones*, ait Eutropius, *una die adversam & secundam fortunam expertus*, primò quidem victus vulneratusque, vix per funem incolumis urbe receptus est, moxque aggressus securos, velut dissipato hoste, Alemannos, septuaginta illorum millia profligavit. Quâ reliquis Germanis clade quietem persuasit, seque ad remp. in Galliis & litterarum studia excolenda convertit, cùm Treviris, tum præcipuè Augustoduni in Galliis apud Æduos eloquentiæ palæstra exculta. Unde Eumenius, præclari nominis Orator id temporis in Constantii laudes disertè erupit. Treviris verò ejusdem Constantii figuram in ære suis ex officinis hac inscriptione productam vidimus: CONSTANTIUS NOB. CÆS. & in altera facie GENIO POPULI ROMANI. S. F. TR.

299.

Carausicus à Romanis pulsus ab Alecto socio opprimitur, uti & hic à Constantio.

Qui dubia forte cum Alemannis pugnans, denique vicit.

Literarum studia in pace alit.

Dispar Maximiani ac Diocletiani in Pace studium

Versi

Versis enim ad Christi fidem expugnandam armis, decima gravissimaque in Christianos persecutione grassati sunt. Verùm licet plus in pace, quàm bello sangvinis passim fusum sit, tamen decē annorū stragibus fides auctior, novæ alimenta vitæ gloriæque, ex ipsis cædibus, sumpsit. Quare etsi Gallia à Rictii Vari crudelitate immunis non esset, cadente etiam apud Treviros Metropolo, tamen illo ex gutta plumbi oculum feriente diriſſimè cruciato per ignes, quos desperans subiit, exanimato, Christianis deinde his in oris sub Constantio vivere quietis licuit. quin & ipsi, ut dixi, his professione veritatis accessisse creditur, Helenâ stimulos ad hæc salutis consilia subjiciente,

contra Diocl. & Maximianus in Christianos sæviant persecutione decima & gravissima.

Rictii Vari pœna.

Jam *Severinus* post Metropolum Treviris Sedem adierat, quando, & Marcellus post Marcellinum, Romæ pro fide occumbentem, pontificatum admisit; Sed & illi martyrio brevis ad cælum via patuit: vix triennali episcopatu perfuncto: quæ *Florentio* in sede, & palmâ, altero post anno, successori aperta etiam fuit. Cùm tamen Diocletianus Maximianusque communicato consilio privatam vitam, positis sceptris, publicæ curæ prætulissent. An quod hostium victores de Christianis victoriam desperarent? an quod, rarissimo exemplo, quietem honoribus præhaberent? Et hic quidem Constantino Constantii filio, quem Pater apud Britannos moriens sibi surrogarat, cum Fausta filia, Imperatoris nomen Treviris obtulit. postquam glorioſam de duobus Francorum Regibus Ascarico & Ragaiso Rhenum transgressis victoriam, captis, triumphatisque Ducibus, reportasset: ut panegyrica oratione testatum accepimus. Sed Maxentius Maximiani filius, invito, & ad imperium rursus aspirante Patre, tyrannidem occupaverat, unde ad Constantinum, non tam amore, quàm necessitate conversus, hoc per insidias sublato, speravit adversus filium copias sibi militumque fidem non defuturam. Sed Fausta parentis artibus inspectis has marito prodidit, & patre, quàm conjuge destitui maluit, Illa igitur

A. C. 304.

Severinus & Florentius Episc. Trev. successores Metropoli omnes Martyrio affecti.

Constantinus in imperio succedit.

Francos vincit.

307.

Maximianũ sibi insidiantem tollit.

Massiliæ intra mœnia occupatus, digno se exitu, vitam laqueo absolvit, & inconsultræ ambitionis pœnam dedit, quâ cùm imperare non posset, voluit: qui noluerat, cùm posset. Tanta est humanorum desideriorum inconstantia, cum neque propriam neque alienam fortunam sat æquo animo sustinemus. Constantinus porrò bellis, quàm religione, nondum agnitâ, felicior, haustam in Diocletiani & Maximiani aulis de Christianis existimationem & odium nondum ad Matris Helenæ consilia deponebat. Quandoquidem præter alios Florentium *Martinumque* ejus successorem, annuo solum episcopatu functos, cruentâ morte sustulit. tantum ex hac re decus, quantum ex Bructeris devictis habiturus gloriæ. Quanquam dum in theatro Treviris victos feris dilaniandos objecit, crudelitatis hic quoque ignominiam non subterfugerit. cum bellatoribus ad pœnam sufficiat ab hominibus victos succumbere.

Martinus Episc. Tr. & Martyr. 309.

Constantinus pontem Rheno imponit, & Treverim egregiis ædificiis ornat.

Pontem subinde apud Ubios Rheno imposuit Divitensi munimento conjunctum; ut metum transrhenani conciliaret, qui interjectu fluminis audaciores Romanis sæpe imminebant. Augustam verò Trevirorum urbem, magnificis operibus & pristinas ruinas instaurando, & nova extollendo ædificia, latè exornavit. ut circo basilicis, curia, foroque amplissimo conspicienda, altera jam Roma videri posset. Ubi postquam Natalitia, quinquennalia vota exsolvisset, ad expeditionem, adversus Maxentium suscipiendam animum adjecit. Quum esset, contra potentem Romanumque hostem plena discriminis, anxium diu sollicitumque prudentissimum Imperatorem tenebat. Nam, si omnem Rheni Mosellæque ripis militem abduceret, vacuum prædiario milite limitem, Galliamque universam Germanis expositurus erat; sin, impar longè Maxentio occursurus. Noviomagi id temporis intra Rheni Mosellaque flumina, hujus in ripa, sex infra Treviros viarum horis, castra locaverat. His egresso, dum trepidè fi-

A. C. 311.

Contra Maxentium, visâ apud Treviros cruce cælesti, animatur.

312.

stuat, crux illi sese in aëre his verbis, ἐν τούτῳ νίκα * conspicua objecit, totius exercitus oculis & admiratione excepta. Quam à Superis sibi in victoriæ argumentum proponi ratus, in Labaro militari præferri jussit, Alpesque & Italiam minoribus longè copiis, sed majori fiducia prætergressus, Maxentium cum suis Româ exeuntem, juxta Tiberim ad pontem Milvium superavit, tyrannóque fluctibus hausto, Romam triumphans, Occidentis jam Dominus, ingressus est. ac repub. inibi composita, Treviros sequenti anno revertit; ut violatæ istic fidei ream Francorum gentem, atque in limitibus Rheni exultantem, armis componeret. quos bello victos captivosque, rursum ludis Trevericis cum feris magno numero in arena commisit, variasque, cum Licinio conf. ibidem leges promulgavit.

* In hoc vince.

Labaro Crucis prælato Maxentium vincit.

313. Francos Deo victos feris objicit.

Interea Romæ sub Miltiade Pontifice, indultu Constantini, synodus in causa Cæciliani & Donatistarum instituta est. in qua Maternus Colonienſium Episcopus, cum Rheticio Augustodunensi & Marino Arelatensi, præterito Maximino 1. Trevirorum Episcopo, delecti Judices, Donato condemnato, Cæcilianũ Carthaginiensium Episcopum innocentem pronuntiarunt. Quæ deinde Arelate rursum agitata eundem exitum sortita est. At Miltiades, sequenti anno extinctus, Silvestro præstantissimo Pontificum locum fecit. Quo tempore Constantinus cum Licínio inimicitiis armisque, semel in Pannonia, iterumque in Thracia collisus, utrobiq; victor, post instauratam gratiam, Crispum ex Minervina, & Constantinum ex Fausta natos, pronuntiavit Cæsares; & illum quidem in Treviros evocatum, sibi in præfecturâ armorum suffecit. quanquam & eloquentiæ sub Lactantio operam istic dare voluerit, cum qua & Christianæ religionis pietatem hausisse creditur, ac didicisse improbæ Faustæ Novercæ libidini, ad quam implendam poscebatur, resistere. quæ tamen illi apud Patrem, per Novercam accusato, exitialis, deinde & Faustæ, post compertam levitatem, fuit, illo veneni

Sub Miltiade Pont. in Romanâ & Arelatensi synodo donatistæ damnantur.

314.

315. Silvester Rom. Pont.

Crispus Cæsar Treviris armis & studiis dat operam.

Novercæ libidine perit.

frigore, hac calore balnei sublatâ. Dolendo sanè optimi fortissimique adolescentis casu, qui & Alemannorum & Francorum non uno prælio victor, raram propugnatæ Galliæ gloriam meruerat; plurimis numis apud Trevros percussis honoratus, in quibus PRINCEPS JUVENTUTIS & ALEMANNIÆ VICTOR proclamatur.

A. C. 320. Maximinus & Valentinus Trev. Episc. & Mart. Tungros simul moderati sunt.

Inter hæc fluctuante etiamnum Constantini in Christianam religionem animo Idololatras sævire etiamnum patiebatur: Unde *Maximinus* Trevirorum Antistes decimo sui regiminis anno Martyrii palmâ donatus, *Valentino* sedem reliquit, qui Trevirensibus juxta Tungrisque, ut & multi Antecessorum, præfectus, cum & sibi cruentam pro Christo mortem imminere sentiret, fertur (veréne an symbolicè, non definio) episcopale pedum aræ imposuisse, ac posteris sub anathemate vetuisse dimoveri, donec nutu Superûm proprius ejus Ecclesiæ Pastor signaretur. qui septennio post D. Servatius fuisse visus est. Quin & Trevirensis totidem penè annis sedes vacua S. Agritium, meliori sorte pristina compensantem in religione damna, admisit.

Vacua utrobique sedes.

326.

Constantinus Magnus lepra percussus baptismate mundatur. D. Helena Mater in orientem profecta Reliquias insignes refert.

Constantinus denique graviori à Deo impulsus læpræ malo, post quæsita nequicquam remedia, nocturno per quietem viso monitus, ad baptismi salubriores aquas confugit, quas Silvester Pontifex, ex latebris ad publicam libertatem productus, eidem contulit, animæ corporisque juxta salutem elargitus. Inde alia Ecclesiæ Christianæ affulsit serenitas, & Helena Mater tenerius in filii amorem penetravit, seque in orientem summa Constantini voluntate transtulit, ut Christi crucis aliáque Servatoris nostri insignia, quæ sibi jam ante ad victoriam præfulsisse sensit, in lucem observationemque produceret. Quod felici eventu præstitit, augustissimisque Reliquiarum, tum S. Crucis, tum Sanctorum corporum reliquiis ditata, in occidentem reversa est.

327.

LIBER

LIBER IV.

Silvester Pap. Constantinus M. Imp. Agritius Trev. Episc.

AUgustæ Trevirorum urbi diœcesique jam nihil ad summam gloriam felicitatemque, præterquam religionis Christianæ libertas, deesse visum est. Quòd, ut Principum Rom. Sedes, opum nobilitatisque dignitate excelleret, libera tantùm salutiferæ veritatis professio deficeret, cum subitò ex gremio ipsius geminum sidus, alterum Helenæ Matris, alterum Constantini illius filii atque Imperatoris emersit, unde non solum Trevir, sed occidens oriensque totus, cælestis fidei lumine cœpit illustrari.

Helena princeps in orientem progressa, ubi explicatis religionis vexillis palam se filiumque Christianum professa est, & patientis Christi instrumenta, cum honore, & miraculorum gloria, in lucem produxit, basilicas Deo Sanctisque excitavit, religiosos viros Virginesque venerata, suum hinc quoque pro Treverica Sede Episcopum sibi censuit deligendum. AGRICIVS is fuit, pietate ac doctrina præstans, contráque Arrianos Sedi Antiochenæ ab orthodoxis designatus Episcopus; sed adversariorum excluſus artibus, & Trevericæ à Deo Ecclesiæ reservatus. Qui Valentini morte vacantem jam facilè sexennio cathedram occuparet. Hunc Silvester Pontifex Romæ cum honore exceptum, hoc ad Trevirenses diplomate ornatum dimisit, quod ex Archivo Trev. subjiciendum esse duxi. An. Chr. 327. Agricius Tr. Episc. 27. Archiep. 1. à Silv. Pap. creatus. quem ex oriente Romam D. Helena destinarat.

SILVESTER PAPA TREBERENSI ECCLESIÆ.

Sicut in gentilitate, propriâ virtute, sortire & nunc Trebir primæ, ac super Gallos & Germanos prioratum, Idem ex Virdunensi Ar-

chivo P. Sirmondus in MS at paucis verbis mutatum, eruit.

quem tibi præ omnibus harum gentium Episcopis, in primitivis Christianæ religionis Doctoribus, scilicet Euchario, Valerio, & Materno, ac per baculum, caput Ecclesiæ Petrus signavit habendum, suam quodammodo minuens dignitatem, ut te participem faceret. Quem ego Silvester ejus servus successioneq; indignus, per Patriarcham Antiochenum Agritium renovans confirmo. Ad honorem patriæ Dominæ Helenæ Augustæ, Metropolis ejusdem indigenæ. Quam ipsa felix per Apostolum Matthiam à Judæa translatum, cum Tunica & clavo Domini, & dente S. Petri, & sandaliis S. Andreæ, & capite Cornelii Papæ, ceterisque Reliquiis magnificè ditavit, specialiterque provexit. Hujus privilegii conscii nocivi æmuli, communione dirimantur, quia anathemate maculantur.

Reliquiæ memorabiles ex oriente translatæ à B. Helena.

Quæ ut in aliis Pontificum Rom. diplomatis repetita sunt & agnita, sic fidem sanè merentur. *Ecclesiæ Trevirensis,* ait Leo X. *à D. Helena Constantini M. Matre, quæ ad id regiam suam Domum, quam Treviris habebat, dedicavit, magnificè structa & ditata. Tunica videlicet inconsutili D. N. I. C. & uno ex clavis &c. adeò illustris effecta, ut rectè secunda Roma, ac Domina Provinciarum, ac omnium Ecclesiarum Germaniæ ac Galliæ prima dici meruerit.*

Datum an. 1514.

Ex quibus testimoniis, ut historicorum alibi productorum fidem taceam, & veterem Trevirensis Ecclesiæ primatum, & Reliquiarum S. Tunicæ aliorumque præstantiam ac certitudinem, & natalitiam D. Helenæ domum, facilè agnosces, explosis aliorum diversa sentientium, nostraque hactenus ignorantium conjecturis, quas alio loco diluimus: uti & illa quæ de crucis signo, alibi, quàm apud Trevirorum Noviomagum viso, disseruntur. Cum & istic Constantinus castris egressus adversus Maxentium primò fuerit, & signum X P. pecuniæ Treviris signatæ à Constantino impressum: passimque, & in sepulchris illic exhibitum, & Ecclesiæ D. Paulini haud multo post erectæ familiare æternumque; sed literis ut solet ☧ implicatis, manserit. Unde mirum

Vide Annot. 2. ad tom. 1. Brouv.

Vide Annot. 1.

non

non est tanto honore Ecclesiam Trevericam cæteris prælatam à Silvestro aliisque Pontif. fuisse, vulgatóque ferri versu:

Accipe primatum post Alpes Trevir ubique,
Quem Tibi Roma novâ lege dat, & veteri.

AGRICIVS igitur Galliæ Germaniæq; primatu à Silvestro ornatus, Trevirensi Ecclesiæ hoc decus publica autoritate Rom. Pontificum, firmatum intulit: donec sub Clodoveo Françorum Rege Rhemensem Galli Ecclesiam, & Germani alias alibi Archiepiscopales Sedes extulêre. Quando videlicet, aucto Christianorum numero, & onus & honor ad plures Episcoporum est derivatus.

Diversæ Ecclesiæ ab Agritio impensis Constatini & B. Helenæ Matris excitantur, ut ædes Metrop. S. Maximini &c. palatiis in Ecclesias versis.

Interea Trevirim Agricius, S. Reliquiarum thesauro ex B. Silvestri & Helenæ, ut vidimus, liberalitate dives, ingressus est; dignamque illis excipiendis Sedem, ex Matris & filii Imperatoris voluntate impensisque, Ecclesias Deo Divisque sacras moliri cœpit. Mediâ urbe illustre B. Helena Palatium tenebat, hoc metropolitanæ basilicæ sub titulo D. Petri instruendæ datum, hodiedum priscæ ostendit fabricæ rudera. Alia subinde Constantini Magni regia in templum idoneamque cœnobiticæ vitæ hominibus sedem conversum, à S. Maximino Agritii Successore acceptum nomen ad nostram usque ætatem transmisit: Sancti Benedicti Patribus ab eorum recèns ortu consignatum. In priorem Ecclesiam D. Petri reliquiæ superiores illatæ sunt: nisi quod corpus D. Matthiæ Apostoli ad S. Eucharii primi Trevirorum Apostoli ædem transferendum existimarint, ubi religiosè etiamnum, Capite ad Metropolitanam ædem recepto, nec sine miraculorum gloria, asservatur. Culter Dominicus quem à cœna relictum idem Archiepiscopus ex oriente detulit, in S. Maximini templo acceptus piè custoditur. Quanquam & aliis Reliquiarum pignoribus basiliciſque patrium solum B. Helena nobilitârit. In quibus, ut finitima hujus Archidiœcesis loca præteream, censetur prægrandis basilicæ moles (cujus

herili-

hemicylci duo ad portam Albam è regione Amphitheatri adhuc supersunt) Sanctissimæ Triadi quondam consecrata; tũ verò & alia haud ignobilis in vicino colle basilica Sacrosanctæ Cruci dedicata: ubi nunc solum ejus memoriæ sacellum mansit. Accessit in pago suburbano ad radices Jurani montis, loco, ut censemus, Helenæ natali alterius templi structura, quod sacrum Divæ, & collapsum tempore, nunc præter fontem uberẽ salubremque, ejus insignem nomine nihil priscæ vetustatis retinuit, postquam cum B. Helenæ capite ad Metropolitanam ædem translato, ejus, quoque solennis memoria veneratioque eodem commigravit. Ceterùm plura apud Treviros istic natæ Imperatricis argumenta in Annalibus ejusque Notis dedimus; ut frustra hanc sibi, vel Angli, vel Bithyni, aliive vendicarint hactenus, rerum Trevericarum nimium ignari. Romæ tamen Constantino præsente ultimum jam octogenaria diem clausit, & viâ Lavicana inter duas Laurus, exquisitâ funeris magnificentia prophyretico monumẽto condita est. Vide Remensibus denique in Gallia corpus, Trevirensibus Caroli IV. & Cunonis Archiep. industriâ caput obtigit, quorum illi, ut suam in Belgica secunda principem, hi etiam ut indigenam, utriq; ut sanctam venerantur. Tanti refert non sola generis, sed & virtutis nobilitate excelluisse; cùm illius memoria sine hac facilè evanescat.

Pagus hodie Uhren dictus natale quondam B. Helenæ solum.

Romæ moritur ac sepelitur magnificè.

Treviris colitur 18. Augusti, ubi caput possidẽt.

An. Chr. 328. & 329.

Constantinus M. in oriente Constãtinopolim. erigit.

Constantinus, Augusta Matre rebus humanis exemptâ, imperio per occidentem Galliasque inprimis rectè constituto filiisque demandato, ipse orientem animo, ac deinde & præsentia complexus, Byzantii ad amœnissimam Propontidis oram, Constantinopolim urbem, à se dictam, amplissimo opere impensisque erexit quo ex occidente nobilissimos procerum, atque à Treviris Honoratum Prætori præfectum evocavit. Visuntur hodiedum cusa id temporis Numismata Treviris, in quorum una facie galeata virgo sceptrum crucis instar manu sustinet, cum epigraphe CONSTANTINOPO-

LIS,

LIS. Facies oppoſita Victoriam alatam, manu clypeum prementem exhibet, ſubſcriptumque P. TR.

Inter hæc quoque Conſtantinus Juniori filio ſuo Conſtantino occidentem commiſit: utque facilior utriuſque imperii foret moderatio, quatuor ſuprema poſt Cæſares autoritate præfecit, qui civilem militaremque diſciplinam regerent, quos Præfectos Prætorio, more ab Auguſti temporibus derivato, nuncupavit, quibus dum Imperatori (ut frequens) adeſſent, Hyparchos ſeu Propræfectos ſubſtituit. Duo illorū orientis, totidemq; occidentis imperio dati. Horum alter Latium, Africam, & Illyricum, alter qui Galliarum erat, præter hanc, Hiſpaniam, Britanniam, utramque Belgicam & Germaniam Ripenſem ſui juris poſſidebat. Neque ab illius ſententia fas erat, vel ad Cæſarem, appellare. In publicum venienti imago, ſeu vultus præferebatur Auguſti, ut cujus autoritatem ſuſtineret, populus venerabundus agnoſceret: ſub quo mulier cornucopiæ amplexa imperii felicitatem oſtentabat. Carpento ferebatur aurato in quo ſella eburnea, à tergo per hemicyclum inflexa, ſedentem excipiebat, quaterniſque albi coloris equis provehebat. Quo vero tempore pro tribunali cauſas auditurus ſedebat, abacus tapete inſtratus Auguſtale in medio ſimulachrum ſuſtinebat, ante quod liber Mandatorum Principis, hinc atque inde ardentibus cereis illuſtratus, quæ omnia ad majeſtatem Cæſaris, ejuſque nomine jus dicentis, egregiè erant inſtituta.

An. 330. Conſtantinus Jun. occidentis imperio datus, & Præfecti Prætorio cū ſumma poſt Cæſares poteſtate conſtituti, qui civilia & militaria adminiſtrarent.

Eorum inſignia.

Porrò Trevirorum Auguſta, Præfectorum hac ſede illuſtris armorum ac theſaurorum occidentalis imperii plenam tutelam fuit adepta. Hic Tiberianus quondam, & poſt illum Titianus, eloquentiâ celebres, conſulari quoque trabeâ faſcibuſque inſignes, floruêre. Honoratus deinde ſub Conſtantino, ſed citra trabeam faſceſque, ante dictis uſus inſignibus, poſtque illum Ambroſius Sancti Mediolanenſium Antiſtitis Pater, Auſoniuſq; Gratiani præcepror, & Priſcilliani damnator Evodius, ſuâ Galliarum apud Treviros præfecturâ inclaruêre.

Trevirorum urbes ſedes præfectorum Gallicanorum.

Neque

Inter legiones limitibus præpositas Flaviæ illustres fuêre.

Neque impar illorum in militia autoritas, ad horum enim arbitrium Magistri militum, & legionum præfecti cuncta ad ministrabant, celebresque hoc tempore Flaviæ, sic à Constantini gente dictæ, legiones tres fuêre, prima dicta Fl. PACIS, altera Fl. VIRTUTIS, tertia Fl. SALUTIS. Quarum una apud Vangiones Rheni Limitem, altera Mosellæ apud Mediomatrices tutasse memoratur. Præfecti igitur fuit, cùm, civiles operas, palatinas annonas, annua stipendia; tum salaria, commeatus exercituum, operumque publicorum mercedes constituere atque erogare. Verbo Imperatoris personam atque autoritatem in officio sustinere.

A. C. 331. &c. Ethnicismo oppresso, hæresis Arriana invalescit.

Rebus igitur imperii sub hac disciplina constitutis, primus Constantini labor fuit latè adhuc florentem Idolorum cultum opprimere. quod ubi magna contentione ab ipso in oriente, à filio in occidente, sacris Christianorum surrogatis, factum esset, alias Dæmon insidias struxit. Siquidem, Arriana hæresis, licet Niceno concilio jam ante sexennium profligata; tamen invalescere illa rursum, Vocémq; ὁμοούσιον id est consubstantiale patri in filio cœpit aversari. Quorũ, post Arriũ, princeps Eusebius Nicomediensis Episcopus, historiâ suâ notus & Constantino familiaris; cum hujus aures occupasset, Athanasium Alexandrinum Episcopum fortissimè obnixum reliquamque Ecclesiam haud leviter afflixit. ut quamvis hic anno 335. in Synedrio Episcoporum Tyri, stupri in se derivatam infamiam ingeniosè non minus, quàm verè, dissimulatâ personâ expurgasset, cedendum nihilo minus vi ac furori hostium fuerit, Treviriscque exulandum. ubi tamen pro exilio patriam reperit, amicúmque, cùm Episcopum tùm filium Imperatorem; condiditque symbolum illud fidei, quod hodiedum Ecclesia sub ejus nomine de Sanctissima Triade recitat, ac veneratur.

Athanasius resistens Treviris exulat.

Ludi & spectacula Christianis prohibentur.

Religioni id quoque passim datum, ut ludi ac spectacula, quæ vel levitatis, vel crudelitatis plurimum

rimum continerent, Imperatoris Præsulumque mandatis tollerentur. Unde Arelatensi, cui Agritius interfuit, synodo sacrorum communione arcentur, quotquot vel Scenicos, vel Circenses ludos exercerent. Quanquam constet post hæc Treviros Circensibus non temperasse. Prætoris tamen edicto infames habiti, quotquot lucri gratiâ in Circum quadrigarii, vel histriones in scenam, aut in caveam arenarii prodiissent.

An. Chr. 335. Agricius 13. Jan. vita abit Maximino successore. *Sozom. l. 1. c. 5. Niceph. l. 8. c. 33.*

Post hæc & Silvester in sede Romana, & Agricius in Treverica, sanctitatis uterque fama celebris, mortalitate functus est. Hujus monumentum Sanmaximiniani sibi vendicant. Cujus locum *Maximinus* Aquitanus ejus disciplinâ formatus, non absque cælitum nutu, Quiriaci Presbyteri prædictione, adiit, integritatem haud minore studio æmulatus. eumque latè jam sub Agricio Mosellæ Rhenique accolas, & quotquot Celtarum nomine ad Oceanum Britannicum usque censentur suo Ecclesia Romana gremio collegisset, hos non modò fovit; sed egregio etiam Maximinus zelo promovit.

An. Chr. 337. Constantinus Mag. orthodoxus moritur.

Constantinus, verè Magnus haud multò post ad extremam vitæ decurrit lineam, perperam nonnullis de Arianismo suspectus, quòd in totius penè orientis Episcoporum ab erratione difficilè Imperatori, ad has minimè controversias, quæ de Sanctissima Trinitate agebantur, exercitato fuerit constituere, utra partium; minor ne, an major Christianorum veritatem tueretur? Contra unum Athanasium stetere penè omnes. Et quid pronius, quàm pluribus adsistere? Nihilominus deprehendisse invidiam fraudemque, nec Athanasium tanquam reum; sed pacis in oriente occupandæ gratiâ, in occidentem ad filium Constantinum ablegasse, omni honore excolendum, id ex Constantini Jun. literis quibus illum ad orientem, Ecclesiæque Alexandrinæ possessionem, remisit, non obscurè tenemus. Cum se humanissimè eundem esse complexum, omnique observantia Treviris excoluisse, atque ex voluntate optimi parentis remittere significet. Unde illa de puteo ad

Athanasius biennio Treviris amicè habitus restituitur. *Vide Apol. 2. Athan. & Anal. Trev. ad an. 338.*

S. Maxi-

S. Maximinum commenta, ubi sexennio latuisse fertur, ex orientali (per Rufinum exposita) ejusdem Anastasii fuga, malè ad hunc locum ab imperitis historiarum traducta, evanescunt. Et si fortè istic, ubi nunc cryptæ Maximinianæ, sæpius mutatæ, puteus extat, latuisset, nonnisi ad solitudinem ; ultrò exercitationibus sacris quæsitam (ut id temporis non infrequens) spectabit.

Ruf. l.10. Eccl. hist. c. 18. aliam fugam, puteique latebras recenset.

Constantinus Junior testamento Patris Galliam, Hispaniam, & Britannias ; Constantius orientem ; Constans Italiam, Africam, & Illyricum obtinuit ; Sed à patris virtute degeneres filii ; & mutuâ ambitione collisi. Et Constantinus quidem, ceu natu grandior, quz prius cum fratre Constante adversus Alemannos & Britannos gloriosè victor arma junxerat, nunc in eundem vertit ; sed insidiis apud Aquilejam clausus, vitam cum imperio amisit.

Iul. form. c. 12, & 30. Eutrop. l.10.

An.Chr. 340. Imperio inter filios diviso, & his bello collisis Constantinus occũbit, Constans victor occidentem totum obtinet, & Arrianis cum Maximino Episc. se opponit.

Constans subinde toto fretus occidente, Francos Galliam magnis exercitibus infestantes prælio fregit, legesque ex arbitrio in societatem admissis præscripsit ; sed in gente inquieta, non nisi ad proximam opportunitatem rebellandi, valituras. Arrianis quoque, fratris Constantii indulgentiâ, per orientem invalescentibus, cum Maximino Trev. Archiepisco, viriliter obnixus est. Ejecerant illi, cum Athanasio rursum, Paulum Constantinopolis Episcopum, qui ad Julium Rom. Pont. Clementemque & Maximinum profugi, in communionem recepti sunt. Unde Constante apud Fratrem evincente, Concilium Sardicense in Illyrico habitum, quo utriusq ; imperii Episcopi convenêre ubi Maximinus cum Martino Moguntinensi, & Euphrata Colonienſi, Athanasio & Paulo absoluto, Asiaticos frustra Philippopolim ad synedrion aliud profugos condemnarunt. Illi igitur restituti. Ex his Ursacius Singidonis, & Valens Mursæ Episcopus Julio sese Romano Pont. pro absolutione stitêre, Arrianos detestati. Euphrates autem cum Vincentio Capuæ Episcopo legati Antiochiam à Constante

Synodus Sardicensis.

ad fra-

ad fratrem abiere. ubi cum Stephanus Episcopus ad calumniam Euphratæ instruendam meretriculam in cubile dormientis nudam immisisset,& hæc ad senis conspectum reverentiamque attonita exclamánsq; facinus proderet, ille dignitate exutus est, hic Pauli Athanasiique restitutionem à Constantio impetravit. Qui, tum ut impium Arrianorum vindicaret facinus; tum ut fratris vim, devitaret, licet animo jam Arrianis devinctus, æquitati non est ausus refragari. Euphratæ tamen in fide constantia, ex Arrianorum consortio, labefactata, & in reduce notata, Maximini Trev. Archiep. studio, in collecta Agrippinensi synodo, cum eodem gradu moto, tempestivè damnata est, & suæ Ecclesiæ quies restituta. An. Chr. 328.

At Constantis interitus hanc rursus felicitatem evertit. Is enim ubi relictis Pannoniis in Gallias ad quietem revertisset, venatione otióque indulgens Magnentii Comitis Militum, inter Epulas pro Imperatore delecti, insidiis haud procul Pyrenæo monte occubuit. qui Decentio & Desiderio fratribus in consortium dignitatis assumptis hoc egit, ut Hispaniam & Gallias suæ faceret potestatis. cui Treviri Pœmenium Ducem, titulo Defensoris electum, S. Maximino primùm, deinde & Prætore approbante, oppositêrunt. Sed frustra Magnentius, Decentiúsque victores arma intulere: religionem tamen Catholicam professi, siquidem in numo Augustali istic cuso salutiferum Christi signum ☧ prætulêre, cum inscriptione SALUS DD. NN. AUG. ET CÆS. Ille etiam pro firmando per Constantii assensum imperio D. Maximinum in orientem ad Imp. ablegavit. Qui tamen irrito legationis consilio postquam Romæ Magnentio acta explicasset, cum B. Servatio in Aquitaniam deflexit,contracto morbo, illic ubi spiritum nascens hauserat, moriens deposuit. quem postea successor in cathedra Paulinus inde Treviros,non sine diversâ miraculorum per iter gloriâ, revexit atque intulit

An. Chr. 350. Magnentius Tyr. oppresso constante occidentem regit.

An. Chr. 351. S. Maximinus in legatione mortuus Trevirim transfertur per S. *Paulinum* successorem.

colitur 29. Maij.

intulit ædi B. Joannis Evangeliſtæ, quæ deinceps ipſo nomen tulit.

Diſcipulos præter D. Paulinum Aquitanum habuit Lubentium, qui ad Cuberinum municipium ablegati inferioris Moſellæ Rhenique ad Confluentes populu tum Loganæ haud procul ex Germania in Rhenu influentis accolas, ad fidem convertit, & egregiâ ſa ctitatis famâ defunctus, cum inter certantes de corpo populos, pro veterum more, flumini impoſitus fuiſſe adverſo Logana contra præcipitem alveum Dietel cam uſque aſcendit, atque iſtic receptus, inter confi hac ætate hæreticos, priſcâ veneratione obſervatur; genteâ naviculâ in facti memoriam aſſervatâ.

S. Lubentius Maximini diſcipulus apud Loganam, quem venerantur 13. Octob. quando obiiſſe fertur.

Alter diſcipulorum S. Caſtor Cardonam miſſus, Rh nicolas iſtic in limitaneo Romanorum caſtello ad p tatem verbo exemplóque inflammavit, qui & ibidem Confluentiæ veteri Canonicorum collegio, ad ſui m moriam relicto, honoratur, ac virtute miraculorum i clareſcit.

Alter S. Caſtor 13. Februarii colitur.

Tertius ex ejuſdem diſciplina B. Quiriacus. cujus baſilica D. Maximini, & Tabenæ ad Saram record cum ſanitatum gratiâ hodiedum, præcipuè ad 6. M tii, celebratur. Tam felici Sanctorum hominum p ventu D. Maximinus Trevirenſem agrum excoluit, q nec tellus, nec ætas omnis profert.

Tertius Quiriacus 6. Mar.

S. Paulinus jam cathedræ admotus, nil infra M ſtrum auſus eſt. Ab Arrianis fruſtra idem in part vocatus, antiquâ in religione ſtetit, ut omnis in hac vitas fugienda eſt. Illi, aſſentiente Conſtantio, Sirm um rurſus ſynodum indixerant, ubi cum Photinum e loci Epiſcopum nova de perſonis divinis comminiſce tem, unà cum Marcello ejus quondam Magiſtro, j damnaſſent, Athanaſium eidem damnationi perpet involvebant. Igitur actis ad conſignationem Paulin tranſmiſſis cautè ſubſcripſit: *Se Photini ac Marc damnationem probare: Athanaſii rejicere.* Qua re ha levem Arrianorum offenſionem, ſuo demum ſangv expiandam, incurrit.

Synodus Sirmienſis.

An. Chr. 351.

Conſtantius Magnentio Victo occidenti imperat.

Constantius enim, postquam atrocissimo in Pannonia prælio, ingenti utrimque strage edita profligasset Magnentium, & hic cum Decentio fratre spontanea desperati morte occubuissent, in Gallias sese transtulit, ac transactis Arelate hibernis, synodo istic primum, ac dein Mediolanū Galliarum Episcopos convenire jussit, & Athanasii damnationem probare. Inter hos ut Athanasius loquitur, *Paulinus Episcopus à Treviri (quæ Galliarum Metropolis est) Lucifer Metropolitanus Episcopus Sardiniæ, Eusebius Vercellis civitate Italiæ, Dionysius Mediolani, quod & ipsum est Italiæ Metropolis.* At hi *denuntiabant illi* (Constantio) *diem judicii, suadebantque, ne res Ecclesiæ corrumperet, neu sanctionibus Ecclesiasticis imperii Romani vim admisceret, neve Arrianam hæresin introduceret in Ecclesiam Dei. Verùm nec ille audiit, nec plura eos dicere permisit. Quin, ob hoc ipsum acriter minabundus, & gladium intentans, quosdam ex iis adduci jussit; sententiam suam, quam ante professus erat, Pharaonis ingenio revocat. Excusso igitur sancti pulvere, & oculis in Deum rejectis, nec Cæsaris quicquam minas verebantur, neq; ob strictos enses, veritatē non prodiderunt, & exilium veluti ministerii sui officium acceptârunt. & nihilominus, quanquam in vinculis essent, evangelizabant.* Hæc Athanasius. Cui Hilarius adversus Constantium addit. *Tu Paulinum beatæ passionis virum, blandimento sollicitatum relegasti, & Ecclesiam sanctam Trevirorum tali sacerdote spoliasti, edictis fidem terruisti, ipsum usque ad mortem demutasti exiliis, & fatigasti, extra Christianum quoque nomen relegasti, ne panem, aut de horreo tuo sumeret, aut de Montani Maximillæque antro profanatum exspectaret.* Post eosdem & Liberius Rom. Pont. in exilium à Constantio actus, successorem vivus Felicem Archidiaconum sustinuit, qui tamen in majorum religione nihil immutavit; quamquam Valens & Ursacius à professione quondam facta, ad Arrianos redierint. Sub hæc Imperator de

352. Synodus Arelatensis & Mediolanensis.

354.

355.

Athan. Epist. ad Solit.

Francis Alemanniſque quaquaverſum in Gallias irrum-
pentibus ſollicitus, poſtquam quadraginta facilè urbi-
bus occupatis vaſtitatem latè intuliſſent Pœmenio
An. Chr. 356. quoque Trev. defenſore cæſo, Julianum ex Conſtantio
patruelem Cæſarem appellavit, contraque hoſtes in
Galliam deſtinavit. qui philoſophiâ armiſque, quàm
religione melior, coacto in Sequanis exercitu, leviqu
contra Alemannos victoriâ fretus, per Treviros Colo
niam uſque progreſſus, hanc, & quidquid medium eſt,
Julianus cæſar aſſumptus S. Martinum ægrè dimittit. à Francorum jugo vendicavit. Quâ in militiâ, cum S
Martinus Deo militaturus, à Juliano donativa in ſuo
tribuente, his recuſatis, miſſionem peteret, idque timo
ris causâ ob ſequentis diei imminentem pugnam Im
perator factum interpretaretur; ac Martinus reponere
in prima ſeſe etiam acie licet inermem, contra hoſtes
iturum, addixit Julianus: verùm hoſtibus altera ſe luc
citra pugnam dedentibus Martinus hoc periculum d
ſcuſſit, ac ſuis deinde apud Treviros beneficiis innotu
Julianus Francis utcunque compoſitis, ad Senonas h
Nobili victoria ad Rhenum contra Alemannos potitur. bernatum conceſſit, ac ſubinde Alemannos, ſub Cho
nodomario haud procul Argentorato Rheni ad ripā ag
greſſus tantâ clade cæcidit; ut Sextus Aurelius dicat: *Stu-*
In Conſtant. *bant cæſorum acervi, montium ſimiles, fluebat cruor fo-*
minum modo. captus Rex nobilis Chonodomarius, fuſi om-
nes Optimates, redditus limes Romanæ poſſeſſionis. & Au
ſonius hunc fortè locum deſcripturus canat:

In Moſel. *Æquavit Latias, ubi quondam Gallia, Cannas.*

Edyl. Interea D. Paulinus Trev. Archiep. variis exilii ærum-
An. Chr. 358. nis, quanquam ad barbarorum ſalutem cedentibus, a
S. Paulinus pro fide exul ac denique Martyr. denique illata, ut ferunt, morte, confectus eſt. Cujus in
tumuli, in dicata eidem S. æde, hæc inſcriptio eſt: *Anno*
III. *Imp. Conſtantii* (nempe per occidentem) *a*
catholicam fidem extra Chriſtianum nomen relegatus
& uſque ad mortem exilia mutando fatigatus, Phry-
** Micaonibus.* *gibus & Miconibus * prædicavit, & fractis Diis gentilium*
Eccleſias fundavit. At ultimum apud Phrygiam multis
tormentorum generibus exquiſitus, capite cæſus eſt II. C
Sep

Sept. anno CCXCV. * *incarnati verbi, & miraculis magnificè clarificatus à S. Felice Trevirim ex Phrygia translatus. Cujus gratiam & interceſſionem, Martyrum quoque ſub Rictiovaro* (paſſorum) *gloriam & coronam fidelium populus hic adorat, & voti compos veniam exorat.*

* *Error ex Commente. Reginoni præfixo hæſit pro anno* CCCLVIII.

Fornix cryptæ Muſivi operis hos decuſſatim verſus ſub PAULINI nominis literis exhibet. Quibus Martyres Treverici, illi juncti ſignantur.

Quam bene Pontifici Dux Patriciuſque cohærent!
Gallica Palmatius, Thebæa dat agmina Thyrſus,
Ducit uterque ſuos, & ducit utrumque Sacerdos.

S. Bonosivs, ſeu Bonosvs in exulis locum ſucceſſit, minus tamen rerum à ſe geſtarum, ut & plures ex poſteris, celebratus, ſive publicis ſe ingerendi occaſio, ſive ſcriptores etiam defuerint, quamvis ſanctitatis ad poſteros exiſtimationem non pauci tranſmiſerint, quod niſi quem virtus explorata probaſſet, epiſcopale pedum, rarus adiret.

S. Bonoſius D. Paulino in Archiep. ſubſtituitur.

Francorum in hoc tempus primordia illorum cadunt, quos Salios, ſive à flumine Sala, ſive ab Iſala, aut etiam ſaliendo dixerunt, hi à Rheno ad Tungros uſque effuſi, & nondum firmi ſatis, haud multò opere à Juliano in poteſtatem redacti ſunt, limitaneæque ad Rhenum urbes, ut Bingium, Antonacum, * Bonna, Noveſium (uti & annis ſuperioribus Colonia Ubiorum) Romanorum obſequio reſtitutæ. Valuitque ad hæc Chariettonis latrociniis primò, ac deinde juſto bello exercita apud Treviros virtus, qui non inutilem Romanis adverſus Germanos operam commodavit.

Franci Salii innoteſcunt.

* Andernacum modò.

Conſtantio inter hæc curæ erat Occidentem totum Arrianiſmo addicere. Ergo indicto Arimini in Italia, & Seleuciæ in Iſauria conciliis, hîc orientales, iſtic occidentales Epiſcopos, quâ vi, quâ dolo ad ſubſcribendum coëgit, articulis orthodoxis, ſi una de Chriſto vox ὁμοούσιος præterita non fuiſſet. Liberius igitur Pontifex, cum nihil fidei diſſonum appareret, ad ſubſcriben-

An. Chr. 359. Ariminenſe Concilium & Seleucianum à Conſtantio in perverſionē Catholicorū inſtitutum.

dum inductus, in sedem, Felice schismatico amato, Constantio reponitur. Sed Hilarius Pictavorum Episcopus Seleuciæ (quò ad Synodum ab exilio admissus fuerat) constanter obnisus, approbationem respuit & Constantinopolim profectus, cum occidentalium lapsui indoleret, Imperatori se ad disceptandum de veritate cum Adversariis palam obtulit: verùm rejectus, in Galliam per Illyricum & Italiam abiit, diversisq; cùm synodis, tum Epistolis, Ariminensis conciliabuli ab Episcopis damnationem, pœnitentiamque subscribentium extorquere conatus est: obtinuitque, ut errorem retractarent alii, pertinaciores etiam suis Episcopatibus moverentur. Ita duo Ecclesiæ lumina orientis Athanasius, & Hilarius occidentis nullis involvi errorum tenebris potuêre. ut in communi tempestate sua jactatæ Petri naviculæ sidera ad spem salutis supereſſent.

S. Hilarius Zelator veritatis plerosque Episcoporum reducit.

Julianum subinde Parisiis hibernantem miles Imperator salutat, qui honorem specie recusantis acceptum excusare apud Constantium frustra conatus est; mors tamen Constantii, dum bellum molitur, orientis quoque imperium Juliano adjecit, virtute jam bellica utrobique illustri. Quam ejus gloriam turpis ad idolomaniam apostasia fœdavit; quanquam exules orthodoxorum Episcopos, suis revocatos Ecclesiis redderet: ut una rem Christianam vulnerare manu, alterâ sanare rursum videretur.

Julianus Imperator à milite salutatus idololatriam profitetur; sed contra Christo ultore, occumbit.

An. Chr. 360. Ita mirum in occidente fuit, Eusebium in Italia, & in GalliaHilariũ omnia pristinæ religionis reparare decora, & Ariminensi concilio deceptos cum LiberioPapa palinodiam canere, neq; Synodi verba occultato Arrianismi sensu probare: simul tamen detrectantes inLeucis idolatricum obsequiũ per ministros Constantii, SS. Eucharii, Eliphium, Libariam, Susannam, Memiam, Odam, & Gertrudem victimas fidei occumbere. jussu ut videtur Salustii, Prætorio Galliarum præfecti, hominis pagani. Ferunt Eucharium Episcopum resectum apud Mosel

Mosellam sibi caput excepisse manibus, atque in collem Liberdunensis castri sustulisse, Memoriam Martyrum Ecclesia Tullensis ad 27. Octob. retulit. Eliphii, qui 17. Cal. Nov. cecidit, Reliquiæ Coloniam ad S. Martini cœnobium translatæ, cælestibus ibidem signis ornantur. 362.

Interea Julianus in oriente honorificè exceptus, dum apparatum in Persas bellum ardentiùs prosequitur, jurato in Deorum gratiam Christiani nominis excidio, lancea ignoti militis in ipso ardore pugnæ confectus, ceu manum Christi agnoscens, exclamasse fertur. *vicisti, Galilæe, vicisti* infelicemque cum his vocibus animam ejecisse. Cui Jovinianus per menses octo, atque hoc inter conatus restituendæ religionis vita functo, Valentinianus ejusdem pietatis laude successit: quam fratris Valentis Arrianorum fautoris ad Orientale sceptrum temerè admissi, impietas fœdavit. Ita nec suum hæresi defit patrocinium. Valentinianus præcipuam imperii sedem delegit Treviros, tum amœnitate loci ad Saravi & Mosellæ confluentes siti, tum opportunitate ad tuendos imperii limites, Francósque & Alemannos, identidem Galliam, præsertim glaciatis hieme fluminibus, incursantes, vi armatâ propulsandos. Et quidem Charietto, utriusque Germaniæ Comes, adversum hos missus atque in acie cum suis occumbens latè ad Treviros Leucosque usque grassantibus viam fecit. donec Fl. Valens Jovinus equitum Magister, apud Scarponam Lotharingorum, Tullum inter ac Divodurum cæsis ad internecionem viros viresque sustulit, & aliis deinde locis præliisque fractis insistens, præmium victoriæ consulatum Rom. adeptus est. Dum hæc agerentur, Valentinianus, Ambrani morbo detentus, consilium militibus de Rustico vel Severo Imperatore eligendo injecit. Unde firmior jam Valentinianus Gratianum filium penè adhuc puerum, in plena militum concione, non, ut olim, Cæsarem, sed Augustum repentè dignis excultum ornamentis renuntiari fecit. Utque ad militaria pericula duraret animum, gravissimæ, quam ducebat 363.

Jovinianus ac mox Valentinianus orthodoxi in imperio successêre, sed hic in oriente fratrem Valentem Arrii fautorem malè admisit. ipse Treviris subsistens. 366.

An. Chr. 367. Gratianus à patre Val. consors imperii legitus

cebat contra Alemannos, qui Moguntiam recens Christianis magno numero interceptis exciderant, adesse

368. expeditioni volebat. Rheno igitur transmisso, hoste nusquam comparente, latè omnia ad Nicrum usque progressus vastat, ubi cum Lupoduni * insidere hostes montem comperit, quamvis accessu difficilem, partitis tamen legionibus, aliisque aditus perrumpentibus, aliis sepientibus abitus, non nisi cum ingenti hostium strage, & suorum victoriâ, prædis gloriâque locupletem militem Treviros reduxit, ac Triumphali ibidem arcu, cujus hodiedum ad Mosellam vestigia, quamvis variorum ædificiis exhausta, visuntur, magnificè unà cum filio Gratiano ovans exceptus est. Quod delectus nuper in Gratiani & Valentiniani Jun. præceptorem, ex Burdigalensi cathedra Ausonius Rhetor, minimè conticuit, de laudibus Mosellæ

* *Lobodunæ in Ladeburgo juxta Nicrum.*

Valent. & Gratianus Impp. Treviris victores triumphant.

——— — — Nec præmia in undis
Sola, sed Augustæ veniens quod mœnibus urbis
Spectavit junctos natique patrisque triumphos,
Hostibus exactis Nicrum super & Lupodunum,
Et fontem Latiis ignotum Annalibus Histri.

Inde Valentinianus præsidiis etiam ultra Rhenum translatis, totum à Rhætis Alpibúsque flumen, usque ad

369. oceanum borealem, castellis munimentisque firmavit, exercitu pro securitate Galliæ per hæc loca aucto distributoque, unde numi Valentiniano inscripti ac Treviris cusi extant, cum titulo REPARATI EXERCITUS, vel SECURITATIS REIPUBLICÆ. Auxit præterea magnificis passim urbis dignitatem, quá ædificiis & officinis, quá muniis officiisq;. Hinc alia fabrica Scutariorum, alia Balistariorum, quæ arma machinasq; bellicas conficiebant; alia Branbaricariorum, sive Argentariorum, quæ & monetas, & vasa argentea aureaque, sive arma etiam, cudebat. à qua tamen officina armorum diversa erat, denique fabrica Gynæciorum, seu vestiaria, quæ, & pro castris, & pro aula Imperatoris, militum

Ab Alpibus ad Oceanum usque Rhenus Germaniam versus munimentis firmatur.

Variæ fabricæ & officinæ apud Tevriros eriguntur.

militum aulicorumque utriusque sexus vestes, vela, tentoria, stragula procurabat, tingendæ etiam lanæ purpuræque dabat operam. Unde Procuratores Monetæ Trev. Præpositus thesauri Trebirorum, sive Branbacariorum Trebirensium, Procuratores Gynæciorum in variis inscriptionibus quondam usurpati. Alia etiam Ausonius ædificiorum genera carmine est complexus:

In laud. Mosel.

Quis potis, innumeros cultusque habitusque retexens
Pandere tectonicas per singula prædia formas?
Non hoc spernat opus Gortynius aliger (a) *ædis*
Conditor Euboicæ. . Irrumpit in æthera tecto
Ostentans altam, Pharos ut Memphitica, turrim.
Quid? quod sulphurea sub structa crepidine fumant
Balnea, ferventi cum Mulciber haustus operto
Volvit anhelatas tectoria per cava flammas,
Inclusum glomerans æstu exspirante vaporem?

(a) *Dædalus* Turris noctiluca in ponte Mosellæ.

Calidæ thermæ, quales S. Bertrici.

Multas quoque Treviris Sanctiones, ut est illa L. 8. C. tit. 8. *Die solis qui dudum faustus habetur, neminem Christianum ab Actoribus volumus conveniri. Datũ XI. Cal. May Trev. Valentiniano & Valente AA. Coss.* anno videlicet 365. Ita C. Theod. lib. 9. tit. 19. jubet communibus omnia mandari literis, quæ de provincia scribuntur: ut tantò facilius, quæ privatis irrepunt falsa vitentur, quinto Id. Jun. Trev. anno 367. Rursum. C. Theod. lib. 7. tit 20. Præpositos diversorum operũ vetat his frui privilegiis, quæ Palatinis militaribusque tribuuntur, nisi & his quondam muneribus sint functi 3. Cal. Jan. Tr. anno 369. Denique C. l. 12. c. 1. Sacerdotio & Principalis aut Comitis honore fretis immunitatem concedit, eximitque ab oneribus & pœnis servilibus 4. Cal. Jul. Trev. anno 371.

Leges Trev. latæ.

Per hoc tempus Galliarum Episcopos Damasus Pont. Romam evocavit, Auxentiumque Mediolanenses Arriana hæresi corrumpentem damnavit. Burgundiones verò Trans-Rhenum incolentes, Romanis & armis & animis

Galliæ Episcopi ad synodum Rom. evocati.

 An. Chr. 370.

Oros. l. 7. c. 32. animis contra Alemannos sociati, fidem Christianam quoque à nostris instructi Sacerdotibus admiserunt; ut alibi Diaboli, alibi Christi regnum propagari videretur. Constantiam tamen in fide tam Romanis quam Deo præstitam defuisse, inferiùs constabit.

Burgundiones in Alsatia Christi fidē amplexi.

Valentinianus inter hæc Saxones, à Germanici Oceani litoribus Belgicam secundam immisso exercitu infestantes, per Severum Magistrum peditum, Nanneno Comiti submissum, gravi clade multavit, quando intercepto reditu, omnes internecione mactavit. Orosius in Francorum scribit finibus oppressos.

Saxones Belgicæ infesti vincuntur.

Quo tempore D. Hieronymus in Galliam Treverimque, omnibus artibus florentissimam, adolescens pervenit, ubi B. Hilarii librum de Synodis repertum propria manu descripsisse se memorat, miratumque Scotos ex Britannia gentem barbaram humanis in cibo carnibus delectatos: linguamq; Celtarum, præter Latiam, hic reperit; quam postea Galatas in Asia Pontoque usurpare, ceu origine hinc ducta, notavit.

Lib. 2. contra Iovin.

An. Chr. 371. D. Hieronymus Treviri in studiis agit.

Porrò Valentinianus, post Saxones Alemannosque iterato armorum terrore compositos, Treviris pacis artibus indulsit, pictoriamque ac plasticen, ipse etiam admotâ manu, inprimis excoluit, ejusque professores à tributis oneribusq; publicis, cum totâ familiâ, eximios habuit. Cupidinis eo tempore per heroicas mulieres crucifixi imaginem datam Ausonius meminit, ut si in hoc Deastro ardoris incestuosi crimen punirent. Quâ etiam ætate S. Martinus Turone ad Imperatorem Trevirim negotiorum causâ appulit; sed cum Justina uxor Arriana illius à viro Dei avertisset animum, ideóque spe accedendi fraudaretur, ad preces conversus, Angelique fretus monitu, palatium intrat, rectáque, portis viisque ubique patentibus, Valentiniani affatum petit. qui indignatus venienti, cum assurgere noluisset, erumpens è regia sella ignis nolentem sede ejecit. quo prodigio consternatus, obviis illum amplexibus excipit, ultróque, nec postulanti, quæcunque vellet indulsit, sæpius

An. Chr. 374. Pictoria Treviris privilegiis ornata.

Cod. l. 13. t. 4. Edyl. l. 6. Greg.

pius etiam, ac familiariter mensæ adhibitum, honore muneribusq; delatis excoluit. quamvis ea tam constanter Martinus rejiceret, quàm Imperator liberaliter deferret. adeò facilè est Superis obstinatos Regum animos inflectere: quod *corda Regum sint in manu Dei.*

Anno insequenti, Gratiano Treviris relicto, adversus rebelles Sarmatas cum exercitu Illyricum adiit. Cumque istic Quadi nuper refractarii, atque à Theodosio adolescente (cujus Pater Britannos Afrosque victor sub auspiciis Valentiniani fregerat) sub jugum missi, defectionis suæ crimen improbè purgarent, Imperator irarum furorisque plenus, indignantem, justè quidem sed immoderatius, animam cum bile profudit. aculeatæ apis instar, quæ dum alios ardenter ferit, ipsa aculeo cum vita amisso interit. Corpus, si publicis literis fides, Constantinopolim delatum, Malim tamen à Gratiano repetitum, & Andernaci ad Rhenum inferiorem conditum, ubi vel ipsius, vel certè filii Valentiniani cadaver depositum esse, vetus in plumbea lamina inscriptio testatur. Hujus verò exuvias cum Mediolano intulisse D. Ambrosius Theodosii jussu sese asserat: nisi fortè partiamur, de illo erit concedendum, filiique illud in parentem obsequiis tribuendum.

375.

Valentinianus in Illyrico moriens Gratiano imperium Occid. reliquit ipsius corpus Andernaci repertum.

Epist. 34. ad Theod.

Divisum sub hæc occidentis imperium, quod militum favore Valentiniano Jun. licet quadrienni Italia, Illyricum, & Africa, prisca divisione, Constantini Mag. oblata sit, Gratiano in Galliis, Belgicaque, Hispania ac Britannia imperante. unde ut hic Treviris, sic remp. illic bonis legibus disciplinisque liberalibus ornandam suscepit. Ausoniumque præceptorem suum, à quæstura ad præfecturam Prætorii Galliarum, atque ex hoc denique gradu ad Consulatum Rom. cum Olybrio Romanæ Urbis præfecto, extulit. ut cui velut alteri parenti, omnia deferret; & *solvere se diceret, quod debuisset, & adhuc debere, quod solvisset*, gratitudine in paucis, erga Instructores suos in liberalibus artibus, memoranda. Porrò voluit hæc beneficia pervenire ad plures unde

Valentinianus Junior in Italia & Afr. imperat. An. Chr. 376.

Ausonius à Gratiano Præfectus & Consul factus.

Auson. in gratiarum act. pro consulatu.

unde illius ad Præfectum Ausonium mandatum extat: *Per omnem diœceſin commiſſam Magnificentiæ tuæ frequentiſſimis in civitatibus, quæ pollent & eminent claritudine Præceptorum optimi quique erudiendæ præſideant juventuti, Rhetores loquimur & Grammaticos, Atticæ Romanæque doctrinæ. Quorum Oratoribus XXIV. annonarum è fiſco emolumenta donentur. Grammaticis Latinis, vel Græcis, XII. annonarum deductior paulò numerus, ex more præſtetur; ut ſingulis urbibus, quæ metropoles nuncupantur, nobilium Profeſſorum electio celebretur. Trevirorum verò clariſſimæ civitati uberius aliquid putavimus deferendum; Rhetori ut XXX. item XX Grammatico Latino; Græco etiam, ſiqui dignus reperiri potuerit XII. præbeantur annonæ. Datum X. Cal Iun. Valente V. & Valentiniano AA. Coſſ.* hoc eſt anno 376. Eſt autem annona alimentum annuum unius hominis. Unde intelligas, quàm copiosè per universam Belgicam Veſontione, Auguſtoduni, Narbonæ, Toloſæ, Burdegalæ, Arvernæ, Lugduni, inprimiſque Treviris harum Profeſſoribus literarum proſpectum fuerit. Non igitur mirum, quod D. Hieronymus Ruſtico ſcribat: *Mater poſt ſtudia Galliarum, quæ florentiſſima ſunt, miſit te Romam; ut ubertatem nitoremque Gallici ſermonis gravitas Romana condiret.*

In Cod. Theod. ubi aliquimendosè Antonium legunt.

Liberalium artium promotor fautorque Gratianus, lauta aſſignat Profeſſoribus ſtipendia.

An. Chr. 378. Valens interea patruus hæreſeos Arrianæ per orientem improbus defenſor, poſtquam 80. Epiſcoporum unâ nave collectos flammis undiſque abſumpſerat, ne quid membra ſine capite poſſent, & ipſe tandem ad pœnam vocatus eſt. Gothis, Hunnorum vi pulſis, ultro ſedem in Thracia ceſſerat, qui Maximi & Lupicini Romanorum Ducum avaritiâ exaſperati, his aliiſque occiſis, etiam Illyricum victores occupabant, contra quos, dum Gratianus ex occidente, Valens ex oriente copias ducunt, præcipiti hic ſeſe conſilio ſolus objicit, clademque Cannenſi haud inferiorem accipit, ipſe Imperator graviſſimè ſaucius, vilíque illatus tugurio, cum eodem flammis abſumptus eſt, rogum meritus, quem in noxiis

Valens in oriente perſecutor Epiſcoporum, ipſe victus dat pœnas, Gratiano fruſtra ſuccurente.

An. Chr. 379.

quon-

quondam instruxerat. Gratianus igitur relicta Gothis quibus impar id temporis erat Thracia, rebusq; Sirmii, per Illyricum, ut potuit constitutis, Theodosium Hispanicæ gentis strenuumque bello juvenem imperii consortem legit. Orientisque adversus barbaros defensorem reliquit. Ipse Treviros reversus, ut Gallias à barbarorum incursione tueretur, magnâ omnium gratulatione, imprimisque Ausonii publicâ, quæ extat, oratione applaudentis, gratiasque referentis, exceptus est.

Socrates l. 5. c. 1.

Gratianus Theodosiũ consortem imperii legit & Orienti præficit.

Cum verò Theodosium attineri morbo cognovisset, Baudonem & Arbogastem genere Francos, militari laude claros, contra Gothos destinat, qui in Macedonia Thessaliáque palantes, prædâ exutos, repulêre in Thraciam. Uti Vitalianus submissus, Achajâ Pannoniáque illos expulit, suppliceſque ad pacem inflexit. Interea Gratianus occidenti in obsequio retinendo advigilans, Treviris ad commerciorum fructum studiumque augendum, concessam olim Navicularíis prærogativam nobilitatis novo decreto firmavit. *Delatam*, inquit, *vobis à D. Constantino & Iuliano, Principibus æternis, equestris ordinis dignitatem nos firmamus. Quod verò ad negotiationis commodum, advehendasque merces spectat, in eo sollers cura competentium Iudicum providebit, ut obtentu nominis vestri, non passim, ac sine consideratione, negotiatorum lateat immunitas, nec ipsi dudum delati beneficii privilegiis fructaque fraudemini. Datum 8. cal. Febr. Gratiano V. & Theodosio I. Coss.* Anno Christi 380.

380.

Reversus Treviros exercitu contra Gothos missos, eosdem reprimit.

Navicularii equestri ordini adscripti Treviris.

Gnosticorum hoc tempore fœda hæresis Priscilliano Abilæ Episcopo authore nata est, quæ animas ejusdem cum Deo naturæ, per septem cœlos gradatim ad suum redire autorem dictitabant; corpus carnemque à dæmone rati, suas illi cupiditates, inter nocturna mulierum conventicula, pro oratione instituta, ceu præclarum hujus fructum, indulgebant. Horum in Hispania Præsules Gratiani decreto suis Episcopatibus excluſi, Romam ad Damasum, Mediolanum ad Ambrosium profecti supplices

Sev. Sulp. lib. 2. sacr. histor.

381.

Priscilliano autore Gnosticorum hæresis invalescit.

plices, rejectique, tandem corrupto Macedonio Magistro officiorum, in aula Gratiani remedium, tanquam ab hasta Peliæ, istic repererunt, ubi vulnus acceperant, Priscilliani, ut ferunt, in suadendo vis ingens, sed pecuniæ major fuit. In Hispaniam cum suis, ad Episcopatus rediit; non levi religionis istic afflictæ detrimento. Cui frustra deinde Gregorius Prætorii Galliarum præfectus, quod Hispaniarum præfecto causa esset commissa, inter corruptos aulæ ministros, apud Gratianum opem requisivit.

An. Chr. 382. Ludis Circensibus Gratianus vacans à Maximo invaditur imperioque ac vita spoliatur.

Et Imperator quidem licet vini Veneriisque abstinens, tamen otii & Circensium ludorum, Procerum ductu, indulgentior, dum his animum laxat, contra illum Fl. Clemens Maximus Hispanus Britanniis præfectus, & Theodosii sibi præhabiti invidiâ succensus, postquam Augusti nomen à milite delatum admisisset, in Gallias repentè irrupit. Cui Gratianus, re improvisa vehementer consternatus, cùm Alanorum copias auxiliares objecisset, veterani popularesque, injuriam hanc suam interpretati, ad Maximum transierunt, ut proinde Gratianus Treviris profugiens, quæsito frustra auxilio, per Andragatium percussorem submissum Lugduni anno 383. ceciderit: optimique principis casum boni omnes deploraverint. Ita eodem sæpe virtus, quo vitium, in hac vita, exitu clauditur, quamvis longè diverso post hanc vitam terminetur.

Bonosus Archiep. moritur. Ejus memoria 17. Febr. colitur. Britonius succedit.

Treviri inter hæc suum amisere Præsulem, solitariæ ut apparet vitæ, quàm publicæ amantiorem, cujus in D. Paulini æde, sub ara S. Clementis, hæc monumenti inscriptio relicta est. *Hic situs est bonæ memoriæ Bonosus Trev. Archiepisc. cujus ab hoc mundo transitus* XIII. *cal. Mart. celebratur.* Est verò à Bonoso, qui hoc tempore Luciferianis adhæsit, ideóque à Maximo Imp. Carceri inclusus fuit, separandus; ne, ut nominum, sic rerum confusio inferatur.

Theodor. l. 5 c. 9.

Britonium seu *Britannium*, vel ut nonnulli eundem dicunt *Veteranium* habuit successorem, quem cum Galliarum

liarum Episcopis Damasus Romã hoc anno, ad confirmationem Niceni Concilii hæresumque ceterarum damnationem evocavit, proximus à Damaso & Ambrosio censetur. Idem, cùm Ithacium Hispaniarum Antistitem Priscillianistæ, ut sibi adversantem, ad Præfectum Hispaniæ (quo benevolo utebantur) retractum vellent, suâ sese authoritate defensorem opposuit, neque seculari illum potestati, ad quam hæretici confugiebant, judicandum indulsit.

383. Maximus Tyrannus pro religione zelati, contra Luciferianos.

Maximus, sublato Gratiano, tyrannidem auspicatus Treviris quoque consedit, utque rem Catholicam civilemque juxta stabiliret, seque Romanis hac lege probaret. Luciferiani sese schismatis fautoribus objecit, qui Luciferi Calaritani Zelum consectati, Ariminensis Concilii approbatores ad pœnitentiam nolebant recipi, ideóque per Galliam suis hos Episcopos sedibus eliminabant. Unde horum Maximus insolentiâ repressâ, sic postmodum ad Siricium Pont. scripsit: *Id nobis animi & voluntatis esse profitemur, ut fides Catholica, procul omni dissensione submotâ, concordantibus universis Sacerdotibus, & unanimiter Deo servientibus, illæsa & inviolabilis perseveret.* Magistratus tamen plerósque loco movit, sibique devinctos substituit. Valentinianus igitur cum matre Justina, rerum suarum in Italia satagens, D. Ambrosium Legatum Treviros ad Tyrannum, tum pacis firmandæ gratiâ, tum Gratiani fratris corpus postulaturum destinat. Cui pacem quidem concedit Maximus, oportuisse, tamen Valentinianum, tanquam ad patrem filium, accedere contendit. Quem Ambrosius per ætatem excusat alpiumque frigora, quanquam non ignorabat peti à lupo ovem. Sed dimissus, negato Gratiani corpore, Vere ejusdem impetrandi gratia revertit: At Tyrannus formidans, ne *mortuum tueretur miles, quem viventem deseruisset*, postulata recusabat: Ambrosium quoque, nisi in publico secularium procerum consessu, licet obnitentem, non admisit. Unde cum hic interrita oratione

Tom. 1. Epist. Rom. Pont.

Epist. D. Ambr. 27. typis Paris.

An. Chr. 384. D. Ambrosius pro pace & Gratiani corpore ab Imp. Valentiniano legatur; sed offendit & offensus est.

Tyran-

Tyrannum perstringeret diceretque: *quid eum mortuum times, quem occidisti, cum posses reservare?* isque se negaret mandasse Gratiani necem: *poteritne* inquit, *credi, quod ei non inviderit vitam, cui etiam sepulturam invides?* Imperator se deliberaturum asseruit. Ita discedens ab aula Ambrosius, cùm Ithacium intelligeret apud Maximum pro opprimendis in Hispania Priscillianistis agere, indignatusque ad Seculare tribunal causam traduci Ecclesiasticam. Communione illius sociorumque abstineret: migrare eum quantocyus Tyrannus jussit; at ille vicissim excommunicationis fulmen in Maximum, tanquam innoxii reum sangvinis, atque impœnitentem strinxit.

Noluit communicare cum Episcopis tribunal Imperatoris sequentibus.

Aug. lib. 8. Conf. c. 6. Augustinum ex historia Trevirensiũ aulicorum mutatum reperit.

Ambrosius Italiæ redditus, Augustinum Mediolani docentem, ex Potitiani aulici consuetudine mirificè reperit immutatum. Is enim quondam Treviris in aula Gratiani versatus, cum exposuisset, quemadmodum duo collegæ secum ad vicinos egressi hortos, paulumque à se ad cryptam eremiticam divertentes, ex lecta S. Antonii vita adeò repenti mutati sint; ut relicta aula, thalamisque sponsarum neglectis, Christo se addixissent, at mox sponsæ idem fuerint secutæ exemplum: ita subito imitandi ardore exarsit, ut & ipse ruptis mundi vinculis Christum sequi decreverit, lumenque illud Christianæ sapientiæ Ecclesiæ intulerit, quo etiamnum clarissima effulgescit. Tantum una divini amoris scintilla valet ad ingens, in glaciata licet vitiis mente, excitandũ incendium. Ex quo colligas jam tum apud Treviros, vel Agrætii vel Athanasii, huc etiam vitam S. Antonii transferentis, consilio viguisse utriusq; sexus monasticæ vitæ cultores, priusquam ex D. Benedicti instituto florentissima quatuor monasteria emergerent.

Monasticæ vitæ cultores olim Treviris.

An. Chr. 385. Priscillianistæ hæretici, à Maximo premuntur.

Interea Maximus, tum colligendis, per fas nefasque in bellum, quod sibi imminere videbat, intentus pecuniis; tum Priscillianistis ad Ecclesiæ obsequium redeundis incumbens, Burdegalæ in Synodo omnes comparere jussit. ubi cum per Idacium Ithaciumque Episco-

po

pos se premi viderent, ad Maximum Priscillianus appellat, quem accusatores malè consecuti, cum seculari rem Ecclesiasticam judicio permitterent, S. Martinus ex Gallia Turonum Episcopus Treviris adfuit, utque magnâ authoritate apud Maximum valebat, Tyrannum ab hac cognitione abstraxit, miraculisque suam etjam authoritatem firmavit. quando, & paralyticam desperatè langventem, & Tetradii proconsulis, licet ethnici adhuc, servum atrocissimè ab insessore Dæmone vexatum, cum Domini totiusque familiæ ad Christum conversione, restituit. Qua re orthodoxæ fidei adversus Gentiles hæreticosque haud leve momentum æstimationis accessit, & hodiedum B. Martini Ecclesia, quam Patres Benedictini obtinent; supereſt Tetradii beneficentiæ monumentum.

S. Martinus Antipriscilliani stas etiam respuit ob tribunal seculare.

Miracula Trev. perpetrat.

Martino postea vix ad suos digresso, Magnus Rufusque Episcopi rursum impulêre Maximum, ut Evodio Galliarum Præfecto severo acriqúe Judici Priscillianum sociosque examinandos plectendosque committeret, qui plerósque capitis damnatos gladio (quod S. Martinus dissuaserat) subjecit, nonnullos jussit deportari in exilium. verum hoc sangvine licet pessimorum malè fuso, hæresis non tam extincta, quam velut oleo inflammata est; cum occisos Martyrum loco haberet, feminæque juxta ac viri ad par supplicium rapti miseratiohem suspicione innocentiæ cierent. Jamque Tribuni in Hispanias destinabantur ad supplicia (an dicam flagitia?) paria forte, etiam per insontium damnationem, regium fiscum illatis possessionibus ditaturi. Cum opportunè se iterum Martinus Trevirim, deprecaturus Maximum, intulit, mensæque Imperatoris adhibitus est, ac primo cultus honore, oblatum ante omnes sibi ad potum craterem, quem ab eo Maximus expectabat, suo ille presbytero, ut digniori, exhibuit. Quod, licet spretus, Imperator Sacerdotii præhabiti veneratione, factum probavit. Martino tamen nisi cum ceteris Episcoporum communicaret, postulata constanter negavit:

Sev. Sulp. in vita S. Mart. c. 15. &c. 386.

Priscilliani stæ à Maximo adjudicantur plerique morti.

D. Martinus, ut cædem quorundam impediret, Antipriscilliani stis non recte communicat.

vit: unde ut multorum parceretur sangvini, aliorum miseratione potius, quàm sua voluntate eorum synodo accessit, cui & *Felix* Trevirorum Archiepiscopus, qui Britonii jam recens tertio Nonas Maii cum sanctitatis fama defuncti sedem adierat, interfuisse Methodius est, Induci tamen ut actis subscriberet D. Martinus non potuit, justéque postea, etiam Angelo factum improbante, doluit, vel sola communione illius synedrii se fuisse pollutum. Adeò ingratum Deo est Ecclesiastica seculari potestate tractari, quam in lege veteri igne etiam vindice est persecutus.

Marian. Scot. l.2. at.6. S. Britonio Arch. defuncto Felix successit.

An. Chr. 387. Maximus Italiæ regnũ affectans, etiam Galliæ cum Victore filio vitáque amisit.

Maximus felix videri suo per Gallias Hispaniasque regno poterat, oblato magis, quàm rapto; at dum Valentiniano in Italia idem invidet, nec dissuadentis S. Martini consiliis paret (ut ambitio, & libido rationem vix admittunt) pace per legatum dolosè oblatâ, exercitus illius premit vestigia, Valentinianum quidem imparatum Italiâ Africâque exuit; sed quem Theodosius vere insequenti duplici prælio in Pannonia victor, Maximo ante pedes trucidato, gloriosè reposuit. Nec contentus hac clade Arbogastem Francum transmisit in Galliam, Victoremque Maximi filium, & nominis, & regni, felicitate victum dejecit. Maximum Severus imperio dignum censuit, si oblato potuisset sine cæde Gratiani acquiescere, & à non oblato manum temperare. Illius & filii victoris Cæsaris numismata Treviri eruuntur, in quorum alterâ parte signifer labarum Crucis sinistrâ, dextrâ victoriam manu sustinet, quæ porrigit diadema.

Sev. Sulpit. l.3.

388.

Valentinianus Junior Imper. occidentis, leges sancit.

Absente maximo, Franci rursum in Gallias coorti, cladem juxta Carbonariam, apud Eburones, silvam ceperant, & vicissim Quintino temerè Rhenum transgresso, cæsâ cum Ducibus legione, dederant. Contra quos Valentinianus cum Arbogaste progressus, victoque suorum cædem ultus, tandem pace admissâ, Treviris sede natali, quievit. Ubi anno eodem sanciit, *lite cadat, quisquis operiri noluit litis eventum,* simúlque

389.

Cod. Theod. l.4. tit.22.

ut *sacratissima* Augusti *domus litem exspectare, non inferre cogatur; neque expetat, sed patiatur examen*, piè decrevit. 390.

Rem quoque vehiculariam anno sequenti, cupiditate ac rapinis veredariorum afflictam, edictis sublevavit, Sub ejusdem Imperatoris per D. Ambrosium ad omnem pietatem exculti patrocinio, per utramque Belgicam lux major religionis diffundi cœpit. Siquidem missus Atrebatensibus â Siricio Pont. Diogenes Episcopus, Moriniisque à Rothomago S. Victricius, Tungrisque sese inferens ab Ubiis S. Severinus, vel gentilitate, vel hæresi, loca infecta sedulò purgabant.

Valentinianus subinde graves Italiæ imminere barbaros intelligens, per Galliam eò se transferebat, cum Arbogastes militiæ Dux, ab Imperatore offensus, aulæque ac militum fretus gratiâ, inclusum Viennæ Valentinianum, & clam laqueo ex trabe præfocatum ostentat militi, suumque flagitium in desperantis Imperatoris sceIus avertere conatur, ut si vitam abstulisse satis non fuisset, nisi & famam mortuo tolleret. Ne verò ambitione coronæ reus argueretur, hanc in filium Eugenium transtulit, cum eodem (ut gentiles erant) religionem oppressurus. Ergo Francis popularibus, ne quid abiens timeret, ante bello fractis, in Italiam cum Eugenio se transfundit, sed occurrente in Alpium faucibus Theodosio virtute magis divinâ, quàm humanâ, quâ inferior Theodosius erat, profligatus est. cum adversantes Eugenio venti effusa in suos tela reverberarent, propriisq; atque hostium jaculis succumberent; ut Claudianus Theodosio accinat, licet gentilis poëta.

An. Chr. 391. Valentiniano sublato Arbogastes Francus Eugenium filiũ suum surrogat.

392.

393. Theodosius utrumque rursus Tyrannum opprimit.

O nimium dilecte Deo, cui militat æther
Et conjurati veniunt ad classica venti!

In panegyr. Honorii

Arbogastes, re desperatâ, Valentiniani innocentis cædem, suâ in se manu ultus est, Judex ac carnifex sui. Eugenium coram Theodosio lictor patri inferias misit. Ita

Zosim l. 4. hist. Eccl. 394.

parto sibi occidentis imperio, dum in Italia inprimisque Romæ imperium componit, atque idololatriam istic in senatu dominantem profligat, vitam denique Mediolani anno regni XVI. ad 17 cal. Febr. deponit, Arcadioque filio orientem, Honorio occidentem relinquit, eximius bello ac pace princeps. Cujus Virtutum ac religionis summum decus, immoderatior nonnunquam ira, ceu nubes solem, obscuravit. Raptatam Placillæ Augustæ statuam Antiochiæ excidio puniturus, nisi Flavianus Episcopus frementem tenuisset: ut Thessalonicæ septem hominum millia in theatro collecta, ob unius Præsidis necem, ferro militari, ceu feras, objecit licet, ad Divi Ambrosii correptionem, pœnitentiâ, ac submissione publicâ facinus deplorârit: raro potentum exemplo, quibus flagitio sæpe gravius videtur, flagitium confiteri.

395. Theodosius moriens occidentis imperium Honorio filio relinquit.

Felicis Trev. Archiepiscopi memoria vitaque hujus librum concludemus. Ille, ut B. Paulino antecessori suo dignus honos impenderetur sollicitus, in Phrygiâ consensione populi abiit, optataque hinc expeditione beati Martyris corpus loculo, ut creditur, cedrino imputribili lique compositum, basilicæ operis perquam elegantis quæque latitudine CXX longitudine CCCCX pedum esset complexa, intulit. Lamina ex argento pectori ejus mota, quæ hoc signo α☧ω Christi Theanthropi nomen expressit. Sarcophagum in Cryptæ fornice extenis suspensum libravit, quem cum Nortmanni vastatores anno Christi 853. deturbare molirentur, solutis ipsi vinculis novo naturæ miraculo loculum hæsisse in aere memorant, ceu ponderis expertem, ut suo inferius loco explicatius trademus.

Felix Archiep. reductis ex Phrygia S. Paulini reliquiis, Ecclesiam illi & memorabile sepulchrum adornat.

Porrò Felix *Mauritio* in vita Episcopatum post XV administrationis suæ annos cessit, seque amore solitudinis in Monasterium juxta D. Paulini basilicam à se excitatum abdidit ultimum vitæ tempus saluti tantum suæ Deoque addicturus. nec diu post superstes, ad immortalia palam adstantibus præmia voce cælesti invitatus animæ

An. Chr. 396. Mauritio vivens Episcopatum cedit, vivitque ac moritur solitarie.

animam columbæ specie expirasse VII. Cal. Aprilis fertur, plus quam solo nomine felix. Corpus in basilica à se condita ad dextrum odei latus sub hac monumenti spectabilis inscriptione depositum. *Hic requiescit S. Felix Trev. Archiep. qui hanc Ecclesiam supra sepulchra Martyrum Thebæa legionis construxit. Qui & B. Paulinum à Phrygia translatum inter eosdem Martyres Martyrem medium collocavit.* Translationis memoriam III. Iduum Maii Ecclesia recolit, sed non eâdem, quâ olim stetit, operis, sæpius â barbaris eversi, dignitate, ut intelligamus, nihil in terris perpetuum, nec in lapidibus quidem, reperiri. 398.

LIBER V.

Anastasius Papa. Honorius Imperator. Mauritius Archiep.

An. Chr. 398.

ROmanorum imperium sub duobus adolescentibus, eorumque Rectoribus, Rufino per orientem, Stilicone per occidentem, barbarorum quaquaversum irruentium præda demum, fortunâ inclinante, scelerumque urgente pœnâ, fuit, ut nihil in mundi regnis, præter ipsam rerum inconstantiam, constans possidemus. Florentissima sub Constantino posterisque Impp. Trevirorum resp. ex pristina vix emerserat persecutionis tempestate, ad egregium, quà ecclesiasticæ, quà civilis reip. decus, cum suæ vix sustinens felicitatis, ad luxum, spectacula, ebrietatem, luxuriamque effusa, Christiani honorem nominis haud parum obscurare cœpit. Deique vindicis in se indignationem provocare, quam paulò post sua in illam strinxisse fulmina intelligemus.

Inclinatio Romani imperii & reip. Trevericæ.

Oriens uti in hæresum pertinacia, sic in pœna barbarorum immanitati danda primus fuit. Hunni, postquam illatis contra Eugenium Italiæ armis, regna orientis nudata milite viderent, ab ultima Mœotide, & glaciali Tanai sese infuderant. quibus Alarici Gothorum Regis, occultâ Rufini ambitione invitatus in Græciam exercitus accessit. Qui, vel gentiles, vel Arriani non urbes solum, verùm & orthodoxam religionem passim everterunt.

Barbarorum incursione vastatur oriens occidensque.

400.

In occidente tamen principio irrumpentibus barbaris obnisus Stilico, ut erat militiâ promptus, Francos & Sicambros belli motu ad pacem composuit: Trevirisque principiò (nam postea Arelatum sedes regni, quam Constantinus Tyrannus occupavit primus, translata est) ad limitis Rhenani custodiam substitit, Honorio in Italia relicto.

Per

Per id tempus D. Martinus abiisse ad vitam immortalem creditur, ad XI. cal. Novemb. Cujus epocham in Gallis olim celebratam, qui rectius à morte statuunt, in CCCC. Christi anno fundantur, licet Prosper tribus & Sigebertus duobus annis, ut hic, sic alibi (quod calculum hunc non turbat) consequantur. Baronio tamen placuisse hic annus CCCCII. communiter visus est.

D. Martini mors, & epocha ab illo ducta.

Monasticen hoc tempore Bassula consularis vidua, ex Aquitanis Treviros delata, excoluit. quæ post filiam, quam Severo Sulpitio, celebratæ facundiæ viro, junxerat, morte sublatam, Severum ad mundi quoque vanitatem, Christi demissione prælata, impulit. Qui illam Treviris domum qnæ postea D. Bernardum excepit hospitem, mortuumque sacello est venerata, incoluisse fertur. Sanctus illi Martinus hac vita abiens candicante in toga, micante vultu, totusque cœlestis per quietem oblatus est, libellum, quo vitam Severus comprehenderat, dextrâ complexus, veluti memoriam sui æterna grati animi memoriâ pensaturus. Et fortè hæc in sanctum pietas sanctitatis æmulationem persuasit.

Bassula & Severus sulpit. Treviris religiosè vivunt.

D. Martinus gratus Severo vitæ seriptori.

Stilico, seu Wandalus, seu Alanus gente, tum ut Arcadio contra Gothos Hunnosque subsidio adesset, tum ut æmulum ambitionis suæ Rufinum tolleret, Gainam, natione Gothum, cum exercitu misit, qui feliciter magis, quàm sanctè mandata executus, & Rufinum, & succedentem eidem Eutropium pari arte injuriâque sustulit, jam ipse ad rerum summam, non Stiliconi, verùm sibi viam aperturus; nisi victorem perfidum Gothi victores orco denique immolassent.

Stilico æmulo Rufino sublato, Gothos profligat sub Rege Alarico.

Interea Stilico Gallos sibi Germanosque ac Britannos conciliat; sed intervenit Alaricus, cui Honorius sedem in Italia amicam postulanti Galliam potius indulserat, Stilicone id consilium improbante, qui eidem, post superatas alpes Cotias, sese cum Rhenano Gallicanoque præsidio objecit, alternis principiò cladibus, sed demum victor, Galliâ Italiâque, non ipsum modò, verum &

An. Chr. 403.

404.

Radagaisum Scytharum, auxiliarem ducem, Fesulanis conclusum angustiis, memorabili strage profligavit.

Godegisilus Wandalorũ Rex cum aliis vastat imperium.

Dum his bellis Stilico attinetur, & Gildo etiam Africæ Comes Honorio rebellis frangitur, Godegisilus Wandalorum Rex, nudatos præsidio limites Rheni prætervectus, cum Alanis, Quadis, Marcomannis, Saxonibus, Burgundionibus (qui propius Rheno sederant) Alemannis, ceterisque Romani nominis hostibus, in Galliam sese infuderunt. Francis Sicambrisque, qui recepti cis Rhenum fuerant, tantæ multitudini nequicquam obnitentibus. Unde, ut D. Hieronymi verbis utar, *Magantiacum, nobilis quondam civitas, capta atque subversa est, & in Ecclesia multa hominum millia trucidata, Vangiones longa obsidione deleti. Rhemorum urbs prapotens, Ambiani, Atrebata, extremique hominum Morini, Tornacus, Nemetes, Argentoratus, translati in Germaniam. Aquitaniæ, Novemque populorum Lugdunensis & Narbonensis provinciæ, prater paucas urbes populata sunt cuncta. Non possum absque lacrymis Tolosa facere mentionem, quæ ut hucusque non rueret S. Exuperii merita præstiterunt.* De Augusta verò Trevirorum urbe in eandem calamitatem abstracta, lamentabili oratione Salvianus ipse vivens quoque videnſq; differit. *Vidi*, ait, *ego ipse Treviros domi nobiles, dignitate sublimes, licet jam spoliatos atque vastatos, minus tamen eversis rebus fuisse, quam moribus, adeò graviores in semet hostes externis hostibus erant, ut licet jam à barbaris eversi essent, à se tamen magis everterentur. Lugubre est referre, quæ vidimus, senes honoratos, decrepitos Christianos, imminente admodum jam excidio civitatis, gulæ ac lasciviæ servientes.* Unde intelligas, & ante, & post Trevirorum excidium, Salvianum lusus hujus, & tragici, & comici spectatorem, lacrymis tamen potius, quam risibus indulsisse. Hi diversis exercitibus immissi sunt, quorum unum duxisse Crochum, Maguntiaci eversorem, ferunt. qui incredibili atrocitate nobilissima quæque loca exscindere solitus; quod à matre quondam ade-

Epist. 11. ad Ageruchiã.

lib. 6. de gubern. Dei.

Trevirorum eversio parum ad emendationem morum profuit.

Aimoinus Greg. Tur. l. 1. c. 32. & l. 2. c. 1. Sigebert. ad an. 411.

adolescens acceptū crudele amaverit consiliū: ut si æternam nominis aucupari famā desideret, nec par sit magnificentissimis urbibus excitandis, eas demoliatur. ortum enim occasumque illustrium rerum cum suis autoribus inprimis memorari. Hoc igitur altâ complexum mente, ut ille quondam Ephesini templi incinerator per Galliam strenuè implêsse; Sed Treviris in hoc conatu frustra tentatis, & mitiori ad expugnationem barbaro relictis. Tandem verò Arelatensi obsidione, à Mario victum captumque, per eversas à se Galliarum urbes misero cruciabilique spectaculo, ad incrementum ignominiosæ famæ pœnæque, tractum interiisse.

Crochi crudelis vanitas digno exitu plexa.

At in hoc infelici bellorum ac fortunæ variantis lusu, nihil turpius sceleratiusque, uno Stilicone, ejusque ambitione fuit, qui Honorii juventâ abusus, & hæc barbarorum in Galliam agmina, & Alaricum jam ante à se devictum in Italiam revocasse fertur. Sic enim de illo Orosius: *Parvi pendens, quod sub Imperatore imperabat Eucherium filium suum, sicut à plerisque traditur, jam inde Christianorum persecutionem à puero privatóq; meditantem, in imprio quoquo modo substituere nitebatur. Quamobrem Alaricum, cunctamque Gothorum gentem, pro pace optima, & quibuscumque sedibus suppliciter ac simpliciter orantem, occulto fœdere fovens, publicè autem, & belli & pacis copiâ negatâ, ad terendam & terrendamque remp. reservavit. Præterea gentes alias, copiis viribusque intolerabiles, Alanorum, Suevorum, Vandalorum, ipsoque simul mota impulsorum Burgundionum, ultro in arma sollicitavit.* Verùm, præter opinionem, alius in Britannio Constantinus, ab exercitu Romano, Imperator electus, hoc Stiliconis consilium præoccupavit. qui in vastatam, confusamque tot hostibus Galliam transgressus, quidquid Romani erat nominis pronum habuit, quò adversus Barbaros defensore uterentur. Huic Prætorii Galliarum Præfectus Limenius, & Cariobaudes Magister militiæ Honorianæ impares, in Italiam profugi, cessêre. Inde

An. Chr. 406. *lib. 7. cap. 37.* Stiliconis perfidia ex ambitione nata.

Constantinus Tyr. in Gallia imperium occupat & Stiliconis consilia impedit.

An. Chr. 407. tamen missus Stiliconis operâ Sarus, Dux strenuus, cum exercitu, Justinianum Constantini Ducem prælio fregit; sed mox repulsam passus, repetitâ Italiâ Constantino Galliarum imperium reliquit. Qui & Hispaniæ inhians sedem imperii Arelate fixit. Hinc Francorum gens, vicini Imperatoris metu liberata, cùm, à Wandalis ut cunque fractis, ad armorum societatem invitaretur; his impigrè sumptis, ipsasmet palantes Wandalorum adorta copias Rheni sibi Belgicæque utriusque possessionem vendicare conati sunt, Trevirimque alteram jam clade invaserunt. Ergo Wandali, provocante Stilicone, interiorem subiêre Galliam, Pyrenæi claustra, Hispaniamque sibi oblatam adituri. Quæ, custodiæ barbarorum, parum fidæ, à Constantino credita, venientibus patuêre; quando Alaricus ad Italiam invitatus à Stilicone, tanquam Constantino opponendus, in Eucherii tyrannidem affectantis opem poscebatur. Sed ab Olympio familiari prodita Stiliconis consilia, ipsi Ravennæ, Eucherio & Serenæ Matri Romæ, exitio fuêre.

Frigerid. apud Turon. Oros. l. 7. c. 40.

An. Chr. 408. Stilico cum Eucherio filio ambitione sua perit.

dignis jam dudum rogo, quem toti Europæ consumendæ, sola regnandi, cum regerent, cupiditate, instruxerant. Adeò insatiabilis ignis, ubi semel exarsit, regnorum ambitio est, qui postquam consumpsit omnia, seipso consumitur.

Inter hæc ambitionis tam fœda certamina, belliquæ calamitates Mauritius Trev. Archiep. patiendi, quàm agendi fecundiore tempore, vitâ ac sede abiit, *Leontius*, seu ut alii Leguntio, ex Pontiorum gente Aquitanica, ut videtur, sublecto. Qui annuo circiter honoris sui o- neriisque curriculo metam attigit XIX Februarii defunctus. Nec tamen pontificio suffectus muneri *Aur* ejus nominis secundus, Treviris ad omne ludibrium vitæ fortunarumque expositis, defuit. Qui & à Trevirico I. Autore, cujus corpus Brunsw igam translatum est, & à Metensi, qui sub Ludovico Pio à Drogone in Alsatiam ad S. Mauri Monasterium devectus fuit, est discernendus; quòd à San-Maximinio Tabenam cum S

Mauritio Archiep. Treviris succedit Leontius & huic Autor.

An. Chr. 409.

Qui

Quiriaco suis transisse Reliquiis memoretur. Primus XIII. Cal. Sept. alter Metensis IV. Iduum Augusti, tertius XV. cal. Sept. honoratur, sanctitate omnes venerandi.

Dum Wandali in Hispaniam penetrant, & Gothi Italiam Romamque ipsam, per nongentos intactam annos, vastant, Galliam hinc Franci, ac Wandali, inde cum rebellibus Constantinus lacerat, Honorius consilium anceps Constantium, virum bello idoneum, Magistrumque militiæ creatum, adversus Constantinum Tyrannum Galliæ submittit, qui re fortiter feliciterque administratâ hunc, Arelatensis urbis mœnibus inclusum captumque, transmisit in Italiam, ubi caput amisit, immaturâ lauro redimitum. Sed ex unius resecta cervice, tanquam ex lernæa hydra, mox plures Tyranni succrevêre. Constans Constantini filius, ex Monacho, ridiculâ metamorphosi, Cæsar, Geruntius, Maximus, Sebastianûs Jovinus, Attalus, quos censet Orosius, quemque his Sidonius jungit, Dardanus. adeò plerisque præ imperii dignitate mortalibus vita est vilis; ut regnare cum periculo malint, quàm sine discrimine vivere. His tamen unius Constantii objecta virtus, atque industria potior, cùm Jovino & Constante sublato, quos armis non poterat consilio tenuerit. Nam Ataulpho Gothorum Regi Alarîci successori concessa Narbonensis Provincia, Burgundionibus ad Rhodanum & Ararim in Sequanis ager assignatus, nondum tamen occupatus est, reliquis obversa gladii acies. Profuit tamen non paucis Barbarorum ad salutem, ita Christianis misceri nationibus, quorum sacris ac religione capti fidem accepêre. Tam solerti Deus providentia etiam ex malis bona proseminat.

Constantino per Constantium oppresso diversi Tyranni succedunt.

An. Chr. 412. *Orosius loc. cit. & c.* 41.

Regni Gothici & Burgundionū in Gallia exordium.

413.

Franci tamen in hac Romanorum liberalitate se præteriri indignati sunt, barbarisque ac Burgundionibus nil concessuri, negatum armis beneficium extorquere statuunt. Nec frustra, magnâ vi coorti Treviros rursum expugnarunt, occupatâque urbe, cædibus rapinisque misce-

Franci Treviros invadunt spoliantque, nec tamen à Circensibus abstrahunt.

lib. 6. de guber. Dei.

miserandam rerum faciem induxerant, quam Salvianus, tertii quoque excidii spectator, deploratorque non parum facundus, tantò magis detestatur, quod amens ludorum Circensium sectator populus, inter media suorum funera, ab Imperatore hæc etiamnum spectacula flagitaret. *Theatra*, ait, *quæritis, Circum à Principibus postulatis. quæso cui statui, cui populo, cui civitati? Vbi exustæ ac perditæ, plebi captivæ & interemptæ, quæ aut periit, aut luget. De qua etiam siquid supersit, totum calamitatis est.*

An. Chr. 414. Castinus ab Honorio missus Francos rursum pellit.

Porrò Castinus, Domesticorum Comes, loco Constantii, ad consulatus honores evocati Francorum latius sese efferentium insolentiam egregiâ virtute fregit, & Galliæ exactos finibus plerosque trans Rhenum ad sedes redire avitas coëgit. Quando inter hæc Ataulphus Placidia Honorii sorore jam fretus conjuge, cum suæ gentis homines, quos Honorius oppressum ibat, eminere vellet, Attalum Gothum augustalia quæ posuerat, insignia jubet resumere. Verùm ubi Constantius impigrè ad incendium restingvendum accurrisset, Narbonæ inclusus, pro beneficio habuit Hispanias, capto jam Attalo, sibi relinqui. Sed cui Romanus pepercerat, propriæ gentis mucro lethalis fuit. Placidia soror à Wallia successore Honorio remissa, egregiæ femina indolis, Constantio optimè merito Principi in connubium data est, simulque imperii consors factus. Quod cum Theodosio, Honorii ex Arcadio nepoti, minimè probaretur, Constantius æger animi, haud multò post superstes, nec titulum quidem Imperatoris usurpasse creditur. Monumentum certè inscripti Lapidis, in Paulliniana apud Treviros Ecclesia, hoc etiamnum legitur: *Hic jacet Flavius Constantius vir Consularis Comes & Magister utriusque militiæ atque patricius & secundo Consul ordinarius.*

414.

Regni Gothici in Hispania exordium sub Wallia.

Constantius Trev. sepultus.

421.

Filius, *vitio innovatoris literarum.*

Placidia ad Honorium reversa, atque istic principi charissima, post odiis jactata, in orientem ad nepotem

Theo-

Theodosium, cujus juventam una cum imperio Pulcheria soror laudatissimè moderabatur, confugit. Unde, cum Honorius brevi occidisset, per submissum cum exercitu Ardaburium filiumque ejus Asparem, non humana magis, quàm divina virtute ad imperii occidentalis sedem cum filio Valentiniano reducta est. Joannes primicerius quæsitam purpuram, suo moriens sanguine, opprobrióque in Asino circumductus, infecit. Bonifacius Thrax & Ætius Dux Mæsiorum fortissimus, rebus gerendis, ille in Africa, hic Italia Galliaque præfectus est: ne unius potentiâ Imperatoribus periculosa reiq. totius vis molesque niteretur. Sed dum hoc discrimen vitatur, aliud incurritur, &, ut fit, æmulatio præcellentiæ inter se collisos duces in publicum exitium armavit, ut intelligas nihil adeò in mundo firmum, quod ambitio non subruat.

425. Valentinian. III. sub Placidia matre, Bonifacio & Ætio præfectis, imperat

Ætio fortissimo Duci repentè ad probandam virtutem amplissimus in Galliis campus apertus est. Ubi, ad pueri mulieriscque spretum imperium, exciti primùm in Aquitania Gothi sub Regis Theodorici auspiciis Arelatem sibi à Constantio ereptam recuperaturi, ab Ætio, Hunnorum auxiliis freto, magnâ clade cæsi, pro beneficio pacem accepêre; ut alio Romanorum in Francos arma verterentur.

An. Chr. 426. & 427.

Jam enim Francorum inquieta gens post acceptam à Castino cladem, sub Pharamundo Rege ad ulteriorem citerioremque Rheni ripam à Trevirorum finibus ad oceanum usque consederat, legibusque, quas vocant Salicis, regnum firmat; cùm Honorio fatis sublato, Chlodio Pharamundi filius, cupiditate veterum in Belgica possessionum excitatus, superato flumine latè omnia ad obsequium etiam Treviros excidio quarto multatos revocare cœpit. Et quò se suósque hac magis sede stabiliret Hespargi (Heinspargum nunc vocant) Rhenum inter Mosamque, in terra Juliæ, apto ad ciendum alendum militem loco, Castrum sibi regale excitavit. Unde in utramque Belgicam Germaniamque secundam

Francorum inquieta gens rursum delecto Rege Galliam & Treviros vastat rursumque ab Ætio repellitur.

Sedem in terra Juliæ Chlodio Rex fixerat.

secundam effusus, usque ad Atrebates, armis domitos, fines regni Francici porrigebat. Hinc Gregorius Turonensis posterior: *Substituitur*, ait, *Chlodeo, in regno vir utilissimus in gente sua qui apud Hesspargem Castrum residebat, quod est in termino Thoringorum.* Et lib. 2 historiæ suæ; *Francos*, ait, *è Pannonia digressos* (neque enim Germani origine haberi, longè disparis semper ingenii possunt) *primum littora Rhem incoluisse, dehinc transacto Rheno Thoringiam* (modò Thongriam) *transmeasse, & Chlodionem apud Dispargum* (paulùm inflexâ, ut in talibus frequens est, voce) *habitasse in termino Thoringorum.* *Post Pharamundum*, inquit Ado Viennensis: *Franci Chlodionem ejus filium sibi Regem statuunt. Ab hinc Franci in finibus Thoringorum habitantes crinitos Reges habere cœperunt.* Ætius igitur crescentem illorum cis Rhenum potentiam veritus, Majorano (postea Imperatore) secum assumpto, silente repentinóque in Attrebates provolans exercitu, nuptialibus epulis ludisque intentos improvisa clade multavit, reliquósque eodem belli victoriæque impetu diversis locis sparsos, aut transire Rhenum, aut parere Romanis coëgit. Treviros verò malè jam olim à Romanis Imperatoribus desertos utcunque ad firmandam limitum custodiam restituit. cùm ex *Notitia Imperii* constet, fabricam istic scutariam balistariamque Rom. etiamnum repertam esse.

cap. 9. n. 7.

Ado sub Gratiano Imp.

428.

TreViri restituuntur.

Eadem tempestate Autor Trev. Archiep. rebus humanis abiit, ad XV. Cal. Sept. anni 427. piè defunctus & *Severo* Germaniæ primæ Britanniæque Apostolo locum fecit. Is S. Lupi Tricassini discipulus, & collega Polychronii Virdunensis Episcopi. Sub quo Socrates memorat, Burgundiones Rheni adhuc accolas, plerosque fabros lignarios, crebrâ Hunnorum incursione pressos, desperantesque ad Romanorum Deum rursum statuisse sibi esse confugiendum, ideoque Galliæ civitatis proximum adiisse Episcopum (quem Trevericum jure Bu-

Severus Autori substitutus Archiep. Burgundiones baptizat. *Socr. l. 7. c. 30. & Trip. hist. l. 12. c. 4.*

cherius fuisse statuit) ab eóque baptismum institutionemque sacrorum flagitâsse, quò Christi præsidio tuti resisterent. Neque opinione suâ falsos. Quippe, ubi cognovissent Vptarum Hunnorum Regem nimia oppressum crapulâ disruptum crepuisse, tribus millibus suorum, decem facilè profligasse hostium millia. Quâ tamen cum elati victoriâ, Belgarum propinquos, Gundicario Rege ac Duce freti, infestarent, Ætius cum Hunnis pleroſque ad internecionem cæcidit. Tam promptum demissio à Deo præmium, arrogantia pœnam habet, cui, & pressos elevare, & elatos premere usitatum est. Verùm & Ætio Romanisque parum illa Hunnorum præsidia, ád firmandum imperium, profuisse, infra de Attila videbimus; quando hoc Deus flagello in eosdem animadvertit. Et verò recrudescente Gothorum in Gallia bello, Littorius Rom. Dux adversus Theodoricum malo jam omine Hunnorum improbitate usus est, siquidem Gothi ad divinam supplices opem conversi, haud levi utróque clade perculerunt.

Burgundiones ad Christi fidem reversi, Hunnos paucis vincunt. An. Chr. 430.

Prosper in Chron. 436.

Sed aliena invadentes ab Ætio rursum Victi.

Prosper, & Salvian. l. 7. 439.

Porrò Ætius politica fraude Bonifacium eversurus, illum Imperatori Valentiniano, contráque hunc illi suspectum reddidit; ut is, capitis metuens, vocatus in Italiam venire detrectaret, quin & Gensericum Wandalorum Regem ex Hispania ad ferendam opem magnis in Africam copiis accerseret. At denique Ætii impostura cognitâ, dum serius aversum cupit, prælio bis victus, magnam Africæ partem, amico, dicam an hosti? coactus cessit Gensericus tamen, rebus suis in Africa Hispaniáque adversus Romanos stabiliendis, Attilam Hunnorum Regem ex septentrione contra Romanos evocat; ut ab Austro & Aquilone invisam toti orbi potentiam Romanorum constringant. Attila dolo Ætii Romanos delusurus, se venire significat, ad Theodorici in Gallia vires infringéndas; contráque Theodorico, se adfuturum insolentiæ Romanorum castigandæ, affirmat. Galli etiam horum avaritiam rapináque perosi, Francis novos rursum ad arma stimulos subjiciebant; ut nil

Bonifacius ab Ætio proditus Gensericũ hic Attilã ad exitium Rom. invitat.

Galli à Romanis avaritia pressi Francis ad novos motus stimulos addunt.

nil jam sacrum sanctumque, nec amicos, nec hostes imò nec Christianos inter, reperiri posset; adeò cuncta, ambitione & ardore habendi pessumdata, corruebant.

An. Chr. 440. *Beda l. 1 cap. 21. Ado Vien. in Chron. Et Vita S. Germ.*

Severo tamen Trevirorum Archiepiscopo, quando Romæ Leo Magnus, tanquam novum Ecclesiæ sidus, oriebatur, per septentrionem religio curæ fuit. Siquidem ille cum Germano Antisiodorensi in Britanniam rogatus transiit, Pelagianæ illic hæresi (libertatē Christianæ legis servandæ etiā naturæ viribus adstruenti) positurus obicē quod ea felicitate peractū est, ut cum in turba frequentissima Flasii cujuspiā filium in pedes claudicantem erexissent, Pelagium plerique detestati, mediterranea quadam insula secreverint ejusdem pertinaciæ veneno afflatos, ne ad innoxios contagio proserperet. D. Augustinus huic inprimis pesti remedia præscripsit; unde eodem penè tempore Nestorius & Eutyches in oriente, ille Christum in Geminas discerpens personas, hic in eandem contrahens naturam, à suis Antagonistis, sæque mutuò debellati sunt. ut per omne bellorum, etiam spiritualium, genus Christiani ad palmam exercerentur.

Sever. Arch. cum S. Germano Antis. Pelagianam hæresin in Britannia coërcet.

S. Germanus vix in Galliam reversus erat, quando Ætium Armoricis (nunc minori Britannia comprehensis) immittere per Rhenum Eucharichum Alanorum cum exercitu Regem comperit. Occurrit igitur pacis veniæque exorandæ gratiâ, ubi verò restitantem vidit, graviori compellat voce, manibusque freno injectis, vel invitum cum suis stitit. qui vi tam improvisa attonitus, reverituſque Germanum, hostilia retrò signa convertit. Ætius deinde, sine armis, Armoricos fideles contra Attilam expertus est. didicitque, etiam pacem sine bello solâ posse virtute obtineri: quâ tam ad amicos concilandos, quàm frangendos inimicos nihil solet potentius reperiri.

442. *Sidon. in paneg. Aviti Iornand. de rebus Goth.*

S. Germanus totum cum Rege exercitum sistit.

Bonifacio, jam post obtentam ab Ætio æmulo victoriam, morte tamen victo, solus, receptus in gratiam Ætius, rerum molem sustinebat. citra cujus industriam ruere sub effeminato Principe inter tot barbaros omnes

Ætius sub effeminato Principe Dux fortis, ab Attila decipitur.

necessum erat, quos Ætius raro ingenio ac felicitate, ex hostibus amicos in bello reddidit, donec tandem Attila illusurus ludenti, hostis pro amico adfuit, docuitque ignem quem aliis consumendis struimus nos etiam posse adurere. Hunnis Ætius ad affligendos Romanorum hostes potissimum usus, ab Hunnis denique oppugnatur.

Nam Attila, post Thraciam Illyricumque debellatum, redemptumque à Theodosio orientem auro, parem de occidentali imperio gloriam sperans, innumerâ gentium stipatus multitudine, quam censu quingentorum, alii etiam septingentorum millium circumscribunt, trans Rhenum sese infudit Galliæ, ubi Ætius Romanos, Theodoricus Gothos, Meroveus Rex Francos, Gundericus Burgundos eidem opposuêre, quod commune omnes periculum jungeret. Hos & Coloniam Ubiorum, & Treviros, & Octaviam Tungrorum Metasque & Aurelianum, & quidquid medium est, tueri non potuisse adversus tantam vim hostium satis constat: donec præda gravem, sociatis viribus, in agro Catalaunico, magna jam parte Galliarum excisâ, aggressi, sub uno Ætii auspiciis fuêre, tantáque eum clade multarunt: ut, incredibili mortalium cæde 162. hominum millia, uno prælio occubuerint. ambiguâ tamen satis & cruentâ Romanis victoriâ; cum in cæteris Theodoricum Gothorum Regem amiserint. Attila receptus intra castra, desperationis plenus, fugam postera luce adornavit; ita tamen compositam, ut Ætius priori strage contentus, abeuntem lacessendum non putaverit; seu hostis metuens, seu amans, ne deesset Valentiniano metuendus, & sibi imposterum debellandus. cùm magnorum Ducum in pace minor, tam sit æstimatio, quàm necessitas. Browerus hoc bello quarta illâ, quam Salvianus memorat, Trevirorum eversione vastatos esse Treviros censet; sed cum scribendo ipse ante decennium circiter finierit, quintam hanc fuisse necesse est, post quam Treviris brevi in Francorum potestatem fuit redacta. Neque hoc tempore Ursulanam illam Virginum societatem

An. Chr. 450. Attila post orientis imperium occidentale invadit.

Iornand. l. de rebus Gothicis. Cassiod. Chron. Greg. Tur. l. 2. c. 7. Paul. Diac. l. 15.

451.

Ab Ætio Rom. Duce memorabili prælio vincitur fugaturque.

Trevirorum clades quinta.

ab Hunnis Coloniæ oppressam censeo. quòd nemo sibi facilè persuasurus sit, in tantâ barbararum gentium per Europam illuvie, tot, virginum millia in Romanam peregrinationem temerè educenda; aut tot historicos, res ab Attila & Leone Magno Rom. Pontifice gestas suis monumentis prosecutos, memorandam adeò historiam præterituros fuisse. Et quis credat Leonem ipsum illustrem hanc ad Romana limina profectionem, & tot Virginum decerptas ex martyrio palmas, ignobili sui inter scripta silentio potuisse obruere? Ad prima hæc planè conversæ ad Christum Britanniæ tempora Zelumque pro Christo moriendi, quo nos supra retulimus, & Maximinus Tyrannus imperio, Auctor I. Trevirus Episcopus præfuit, transferenda sunt. Ad Maximi verò tempora in Galliis apud Armoricos residentis, poscentisque è Britannia tot Virgines in militum suorum matrimonia, eandem referre historiam, multò magis fabulosum videri, contra Alfordum Browerus jam olim obtinuisse videtur. ut his imnorari alienum sit.

S. Ursula sub Attila non est passa.

Vide an. Ch. 237. & notas ad tom. 1. Brouv ad an. 451.

Neque sub Tyranno Maximo.

Iam Attila se Italiæ, reparatis infuderat viribus; Aquilejâ, Mediolano, Ticinoque everso, Imperatorem ipsum caputque urbium Romam petiturus; nisi Leo Pontifex obvius, plusquam leo, divinâ potestate armatus occurrisset, stitissetque majori vi territum. Qui frustra deinde in Galliam reversus est; ubi Thorismundus Rex Gothorum, patris cædem ultus, victum ejecit brevi in Scythia inter nuptiales epulas Venere ac vino opprimendum. Veneti illius metu, in mare habitationem transtulêre, ubi hodiedum inter undas invicti consident. At Valentinianus hac totius imperii castigatione quam & ipse promeritus, sub optimo Pontifice declinaverat, nihil tamen redditus melior, honestarum etiam feminarum, quas forma commendabat, pudicitiæ illudebat. In his Petronii Maximi, ex Treverici Tyranni stirpe nepotis nunc Romani Senatoris, uxor fuit.

Attila in Italiam effusus à Leone Pontifice occurrente sistitur, in Gallia etjã profligatur.

Procop. l. 1. de bello vandal. Sidonius l. 2. ep. 13.

Illius enim ludo nactus annulum, hoc, velut maritis aulam evocantis, signo Imperator feminam accersit, quam

quamvis nolentem violat, remittitque. Quæ cum reduci marito suam prostitutionē exprobraret, ille nescius indignansque majori scelere scelus ulciscitur. Ætium, quo solo remp. ac Valentinianum stare non ignorabat, affectatæ tyrannidis reum fingit, persuadétque; ut is, negotiorum obtentu, Romam evocatus, trucidaretur. Quo sublato, prompti fuêre, qui ejusdem Maximi consilio Valentinianū ut innocentis Ætii interfectorem, tollerent, Maximumq;, ceu imperio digniorē, sufficerent, qui, cum uxor vitâ abiisset, Eudoxiam quoque Valentiniani conjugem in thalamum admisit. Cui postea, cum se animum amoresq; possidere jam crederet, facinus tragicū aperuit. Quæ, ut mulierum amor præsentium fastidiens, facilè ad primos maritos recurrit, aversata mariti sui interfectorem, clam ex Africa Gensericum, cum trecentis accersit armatorum millibus, ac prona venienti pollicetur omnia. Nec secus factum. Roma venienti patuit, Maximum fugientem Romani ipsi jam facinoris conscii lapidibus obruunt, membratimque discerpunt. Eudoxiæ illa fuit proditionis gratia, quod spoliata per triduum urbe, cum imperatoria gaza ac filiabus navibus imposita, captivitate in Africam traducta sit. Ita quo quisque flagitio alterum perdere conatus est, semet ipsum profligavit. justissimâ Dei ultione, quâ scelus suum ferit autorem.

Valentiniani libidine, Ætio sublato, imperium pessundatur.

An. Chr. 454.

Maximus Tyr. extollitur, & cadit. 455.

Plerique suo scelere quo alios perdunt, ipsi pereunt.

Nec hic malorum ac tragœdiæ cœptæ finis. Morte Imperatoris per Galliam vulgata, cum Ætium nullum timerent Franci, sub Childerico Merovei patris successore, animos rursum, atque ad firmandam potentiam arma erigunt. Quibus Romani Avitum Magistrum equitum, Arvernorum gente, opponunt, ac Maximo brevi perdito, etiam Imperatorem creatum extollunt. Hic Trevirim sibi rursum sedem, premendis Francis, opportunam ratus, istic consedit.

Amoin. ex Hypatio. Sidon. l. 4. Ep. 17. Sirmondus ad paneg. Sidonii.

Franci emergunt in Gallia, & Treviros contra Avitum vocantur, violatâ Lucii conjuge.

At Valentiniani, quàm Ætii moribus propior, feminarumque magis pudicitiæ, quàm hostibus expugnandis intentus, Lucii Senatoris conjugem simulatione morbi ad se inductam prostituit, ac non sine mordacis

dicterii probro ad virum remisit. Proinde Lucius vindictæ cupiditate, cum impar Tyranni viribus esset, Francos in ultionem advocavit. Quibus cùm, & urbis, & Mosellæ fluminis munimenta præcipua adversus Rom. insolentiam traderentur, majori servitute minorem improvidi redemêre Treviri, in Francorum deinde potestate multo tempore futuri. quando fortuna Romanorum virtute parta, vitiis denique invalescentibus succubuit: ut quæ nullum diu regnum sustinere possunt.

An. Chr. 455. Severus Arch. moritur 15. Octob.

Laudatissimus medio tempore Trevirorum Archiepiscopus Severus, ad tumulum ætate inclinatus, Cyrillo, vitæ etiam probatissimæ viro locum cessit, qui suam egregiè stationem tuitus, biennio illam toto non tenuit. Quo tamen sacrorum non vulgarem suscepisse curam intelligitur, basilicis, ut potuit, instauratis, & religione amplificata. In quibus Oratorium D. Eucharii restitutum, ac religiosorum juxta hominum Monasterium excitatum fuit; ut depositis ibidem S. Eucharii, Valerii, & Materni, Protoepiscoporum nostrorum, Reliquiis honor ac veneratio major accederet. Ubi & ipse, quod in votis fuerat, altero post anno, Maij decima ac nona die, moriens locum quietis est assecutus.

Monasteriū S. Eucharii nunc S. Matthiæ.

457. Cyrillus successor defunctus 19. Maij.

Avitus, subinde Valentiniano & Maximo sublatis Gallis Gothisque Augustus dicitur; ac rebus in Gallia compositis Romam ad Consulatum, applaudente panegyrista Sidonio abiit; sed opera Ricimeri & æmulatione aliorum dejectus, Episcopale pedum pro sceptro ac fascibus tenuit, necessitate hanc virtutem persuasus. felix tamen necessitas, si reddiderit meliorem.

An. Chr. 456. Avitus & post Majorianus Imperatores electi enectique.

457.

Majorianus verò Augustalem in sedem evocatus, dignam viro forti peritoque ac Christiano indolem, quamvis ex Thracia quondam gregarius miles, ad imperium attulit, tam formidabilis hosti, quàm suis amabilis. In bello nutritus sed pacis amans Gensericum solâ æstimatione sui continuit. At cum & virtus invidiam hostesque patiatur, diu regnare non potuit; quando imperantem occidere, ut alter imperaret, jam vile atque

obviam

obvium factum erat nefas, ut tam virtus probum, quàm nefarium scelus, odiis gladiisque improborum objiceret.

CYRILLO vita & munere functo apud Treviros, Archiepiscopali in sede est substitutus *Himericus Iamblychus*, vulgò *Iamricus* vel *Iamnerius* cujus in Epistola Auspicii Tullensis Episcopi ad Arbogastem Trevirorum, ex Arbogaste Franco (cujus supra memini) Comitem, ut *Sancti* viri memoria est, quemque ad eundem scribens Sidonius *consummatissimum virum, cunctarumque virtutum conscientiâ & famâ juxta beatum nuncupat.* Nisi hanc fortè commendationem Cyrillo ejus Antecessori (cùm nomen Sidonius non exprimat) malis cum BROWERO tribuere. Post Himerium *Evemerum* Archiep. censemus. quorum partiri magis, ante successorem *Marum*, quàm definire vitæ mortisque tempora possumus. quòd modestiâ pontificiâ publicis abstracti negotiis vixisse credantur.

Freherus in condit. hist. Franc. editus 1613 pag. 200, n 20, lib. 4. Ep. 17. Cyrillo Arch. mortuo succedit Jamblychus & huic Evemerus, ei S. Marus brevi intervallo.

Majorianum verò Theodorici II. Gothorum Regis in Gallia rebellio eodem transtulit. Hic enim regni sui angustiis contineri non potuit; sed, in Lugdunensem effusus Provinciam, ad Rhodanum usque limites promovit, dum Majorianus Italicis Galliciscque armatus copiis ad pristinas eundem sedes virtute majori adstringeret. Verum cum premeret Gothum hostem, à familiari Duce Gotho Ricimere oppressus est. adeò fluxa est gentium externarum fides; cùm idem ille, qui nuper ad imperium extulit, nunc in tumulum præcipitârit. 459. 461.

Hac eâdem tempestate Magnus ille Ecclesiæ Romanæ Antistes Leo vita abiit, postquam ad Galliæ Germaniæque Episcopos scriptum edidit, quo quorumdam Chorepiscoporum castigavit licentiam, qui munera Episcopalia consecrandi aras, Ecclesias, sacerdotesque & Chrisma, in absentiâ Episcoporum, obire ausi fuerunt, cum Presbyteri tantùm non autem Episcopi consecrati essent. *Hæc, enim* inquit, *omnia illicita sunt Chorepiscopis, qui ad exemplum & formam* LXX. *discipulorum esse*

Chorepiscopis non licet Episcoporũ obire munia.

Epist. 88. quæ est in tom. Consil. 86.

esse noscuntur, vel presbyteris, qui eandem gestant figuram. Unde manifestum est hos semper in Ecclesia gradus, dignitate non solum; sed & potestate separatos fuisse. Quanquam Chorepiscopi, aut Coëpiscopi nonnunquam dicti sint, qui hodie Suffraganei, adeóque vera consecratione Episcopi essent. Nunc ad tollendam confusionem, ferè nomen evanuit, aut penes Archidiaconos resedit.

S. Marus egregia virtute præsul moritur, colitur que 26. Jan. succedit *Volusianus.*

Marus quoque Trev. Archiep. sanctitatis famâ notus apud Treviros hoc tempore excelluit. qui S. Paulini Ecclesiam communi urbis incendio & populatione Hunnorum destructam instauravit, in qua & ipse demum illustrem nactus sepulturam hac inscriptione fuit. *Præsul Marus, Deo dilectus, multas carne vivens egit virtutes. Cuncta ejus vita liber habet.* Et hic quidem intercidit, veneratio miraculis etiam celebrata mansit. Cum morbis difficillimis Arthritide, Spasmo, ac Paralysi laborantibus opem tulerit, vestigia populi frequentantis, it subjectis tumulo lapidibus concursu detritis, noscuntur. Dies illi sacer XXVI Januarii est. Post quem *Volusianus* cathedram tenuit.

An. Chr. 463. Severus, Anthemius, Olybrius, & Glyceri° &c. Tyranni.

Majorianum jam quadriennio regnantem idem Ricimer militiæ ex Gothis Magister, sustulisse è vita & regno fertur, qui huic admoverat: alterius tamen gratiâ Severi, ad sceptrum periculumque idem succedentis, cum facinus perpetrasset, & hunc pari, velut Schaccorum, lapsu, post brennium sustulisset: vacantis ipse & jam labentis imperii moderator, dum *Anthemius* ex oriente a Leone in solium destinaretur. qui, ut ferociam Ricimeri inconstantis demulceret, filiam ei in thalamum obtulit; sed, consumptâ brevi gratiâ, quinto post anno ab eo debellatus captus & occisus est: *Olybrióque* Placidiæ junioris conjugi & hoc mortuo *Glycerio* Imperatori locum fecit. Ricimer denique, quod rarum, siccâ morte, sed Arianismi infelix perfiduſque sectator, ad inferos migravit, cum ty-

467.

ranni-

rannidem haud vulgarem in ipsa exercuisset capita Tyrannorum: regnare nolens, ut securius omnibus imperaret.

Childericus Francorum in Gallia, ob libidinem ejicitur, substituto à Francis Ægidio Romano. *Aimoin. lib. 1. c. 7.*

Interea Francorum Rex Childericus, Treviris jam potitus, latius regni sui limites promovebat, cum Præfectorum Romanorum, sub mutato toties capite, libertas avaritiáque passim invalesceret, Gallicique populi in se odia concitaret. Francicorum tamen Regum; ut, in felicitate, libido à primis regnandi principiis, jam tum execrabilis multis visa est: ita Francos in Childericum luxuriantem concitavit. Unde deturbatum solio in exilium amandarunt, Ægidiumque Romanum Ducem, Galliarum administratione cum laude functum, sceptro admoverunt. Qui res ipsarum per octennium egregiâ fide tuitus, facietatem tamen invidiamque alienæ gentis vitare non potuit; cum suum habere Regem, etiam cum vitiis, quàm Romanum cum virtute tolerabilius eis visum est. Reliquerat Childericus, ad conci- An. Chr. 468.
liandos sibi rursum gentis animos, inter proceres Francorum Winomadum * qui, ut erat ingenio vafer, Ægidio Regi, ceu optimè cupiens, tributa largius imperanda, & quosdam Francorum Duces, velut potentiæ æmulos, invidosque, revera Childerici adversarius, tollendos suadebat: tum verò ex acerbatis subditorum animis Childerici mansuetudinem & Regis novi sævitiam ingerere; cumque inclinatos sentiret, revocare è Thoringia, ubi apud cognatum Regem Bissinum hospitabatur. aurei numi parte dimidia, in quod signum convenerant, transmissâ. Nec diu morantem collecto Winomadus per Mosellæ ripam milite excepit, Ægidiumque prælio victum, nec Treviris satis ad defensionem sui fidentem Coloniæ Ubiorum mœnibus inclusit. Ubi rursum ille expugnatus ad Suessiones fuga elapsus est, brevique moriens Syagrium istic filium successorem reliquit, qui pro Romanis nequicquam stetit, sensim cum aliis per Galliam nationibus ad Francorum obsequium adigendus. Childericus Sigeberto consangvineo apud Ubios,

* *alii Vidomadum legunt.*

Childericus ejecto Ægidio restituitur.

Greg. Tur. in Epist.

469.

Regno amplificato moritur Chlodoveo succedente.

alteroque, ut videtur, Heriberto apud Treviros rebus administrandis præfecto, ipse ad utramque Belgicam armis ac pace obtinendam conversus est, ac denique Tornaci extinctus monumentum habuit. quod casu superioribus apertum annis, ossa cum armorum regiique apparatus instrumento, & Childerici nomen exhibuit.

Anno 1653. Archiduci Leopoldo fuere exhibitæ reliquiæ Childerici Reg. Franc.

Chlodoveum ille successorem ex Basina Thoringorum Regis conjuge, quæ hospitis amores, relicto Bissino, secuta est, suscepit; partum verè illustrem, ex thalamo flagitioso, tanquam è fimo eductum lilium. quod primum ex horto Francico in ara Dei propositum est.

Volusiano Archiep. primatus stabilitur.

Volusiani apud Treviros Archiepiscopi illam, in hac regnorum Dominorumque vicissitudine, curam fuisse accepimus, ut Metropolitæ Galliarum, & primatus dignitas B. Agritio quondam à Silvestro Pontifice Rom. stabileretur, quod ab Hilaro etiam Papa impetratum est, dum Rhemensi per Chlodovei inaugurationem sua crevit æstimatio. Tandem verò mortalia deserentis *Miletus* sanctitate vitæ cognitus, nec minoris post illum innocentiæ *Modestus* sedem adiit, ille 29. Sept. hic 24. Februar. apud S. Matthiam venerandus, qui paucis illam æstimationem sui annis fecerunt, quam alii multis non assequuntur. *Maximianus* denique constantius locum sibi destinatum occupavit, qui idem propemodum cum Felice Rom. Pontifice & Chlodoveo Francorum Rege imperandi tempus sortitus est.

An. Chr. 479. Moritur, & Miletus ac post Modestus & Maximianus eligitur.

480. Imperii Rom occasus. post an. 500.

Romanum hoc tempore imperium per occidentem quod sub Augusto ceperat, in Augustulo clauditur. Nam Glycerius *à Iulio Nepote* sceptrum, Nepoti ab *Oreste* patricio eripitur, qui illud *Momyllo* filio adhuc puero tradidit, quem *Augustulum* iccirco dixêre. Sed qui in sequenti mox anno 476. ab *Odoacre* Herulo Oresti quondam armigero ad ludum literarium ablegatus est, qui Oreste occiso & Ravennæ imperii collocata sede relicto Augusti nomine regnum in Italia auspicatus est, quod Ostrogothi, à Visogothis in Gallia distincti, tene-

Regnum Italiæ sub Odoacre inchoatur Ravennæ.

ere

ere; postquam illud Theodoricus Gothorum Rex, Odoacris victor, anno 499. occupasset.

In Galliis quoque Chlodoveus Rex Francorum, post Childericum patrem anno salutis CCCCLXXXI. suffectus, ut probabilior à S. Martini transitu calculus habet, & decimo quinto ætatis regnum auspicatus, ubi domi remp. constituisset, occupatam diversis nationibus Galliam, solus spe animoque complecti cœpit. ratus eodem belli jure depelli nationes posse ceteras, quo invasissent. Primò igitur Romanæ gentis reliquias, quas Syagrius apud Suessiones fovebat aggressus, hunc ingenti prælio victum, & ad Gothorum Regem Alaricum Tholosam profugum; sed Gothica fide redditum, obtruncavit. Quo in bello Suessionas populatus Remigio tamen Rhemensium Antistiti non solum templi sacram supellectilem restituit; sed etiam, licet etiamnum paganus, gratuitâ largitione multa illi, quæ in pauperes Ecclesiasque Dei partiretur, obtulit. ut in suo Testamento quod Sanctus condidit, profitetur, ac pro omnibus Galliarum Episcopis sollicitum se fuisse contestatur.

481. Regnum Francorum Christianum Chlodoveus incipit.

486. *Greg. Tur. l. 2. c. 27.* Syagrium vincit, & adhuc gentilis S. Remigio benefacit.

489.

Ceterùm sedem imperii jam non amplius Trevirorum Augustæ, bellis superioribus deformatæ; sed apud Mediomatrices primùm (ubi postea Austrasiæ Reges consedêre) deinde vero Parisiorum in urbe Lutetiis collocavit. Et jam thalamo maturus lectissimam sibi Virginem Chlotildem * Chilperici Burgundionum Regis filiam, Christianis sacris pietatique addictam, junxit. quæ, cùm amore sui religionis veræ amorem, cunctanti licet animo, subjecit: ut cum deinde periculoso certamine Marcodurum inter Coloniamque, Tolpiacensi in agro, collideretur, favente jam Alemannis victoriâ, concepto fidei Christianæ voto, repentè non solum spem labantem erexerit, sed ipso Alemannorum Rege cadente, illustri prælio victor redierit, reliquis supplicibus pacem impertitus. Quâ victoriâ terrorem latè omnibus, sibi gloriam immortalem conciliavit. Nec voti immemor, Tullis per B. Vedastum, Rhemis per

An. Chr. 496. * *alii* Crotildim.

498. Chlodoveus per Chlotildem conjugem instructus, Christo fidem in discrimine pugnæ addicit.

Hinc marus in vita S. *Remig. Greg Tur. l. 2. c* 30. Rhemis baptizatur.

S. Remigium in fidei orthodoxæ disciplina instructus solenni hic baptismate cum proceribus suæ gentis expiatus est. Ad quod, cum sacrum deficeret oleum, columba ampullam, alibi de Ministri raptam manibus, attulisse fertur, unde hodiedum Regum capita consecrantur. Ludovici * nomen à baptismo Rex tulit, ut à S. Remigio legimus usurpatum: quamvis Chlodovei promiscuè hæserit.

499. * *alii* Hludovicus *vel* Ludvinus *scribunt.*

Subhæc Maximianus Trev. Archiep. moriens *Vibicii* cathedram aperuit. quando hæresis Arriana per Gothos illata, passim invalescens Burgundionum quoque Reges corripuit, ubi cum duobus fratribus sublatis (inter quos Chilpericus Chlotildis pater) Gundobaldus licet ætate minor, armis tamen potior, à Chlodoveo, seu vindictæ, seu religionis studio hostiliter peteretur, Godegisilus tertius fratrū ad opē postulatus, repentè cum Francis arma sociat, plus ab illis, quàm fratre securitatis expectans. Hinc Gundobaldus se Avenionis mœnibus tueri coactus, tandem Chlodoveum annui tributi pactione ad pacem inflexit, licet fratrem postea interceptum fefellerit. adeò sanguinis jura vilescunt, cum regnandi affulgent. Porrò hæresin deinde magis agnoscere, quam publicè detestari visus, Catholicis manus abstinuit. Cæterùm Alaricus Visogothorum in Gallia Rex, cum passim in excidio ac sanguine etiam orthodoxorum verteretur, Chlodoveo occasionem ulciscendi præbuit. Quare, licet Theodoricus Ostrogothorum in Italia Rex gravissimis epistolis Chlodoveum deterreret, Alaricum cum bello impetit, atrocissimáque Vocladensi in campo pugnâ stratum, vitâ simul regnoque Tholosano, postquam 38. annis id Gothi tenuissent, dejecit. Hinc actis S. Martino apud Turones gratiis, cui hoc bellum supplex commendarat, Arrianorum per Galliam insolentiam repressit. Laudabili Regis instituto, nisi cupiditate super omnes imperandi, etiam consanguineos per Galliam Regulos, vi dolóve, ut apud Colonienses Sigibertum, apud Treviros Heribertum, apud Ambianos Cha-

505. Clodoveus devictis Gothis, regnum Tholosanum occupat. Arriani extirpati. Chlodoveus ceteris per Galliam Re-

Chararicum, apud Camaracenſes Ragnacharium, apud Cenomanos Rignomerem, ſuſtuliſſet. Ita magnorum juxta ſcelerum & virtutum Rex idem exemplar reliquit. digniſſimus qui multis imperaret, niſi ambitionis in ſe nimius amator, in aliis ultor extitiſſet. Quam moriens, eum regno in quatuor filios diviſo, cupiditatis quoque labem partitus eſt, poſtquam annis XXX. præfuiſſet. In filiis Theodoricus ante conjugium ſatus, natu major Auſtraſiam tenuit, Childeberto Pariſii, Clotario Sueſſiones, Aurelianum Clodomiro ceſſit. Auſtraſiæ verò regnum, ab oriente Rheno primò clauſum, Thuringiam deinde Alemanniamque adjecit; ab occidente, Matrona flumine medio, Pariſiorum fines tangebat: verſus meridiem terminatum Burgundiâ: verſus ſeptentrionem verò, ad oceanum borealem excurrens; cisrhenanam Germaniam, Lotharingiam, Campaniam Rhemenſem Belgicamque complectebatur. Quidam ſcriptores, hanc inter Moſam & Rhenum Galliæ partem Auſtriam, reliquam vero Ligerim inter Neuſtriam dixêre, Burgundionibus & Aquitanis ſecluſis. Palatina civitas Mediomatricum urbs (nunc Metis, quaſi Mater, dicta olim Divodorum) Regum ſedes fuit. Metropolitanæ Eccleſiæ geminæ; Auguſta Trevirorum, jure priſco, & Durocortorum, ſeu Rhemorum jure novo, S. Rhemigii & Clodovei iſtic inaugurati prærogativâ, unde utramque deinde Eccleſiam ſynodos judiciaque ab Hormiſda Pont. indulta ſociaſſe compertum eſt, eâ lege, ut Epiſcoporum prior electione, anteiret & ſedendi dignitate.

gulis, etiam conſangvineis, regimẽ cum vita aufert.

An. Chr. 511. *Greg. l. 3. c. 1. Aim. l. 4. c. 58* Regnũ Gall. moriens in 4. partitur filios Auſtraſiâ Theodorico oblata, quæ Treviros complexa eſt

Sedes Regũ Auſtraſiæ Metæ, Treviris & Rhemi Metropoles.

Theodoricus igitur primus Auſtraſiorum Rex, ut Rheni limites, barbaris maximè infeſtos nationibus, fortitus erat; ita Danos, ſub Chochilaico Rege, claſſe in Rhenum uſque provectos adortus, per Theodobertum filium, jam armis maturum juvenem, inſigni clade multatos rejecit. Nec multò poſt Herminefrido, Thuringiæ Regi Bertharii fratris oppreſſori, adverſus fratrem Baldericum feliciter adſtitit, parte terræ occupatæ in victo-

512. Theodoricus Rex Auſt. Thuringiæ regnum ſibi adjicit.

513.

524. victoriæ præmium oblatâ; quam cum is deinde negaret, totum eidem regnum victor extorsit. Itaque, ut

S. Rhadegundis Thuringa quondam Bissini Regis uxor, sic nunc hereditas tota ad Francos delata est, filiis dum se mutuò regni in parte non sustinent, toto excidentibus. Superfuit ex hac stirpe Bertharii filia S. Rhadegundis Pictavensi Partheno ni, inclusa. Par in Burgundionum Reges opprimendos vel odium, vel cupiditas Francorum Reges inflamma bat; quòd avum Chilpericum Gundobaldus frater op pressisset: ex quo nunc Sigismundus & Godemaru præerat. Nec difficilè fuit junctis armis vincere. Utr que regno, Sigismundus etiam vitâ, excidit. quanquam

An. Chr. 526. Theodoricus Rex Avernos ad obsequium revocat, ipse ob vasta templa plexus.

Godemarus postliminiò Gothorum ope redierit. Theodoricus tamè à fratribus postea Burgundis ad Arvernos qui ad Childericum fratrē transierant, bellum vertit: templorū spoliis miles inhians, & post Rex ipse, amenti plexus, S. Quintiniani Episcopi, urbis Tutelaris, mana plagam simul spolians & præsidium resipiscens obtinuit Unde ad Trevirensem Ecclesiam eximiæ postea fam Sacerdotes traducti sunt; ut hac ipsa ditari clade sit visa & quadam Regis sui stultitia ad sapientiam proficere.

An. Chr. 528. Vibitio Archiep. mortuo, Aprunculus legitur.

Inter hæc Vibitius, seu ut alii Fibitius, præclarus me ritis Trevirorum Præsul, extremum morte glorios diem clausit, quinto Novembris die memorandus, q in Oratorio juxta Mosellæ pontem conditus, locum hu prodigiis olim nobilitavit. Cujus deinde insulam *Apru culus*, seu *Aponoculus*, pari vitæ integritate sacravit.

* *à triplici seu triangulari inter Mosellã & Rhenum agro, communius trichoria.*

Claruit hoc, sub Vibitio, tempore in trigonia * a Rhenum S. Goar, à quo loci nomen mansit, infra Fic liam. Is deserta Aquitania, ubi genere atque opibus flo rebat, soli inter exteros vacare Deo, proximorumq saluti decreverat. Unde huc allapsus, indulgente Tre Archiepiscopo Oratorium ad litus Deiparæ sacrum, ho spitalemque advenis, egenisque inprimis excipiendis domum erexit; ut saluti quà corporis quà animæ per grinorum sese ministrum impenderet. quod existimar utrumque hoc obsequium aptè, ad conciliandos viru

Wandelb. apud Sur. tom. 4. Iul. mense.

hom

homines, sociari. His ipse diversorium, his epulas, his divinum sacrificium (cui Sacerdos operabatur indies) his institutionem suam impendebat, ac siquid deinde ab oratione & hospitalitate superaret temporis, hoc in idololatriæ, quæ nondum ubique exoleverat, subversionem orthodoxæque fidei propagationem, egregiâ sedulitate, vertebat. Quo jam nomine latè ejus virtutum fama increbescebat; ut honor, quem in Aquitania fugit, hic eum sit assecutus; sacer tamen non profanus. S. Goar. ad Rheni litus inclaruit.

Et memoriâ dignum est, quod Attalo, nepoti B. Gregorii Lingonum Episcopi, ex prima illius gentis nobilitate evenit. Is enim post bellum Theodorici, cum fratre Childeberto, pace conciliatâ, vel ut obses, vel ut captivus in servitutem Trevirici civis emancipatus, triste jugum subibat, frustráque jam diu á Gregorio quæsita erat adolescentis miseri libertas, quando Leo quidam è famulitio culinario Gregorii se vindicem obtulit, Treviroque profectus, in ejusdem civis mancipatum abiit, utque erat industrius, gratiam occupavit; sed opportunitatem Attali subducendi nactus, uterque, dum convivatur alibi Dominus, raptis equis armisque in fugam se avertunt: observati tamen, cum persecutores à tergo imminere sentiunt, relictis equis armisque, solâ adhibitâ ad præsidium natandi parmâ se in propinquum Mosellæ flumen abjiciunt, quo divinâ ope superato, incolumes evasêre, & Leo non tantùm libertate, sed amplissimo prædio à Gregorio donatus, illustre fidei præstitæ munus tulit. *Greg. Tur. l. 3. c. 15.* Attalus illustris adolescens captivus apud Treviros mirè eripitur.

Ad rationem porrò temporum spectat, quod sub Mavortii Consulatu Romæ anno salutis, quem vulgò ponimus DXXVII. Dionysius Exiguus Romanus Abbas, cyclum suum Paschalem exorsus, annos à nativitate Christi numerare cœperit. qui deinde supputandi usus, à Romana acceptus Ecclesia, universè sensim introduci cœpit. Cum aliàs, Reges plerique tantum indicare, aut Imperatores eorumque supputare annos, in Galliis etiam à S. Martini morte distingvere tempora, consuêscent. An. Chr. 527. Æra Christiana à Dionysio. ante quã varia supputandi annorũ ratio fuit.

scent. Deinde ab Annunciatione etiam hic ducerent, & Treviri quidem serius ab illa, hoc est, post Nativitatem calculum auspicando hodiedum usurpent: licet principio naturæ ordinem fuerint secuti, post ob incommoda neglectum.

532. S. Nicetius in Archiep. Trev. eligitur Aprunculo mortuo, cujus apud S. Paulinum & Springirbacenses memoria gloriosa est.

Clauserat haud multò post in morte, oculos Aprunculus Trev. Archiep. quando collectus urbis Clerus & Gallum Avernum à Theodorico Rege flagitat; sed cum hunc aliò Rex destinasset, *Nicetium* ex eadem gente primæ nobilitatis, probatæque virtutis hominem deligunt, qui omnium exspectationem supergressus, illustre hujus Ecclesiæ sidus emicuit. S. Aprunculi monumentum D. Paulini basilica exhibet, cum hac in B. Clementis ara epigraphe. *Hic jacet S. recordationis Abrunculus: hujus Sanctæ sedis Archiepiscopus, cujus depositionis dies* X. *cal. Maij observatur.* Maxima tamen Reliquiarum pars ævo posteriori Sprinckirsbachensi illata, infra Trevirorum monasterio, pretioso istic loculo asservatur; prodigiis etiam frequentata, non obscuro post mortem feliciori sorte viventis argumento.



LIBE

LIBER VI.

Ioannis II. *Papæ. Theodoricus Austr. Rex Nicetius Archiep.*

NIcetius ex Avernis, aut Lemovicensi Monasterio, Regis Theodorici comitatu Treviros deductus, impositusque cathedræ, Apostolico statim spiritu, impietati se opponere, & pietatem erga Deum proximumque urgere cœpit. Ipse fovere miseros exulesque, pauperibus erogare stipem, sacrarum ædium urgere cultum, instaurare ruinas, refractarios verbis primùm, mox etiam diris Ecclesiasticis perstringere: ut vereri illum omnes; ille neminem, præter Deum, videretur. An. Chr. 532. Nizetii zelus ac pietas.

Theodoricus denique Rex Austasiæ hanc egregii principatus labem ultimis regni annis contraxit, quod plus adulationi Syrivuldi impostoris, quam innocentiæ Desiderati Virdunensis Episcopi largitus, hunc opibus & honore spoliatum, in exilium relegârit. Quo ignobili actu, in Gothici contra Amalasventam Italiæ Reginam apparatu, diem clausit, sceptrumq; *Theodoberto* filio reliquit, qui suam Desiderato mox sedem, gratiamque restituit. Ceterùm, cùm thalamo Visigardi conjugis illicitos Deuteriæ amores junxisset; Regem Treviris agentem & delicti proprii, & aulicorum paria audentium licentiæ commonefecit Nicetius, hosque etiam restitantes sacrorum communione publicè interdixit. Qui cum sacris, dominico die, unà cum Rege sese ingererent, Nicetius ab ara ad populum versus negavit sacra mysteria, nisi his excedentibus, peragi posse. Cumque Theodobertus, non sine criminatione Præsulis, procereſq; obluctarentur, energumenus puer, elatâ voce, castum Episcopum, Regemque adulterum, ac Satanæ, nisi pœniteat brevi, tradendum, proclamat; ut hic salu- 533. Theodoricus Rex vita functus Theodobertum fil. successorem habet, quem ab illicitis amoribus Nizetius severè absterret.

bri

bri horrore, ac scelerum pœnitudine perstrictus, meliori subinde cum suis agitare consilia cœperit.

Nec deerant in aula viri, qui sapientia etiam virtute que præstarent. In quibus Condo, sive Condanes, ex militum tribuno nunc Domesticorum Comes, & post etiam Curopalates, seu Major domus. quo in officio ad Sigebertum Regem usque perstitit, Fortunati versibus celebratus: ut melioribus deinde exemplis Rex locum fecerit. Ex ejusdem aula nobilem Ephebum Lemovicensem Aredium conspicatus Nicetius, hunc indole ad virtutem idonea, spontè ruentem impulit; ut caducis spretis, divino sese cultui manciparet. qui Nicetii ductu literis studiisque sacrarum rerum excultus, tam rari mox in Clero exempli fuit; ut columbâ etiam cælitus missâ, (quæ capiti humerisque, licet sæpius pulsa, identidem, ac diebus pluribus, insideret) Deus juvenis sanctitatem haud obscurè probaret. Abbatis is deinde functus munere, Fortunatum Vatem sibi in carmine supplicantem pro sua apud Deum intercessione habuit.

lib.7. Poëm. 16.

Præter malos etiam probi in aula Theodoberti. In quibus Aredius.

Greg. de glor Confes. c. 93.

Innocentia Aredii cælitus probata.

lib.5. poëm. 20.

An. Chr. 535. Synodus hoc tempore Arverni celebrata Theodoberti assensu est, cui S. Nicetius cum Grammatio Metensium, & Desiderato Virdunensium Episcopis adfuit. ubi Sacerdotum cælibatus severis legibus adstrictus est, cautumq; de pontificalis dignitatis ambitu; quòd is meritis, non postulatis tribuendus sit. denique Cleri disciplina est instaurata.

Synodus Arvernensis.

537. Exortum sub hæc in Italiæ monte Cassino novum Religionis sidus, S. Benedictus, quod latè mox tota Europa sparsum, radios in Galliam, per Maurum Faustumque discipulos, Treviros usque effudit. ubi hodiedum diversis Abbatum Virginumque Monasteriis, ceu stellis minoribus effulget. ut urbs sola quatuor illorum mitris decoretur. Affulgebat ejusdem ævi Rhemis Theodulphus Abbas, ex S. Remigii disciplinâ, dignus Magistri discipulus, qui tribus passuum ab urbe millibus natalium splen-

S. Benedictus & Theodolphus Abbates.

splendorem humili permutârat eremo, & se suosque alturus, non tantum Psalterium, sed & aratrum manu versabat, nunc laborans, nunc orans: quo in studio nonagenarius mentem cœlo, corpus terræ tradidit, quod postremò delatum Treviros, illic hodiedum in S. Dominici basilica incorruptis Reliquiis perstat. *Flodoard. in hist. Rhem. l. 1. c. 25. & l. 4. c. 13.*

Celebrata quoque id ætatis D. Maximini jam olim defuncti memoria, ibatque fortè Rex Theodobertus eum venerandi gratiâ ad monumentum; cùm ecce homo Francus Arbogastem Presbyterum, injuriarum coram Rege, isque rursum Francum accersit. Rex ut paucis quæstionem absolveret: age, inquit, Arbogastes, jurejurando, si insons es, super Divi tumulum, purga facinus. Nil moratus ille, extensâ in tumulum dexterâ mortem sibi, nisi innocens sit, imprecatur: nec surdo adhæc numine, ubi discessum molitur, ceu fulmine ictus concidit, scelus moriendo confessus, quod vivens negârat. Unde solenne multis in causis, huc purgandi gratiâ, juramento delato recurrere. Quod, cum Archidiaconus, sub Nicetio, causam dicturus de adulterio, suscepisset: jamque, arguente conscientiâ, accederet propius, attonitus febrique impallescens, crimen supplex profitetur, deprecaturque. Qua demissione ipse veniam, D. Maximinus gloriam laudemque habuit, ut qui non minus subjectis miserationem, quàm contumacibus pœnam impenderet. 538. Falso juramento se purgantes ad D. Maximini sepulchrum puniuntur.

Hærebat adhuc Deuteriæ adulteræ amor Regi, quæ cum ex primo marito adultam modò, Regisque libidini, & ætate, & forma opportunam nutriret filiam, ut sola totum possideret, vehiculo bobus indomitis tracto impositam, Viroduni in Mosæ flumen præcipitem rapi de ponte est passa. Quo zelotypiæ flagitio nobilitatis totius Regisque odium promerita, quæsitum scelere perdidit amorem, & Theodobertus alienâ insaniâ sapere didicit, Visigarde in thalamum resumpta. Deuteria adultera à Rege ob parricidium rejicitur.

Nec diu Regi à bellis quieto esse licuit. cum enim Belisarius Justiniani Imp. dux Theodaati Regis Gothorũ,

ob Amalasventam conjugem in balneo suffocatam, cri-
men ulturus, Siciliâ, Neapoli, Româque potitus, Ra-
vennæ propius immineret: Vitiges Rex in Theodati
à vulgo interempti, locum succedens, postquam sexa-
gies novies parum feliciter pugnatum esset, Theodo-
berti auxilium postulat. Nec tergiversatus ille centum
hominum millia Italiæ intulit, sed, nec Gothis, nec Gra-
cis, mutuâ clade attritis, laturus opem, sibi præ ceteris
regnum favit. primumque Gothos, qui ut amicum ex-
spectabant, adortus, castris, milite, omnique commea-
tu exuit. Quo brevi, & sine emolumento ad victoriam
consumpto, fame ac morbis perfidiam luit: Italiamque
Græcis Gothisque, alternante inter Belisarium & Nar-
tem Justiniani, tum Vitigem, Totilam, Tejamque, Go-
thorum Duces victoriâ, discerpendam reliquit; dom
hi demum profligati, per auxiliares Græcorum Longo-
bardos è Norvegiâ gentes, eis in belli præmium cedes
possessione, anno 568. coacti sunt. Adeò nihil non so-
lum in hominibus, sed nec integris quidem regnis sta-
bile mundus possidet.

An. Chr. 539. Theodobertus à Gothis contra Græcos in auxilium vocatus, utrisque adversatur.

Italia demũ Longobardis cessit.

Theodobertus verò, cum foris novum sectatur re-
num, domi prope amisit proprium. Nam Childebe-
tus & Clotharius bellicosum veriti nepotem, junctis
undem aggrediuntur armis; at cùm firmiorem ar-
mo, viribusque, ac fide suorum comperiunt, quàm
frangi posset, Childebertus vindictæ tolerandæ propi-
vafrè belli culpam in Clotharium amolitur, seque ul-
scendæ injuriæ socium Theodoberto offert, qui, de
in suum emolumentum verso, admittit præsidium,
repentè aleam belli vertit, Clothario jam impari,
nusquam tuto. Chlotildis mater impias filiorum ac
detestata, cum frustra inter illos supplex discurreret, ta
dem ad Deum Divique Martini intercessionem con
sa, sævissimam ab infesto cœlo ventorum grandinisq
tempestatem exoravit, quâ Theodoberti & Childe
paci maximè obluctantium, copiæ adeò afflictæ sun

An. Chr. 540. Theodobertus absens ab utroque patruo invaditur, sed reversus utrisque superior, Childericum sibi jungit.

intactis Clotharii, in silvam recepti, castris; ut pacem ab hoc postulatam, jam in beneficio numerarent. Tam pronum Superis est, ipsos etiam victores victis supplices prosternere, bellumque in pacem transformare. Ceterum Theodoberto adhuc belli contra Justinianum, qui se Francicum Triumphatorem temerè jactabat, in Italia gerendi cura sedit. quo Buccelinum Ducem, cùm, non sine armorum successu, immississet, animosior, in ipsum orientem bellum ingens meditabatur, nisi mors 547. interveniens hæc aliaque genetosæ mentis consilia intercepisset. Rex bello ac pace magnus, nisi Venerem sociasset Marti & ignominiam gloriæ, victor sæpe aliorum, denique etiam sui. Religionis Catholicæ & cultor & propagator egregius. tam excisis Gothis Arrianis metuendus, quam Ecclesiis monasteriisq; ditatis amandus. B. Mauri claustrum fundis vectigalibusque ornavit auxitque. Florum, ex prima suorum Ducum nobilitate, ingredientem Rex ipse, nec sine lacrymis, totondit. Virdunensem Episcopatum urbemque, insigni liberalitate, ab egestate sublevavit. Mediomatricum quoque, & Moguntiacam Ecclesiam pari illustravit munificentia, ac Berthoaræ filiæ egregiis eandem dotibus religiosæque vitæ exemplis decoravit. Ut vitiorum ejus deformitas, hac virtutum luce, utcunque sepulta deliteſcat.

Chlotildis Mater miraculo pacem impetrat filiorum, & nepotis.

Theodoberus denique rebus se divinis impendit, multaq; Ecclesiis largitur.

Theobaldum * adhuc ætate imbecilli succedentem sub cura Condonis Domestici, Parthenii fæda mors ad tributorum moderationem erudivit. Hic & Patris morbo, & filii infantia, & propriâ cupiditate ad insolentes exactiones abusus, Papianillæ quoque conjugis, & Ausonii amici cæde contaminatus, cum invisam Deo hominibusq; animã traheret, Treviros ad Episcopos aramque Divorum, sed frustra, confugit. Conjux cum amico ad tribunal Christi evocant, plebs furiosa ad templum consecuta, latentem ex arca protrahunt, eductumque ac columnæ alligatum, per multa ludibria, ac denique cruentam lapidationem extingvunt. Nobiliorem genere (quo ex Aniciis, cum Ruricio ejus temporis

*Theodualdo *alii* 548.

Theobaldus filius brevi tempore vitæ succedit.

Greg. l. 3. c. 36.

Avari & crudelis Parthenii supplicium. An. Chr. 549.

Epiſcopo erat) quam virtute hominem, quem gulæ abominanda ſervitus vetuſtis poterat Apiciis, avaritiæ & cupiditas Tantalis æquare.

550. Synodus Aureliana de Paſchate.

Aureliis ſub hæc ſynodus Epiſcoporum Galliæ collecta, de Paſchate ritè colendo, clericique diſciplina curanda decrevit. Nicetius verò non tantùm Eccleſiæ pace excolendæ, verùm & bello defendendæ curam ſuſcepit: quod novitios Regum principatus turbis eſſe obnoxios non ignoraret. Quare ſupra Confluentes undecim circiter millibus, ad Moſellæ oram, in non admodum elata rupe * Caſtellum, propugnaculis egregiè, triginta circum turribus, munitum educit. quod Fortunatus, inſpector operis, ſuo carmine adumbravit, hodiedum unica ſolum turri, oratorioque tribus ſanctis Mariis conſecrato, relictum eſt, illius tamen ævi, etiam ſub Regibus, non contemnendas Præſulum opes repræſentat.

**Hinc* Biſchofſtein *dictum.*

Munitum Biſcofſtenii caſtrum Nicetius excitat.

Hinc Nicetius ad Aurelianam rurſus, eamque quietam, profectus ſynodum, cum Valerio Tullenſi aliiſque Epiſcopis quædam Eutychetis ac Neſtorii ingularum dogmata; Sed & Sacerdotum pudicitiæ, ac ſervorum libertati novis ſanctionibus conſuluerunt. Illud in cæteris memorandum, quod Archidiaconi, vel Eccleſiæ Præpoſiti, quot dominicis jubeantur obire carceres, & præbere vinctis, de Eccleſiæ redditibus, alimenta. Epiſcopiſque mandetur, diœceſi totâ egentibus ægriſque ſuppeditari præſidia.

552. Alia ſynodus Aureliana providet captis & egenis.

Theobaldus, hinc à Juſtiniano orientis Imp. indictus Totila Gothorum invitatus, huic denique ſub Buccelino & Leuthari fratribus Alemannis auxilia 72000 ſubmiſit. qui, ut primi Francorum ferè impetus felices infelici (ubi bellum peregrinis in terris ducitur) cladduntur exitu, ita à Narſete Græcorum Duce, ſemiviris fortiſſimis fortiore, denique ad capuam deleti ſunt. Quibuſcum penè in Auſtraſia Theobaldus, Ventenervati patris enervis filius, paralyſi interiit, Clotharioque

Theobaldus infelici ſuos expeditione in Italiam pro Gothis mittit.

554.

rioque propatruo regni hereditatem improlis ipſe tranſcripſit. Childebertus ſe à pronepote excluſum dolens, & Saxones in arma, recuſantes tributum, concitat, & ipſe Auſtraſiæ regiones violentus invadit. Clotharius adverſus illos primò egreſſus, cum impares viribus premeret, ſupplices habuit, accepturus in veniam, niſi minaciter ſuo Regi proceres obſtitiſſent. Ad pugnam igitur cum ventum, deſperatione ſtimulati Saxones, tanto in Francos devolvuntur impetu, ut vi atque internecione quoſvis ſternerent obvios, ſuppliceſque mox ad pacē haberent eos, qui ſupplices ſpreverant. Tanta pugnantium vis eſt, ubi deſperatio vires ferrumque exacuit. Laudanda Saxonum humanitas, qui in victoria, parcere licet nolentibus, Francis pepercêre. Childebertus interea cuncta per Belgicam ſecundam depopulatus, in Ruſticis immerentibus plexuit, quod Domini peccarunt: & hoc extremo facinore effœtam ſine liberis in morte ætatem concludens, dum Clothario ſua eripere conatur, propria etiam deſeruit. Qui Monarchiam ſortitus, Legis ſalicæ beneficio, nec filiás quidem Childerici duas cum Matre paſſus, ejecit miſeras in exilium, nullius reas criminis, niſi quod fratre eſſent genitæ. Ceterum adhuc in ſenio libidinis mancipium, ad duas in thoro ſorores Chunſenam & Ingundem, etiam fratris Clodomiri uxorem, & pronepotis Theobaldi Waldotradam, formâ inſignes, ſibi copulavit. At tam inceſtuoſum Regem Treviris dominaturum non tulit Nicetius; ſed iterum iterumque, cum interminatione fulminis Eccleſiaſtici commonitum, licet exilia pœnaſque minaretur, ſacris palam interdixit. Nec tulit ignominiam Clotharius, ſed aliis Epiſcopis ſibi conciliatis, proſcripſit Nicetium. Id ea tempeſtate eveniſſe credibile eſt, quando Rex cum filiis ad Caſtrum Regum Auſtraſiorum Antonacenſe, quod infra Confluentes Rheno imminens Fortunatus deſcribit, per Treviros delatus eſt, cùm recenti adhuc memoria Nicetius inguinariam peſtem, atrociſſimè Europâ totâ, atque hac præcipuè in

An. Chr. 554. Clotharius Theobaldo improli ſuccedit pronepoti.

Saxones victores victo Clothario pacem concedunt.

557.

Clotharii in fratris uxorē & filias immitis animus, & in ſenio libido.

559.

Nicetius Regem excommunicās proſcribitur, brevi à morte revocandus.

560.

urbe graſſantem, ſuis apud Deum meritis precibuſque extinxerat. Quod tali prodigio cognitum eſt. Dum nocte media, reliquis dormientibus, ſupplex pro grege ſuo ante Deum ſanctus Antiſtes procumbit, fragor, juxta pontem, tanquam dehiſcentis ad urbem deſorbendam terræ inaudiri, cum his vocibus, incolarum auribus ingeſtis, cœpit. *Cedamus; ut quid hic moramur, ubi ad hanc portam Eucharius, ad alteram Maximinus, urbi media Nicetius excubat?* Simul omnis lues, cum hoc Tartari claſſico evanuit.

Nicetius urbem peſte liberat.

An. Chr. 561. Exulatum cum uno abit Diacono, præſcius futurorum.

Jam quoque exulatum ibat Nicetius, uno hærente latus Diacono. Ad quem vir ſanctus, *ut quid tu ſolus conſectaris exulem, nec reliquorum exemplo Regi adulaberis?* Cui poſtquam animosè reſpondiſſet: *Nullus me caſus, præterquam mors ſola, à Domino avellet.* Rem excepit Præſul, *eſto animo, ille nos dies horaque, quam ſignabat, in ſede reponit, quique nunc deſeruêre, ſupplices accident culpam deprecaturi*, quæ ſuo eventu veritas conſtitit, ut in pluribus divinus Antiſtes revelationum lumine clarus fuit. In ceteris, regni ipſius Franciciſtuitus magnitudinem, converſionem, periodumque excelſa turri eſt, quam gradatim alii aliique vallarent Angeli, Chriſtusque faſtigio inſiſtens clauderet. Inquos Spiritus unus, ingens manu volumen complexus & præſentium & futurorum Regum nomina fortunaque atque annos edebat, reliquis Angelis ad ojuſque fata *Amen* conclamantibus. Unde occulta Nicetius de hoc regno diſſerebat, velut ex diphthera, poſtea haud fallibili experimento probata.

Viſio illius & revelatio de regno & Regibus Francorum.

Inter hæc Chramnus filiorum Clotharii natu majo patri, ſi mores improbos libidinemque ſpectes, ſimilimus, niſi quòd tyrannico etiam vinceret ingenio. H Aquitanis præfectus, regnandi cupiditate mortem p tris prævertere, neque audire monentem, ſed pro lu dine adminiſtrare omnia, cum hoſtibus etiam miſer conſilia. Ergo armata poteſtate occurrit, filiumque

In Chramnũ perditum filium Clotharii exercita crudelitas.

sum marte congredi, vincit, capitque, supplicemque cum uxore & liberis, nec conspectu quidem dignatus, rustico cum suis inclusum mapali, immissis flammis consumit, tanquã filii rebellis culpam omnes contraxissent & pœnitentiæ apud homines locus non esset, quam sibi haud multò post Clotharius ipse moriens apud Deum flagitabat. Tam nobis ad ignoscendum faciles aliis difficiles reperimur; qui tamen indies Patrem obtestamur: *dimitte, sicut dimittimus.*

Morte Clotharii monarchia regni in tetrarchiã rursum versa.

Clothario mortalibus erepto monarchia Galliarum rursus in tetrarchiam versa est, regnumque in quatuor filios divisum, ita ut Chereberto Parisii, Sigeberto Austrasii, Chilperico Suessiones, Guntramo cederent Aurelianenses. Nec mora, Sigebertus legato ad Nicetium, eo quo prædixerat tempore destinat, exiliique mandatum rescindit. Is reversus, cum extrema sibi etiam imminere prospiceret, resque Trevericæ Ecclesiæ tranquillo felicique in statu collocasset, à B. Paulo Apostolo, & Joanne Baptista ad cælestis gloriæ coronam, quæ illi in auro gemmisque radiante diademate objecta est, invitatus, ipsis cal. Octob. immortalibus sociandus discessit; ac tum primùm ab exilio ad veram se comperit patriam transmigrasse. Tumulus ipsius ad S. Maximinum prodigiis variis illustratus hodiedum supersest.

562.

Sigebertus fil. in Austrasia succedens revocat Nicetium, brevi moriturũ.

An. Chr. 563.

Rusticus in locum Nicetii delectus, majori sanctitatis specie, quàm usu principiò hanc Ecclesiam moderabatur, in Choro castus, in thoro Regum suorum exemplo pollutus. Interea famæ ipse innocentis, innocentioris vitæ hominem B. Goarem, qui ad Rheni oram divinis laudibus proximorumque saluti impensè serviebat, malevolorum traductum calumniis, ad tribunal evocat. Crimen hospitalitatis liberalitas, ab Albuvino & Adalvino accusatoribus pro luxu in convivis habita, fuit. Cumque iisdem Ductoribus per solitudinem Treviros incederet, æstuque ac defatigatione miseri succumberent, aquis deficientibus cervam fortè obviam Divus stitit, cujus lacte refecti postquam viam absolvissent, &

Rusticus Arch. Nicetio defuncto, non pari cõtinentiâ succedit.

565.

S. Goar ad tribunal à Rustico citatus huncin-

ceſtus per infantem reum agit.

hoc ipſum magicis, coram Ruſtico Cleroque ad judicium collecto, fuit artibus tributum. Quare cum S. Goar teſtes ſuæ innocentiæ nullos præter ſe Deumque adduxiſſet, neque excuſantis tantùm verbis haberetur fides, Leobigius Cleri Matricularius fortè intervenit, abjectumque à Matre partum infert, ut, quid illo faciendum, Epiſcopum ſciſcitetur. Qui ſe minimè tangi ratus, jubet S. Goarem edere hujus infantis parentes, ad ſuæ innocentiæ patrocinium. Tergiverſatus ille primùm, cum gravius urgeretur: ad ipſum verſus infantem, in nomine Sacroſanctæ Trinitatis jubet Genitores ennuntiare. Nec cunctatus infans, exporrectâ in Antiſtitem dexterâ: *Iſte*, inquit, *Pater meus eſt Ruſticus Epiſcopus, & Matri Flaviæ nomen eſt.* Attonitis defixiſque rei novitate omnibus, & tam S. Goare, quam Epiſcopo conſcientiâ ſceleris turbato, hujus crimen, illius virtus patuit. Ruſticus igitur ad ſancti pedes abjectus,

Ruſticus agnito crimine gravem pœnitentiam ſanctamq; vitam agit.

coram omnibus indignum ſeſe Epiſcopatu profitetur, meritamque ſubire ignominiam, quâ noxius ipſe innocentem opprimere conatus ſit: contra S. Goar ingemiſcere, flens lacrymanſque, & caſu, & pudore alterius, ſequi etiam ad ſeptennalem pro Epiſcopo offerre pœnitentiam; eandemque ſuadere Ruſtico, quam & volens lubensque, tantáq; ſeveritate, in Monaſterio Deiparæ, Reginæ Martyrum ſacro, ad Moſellæ oram, juxta urbem ſuſcepit; ut ſanctitatis deinde laude, ceu David alter, celebratus ſit. Sigebertus verò Auſtraſiorum Rex, ut factum cognovit, evocatum ad ſe S. Goarem Archiepiſcopali nequicquam ſedi admovere conatus eſt. Nam cum nec Rex à ſententia Goarem admovendi, nec hic recuſandi dimoveri poſſet, obtentis S. Goar viginti dierum induciis, febrim à Deo exoravit, quæ ſeptem ipſos annos langventem detinuit, quibus ſuſtinendo imparoneri honorem devitavit: Magnerico interea munus ut credibile eſt, Epiſcopale obeunti. qui defuncto poſt ſeptennalem pœnitentiam Ruſtico, cathedram plenæ jur-

An. Chr. 566. S. Goar, ut Archiepiſcopatum declinaret, febrim ſeptennalem à Deo exoravit.

jure est assecutus : unde quorundam manavit error, hunc proximè Nicetio sufficientium.

Longobardorum hoc tempore Rex Alboinus (cui ab hæresi avertendo, uti & Justiniano Imperatori Nicetius, ut literæ ad utrosque testantur, frustra operam impenderat) ex Pannonia sese in Italiam effundebat, novum istic regnum auspicaturus, quem Saxones magno numero secuti, cum exhausissent viris agros Suevorum, pugnacem istuc gentem Austrasiæ Rex Sigebertus traduxit; simulque Hunnos Turingiæ infestos primùm ferro, deinde & auro expugnare aggressus, federatâ sibi pace obnoxios reddidit. Inter quæ Chilpericus frater proximas Austrasiæ regiones armis sibi vendicare aggressus est. Verùm, ubi Hunnis relictis Sigebertus adfuit, victore exercitu Suessionum urbem, simul cum Theodoberto Chilperici filio, felici expugnatione occupavit. Chilpericumque mox ad pacem, restitutâ prole, pronum habuit. Sed Chereberti Parisiorum Regis Fratrisque sine liberis mors, rursum fratres in arma erexit, dum quisque sibi, imprimisq; Chilpericus partem maximam vendicat, qui Theodobertum filium in regni possessionem contráque nuper juratam ab eo fidem, in Sigebertum potissimùm emittit; sed consueto ferè, ut postea cognoscemus, perjuris eventu, quibus fidem fallentibus, raro fides syncera præstatur.

Longobardi sub Alboino Rege Italiam occupant.

Severi in Saxoniam traducti.

567.

Inter fratres bellum excitatum & compositũ.

570.

Geminorum antea nobis Sanctorum hominum Rustici ac Goaris felix ab hac vita discessus evolvendus est, lætusque infelicibus præferendus. Rusticos septennii pœnitentia adeò cessit ad votum; ut ab hac in divinorum contemplatione, desiderioque cœlestium transfacta, jam terreni honoris, quo se indignum ducebat, fastidiens, ad immortalis vitæ coronam translatus sit, serio pœnitentis absolutum exemplar, ut cecidisse, ad illustriorem sui resurrectionem, videatur. miraculorum gloria in æde D. Paulini etiam à morte probatus. mansitq; sanctè decedentis ad XIV Octobris diem memoria.

Rusticus post pœnitentiam sanctè moritur.

An. Chr. 573.

Magnericus Archiep. ſubſtituitur.

Magnerico, ex ſacra Nicetii diſciplinâ, plebis Trevericæ curâ demandatâ. cujus virtutis æſtimatio authoritaſque apud Auſtraſiæ Reges reliquoſque ordines in præcipuis eminebat. Porrò ſanctus Goar (ut tunc optimi quique, præſtantiſſimæque religionis viri ad hoc munus legebantur) jam quo minus admitteret declivem in ſenium ætatem, laboribuſque imparem obtendebat, neque ſe illa, quâ tenebatur adhuc febri, prius quam mortali hoc corpore ſolvendum, haud irritus Vates, prædicebat. Siquidem biennio poſt Ruſtici abitum, extrema ſibi imminere ſentiens, ad Sigebertum Regem miſit, qui ad ultimum moribundi ſolatium Aggrippinum & Euſebium Sacerdotes rogarent; iiſdemque præſentibus ad immortales, pridie Nonas Julii, ab hac ſtatione tranſiit, corporiſque reliquias in excitato à ſe Oratorio per eoſdem depoſuit. Ubi frequentia prodigioſarum ſanitatum, & peregrinantium accurſus oppidi, quod nunc ibidem viſitur, inſtruendi occaſionem dedit. Præter Bedam ſuo in Martyrologio Rhabanus ejuſdem meminit, addiditque, pallium, cum Ruſticum Epiſcopum convenire, de via feſſum, projeciſſe in ſolis radios: nec ſecus, quam à trabe, ut ratus erat, hæſiſſe ſuſpenſum. Ita cuncta obſequuntur homini, qui obſequitur Deo.

575. S. Goar moriens prodigiis illuſtratur.

576. Sigebertus nepotem & fratres inquietos armis premit.

Anno inſequenti Chilpericus partis minimè acquieſcens, poſtquam in poſſeſſionem Pariſiorum Theodebertum filium miſerat, hunc, contra jusjurandum in patrui Sigeberti ditiones, unà cum Guntramo fratre fœderibus ſociato, infudit. Nec impiger ſuarum rerum Sigebertus, Gundebaldum Ducem adverſus Theodobertum, & mox, illo cæſo, Godegiſilum Gundramumque manu conſilioq; promptos, deſtinat, qui ferocem juvenem impiumq;, quàquà incederet, Eccleſiarum vaſtatorem ultore ferro ad Manes amandarunt. Ipſe contra fratrem progreſſus, Marte ſimul atque ingenio utrumque tenuit: dum primùm Guntramum ſibi adverſus Chilpericum, parum utrique ſua improbitate gratum jungit, mox tamen, cum hunc oppoſitis caſtris premeret, ſeu illius vafri-

vafricie, seu levitate suâ, aut etiam utrisque inductus, cum Chilperico adversus Guntramum progreditur, mutuisque sese fratres armis excidiisque regionum infestant: ut pudor denique subiret, tam probrosi dissidii, animos, Trecisque in æde S. Lupi convenerint, & dextras in pacem juratas sociârint.

Pacem denique initam Sigebertus violat.

Verùm ecce humanæ fidei amorisque fraterni inconstantiam, Sigebertus, ubi ad suos in castra revertisset milites, tumultuari omnes, præsertim Alemanni, indignarique præsentem è manibus victoriam prædámque, quam sibi promiserant, eripi, flagitare hostem, violatæ pacis poscere ultionem. Sigebertus igitur & aliena voluntate, & propria cupiditare in transversum actus, Chilpericum belli totius facem petit, quamvis S. Germanus Parisiorum Episcopus, perjuris malum exitum vaticinatus armis, consilium opponeret. Chilpericus improviso Marte territus, nec par resistendo Tornacum, uxore liberisque ac præsenti stipatus milite, subiit, extremam istic belli sortem experturus. Et Sigebertus quidem, virtute sua plerisque commendatior, magnâ omnium gratulatione excipitur, Victoriaci etiã Rex Parisiorum proclamatur. At hæc principia exitu funestiore concluſa sunt, cujus rectius congnoscendæ tragœdiæ gratia duarum nobis mulierum ingeniosa malitia commemoranda erit. quarum ortum conditionemque nosse conveniet. Fredegondis una, Chilperici concubina potius, quàm uxor, cui legitimæ illegitima succesſerat ex fece vulgi, ingenio tantùm & formâ commendante in Reginæ Audoveræ locum traducta, cum aliter sui copiam Regi depereunti non feciſſet. Altera Brunechildis Athanagildi Hiſpaniarum, Visogothi Regis, filia, legitimo thoro Sigeberto juncta, generisque non minus quam pulchritudinis gratiâ elata mulier, quæ sola, & integrè suum possidebat Dominum; cum reliquorum fratrum regales aulæ lupanaria videri possent, ubi concubinæ plures, vixque ulla proles regia, nisi morte brevi sublata: ut quò libido major, tantò

Duæ mulieres, una Fredegondis concubina Chilperici, altera Brunechildis uxor Sigeberti superbæ & atroces.

omnium

omnium esset sterilior. Audovera tamen legitima Chilperico tres dederat filios Theodobertum, Meroveum, & Chlodoveum; sed immaturo omnes fato sceptris subtrahendos; quod heredes mereri non videretur dignos, qui indignos quæreret. Theodobertum jam mars infelix hauserat, cùm Chilperico patri Sigebertus ante Tornacum immineret, eratque existimatione omnium ille in hujus arbitrio, quando Fredegondis rem supra muliebrem audaciam commenta, duos emissarios maximis provocatos muneribus si evadant; in castra ad inferendam Sigeberto necem destinat. qui, ceu profugi ab urbe, excepti,& à Rege admissi, ex promptis eundem pugionibus confecêre, ipsi aulicorum furore, dum in vicinos quoslibet ferro grassantur, orco quoque immolati. Ita fratrum longè clarissimus Sigebertus concidit, cui Trevirorum vicinæque Ecclesiæ munificas donationes, ac beneficia æternùm debebunt. Childebertum reliquit filium, nondum sceptro maturum, hunc tamen Gundebaldus Austrasiæ Dux Parisiis Metas incolumem traduxit, ubi procerum studio Rex creatus, ipso natalis Christi die regni paterni jura possessionemque capessivit. Brunechildis mater intercepta Rothmagum exul ablegatur. Ubi tamen sensim illa in amores Merovei, et Chilperico nepotis, illapsa, nuptiis cum eodem incestis copulatur, maritum, in Austrasiæ regno,ante filium habitra; sed Pater his offensus, interceptum filium totondit, jussitque imperatâ continentiâ in Clero libidinem expiare, utroque tam nuptiarum, quàm castitatis parum probato consilio, cum pœna non minus periculi haberet ad salutem, quàm culpa. Nec in coacta diu pietate juvenis stetit, evadit invitante Bosone, & asylum apud Gregorium Turonensem Episcopum in S. Martini quærit. Præsul illum à Fredegonde persequente, quæ parum æqua privigno, ob amatam Brunechildem æmulam fuit,tuetur. Hinc ergo elapsus Austrasios, & Brunechildem jam ab eis receptam petit. Sed & hi averti nuptias excluſum rejiciunt. Ut cum denique pax redde

Ex his Fredegondis Sigebertum tollit.

An. Chr. 577.

580. Brunechildis à Chilperico capta, amore Meroveũ ejus fil. capit.

reddendus infelix juvenis esset, in gladium amici Gaileni stringentis volens incumberet, mortemque, ne moreretur, eligeret. Fredegondis lætata hoc eventu, quòd Chlodobertum, quem ex Chilperico susceperat, regno destinaret, unumque sibi tantùm Chlodoveum interimendum supereſſe videret; sed immissâ Deus peste, illum, ex matre pestilente, fœtum sustulit, Fredegonde nequicquam ad hominũ Divûmq; opem confugiente. Tam deinde impia, cùm se neglectã, prole sublata, cerneret, ut Chlodoveũ, fortè imprudentius à Chlodoberti morte sese efferentem, & adversanti Novercæ, spe propriore regni, minitantem statueret opprimere. Quod ut facinus magis ornaret, autorem necis fraternæ juvenem facit, sibique ab eodem imminere exitium, instructâ accusatione, Chilperico persuadet, ideóque injectis Chlodoveum vinculis attinet. tum verò sicarius à Fredegonde occultè submissus adolescentem interemit, persuasumq; misero patri est spontanea morte confectum occubuisse: ad cujus argumentum hærentem in vulnere cultrum reliquerant. Nec satis visum est sceleratissimæ perdere privignum, nisi eundem parricidii crimine oneraſſet: ut nec funeris curam parenti erga filium relinqueret. Cui postremò adjecit, filiis jam sublatis, Audoveram Matrem, adhuc in exilio superstitem; ne supereſſet, qui ad extremam hanc calamitatem ingemisceret, lacrymasque immerentibus impenderet. Per tot flagitia grassanti feminæ aliud mox ad cumulanda scelera insperatò objectum est. Nam cum sollicitus de prole, & regni herede Chilpericus ad legitimam thori sociam adjecisset mentem, eáque re Galsvintam Brunechildis ex Hispania sororem thalamo induxisset, Fredegondis dissimulato dolere, quod impedire non poterat, adulando favendoque ejus amoribus, probabat; donec primis conjugum detritis illecebris reperit, quod in amata carperet. succeſſitque adeò, ut fomentis odiorum crescentibus sensim aversus ad Fredegondem rediret, jam in Galsvinta etiam sterilis, amor. Ergo hæc & suam

Meroveus ob id invisus omnibus desperatè perit. Fredegondis læta filium substituendũ etiã amittit.

Tollit alterũ quoq; Chilperici ex Audovera filiũ & postea Matrem.

Aleram quoque legitimã Chilperici conjugem Galsvintam interimit.

ſuam repoſcere dotem, & velle patriam reviſere domum. quod cùm nec honorificum, nec utile Chilperico, Fredegondis mox remedium in laqueo reperit, quo quieſcenti in lecto fauces eliſit, æternóque ſopore oppreſſam ſepulchro, velut catarrho præfocatam, intulit. Deinde Theodoricum ipſa Chilperico peperit, quem tamen ex cunis inferre tumulo coacta, Riguntem tantùm ex ſe filiam jam viro maturam reliquit. Summo igitur dolore videre coacta eſt, æmulam ſuam Brunechildem cum Childeberto filio Auſtraſiorum Rege ſupereſſe, ad quem ex lege ſalica, niſi maſculum pareret, tam Guntrami, quàm Chilperici improlis ſpectaret imperium.

Childebertus ſucceſſor patruorum deſtinatur Fredegonde dolente. An. Chr. 581.

Et quidem Guntramus jam ſibi Childebertum, adictâ hereditate, contra Chilpericum, impietate ſuâ (quâ & Sabellianam fovebat hæreſin, promoturus ni obſtetiſſent Epiſcopi) inviſum ſociarat. Hic tamen, cum pari ſucceſſionis ſpe lactaret nepotem, eundem ſibi devincire conatus eſt; & denique, Childeberto Maſſiliam ſibi adverſus Guntramum vendicante, occaſionem nactus, eum in ſocietatem hereditatemque juratus aſſumpſit, ſuiſque ad Maſſiliæ poſſeſſionem opibus promovit. quæ poſtremò diviſa, inter patruos nepotemque, pacem repoſuit.

582.

583. Gundebaldus novus Rex emergit, quem Theodorus Maſſil. Epiſcopus excipit. *Greg. l. 6. c. 24.*

Emerſerat interea ex oriente in occidentem Gundebaldus Franeus, cum Græca conjuge, redux. qui ſe quoque ex Clothario regiáque ſtirpe ſatum, in regni Galliarum conſortium, jure ut ferebat ſuo, ingerebat. Hunc enim quondam Sigebertus Auſtraſiæ Rex eadem venditantem, ac Regum Francorum more cæſariem alentem, Coloniæ Agrippinæ tonſum incluſerat. Unde elapſus in Italiam ad Narſetem, atque inde Conſtantinopolim ſub ejus patrocinio miſſus, uxore, liberis, theſauriſque magnis auctus, Maſſiliam appulit, divertitque ad Theodorum urbis Epiſcopum. Qui quod hominem excepiſſet, in crimen majeſtatis vocatus, cum inſuper Cleri odiis peteretur, per Guntramum Boſonem Childeberti

deberti Ducem ad Regem Treviros, ceu reus, abripitur, Bosone inprimis tam ad Gundebaldi thesauros invadendos, quam Episcopum transportandum, non sine spoliis, prompto. Magnericus Trev. Archiep. cognito Theodori adventu, vix ad salutandum admissus, sordidè vestito ex miseratione vestem injecit, utque è Regis manibus ad Ecclesiasticum transferretur judiciū, primò quidem solus ipse; deinde, (ubi liber, rursum in captivitatem à Guntramo raperetur) cum Gregorio Turonensi Episcopo, hujus etiam historiæ scriptori, Confluentiæ in aula Childeberti Regis exoravit. Qui per Felicem legatum suum hoc à patruo Guntramo quoque est consecutus, præsertim ubi hic graviori interpellatus morbo, pœnam sibi à Deo præparari est veritus.

Theodorus à Bosone captus malè tractatur. An. Chr. 584. *id. l. 8. c. 12.*

Childeberti hoc ævo potentia toti Europæ metuenda videbatur, cum & suis, & patruorum viribus fruerentur, quorum ad hunc nepotem oculi ac vota spectabant. Ingundis soror Herminigildo in Hispania Leovigildi Gothorum Regis filio in thalamum, magno utriusque gentis plausu concessa, à Gosvinta conjugis noverca acerrima insectatione ad Arrianismum impulsa, omnibus major injuriis, ipsum denique Herminigildum ad se duplici illustris victoria, traduxerat, eo eventu, ut Ingundis in Africam ejecta ad barbaros, Herminigildus in fide constans à patre interemptus glorioſa ceciderit victima Catholicæ religionis, quæ ab ipsius morte per Recaredum fratrem Leovigildi successorem, toto fuit regno propagata. In hac persecutione Ingundis Childeberti fratris postulabat opem; sed & Mauritius orientis Imp. illum contra Longobardos, non modica vi pecuniarum oblata, in Italiam evocabat. Et fuit hæc suadendi ratio potentior, præcipuè, cum hinc ex Africa sororem facilius in libertatem asserturus videretur; Sed Longobardi Regem, quâ arte Mauritius conciliarat, hac & sibi devinciri posse rati, auri fulgore oculorum, & ferri aciem hebetarunt, ne Italiam infestus videret. Tanta pecu-

Childebertus Rex ab Ingunde sorore, cujus vir Herminigildus, à patre ob fidem occisus, in auxilium poscitur; sed alia bella præfert.

pecuniæ vis, sive ad armandum, sive exarmandum exercitum inest. Leovigildus verò, ut sibi Chilpericum contra Childebertum addiceret, Riguntem ejus ex Fredegonde natam Recaredo filio per legatos rogat uxorem. Et-iam illa, amplissimâ dote procerumque ingenti comitatu, in Hispaniam tanto ferebatur apparatu, ut regias secum opes una puella traheret: cum improvisa rerum catastrophe evertit omnia. Chilpericus ad venationem excessisse credebatur; Sed rebus nondum abundè instructis ad cubiculum redit, ubi Fredegondem aversam solutis crinibus, eos concinnantem unguentoque perfundentem, virgâ leniter secundum humeros maritali licentia perstringit, illa Landricum Amasium, quem fortè operiebatur, esse rata: *ut quid*, inquit, *Landrice me percutis?* moxque submoto manu capillitio retrospicit, ac Chilpericum intuetur, & ipsa, & ille attoniti: Rege dein silentio ad venationem digresso, ut meditandæ vindictæ locum daret: Fredegondis accersito Landrico factum exponit, &, *periimus*, inquit, *nisi præoccupamus facinus.* Age ex venatione redux Chilpericus tollendus est. Infantem habemus in cunis Clotharium (illum enim recens pepererat) illius autoritate regnum sustinemus. Amores nostros vulgus ignorabit. Sublato seorsim Chilperico, inveniemus ad quos crimen derivabimus. Placuit utrique conceptum scelus. adornantur magno pretio sicarii duo, qui primore in tenebris redeuntem, dum quisque comitum sua curât, geminatis ictibus conficiunt, simulque in fugam silvasque propinquas effusi, incertum reliquerunt, a quibus facinus esset perpetratum. Res subitò vulgata Gothos impulit, ut Riguntem, priusquam juncta esset, spoliatam omnibus ad matrem remitterent, & Childebertus spe regni, cujus se heredem scriptum asserebat, omni ope armaretur. At Fredegondis cum infante ad patrocinium Guntrami patrui confugit; útque invidiæ parricidii Childebertum oneraret, per ipsum ac Brunechildem sicarios in Chilperici fratris cædem destinatos fingit.

An. Chr. 585. Admirabilis rerum catastrophe, cum Chilperici nece, ex Fredegondis libidine & perfidia.

Clotharius recens ex Fredegonde natus.

Tutelam hujus Guntramus suscipit.

fingit, supereſſe infantem unicum, nepotem, & Guntramum ipſum, quibus niſi advigiletur, paria immineant. Quâ arte hunc à Childeberto, quem legerat Guntramus ſucceſſorem, ad ſui filiique tutelam convertit, & Auſtraſios ſuo cum Rege intra ſpem metumque continuit. Guntramus tamen, ſuam Childeberto innocentiam, fraudeſque ſceleratæ Fredegondis obtendenti, addixit, quâ erat æquitate animi patruus, ſe, qui recuſare patrocinium pupilli ex fratre nequeat, ſolerter in facinus inquiſiturum; ne immerentibus tam atrox paricidium imputetur. Ita quies armorum Childeberto imperata eſt, ne & ſuſpicionem patrati ſceleris ambitione augere, & duorum in ſe unum regnorum vires converteret, ac denique promiſſam ſibi Guntrami hereditatem ad nepotem cum patrui affectu transferret. Præſertim cum Gundebaldo Regi umbratili, qui nuper Chilperico ſublato apud Arvernos proclamatus erat, favere cum Brunichilde crederetur. Quem ſuis nunc armis Guntramus oppreſſum ibat, eadem deinde contra Leovigildum Gothorum in Hiſpania Regem, ob pulſam Ingundem interemptumque Herminegildum translaturus; quò Childeberti neglectum officium corrigeret, & ſuæ gentis fideique injuriam vindicaret.

Fredegondis in Childebertum paricidii crimen derivat.

Porrò, ut Theodori Epiſcopi Maſſilienſis & Boſonis diverſus conſtet exitus, ille liber dimiſſus probante ſynodo Matiſconenſi, hic à Belſonanenſi conventu, quem in Arduenna Childebertus inſtituit, ſacrilegiorum reus damnatus eſt, bonaque illius apud Arvernos fiſco addicta, ut exitium aliis ſtructum ipſe non evitarit. Episcopos antè perſecutus, ad eoſdem fruſtra confugit. Agerici primò Virdunenſis; deinde, alterâ Regis Guntrami ſententiâ mortis perſtrictus, Magnerici Archiep. Trev. ædes ſubiit, ſolitariumque præſulem nactus, gladii aciem, ni tueretur, obtendit; ſed cum flamma deinde injecta tecto, utroſque conſumptura videretur, irrumpens Clerus Præſulem ſuum exemit. Boſo quoque cum paucis erumpens, quantum licuit repugnando

An. Chr. 587. *Greg. Tur. l. 8. c. 12. &c.* Boſo Childeberti Dux oppreſſor Epiſcoporū opprimitur. *Greg. l. 9. c. 8. &c.*

mortem extraxit, donec lancearum objectarum ictibus succubuit. didicitque irritum fuisse Episcoporum præsidium, quod ipse prior violasset.

Magnericus à mortis discrimine exemptus varias S. Martino Ecclesias excitat.

Magnericus, hoc defunctus vitæ discrimine, religiosis se suaque locis, ad Dei obsequium cœpit impendere. Et primò quidem Monasterium S. Martino in ora Mosellæ, ubi quondam Tetradius Senator, ab eo ad Christum conversus, oratorium S. Crucis statuerat, egregio opere excitavit, atque ex S. Benedicti disciplina Monachis sub Issingero, vel ut alii Ingero, Abbate incolendum attribuit. qui istic hodiedū, ex laudabili instituto, quamvis nonnunquam loco pulsi, supersunt. Alteram basilicam eidem D. Martino sacram in monte Martio, ad orientalem urbis plagam (ut felicius, quàm à Mart olim istic culto nomen ferret) pari liberalitate erexit; sed quæ ævo temporumque injuriâ corruit. Tertiam Caroduni, veteri Romanorum castello, ejusdem Divi venerationi (uti illi impensè deditus erat) consecravit. Quarta denique in pago, seu ditione Vabrensi, haud procul Ivodio, sive Epoisso, condita, Magnericóne, an Childeberto autori debeatur? haud satis manstt exploratum. illud constat, Wulfilaicum Diaconum Longobardum natione, juxta hanc basilicam in monte Vabrensi Monasterium illic, clero formando opportunum, excitasse. Qui D. Martini virtutum æmulatione excitatus est, postquam Reliquias illius sancti ab Aredio Lemovicensi Abbate acceptas, sub manibus oculisque augeri mirabiliter vidisset. Ad hunc enim locum (qui Trevericæ dictionis, Chimacensi postea Comiti cessit) tum Divi ibidem culti, tum solitudinis amore delatus est, ac crescente sensim vitæ rigidioris ardore, Simeonis Stylitæ inflammatus exemplo, columnam sibi, frigidissimo sub cœlo (ut loci montani natura habet) statuit, in qua sub dio ipse, & nudipes, æstates hiemesque, calori rigoriquè immani expositus, durabat, aquâ ac pane herbisque modicis, ad perpetuam divinorum contemplationem alitus: ut, cùm inhumana hæc vita, quâ jam extremum corpus

[a] Cardonæ.

§. Wulfilaici vita pia, rigida, & obsequens.

corpus uredo putredoque consumeret, visa omnibus esset: Episcoporum imperio, ne sui carnifex videretur, absistere jussus sit, seque aliorum consortio intra Monasterii septa, sociare. Quo obsequio plus ad sanctitatem plerisque, quàm in ipsa tam miserabili statione, præstare existimatus est, quòd obedientia melior sit, quàm propriæ etiam carnis victima; cùm in hac caro tantùm spiritui, in illa Spiritus Deo subjiciatur. Non tamen hac ætate solitariæ defuit vitæ austeritas, quâ in Vogeso monte Carilephus & Ingobertus floruêre. Neque illud improbatum. cum multos periisse in consortio hominum constet qui in solitudine ad vitam æternam servati essent. Multitudo exempla præbet ad vitia, quàm virtutem potentiora. Carilephus & Ingobertus eremicolæ.

Gregorius Turonensis scriptor historiarum Francicarum hoc tempore Childebertum Regem cum Guntramo, felici legatione conciliavit, deque regni successione cum eodem constituit. Quando Agericus insignis innocentiæ Virdunensium Episcopus, multa ob Bosonem, & Bethefredum Ducem conjurationis suspectum, quos ad se confugientes sacro in asylo tueri frustra conabatur, mala perpessus, vitâ functus sanctimoniæ fama claruit, & Charimeres Referendarius, laudante Childeberto, in sedem receptus est. Neque is solus Episcoporum in discrimen vocatus est. An. Chr. 588. Childeberto Regi Guntramus patruus rursum conciliatur. Agerus Virdun. Episcopus vir sanctus moritur.

Nam Childebertus postquam Theodobertum filium, quem Magnericus Trev. Arch. ex sacro fonte levârat, Suessionibus postulantibus Regem dedisset, eos, qui suæ Matrisque vitæ struxissent insidias ad pœnam inquirebat. ex quibus Ægidius etiam Rhemensium Episcopus fuisse compertus est. Mirum est quot conjuratis in necem Childeberti, & Brunechildis matris (cujus superbum impotensque imperium plerique, ac præcipuè Fredegondis, tanquam gravissimæ æmulæ, aversabantur) conspiratum domi foriscque sit. Novenæ & plures conjurationes initæ detectæque admirationem toties servatorum auxêre. Brunechildis Fredegondem 589. An. Chr. 590. Conjurationes varias, in caput Childeberti & Brunechildis, Fredegondis instruit aliique, sed detectæ omnes sunt.

oderat, neque hæc illam, quamvis improbiſſima utraq; mulier, ferre poterat. Adeò verum eſt, improbitatem in aliis, nec improbis quidem placere. cum aliàs ſimilitudo morum amoris illicium ſit. Fredegondis igitur, ut erat ad omne ſcelus exercitatiſſima, ideóque jam etiam à Guntramo gubernaculis amota, cum Brunechildem, vel depreſſam quoque, vel oppreſſam vellet, ſceleratiſſimos quoſque ex clero primum adornat inſidiis. Et his unus, tanquam fugiens aulam inimicitiaſque confictas Fredegondis, à Brunechilde receptus eſt. qui tamen, cum, deſperatione patrandi criminis, deinde ad Fredegondem rediiſſet, illa jam ſeriò indignata, manus illi pedeſque, velut ſceleſtos, quod à ſcelere abſtinuiſſent, præputavit. valuitque ſimulatio prioris offenſæ ad veram hanc, ſed iniquiſſimam offenſionem, palliandam, facinuſque in aula Brunechildis tegendum. Ergo uno hoc fallente, Fredegondis duos alios ad flagitium animoſiores, eóſque venenatis etiam cultris inſtructos Clericos (quo minus ſuſpicio ſceleris oboriri poſſit) deſtinat, ſed qui in tentato parricidio deprehenſi faſſique crimen, irritam proditionem effecêre. Quod Fredegondis excuſare facinus ob Regis mariti à Brunichilde, ut fingebat, ſublati quæſitam ultionem conata eſt, Quo nomine alios plures ſuſtulit. Nam & Eberulfum Cubicularium quondam Regis cubicularium, cum pro ſtupro interpellatus illi conſentire noluiſſet, cædis regiæ apud Guntramum accuſatum ſceleratè interemit, & Prætextatum Rothomagenſem Epiſcopum ipſo Reſurrectionis dominicæ feſto inter ſacrorum ſolennia curavit interfici. Porrò Ægidius, cujus ante memini, ab eadem cum Vrſione & Berthefredo, Childeberti aulæ Ducibus, ad Regis ſui cædem inductus, in Metenſi Epiſcoporum ſynodo damnatus, ſacerdotio omnique honore exutus in exilium relegatus eſt. Vir, ſi Fortunati verſibus aſſentimur, laude dignus, niſi aulæ negotiis ab Epiſcopi munere alienis indulgentius, nec abſque dedecore & pernicie ſua, inhæſiſſet. Nempe Epiſcopus in Regis au-

Punitur à Fredegonde Clericus ob ſceleris neglectū.

Et aulicus ob recuſatū ſtuprum.

Ægidius Rhemenſis Epiſcopus jure damnatus.

aula, tanquam piscis extra aquam est, facilè capitur ac perit.

Verùm perverso hoc ætatis studio sacri in profana, profani in sacra se temerè ingerebant, ut Gregorius Magnus Pont. scriptis ad Childebertum Regem literis, & dolenter questus est, & severè postulavit castigari, quod sacerdotia, ut ait, non virtuti, sed pretio deferri intelligeret, exquo hæc denique rerum confusio. Virgilio quoque Arelatensi Episcopo præter honorem pallii suas etiam in Gallia sacrorum rectè curandorum vices commendavit, jure tamen Metropolitanorum ubique salvo. Aliis quoque ad Childebertum & Brunichildem literis Patrimonium D. Petri in Gallia, Candidumque presbyterum huic præfectum, missis ad Regem honoris gratiâ clavibus; commendat. Augustinum quoque Episcopum, ad Angloſaxones convertendos per Gallias submissum, fidei Brunechildis & Nepotum Theodoberici ac Theodorici, nec sine faventium ope, committit. quâ acceptus in Britannia gentem priscæ Majorum religioni restituit. Magnericus subhæc Trev. Archiep. vivendi finem fecit 8. cal. Aug. apud S. Martinum, rara virtutum laude sepultus. quem *Gundericus* excepit.

An. Chr. 595. *Greg. l. 4. Epist. Indict. 13. c. 95.* Gregorius Papa Vitia Episcoporum perstringit, & Virgilio Arelat. suas vices committit. *Ind. 14. c. 106.* 596. S. Augustinus Episcopum Anglorum Apostolum mittit.

Quo tempore Childebertus Pater, gravissimæ contra Fredegondem expeditioni interfuisse visus est. Siquidem Guntramo, piè institutâ ante mortem vitâ, tandem defuncto, Rex qui ex pacto in Burgundiæ regnum successerat, patris patruique Chilperici jam sat compertam, ex Fredegondis scelere, necem ulturus, fortè & Monarchiam Galliarum asserturus, instructo Suessionum exercitu fidentius, quàm cautius adiit: quando animosa non minus, quàm scelerata mulier, suas adversum eduxit copias, parvulumque Clotharium in medio constituit exercitu; &, *hunc*, inquit, *Regem vestrum, o milites, deseritis? aut vincendum cum illo, aut moriendum omnibus: stationem is hanc mecum aut vincens aut cadens tenebit. hodiernus declarabit dies, quantum amo-*

Mortuo Guntramo Childebertus Fredegondem bello petit, sed hæc Clothario puero in aciem ducto, vincit.

ris Franci suo impendant Regi, qui nisi per illos pugnare, vincere, ac vivere non poterit. Et sanè valuit hoc spectaculum oratióque ad inflammandum adeò militem, ut mori aut vincere omnibus decretum sit. Juvit Fredegondis ingenio ardorem, imparatumque Regem nilque minus quàm femina Duce invasionem veritum hac fraude petit: suos omnes antesignanos ramum ex silvâ proximâ præferre manu jussit, & matutino crepusculo cum his juxta silvam progressa sub hac specie exercitum latentem traduxit, invasitque adhuc somno immersum hostem, tantâ Childeberti strage, ut plusquam triginta millibus suorum amissis, femina viros vir feminas in prælium duxisse videretur. quam ignominiam Rex ipsa clade graviorem duxit, pacemque, vel coactus, admisit. At solatium deinde ex victoria contra Varinos Germaniæ populos rebelles habuit, quibus planè subactis Tassilonem Bavariæ Regem instituit, quem Hunnis Slavisque Austrasiæ infestis opposuit. Sed mox, arte, ut creditur, Fredegondis, anno regni 23. unà cum Faleuba uxore, non sine veneni suspicione, humanis exemptus est. Filiorum primo *Theodoberto* Austrasia & sedes Metis data; alteri Burgundia, & Aureliis regia fuit. Priori Fredegondis repentè bellum movit, Brunechildem, quæ istic rerum moderabatur, cum nepote oppressura. Et secundis quidem initiis Austrasiam latè depopulata est; sed mors improbæ mulieris, & sicca, quod in tam scelerata admireris, inceptum abrupit. Hunnos eadem licentia irrumpentes Brunechildis auro oblato potius, quàm ferro coercuit; quòd incruento certamine malet vincere. laudando ingenio, si ubique illo uti placuisset.

Jam seculum à nascente Christo evolvebatur sextum, cum Trevirenses Episcopum suum Gundericum, amisêre, qui nulla re nisi successione cognitus, *Severino* successori reliquisse pedum fertur. Hunc malè nonnulli cum Gaugerico Cameracensium Episcopo confundunt, quem Magnericus Trev. Archiep. ad omnem virtutem

Fraude aggreditur, ac magna clade cædit.

Paul. Diac. l. 4. c. 4. & 7. Bussier. hist. fr. l. 6. Aim. l. 3. c. 83.

An. Chr. 598. Childeberto extincto Theodobertus Rex succedit.

Aim. l. 3. c. 86.

599. Fredegondis naturali morte defuncta.

600.

tutem præclarè efformârat. cum hujus nobis virtus, illius dignitas apud Treviros exploratior sit.

Austrasiam verò ita moderari impotenti fastu Brunechildis cœpit, ut omnium brevi procerum in se odia concitaret, cum & Theodoberto puellam vulgarem solâ nobilẽ formâ à Mercatore emptã in thalamũ collocaret, ut hæc ejus prompta beneficio votis quoq; obsecũdaret. aulicos quos arbitrio non poterat, gladio subjiciebat. Hi igitur Theodoberto sensim ad se inflexo, & muliebrem arrogantiam fastidiente, feminam omnibus spoliatam regiâ ejiciunt. quæ in Burgundiam ad Theodoricum delata, atque honorificè excepta, illi totius Austrasiæ Galliæque occupandæ spem fecit. ac primò quidem dissimulato in Theodobertum odio, cum hoc junctis armis Clotharium invadendum suasit. quod tantâ, ad Oesiam amnem hujus clade factum est; ut illum magnâ parte regni exutum multarint. unde in aula Theodorici jam Domina omnium, optimos quosque, suis difformes moribus, aut vita, aut officio submovit. In quibus & Desiderius Viennensis Episcopus sanctitate morum conspicuus. Protadium verò quendam, suis deserviturum clam amoribus, palam officiis in aula præcipuis admovet. quo fautore Theodoricum contra Theodobertum fratrem impellit, traditque, Patris illum thesauros fratre excluso occupasse. Quo stimulo ad arma concitatus Theodoricus est. Sed Rursum sublato per aulæ Proceres Protadio, tanquam belli fraterni incentore, arma sunt posita; donec hujus cædis pacisque authores Brunechildis consilio vitáque deturbavit; ut belli cupiditatisque in Theodorico incendium inflammaret. quod denique anno 612. exortum, iterumque atque iterum, suffusâ per bonos consultores frigidâ, pace compositum, exitiale postremò utrisque fuit. Postquam enim atroci prælio fraternæ acies apud Tullum conflixissent, & victus Theodobertus, per montem Vogesum ditionemque Trevericam, usque in agrum Colonien-sem, ad Germanum istic militem sub signa cogendum, sese

603.

Brunechildis ob tyrannidem Austrasia à Theodoberto pulsa, ad Theodoricum trã-sit, eumque ad nefaria contra nepotem & fratrem bella impellit.

An. Chr. 606. *Appendix Greg. Tur. c. 36. &c. Aim. l. 3. c. 91 &c. Sigeb. ad an. 614.*

612.

Theodobertus à fratre prælio gemi-

no victus opibus vitaque exuitur.

seſe effudiſſet, conſecutus magnis itineribus Theodoricus ſuperatáque Arduennâ, Tolpiacum, Chlodovei victoriâ nobilitatum locum, contendit: ubi collatis rurſum ſignis tanta pertinacia ac furore conſangvineæ acies conflixere; ut mortuorum cadavera jam vix conſiſtentibus in prælio locum darent. Theodobertus denique, ſuis ad internecionem cæſis, Coloniam cum reliquiis ſe ſubduxit, fratre poſt terga conſecuto, eademque demum mœnia penetrante. Unde profugiens Theodobertus per ſubmiſſos ex via retractus eſt, atque ante Theodoricum conſtitutus. qui regalia ornamenta fratri detracta, equumque cum phaleris pretioſis ademptum Berthario Duci, qui captivum adduxerat, dono obtulit, ac poſtremò, vinctum Brunechildis conſilio, attonſumque, Cabillonem miſit. mox tamen, ceu manſuetudinis in fratrem pœniteret, deteſtabili exemplo immerentem ſuſtulit. Sunt qui memorent eum Coloniæ incluſum, dum partem theſauri ad Theodoricum pacandum eromeret, adacto in caput acinace concidiſſe. Liberi Metim deducti ante oculos Brunechildis crudeliter interempti ſunt. Meroveum natu minorem ipſa illiſum ſaxo confeciſſe memoratur. ita ſuam quondam repulſam ulta, ſeveriore mox ultione perſtringenda. *Theodoricus* jam Auſtraſiæ regno auctior, cupiditate cum opibus incensâ, Clotharium, Brunichilde incitante, bello inſtructiſſimo petit; Sed in medio armorum apparatu libidini ad inceſtum uſque deditus, cum ſervetam ex fratre neptem in thalamum ambiret, periit.

614. Liberi ante & per Brunichildem etiã fœdè interimuntur.

Theodoric⁹ denique ipſe miſere perit.

Reluctante enim avia, ne ſibi reginam metuendam in aula pateretur (uti & nuper Hemmebergam Hiſpaniæ Regis filiam legitimo Regis thoro ſubmoverat) cum ipſe egregiâ captus ſpecie, pervicaciter inſiſteret, vixque ab obſtante Brunechilde ſtrictum pugionem abſtinuiſſet, brevi ventris profluvio ſublatus è vita, aviæ malum procuranti dediſſe pœnas creditur. Quanquam Jonas Abbas fulminis ictu Deum ſcelera vindicante, concidiſſe tu-

An. Chr. 615.

Brunechildis tyrannidem rurſum cum Sigeberto

se tradat. Igitur avia rursus capessit imperium, & majorem natu Theodorici filiorum (quos ex pellice sustulerat) Sigebertum Austrasiis invitis obtrudere Regem nititur, verùm Arnulphi & Pipini clarissimorum Ducum consiliis evocatus cum exercitu *Clotharius* tempestivè adfuit, & Sigebertum Thuringos ad arma cientem, victum prælio, cum fratribus duobus Meroveo & Chorbo spuriis, Warnerii Ducis proditione, ipsamque demum Brunechildem occupat, ante cujus oculos, Meroveo quem ex S. fonte susceperat servato, reliquos trucidat: tum verò ipsam, triduanis ad confessionem scelerum tormentis subjectam, postremò equi ferocis caudæ alligatam, per avia deviaque raptam, discerpsit, ac Sancti Columbani, quem acerbè persecuta fuerat, implevit vaticinium, quo Clothario Monarchiam Francicam, reliquis omnibus exitium prænuntiârat. Illum infelix mulier, quæ ambitione, & plurium Regum Ducumque ac Præsulum cædibus omnia sacra profanaque inquinarat, exitum sortita est. Tantò magis admiranda, quod, inter tot scelera, pietatis non prorsus oblita, multis templis monasteriisque ad Dei Divòrumque honorem donaria intulerit; an etiam, ut hi ambitiosa nonnunquam fortunarent consilia? ambiguum mansit. Et fortè tam calamitosus exitus in futuræ partem felicitatis cessit, ut Fredegondis, sine præsenti scelerum defuncta supplicio, Brunechilde nihilò fortunatior jure sit habenda. Uterque etiam fratrum Theodobertus ac Theodoricus Austrasiæ Reges, vitæ prorsus lubricæ, hoc bonæ de se mentis dedêre argumentum, quòd amplissimis Dei Ecclesiam, atque inprimis Trevirensem, muneribus in vitâ fuerint prosecuti. quâ, in morte, liberalitate frui ad pœnitentiam potuisse sperandum est.

puero prensans, à Clothario ad Austrasios evocato, regno vitáque, morte turpissima dejicitur.

Quod in Dei Ecclesias cũ Nepotibus liberalis fuerit, ad pœnitentiam prodesse potuit.

Porrò Clotharius totius gentis imperio fretus, prudentum sanctorumque virorum delectatus usu consiliisque, multa per Austrasiam præclarè instituit, jun-

Clotharius regnum sapienter auspicatur.

ctusque Bertrudi præstantis virtutis feminæ, Dagobertum ex ea, Magnum postea nuncupatum, suscepit. Quando Treviris superiori anno vitâ hac mortali sanctè defunctus B. Severinus II, sui ad XX Decemb. memoriam obtinuit, & *Sebaudus* vel *Sapaudus*, spectatâ morum integritate, Antistes suffectus est.

LIBER VII.

Honorius Pap. Clotharius Austr. Rex. Sebaudus Archiepisc.

UT temporum, ita & regnorum alternæ sunt vices. Illa post tempestates sereno; hæc post tristia lætis recreant. Trevirorum resp. turbulentis illis Romani imperii periodis, & Franciæ dominationis initiis haud leviter afflicta sereniorem denique sub Dagoberto Magno regnante auram cœpit intueri, & quà Ecclesiastica, quà civili disciplina rursum lætius efflorescere. quod partim Clotharii Regis, ex pessima, ut rarum est, parente filii optimi, integritati ac vigilantiæ quam in Dagoberti educatione præstitit; partim aulicorum, quos delegerat, prudentiæ sanctitatique tribuendum fuit. Res quæ tam in tali Domino, quam ejusmodi familia admirationem mereatur. Duobus Clotharius viris lectissimis Dagoberti adolescentiam regendam commiserat, Arnulpho Metensium Præsuli, qui illustri satus familia, cum ex Doda conjuge Ansgisum & Clodulphum suscepisset, thori consorte non prohibente, Ecclesiam mundo præhabuit, jamque vitæ sanctimoniâ eminebat: alteri Pipino, ex nobili Austrasiorum de Landis gente delecto, quem domus suæ Majorem, seu Palatii legerat Magistrum. Ille in literis ac pietate; hic in civili disciplina adolescentem probè formabat. Cum Austrasiis Regem proprium rogantibus, indulsit eis Dagobertum, simulque Gomatrudem, Sichilis conjugis, post Bertrudem ductæ sororem, eidem Clorharius in thalamum, ad licentiam frenandam, obtulit. Quâ thori legitimâ consorte, sub dictis moderatoribus regnum Austrasiorum feliciter est auspicatus, rebusque Ecclesiæ, quà fovendis, quà amplificandis, jam tum se impendere exorsus est.

Lætior rursum sub Dagoberto reip. Trev. facies. An. Chr. 620.

S. Arnulphus & Pipinus Landis Dagoberti rectores.

623. Gomatrudis Dagoberti uxor.

Habe-

Habebat eo tempore sacra Trev. resp. spectatæ virtutis integritatisque Antistitem Sebaudum. cui sanctè defuncto, solennique ad VI. cal. Decemb. memoriâ donato, surrogatur *Modoaldus*, clarâ Aquitanorum stirpe satus Antistes, cujus sororem Ittam Pipinus duxerat, ex qua S. Gertrudis, & S. Begga Ansgisi uxor, Pipini brevis Caroli Magni proavi mater, & nurus S. Arnulphi. Ipse iisdem, quibus Rex in aula disciplinæ magistris, ad egregiam morum innocentiam, & divinæ servitutis amorem educatus. Inter æquales tantò visus despicientiâ sui minor, quantò virtute major. Invidiam facilè omnium vincebat demissione atque obsequio. cum nullo, nisi cum inverecundo pudore, cum astuto simplicitate, cum inmansueto patientiâ, cum litigioso silentio, cum persecutore charitate, cum luxurioso continentiâ certare solitus. Paupertatem tam in se studiosè amplecti, quàm in aliis levare visus. honores tam ipse aspernari, quàm aliis prolixè deferre. Jejunia, preces Ecclesiæ, consortia inopum, ipsius quotidianæ erant deliciæ. Ejus vitam Stephanus Abbas Leodiensis ante annos 500. prosecutus ait: *quale, quàm sanctum erat illud palatium, ex quo tam sanctos, tamque illustres suscipiebat Ecclesia sacerdotes.. qui curias Regum non quærerent, sed potius à Regibus quærerentur ipsi: quique non honores per ambitionem appeterent; sed magis ab oblatis per humilitatem refugerent. Ex quorum numero (erant enim plurimi) fuit Arnulphus Metensis, Cunibertus Colonienſis, Tungrensis Remaclus, Trevirensis noster Modualdus, ipsis & omnibus aliis omni virtutum genere conferendus.* Quantum verò honoris Dagobertus Modoaldo detulerit, non obscurè diplomata ab eodem data loquuntur.

Sebaudo Archie. succedit *Modoaldus* illustri ex stirpe, multorum sanctorum consangvineus.

Vitæ sanctitas.

Steph. in rebus gestis Modoald.

Incolebat suum apud Trevi ros Dagobertus Palatium, quando in Rodoaldum Boium, illustribus aulæ virisjadscriptum, insolentiusque sese adversus Regem efferentem animadvertere placuit. At is prævisum capitis periculum fugâ ad Clotharium declinans, ejus interces-

Dagoberti Regis in aliorum castigatione severitas.

one,

one, in gratiam receptus est; sed fluxam repentè. Nam vix admisso Bertarius Scarponensis, ante Regis cubiculum, illius imperiò, caput abstulit: exemplo traditurus: iras potentûm facilius, incendii instar, concitari, quàm sedari. Eminuit ille jam pridém ingenii ferventis in Rege calor; quando castigantem se in aula patris severius aliquantò Sadragisilum, ipse, Clothario ad venationem egresso, acerbè per ministros flagris, barbæque etiam præcisæ ludibrio, multatum dimisit. At patris metuens ad D. Dionysii præsidium asylumque confugit supplex, qui prodigio, ut fertur, defixorum terrore insequentium, orantem defendit, aliàs haud levi pœna vindicandum. Quo beneficio Dagobertus se huic deinde Sancto mirificè obstrictum sensit, regalique, quæ hodiedum Parisiis visitur, magnificentiâ sacram illi ædem, Regum monumentis celebrém, excitavit.

S. Dionysii patrocinium expertus mirè in eum liberalis.

Neque segnem ad arma experti illum fuêre Saxones, qui obsequium Regi novo detrectantes mox armatum, nec inermes ipsi, adesse senserunt. Ventum ad pugnam in quo inter primos decertans, cum resecta cute piló- que vulnus in capite tulisset, à patre, submisso hoc plagæ in crinibus signo opem subitò tulit: ut Clotharius, & nuntiaret se adfuturum, & adesset ad Visurgim minitabundus hosti, quem cum Bertholdus princeps Saxonum trans flumen speculatus, belluæ convitio irritasset, nil moratus, cum suis equitum copiis vado reperto, transmittit, nec paratum satis ad prælium hostem latè fundat fugatq;, convitiatore Bertholdo, & quæsito, & obtruncato. Tum verò quotquot regione totâ mares gladio suo longiores reperit, gladio messuit, ne deinde contra filium uterentur. Ita pax Austrasiæ constitit, & Clotharius hoc bello simul, vitáque, post brevi, defunctus, Monarchiam Galliarum Dagoberto reliquit, à qua plerique deinde XVI regnantis Dagoberti annos computarunt. Rhemis inauguratus, alteri, ex secundo matrimonio, fratri Ariberto regnum Aquitaniæ pleno jure

An.Chr. 628.

Dagobertum contra Saxones Clotharius ope sua vindicat.

Beatus Rhenanus l. 2. antiq. Germ.

Patre defuncto Monarchiam adit.

An.Chr. 629.

jure contulit : ne se regio natum sangvine ignoraret. quod brevi tamen, illo mortuo, ad se recepit.

631. *Hist. Rhem. Eccl. l. 2. c. 5.* Synodi Rhemensis decreta.

Synodus deinde Rhemis à Sonatio ejus loci Archiepiscopo, primæ sedis Rom. autoritate celebrata est, in quâ, & Modoaldus noster, & Cunibertus Colonienſis, & Lupoaldus Maguntiacensis. S. Arnulphus quoque Metensis & Godo, cum aliis facilè quadraginta Episcopis, multa salubriter de hæreticorum exterminio, & Clericorum causis à judicibus secularibus, cum interminatione excommunicationis, si qui secus audeant, avocandis, aliisque id genus excessibus, decreta sunt.

S. Arnulphus ab aula ad eremum transit.

Ceterùm S. Arnulphus dehinc missionem ab aula, quam Clotharius semper recusarat, à Dagoberto tantò facilius impetravit; quòd is jam monitis ipsius rigidior, disciplinam aliorum ægrè sustineret.

632. **Pro quo erroneè à quibusdam*, monasterio *positum.* Rex in Luxuriam solutus, Gomatrude rejecta, Nanthilem, & postea Ragnetrudem, spe masculæ prolis, sibi jungit.

Rex enim jam & patris, & magistri hujus observantiâ liber, in lasciviam uberius effundi, & Nanthildem in ministerio * præ Gomatrude diligere: adolescens, quod mirum est, continens, & vir luxuriosus. Unde illâ, ceu sterili, amandatâ, hanc expertæ jam fecunditatis (ut quæ Irminam illi, postea Treviris Deo, adhuc vivo lætoque Dagoberto consecratam, pepererat) in thalamum adscivit. Quanquam & illi postea, cum masculam prolem ex voto non daret, Ragnetrudem adjunxerit, unde tanquam ex luto gemmam S. Sigebertum sustulit. Nanthildis tamen ad primos amores æstimationemque reversa est, postquam & illa Clodoveum filium procreasset. Ut tolerabilior ea multis libido visa sit, quâ non tam sibi concubinam, quam Francis successorem quæsisset. ac si nemo istic coronis, nisi ex Regum thoro, etiam illicito, dignus nasceretur. adeò sui Reges Francis, turpi quoque in thalamo, jam olim placuerunt.

At cum Dagoberti vitiis multorum id temporis virorum collata sanctitas hanc facilè labem expungit. S. Arnulpus enim jam olim in aula Regis à vitiis, quibus fortè quondam adhæserat, gravissimè aversus, fertur,

à Paulo

à Paulo Diacono, id ex ore Caroli Magni narrantis, projeciſſe in Moſellam ex ponte annulum, dixiſſéque: hunc ſi recepero, mea me expiaſſe peccata intelligam. illo denique à Piſcatore, Metis epiſcopale munus obeunti, reſtituto, ad perfectius Dei ſervitium in eremo adſpiraſſe, atque iccirco S. Goërico, cui & Abbonis nomen tribuunt, Eccleſiam commiſiſſe, poſtquam oculorū cælitùs illi uſum reddidiſſet, ac juxta Vogeſum montē ad S. Romarici, cui olim in aula familiaris fuerat, ſe diſciplinam, ſanctitatiſque æmulationem tranſtuliſſe. ubi excitato juxta ſuum tuguriolum elephanticis domicilio, humili illorum ſervitio, quàm honoratis aulæ ſe obſequiis impendere maluit; ſapientiâ, quam intuetur cum ludibrio mundus, cum applauſu cælum: adeò diverſis pars utraque opinionibus diſſidet. Goericus tamen eximiis in epiſcopatu virtutibus oſtendit, fulgorem infulæ his nihil ſplendoris detrahere; ſed has gemmas perinde in auro, ut in ferro fulgorem ſuum obtinere, quin ab ipſo etiam ſole communicatis radiis illuſtrari. Eadem ætate duo alia coruſcare, media in luce gloriæ, ſidera vidimus, S. Cunibertum, in aula Dagoberti luxuriantis, omnia ſanctè Eccleſiaſtica moderantem, cui Pipini Ducis ſpectata in civilibus miniſteriis accedebat probitas: tum verò in Virdunenſi infula S. Paulum Epiſcopum, qui è Belgica Gallorum nobilitate, Treveris primò in urbis conſpectu tranſmoſellanum incoluit montem; hodiedum ab eo nomen, quàm ab Apolline felicius ducentem; atque hinc ad Theologienſe monaſterium, inde ad Epiſcopatum traductus, pietatis religioniſque luce, & ſolitudinem, & ſedem Virdunenſem irradiavit: ut dubites, clariorne in umbra, an ſole fulſerit? Certè oſtendit utrobique locum virtutibus reperiri, tantò rarioribus, quantò in publico mundi diſcrimine conſtantius firmatis, ut ſolidius ſtant arbores ventorum injuriis quaſſatæ. Quanquam, ut cuivis navarchæ conſultum non eſt altum, tempeſtatibuſque obnoxium pelagus ſubire; ita nec cuilibet perfectiorem vitam

In vita S. Clementis. Multi hoc tempore ſancti, ut Arnulphus Goericus Romaricus. An. Chr. 635.

637.

S. Cunibertus & Paulus ille in aula, hic ex Eremita Trev. Epiſcopus Virduni.

ſectari

sectari in publico: cum non idem omnium ad superanda discrimina robur sit, quæ solitudine excluduntur.

S. Wendalinus ex regia Scotorum familia pastor ovium.

Et hoc ex regia Scotorum stirpe eodem tempore adolescens Wendalinus sentire est visus, qui patria domo ac luce relicta, ad obscuram Trevericæ regionis plagam Westerichi sese transtulit, ubi viro nobili ducendis per montes ovibus operam locavit, ut dum pecus gramine, divinis ipse animum contemplationibus pasceret. Quo studio ad magnam cum Deo familiaritatem enixus, Theologiensi * se deinde monasterio, quod in vicinia Modoaldi Archiepiscopi opera & Dagoberti Regis liberalitate excultum florebat, religiosorum hominum consortio addixit, brevique ea sanctitatis emicuit gloria, ut vivus morienque prodigiis inclaresceret. Unde ad ejus sepulchrum frequentiâ affluentis & adhærentis populi factum, ut ædificia habitantium plura ac denique oppidum S. Wendalini ab eo dictum assurgeret, quod etiamnum perstat, & memoriam defuncti ad XXI Octobris refert. Sunt qui Abbatis munere eximiâ laude functum referunt, monasticâque istic disciplinâ complexum fuisse Grimonem Adalgisum, regii Francorum sangvinis juvenem, Dagoberti nepotem, qui deinde ad clavum ibidem sederit. Ita honor etiam fugientes assecutus est: tantò illustrior, quantò minori desiderio quæsitus. Res enim ceteræ quærendo obtinentur, honor amittitur.

* *Doleja.*

Multis claret miraculis unde natum ab eo oppidum.

Ut verò hæc ætas sanctorum hominum, mutuo ardore perfectionis flagrantium perquam erat fecunda Vogesique apud Austrasios deserta, hisce Ascetis frequentata; ita ex Trevirorum urbe illustre par fratrum Banto & Beatus jam sacerdotio insignes, eandem solitudinem abstinentiæ vitæque severioris laudibus implevêre. Ex quibus suo non tantùm nomine, sed & virtute Beatus, moriens è sepulchro suæ sanctitatis testimonia edidit: quando ad ejus nominis invocationem febrium contagio evanuit. ut Eberwinus Abbas Theologiensis, ante quingentos facilè annos, suo se experimento tenere affirmat.

Banto & Beatus Treverici Sacerdotes in eremo sancti.

In vita S. Magnerici.

Nec virorum tantummodo, sed & feminarum sancta vitæ æmulatio glorioso præcellendi certamine enituit. Doda S. Arnulphi conjunx Treviris in quodam Parthenone, sacro tecta velamine, murisque clausa, media in urbe solitudinem reperit; ne quid viro in hoc perfectionis studio concederet. Utrumque verò parentem S. Clodulphus filius tam Metis in palatio, quàm in Episcopatu postea est æmulatus. At imbecillioris sexus decora virtutesque prosequamur. Vixit enim hoc eodem ævo Treviris in contubernio virginum Rothlindis spectatæ familiæ atque integritatis virgo, amita ac deinde magistra B. Glodesindæ Virginis apud Mediomatrices celebratæ. Hanc enim à parentibus sibi commissam ea morum probitate imbuit, ut Metim delata, cum Dux pater Wintro, Godilaque Mater, eam thalamo Bobo-leni distinarent, illa se nobiliori Christo Sponso addixisse fidem profiteretur. evenitque, ut sponsus ipso nuptiarum die reus in palatium abstraheretur, Deo hæc thori vincula, injectis aliis rescindente; eumque alius subhæc sponsus insisteret, unà cum parentibus, ad S. Stephani basilicam profuga, diebus septẽ, aris jejuna adhæsit. post quos in magna populi frequentia, vir humana major specie cælo lapsus inter duos ephebos adstitit, qui velũ religiosæ professionis immisit capiti, ac Glodesindam sic in conspectu omniũ Christi sponsalibus inauguratam reliquit, cui spectaculo tota cum parentibus civitas applausit, floruitque hæc deinde sanctitate virgo sub Chlderico II. Dagoberti nepote. Tam facilè Superi ad castimoniæ vota conciliantur, ad quæ mortalium animi tam difficilè inclinantur. Nempe consilia utrorumque intervallo maximo separantur: Ut mundana Deo, sic divina mundo desipiunt.

Mulieres sanctæ Treviris.

Glodesinda Virgo Christo publicè per cælestes genios imposito velo desponsatur.

Dagobertus interea Rex Sigebertum lætus filium ex Ragnetrude susceptum Baptismali lustrandum fonte exhibet, B. Amando sacris operante; quando memorant infantem ad Sacerdotis lustrantis verba, dum cunctarentur ministri, respondisse *Amen*: quæ res omnium præ-

Ann. Chr. 639. Sigebertus Regis filius in baptismate suo respondet S. Amando.

sentium stupore, nec sine illustrioris vitæ augurio cepta, gratiam etiam Amando apud Regem auxit, q post monasticam disciplinam ubique promotam, co dito nuper etiam in Arduenna super Sambram fluviu monasterio, Trajectensis hoc tempore Ecclesiæ cath dram adiit, brevi tamen deserturus.

Dagobertus Rex postulante Heraclio Judæos regno proscribit.

Imperator quoque Orientis Heraclius Crucis Dom nicæ adversus Persas vindex, cum Judæos proscribere idem per legatos à Dagoberto obtinuit, qui omnes n Christi sese legibus ad saniora conversos dédere, vel ob nitentes regno Franciæ excedere jussit; imperio, quo mirum est, toto nondum Christianorum orbe valuisse nisi fortè existimamus sangvisugas, humanis quando que corporibus adhibitas ad sanitatem prodesse. cui his tamen Judæos non comparem, quod illæ abunda tiora succo corpora; hi tenuiora ferè exugant.

An. Chr. 640. Sclavi & Vinidi Austrasiis infesti.

Cum Sclavis deinde Vinidisq, Bohemici Polonicique generis hominibus, sub franco Mercatore Samone, q in Ducem elegerant, latius superbiúsque sese effere tibus suscepta dimicatio est. parum felici ad Vogastru successu ubi victor hostis in Thuringiam, Francorum fines effundebat. Quo circa collectis regni viribus no rursum sequenti invasurus hostem, Saxones obvi habuit, qui ut Regem suis averterent finibus bell sese contra Vinidos dignâ ultione confecturos pro tunt, si ab onere tributi, quod quingentarum vaccar quot annis erat, absolverentur, accepta conditio. at S xones, quamvis super arma jurati, averso Franco, ne de opprimendis Sclavis, neque de pendendis vacci ram habuére.

641.

Saxones dolosè opem offerunt Francis.

Sigebertus puer sub Tutoribus Rex Austrasiis datur, sanctè præfuturus.

Austrasii tamen, ut præsentia Regis firmiores a versus hostes starent, Sigebertum adhuc puerum, tutela Cuniberti Episcopi, & Adalgisi Palatii Rect obtinuêre. quibus deinde Pipinus Major domus, Da berto mortuo, accessit. Mitis Sigeberti & ad omn pietatem composita indoles, prudentiaque ac sancti Rectorum, aulæ pacatæ imaginem præbuit, quam hol

hostes vereri, & subditi venerari sunt visi, ut Regis ad ingenium facilè regnum componitur. Suæ tamen Dagobertus Treviris quoque munificentiæ argumenta reliquit, postquam se ex Nanthilde non solum Irminam, sed & Adhelam ac Regentrudem denique & Chlodoveum filium divino beneficio suscepisse vidit; tum enim, ne moreretur ingratus, vagæ libidinis seriò pœnituit, & Ecclesiarum malè spoliatarum opes repensurus, liberalissimè se in omne misericordiæ ac munificentiæ sacræ opus effudit. Cujus argumenti diversa apud Treviros diplomata possidentur, & Horrea quidem Regia S. Irminæ filiæ, cum amplis possessionibus sunt attributa, postquam Hermannum Comitem sibi ex Germanis, ut videtur, desponsatum ipso nuptiali in apparatu amissum, cum immortali sponso commutasset. S. Maximini verò Monasterio, quod olim receptis exorientè per Agritium Monachis, ex aula & dotatione Constantini Magni erectum, nunc D. Benedicti disciplinam receperat, amplissimas quoque possessiones, ad centenarium religiosorum numerum alendum, tribuit; ut noctu interdiuque laudes istic divinæ in templo personarent. suisque eâsdem religiosos immunitatibus privilegiisque ornavit. Denique Modoaldo Trev. Archiepiscopo diploma obtulit, in quo concessas Metropolitanæ D. Petri Ecclesiæ donationes immunitatesque à Majoribus, Sigeberto, Theodoberto, Theodorico, ac parente Clothario, suâ authoritate roboravit, adjecitque his supremum jus verbis: *jubemus ut omnes res, vel facultates ad Ecclesiam S. Petri Trevericæ urbis pertinentes, scilicet cellam S. Hilarii, quæ nunc appellatur S. Maximini, quæ est in prædio S. Petri constructa, & cellam S. Paulini, & S. Eucharii, & Monasterium S. Mariæ, quod idem præfatus Pontifex Modoaldus in territorio S. Petri nuper à fundamento construxit, & vocatur Horrea, basilicamque S. Martini sitam in pago * Maiginensi, & cæteras basilicas, castella, vicos, villas, vineas, silvas, homines &c. omnia sub jure & potestate S. Petri Trev.*

Dagobertus Chlodoveo ex Manthilde suscepto, se ad pœnitentiâ componit, multaque Ecclesiis beneficia confert. 642.

Irmina Regis filia Christo desponsa, amplè dotatur.

S. Maximini & D. Petri Ecclesia honorantur.

Metropolitanæ Ecclesiæ prærogativa, Maximinianæ opposita.

* *Monasterium Mainfeldiæ.*

Ecclesiæ ejusque Pontificis perpetualiter mancipata permaneant. Quo privilegio ac potestate cum reliquorum exemptionibus, imprimisque D. Maximini, quâ ab omni jurisdictione præterquam Imperatorum Regumque vendicabantur, derogatum vellent, non levibus de in contentionibus ultro citróque est decertatum, dum optimum pars quæque jus suum interpretatur, ac pro viribus, seu propriis, seu alienis, non infrequenti Diœcesanorum concussione, tuetur. Porro hæc posteriora diplomata anno regni Dagoberti Monarchici XII concessa fuisse legimus, ut quæ cui priora nequeas definire. Sub hæc Parisios Dagobertus rediit, magnisque pœnitentiæ vitæ argumentis passim ad Ecclesias Dei honorandas locupletandasque animum convertit. In quibus S. Dionysii basilica, cœnobiumque ubi & recondi post mortem voluit, singulari illius beneficentiâ eminere visa est, quanquam & SS. Petri, Vincentii, Lupi, Columbæ aliorumque censeantur, quæ comitiis Procerum filiorumque institutis ac testamento à se proposito, habere ab omnibus rata voluit, partitisque inter filios regnis, Sigebertum unâ Austrasiâ, ceu triente Monarchiæ acquiescere voluit, Clodoveo reliquum (nam Aribertus jam vitâ & Aquitaniâ cesserat) Galliarum imperium concessit. Tum verò filios fraternæ charitatis admonitos, rogatosque, ut si sua aliquando apud posteros decreta valere velint, paterna ne violent, abs se dimissa mandatorum deinde non immemores. Antistites verò sua sibi liberalitate devinctos oravit; ut tribus à morte annis, tria quot hebdomadibus Deo sacrificia pro animæ suæ solatium offerrent, quæ Bigargii anno regni ipsius XIV ad X cal. Majas peracta sunt.

In Parisiensis regni Ecclesias liberalitas.

An. Chr. 643.

Aimoinus l. 4. c. 30.

Testamentū & Monarchiæ in filios partitio.

645. Mors & sepulchrum Regium Dagoberti.

Nec post hæc superstes Rex anno post altero, quo erat Monarchiæ sextus decimus, alvi profluvio extincta in basilica Dionysiana sepultus est. quo eum à mor hodiedum ceteri Regum, felices si pari exitu, co sequuntur.

Sigebertus deinde Austrasiæ, sub Pipino Majo dom

domus, uti Chlodoveus Neuſtriæ & Burgundiæ ſub Ega, præfuit: ita (ut quod deinde Franciæ Regibus ad molle otium opportunius viſum eſt) rerum ſumma penes Magiſtros Palatii, ſeu Domus Majores eſſet, nominis dignitas penes Reges maneret; donec & hac deinque exciderunt, poſtquam ad otium voluptatemque magis, quàm regni curam poteſtatemque nati viderentur. At Sigeberti Regis ſanctitas veniam meretur, qui à contentionibus averſus, & fratri potiorem, ut in regno, ſic gazâ regiâ, partem conceſſit, & quam ipſe trientem eſt nactus, hanc Eccleſiis Monaſteriiſque, in Dei Divorumque honorem excitandis, potiſſimum impendere viſus fuit.

Rerum ſumma penes Magiſtros ſeu Majores Domus Auſtraſiæ eſſe incipit.

An. Chr. 646.

Interea Major domus Pipinus de Landis, poſtquam ſummo magiſtratu ſub tribus Auſtraſiæ Regibus, magna juſtitiæ ex religionis laude functus eſſet, ſummo patriæ dolore extinctus eſt, filiumq; ex Itta Grimoaldum, egregiis naturæ gratiæque dotibus excultum juvenem, ſucceſſorem reliquit. Quem ſuis Deſiderius Cadurcenſis Epiſcopus literis haud parum veneratur. Itta verò conjunx, Modoaldi ſoror, ſeu fratris conſilio, ſeu impulſu ad religionem proprio, cum filia S. Gertrude Nivigellas in Brabantiam ad Parthenonem ſeceſſit, ſuis deinde ac filiæ opibus, magis tamen virtutibus, illuſtratum; B. Amando Inſtitutore ac duce ad omnem ſanctitatem uſæ. Ille enim B. Remaclo, in Epiſcopatum Trajectenſem ſubſtituto, ſe locis variis Belgarum populo ad ſalutem, Apoſtolico Zelo impendit.

647. Pipinus de Landis Major domus magna laude defunctus.

648. Itta S. Modoaldi ſoror cum filia Gertrude Monaſterio Nivellenſe fundat & ingreditur.

Bellum ſubinde cum Turingis, obſequium Auſtraſiæ detrectantibus, infelici eventu, ſuſceptum eſt. Siquidem Radulphus illorum Dux Vinidis confederatus, Duces Sigeberti, diverſis inter ſe ſtudiis certantes, aggreſſus, ex illa, quam pars eorum temerè invadebat, arce, magna clade cecîdit: reliquis dein in fugam verſis, & priſtinam Turingis libertatem relinquentibus. cùm Sigeberto pax armis potior eſſet, anguſtiúſque quàm inquietum imperium mallet. Cujus laudabilem hac in re

649. Sigeberto Turingi rebelles victoreſque ſe ſubtrahunt.

ſententiam ſi poſteri ſequerentur, quietiore Europa frueremur.

651. Rex diverſa fundat Monaſteria.

Porrò cum nullâ ſe prole Rex donatum cerneret, ſæcris ille, & ſtudia, & opes locis addicebat. Unde duodecim variis regionibus Monaſteria erexiſſe, ac locupletaſſe memoratur. In quibus Arduennates, Trevericæ olim ditionis, Stabuletum, & Malmundarium, D. Benedicti cœnobia à Sigeberto fundata, numerant. Quæ ad B. Remacli metationem, Grimoaldo opitulante, ſunt inſtituta. Idem verò Dux Grimoaldus Sigeberto liberis orbo perſuaſit, ſuum ut natum Childebertum cooptaret in filium regnique heredem. Quod, uti perſuaſum facilè; ita deinde Sigeberti fecundos adhuc thalamos, naſcente Dagoberto, non ſine confuſione ſucceſſionis, turbavit.

Grimoaldi fil. Childebertus adoptatur à Rege.

An. Chr. 653. Cella S. Maximini & Eucharii vindicantur.

Irrupit hoc tempore Hatto obſcuri nominis homo, & prædo, quàm Dux, famoſior, qui Divorum Maximini & Eucharii cellas, contra fas æquumque occupatas uſurparet; ut iccirco ad Aquas Granenſes, ubi Sigebertus tunc agebat, profectus Modoaldus, immunitatis diploma liberali Regis voluntate obtinuerit; quod, præter Martinum Ducem, Cunibertus, & Remaclus Epiſcopi ſubſcripſere.

Modoaldus Parthenones duos Palatioli & Treviris excitavit. illique Adhelam S. Irminæ ſororem, huic ſuam præfecit, Severam nomine, poſt hæc aliaque pietatis monumenta defunctus.

Eidem Modoaldo curæ fuit ſanctimonialibus opportunos providere, vitæ piè inter clauſtralium muros tranſigendæ, receſſus. Quare & Palatioli infra Trevirorum cœnobium in prædio, quod Majorum domus erat, excitavit; cui altera filiarum Dagoberti Magni Adhela, ex brevi temporis conjugio ad viduitatem delapſa, & ſororis exemplo Monialibus aſſerta, denique etiam Abbatiſſa, præfuit: virtute non minus, quàm generis dignitate ſpectata. Tertium ad ripam Moſellæ ipſi Trevirorum in urbe Parthenonem inſtruxit, cui Severam ſororem præſtanti religione feminam, fraternæ æmulam perfectionis Antiſtitam dedit, quem in Martyris Symphoriani honorem excitatum, tum propriis, tum regiis

regiis opibus locupletavit. Quæ tamen utriusque loci cœnobia hoc tempore evanuere. Et prius quidem, fundis pristinis superstes, in Canonicorum Collegium transiit: posterius Nortmannorum vi injuriaque subversum, vix aliquas sui, in Mosellæ circumfluentis insula, reliquias ostentat. His aliisque sanctus Præsul pietatis suæ monumentis cognitus, tandem vitæ mortalis satur, immortalibus accenseri meruit; postquam Severam istuc jam viderat sororem ad præmia virtutum prævolasse. Ipse à morte in S. Symphoriani basilica conditus, inscriptione lapidis ad S. Paulini Ecclesiam ex ruderibus translati, quæ talis est, etiamnum memoran- „ dus, *Hoc est sanctuarium Deo dilecti Trevirorum* „ *Archiepiscopi Modoaldi, cujus sanctitatem Christo de-* „ *votus Rex Dagobertus, sicut in præcepto ejus de Eccle-* „ *sia Treverensi continetur, verbis magnificavit, & ci-* „ *tra Rhenum & fluvium Ligerim rebus magnificè ditavit.* De illo in vita Stephanus Abbas memorat: *Sanctitati, & meritis Modoaldi omni circa regioni salutem frequenter à Deo concessam, si quando, aut aëris inclementia, vel fame, aut gladio, vel cujusque mali metu incumbente, patrocinium ejus incolæ fideliter imploraſſent. Vnde Pater, & singulare perfugium miserorum à civibus appellatus, ejusque depositio* IV. *Idus Majas maxima cum pietate, & festivâ totius regionis gratulatione celebratur.* Ejus porrò Reliquiis post ædem D. Symphoriani destructam in Saxoniam translatis, se destitutam fuisse Treviris indoluit, adeò pretiosa à morte habentur viva illa quondam virtutum sanctarum domicilia, quæ vetustate splendorem pretiumque non amittunt.

656. Conditus in S. Symphoriano; sed, templo destructo, reliquiæ in Saxoniâ translatæ sunt.

Ad Numerianum deinde, ut sanctimoniâ excellebat, quæ tunc dabat præcipuum in electione suffragium, pontificalis cura translata est. cujus licet regendi tempora Brower us metiri se posse neget, constat tamen anno Childerici Regis VIII, quem Christi 670. facimus etiamnum superfuisse ex diplomate ejusdem Sta-

An. Chr. 657. Numerianus vel Nemorianus subfituitur, sancto sanctus.

Vide Notas Annal Trev. Annot. 14. n. 26.

bulenſibus conceſſo. Unde mirari deſinet, qui me ultra Browerum ejus vitæ tempora extendere videbit

661. Sigeberto ſancte mortuo cultoque, Childebertum fil. Grimoaldus ſufficere conatur.

Sigebertus Rex interea vitâ innocenter actâ, & re Chriſtianâ pro viribus amplificatâ, ſanctitatiſque, quod rarum inter Reges eſt, nomen conſecutus, à terrena ad cæleſte regnum tranſiit: in templo D. Martini apud Mediomatrices, quod regiis ante urbem cum Monaſterio ſumptibus excitarat, à morte conditus. Ubi vita mortiſque apud ſuperos pretium crebris prodigiis teſtatus, annuâ veneratione cal. Febr. colitur, honor qui nunquam amittitur; ſed à paucioribus, quàm fluxa regni dignitas, (& quàm ſtultè!) ambitur. Teſtes ipſi Regis ſucceſſores, eorumque adminiſtri. Grimoaldus enim, ut primum Rex fatis conceſſerat, qu

Dagobertum Regis fil. tonſum ablegat.

filium Childebertum, quondam à Sigeberto coopta tum, germano ipſius filio ac heredi Dagoberto præfe ret, hunc adhuc puerum, monaſticâ tonſurâ inaugu ratum, ad ultimum Scotiæ, vel ut alii, Hiberniæ monaſterium Didoni Pictavorum Epiſcopo tradit deportandum, propriumque, quâ apud Auſtraſios valebat auctoritate, coronatum throno infert. Verùm Chlodoveum

Childericus II. capto Grimoaldo & filio in regnũ Auſtraſiæ ſubſtituitur.

Sigeberti fratrem diu latere facinus non potuit. Quam ob rem, collecto ex Burgundia Neuſtriáque milite, Auſtraſiis, ex tribus, quos Bathildis ei dederat filiis, alte rum poſt Clotharium natorum *Childericum* offert, cujus pueritiæ regendæ Imnichildem Dagoberti Matrem ne filii excluſi ſortem ægrius ferret, moderatricem cum Ulfoaldo aulæ præfecto adjunxit, ac Grimoaldum, ſu

An. Chr. 662.

jam ſubditis ambitione inviſum, unà cum filio Pariſiis ſi incluſum carceri, per varios cruciatus ſuſtulit. Verùm haud multò poſt vitâ functus, in Clotharii III. filii majoris poteſtate Burgundiæ Neuſtriæque ſceptr

664.

reliquit, Bathilde adhuc matre ad filii curam ſuperſtite cui ſuam Erchinoaldus Palatii Magiſter curam ſoc avit.

Ha

Hæc verò regnorum mutatio, ad *Dagobertum* in Hiberniæ solitudinem penetravit, ut Regum siderumque præcipuorum motus difficilè occultantur. Matre igitur Proceribusque quibusdam invitantibus, sese rursum in Austrasiam extulit, ac conciliante Imnichilde, ut erat eximiæ probitatis Regina, à Childerico in partem regni, quà Rhenum spectat, Alsatiamque Argentoratum ac vicina amplectitur, admissus est. donec post annum regni Burgundici XIV, Clothario III nepote defuncto, pro Childerico, contra Theodoricum fratrem (sese in regnum fratris licet junior esset, ingerentem) arma sumpsit. ut ex D. Salabergæ vita compertum est, per scriptorem ætate supparem. S. Wilfridus quoque Episcopus Eboracensis Anglià pulsus, *ad Dagobertum Regem transrhenanorum Francorum*, ut Malmesburiensis, inquit, *venit. Is non immemor quod eum quondam factione Magnatum pulsum, & de Hibernia ad se venientem hospitio receperit, & equis sociisque adjutum patriæ remiserit, benignè habuit multisque precibus fatigavit, ut provinciam remanentiâ sua dignaretur, Episcopatum Strateburgensem accipiens. Cumque ille rogantem ad reditum suum Româ distulisset, cum Deodato Episcopo suo ire laxavit.* Denique extat diploma hujus Dagoberti II Regis Austrasiæ, in quo confirmat, quæ (ut ait) *genitor* ipsius *Sigebertus Stabulau & Malmundario Monasterio* donavit. ut iccirco de ejus Dagoberti regno à Brower o & antiquis scriptoribus præterito, ab Henschenio verò in lucem publicam, erudita dissertatione, revocato, dubium esse non possit. Unde verò ipsi cum Theodorico Nepote bellum natum sit, paucis cognoscamus. Clothario Parisiorum, seu Neustriæ Rege post XIV regni annum extincto, Childericus alter natu frater Austrasiæ conregnator, juniore fratre Theodorico ex occupata sede regia in Monasterium, cum Ebroino aulæ Præfecto adactis, dominationem occupaverat; quod hi propter insolentiam omnibus invisi, & Bathildem Matrem, & Leodegarium Augustonensium Episcopum

Dagobertum II verum heredem in Alsatiæ regnum admittit. quod antiqui scriptores nō observarunt.

Chesn. tom. 1. script. hist. Franc.

lib. 3. de gest. Pontif. Angl.

An. Chr. 678.

Childericus etiam regnum Neuſtriæ, pulſo Theodorico fratre cum Ebroino præfecto, tenet.

pum ſanctè moderatéque omnia adminiſtrantes, ejeciſſent. Verùm, ut in præcipiti ſtantium vertigo & ruina facilis eſt, ita & Childerico fuit. quem principiò revocatus Leodegarius per æqua regnantem deduxit; at mox protervius elatum, ſeque aſpernantem, rurſum deſtituit. Unde cum plurium indignationem in ſe collegiſſet, atque è proceribus Bodilonem columnæ alligatum, per ſatellites mancipii inſtar, flagellis proſcidiſſet; hic favore nobilitatis, hanc injuriam quoque ſuam interpretantis, uſus, Regem in ſilva venantem feræ inſtar confecit: &, ne quis ex Childerico ſupereſſet ultor, Bilichildem Reginam prægnantem eodem gladio ſuſtulit. Theodoricus ſubinde evocatus à Proceribus cucullum triennalem mutavit purpurâ, & Leodegario ſuffragante, Leudeſium, Erchenoaldi gratæ memoriæ virum filium, aulæ Moderatorem aſſumpſit. Ipſe, ſub hoc Rectore, Burgundiam Neuſtriamque; ut Dagobertus Auſtraſiam ſub Pipino altero: uterque re minus, quàm nomine recturus.

An. Chr. 681. Sed Childerico tyrannizante Theodoricus è monaſterio revocatur.

Numerianus Archiep. piè moritur Baſino ad S. Maximinum Abbate in locum delecto.

Numerianum nobis exitus, quem ſub Childerico imperante ſuperfuiſſe conſtat, huc quoque transferendus eſt, quo Epiſcopatum *Baſino* eximio ad S. Maximinum Præſuli, tam majorum ſtirpe, quàm propria virtute celebrato, conceſſit. Quod ſi minus illâ, ut nonnulli volunt, hâc certè B. Clodulpho affinis fuit. Guntzam ſororem Gervvino Auſtraſiæ Duci traditam ſub Childerico regnante, habuit, vitamque ad Childeberti II imperantis tempora propagavit. Porrò Numerianum excellens virtus in Divorum ordinem, conſentiente vetuſtate tranſtulit, memoriâ ad V Julii conſecrata. Corpus in ſuburbano B. Helenæ pago ſepultum receptumque æde eſt, quam alius poſtea Archiepiſcopus inſtauratam D. Helenæ Auguſtæ dicavit. Epigraphe ſepulchralis hæc erat:

Numeriani ſepulchrum.

„ *Hoc recollecta in loculo ſunt pignora ſacra*
„ *Præſulis almifici Trevirorum Numeriani,*
„ *Qui Superos adiit, dum ternas Iulius ambit*
„ *Nonas: perpetuo cum ſanctis jungitur ævo.*

Ebroinus

Ebroinus inter Monasterii Luxovienſis ſepta adhuc, tanquam canis venaticus, inter muros clauſus, detineri amplius, non potuit ; Sed Theodorici, quem potiſſimum throno admoverat, favore confiſus, contracta repentè facinoroſorum multitudine, improviſo in Leudeſium Regemque arma movet, victorque obſtantium Theodorico fugienti ſe non adeſſe hoſtem, ſed vindicem adverſus illum ſignificat. Unde præfecturæ admotus priſtinæ, Leudeſium primam vindicatæ repulſæ cæcidit victimam. Mox verò Leodegarium, ſolâ integritate inviſum, orbatum oculis, lingvâ labriſque mutilatum, triſti ſpectaculo, ut ejus diu ſupplicio frueretur, in monaſterium ablegat. unde luce miraculorum inclareſcentem, gloriam hanc, morte per Sicarios illata, conatus eripere, magis auxit.

An. Chr. 683. Ebroinus cucullum galea mutat, ſeque atroci tyrannide in aulæ præfecturam ingerit.

Leodegarius Martyr.

Interea Ulfoaldo Majore domus Auſtraſiæ ſublato, Pipinus alter Heriſtallius, Clodulpho Duce ſatus, rerum ſub Dagoberto moderabatur. Qui Martino, ex Anſgiſo patruele, ſibi juncto, Ebroini tyrannidem infringendam armis cenſuére; Sed, ut victoria non ſolam comitatur virtutem, Ebroinus impius vicit, Martinumque Lauduni obſeſſum, jurata ſuper capſas Sanctorum, ſed reliquiis vacuas, fide, eductum perjurè ſuſtulit. ac ſubinde in nobilitatem graſſatus ceteram, ab Ermenefredo, quem neci deſignarat, præoccupatus, inter meditata parricidia concidit. Illi tutus ad Pipinum receptus fuit. Ad quem Dagoberto circa hoc tempus ſine prole mortuo, rerum per Auſtraſiam ſumma deferebatur: qui tamen Theodorico ex regia ſtirpe ſuperſtite, non niſi Principis, aut Majoris domus titulum occupavit. Unde qui extra Auſtraſiam, eandem ſub Rege Franciæ poteſtatem occuparunt, primò quidem cum Pipino pacem, mox Gillemaro Duce arma, ſed infelici hujus, cælitùs demum percuſſi, interitu, occuparunt. Qui Berthario affini principatum, ac bella cum Pipino reliquit. Quibus hic demum, Neuſtriis juxta Auſtraſiſque faventibus, ſuperior, Bertharioque à conjuratis oppreſſo,

Ducis, à ſuis Ebroinus victor Pipini Auſtraſiæ interimitur.

An. Chr. 687. Pipinus Heriſtallius major domus, Dagoberto mortuo, bello contra Neuſtrios ſuperior, utriuſque ſub Theodorico aulæ præfectus, omnia adminiſtrat.

oppreſſo, totius Franciæ, Auſtraſiæque dominatum poſſedit, Theodorico magnam regii nominis umbram ſuſtinente. Qui tamen Dagoberto felicior hac ſorte fuit, quòd filios Chlodoveum & Childebertum ſuo dederit ex thalamo heredes.

689.

690. Adhela fil. Dagoberti Mag. teſtamento bona ſua legat Palatiolenſi Eccleſiæ.

Quo tempore, cum Theodoricus jam, à regno primùm occupato, annum numerabat XII, Adhela Dagoberti Mag. filia bonorum ſuorum heredem Palatiolenſem Eccleſiam diplomate inſtituit. Quæ in honorem Deiparæ Virginis, cum Parthenone, excitata, à B. Adhela loci, Abbatiſſa regebatur. Bona autem pleraque à Pipino Majore domus permutatione acquiſita fuiſſe memorat, ſolam quadraginta jugerum Inſulam Moſæ fluminis Alberico filio teſtamentariis tabulis reſervavit, adeóque, raro parentum exemplo, in partitione hereditatis, majorem Dei, quam filiorum curam geſſit.

An. Chr. 692. Theodorico mortuo primum Chlodoveus mox Childebertus fil. ſuccedit.

Sub hæc Theodoricus extremam vitæ regnique lineam egreſſus, *Chlodoveo* adhuc puero filiorum maximo, ſub Pipini adminiſtratione, ſedem deſeruit. Verùm is biennalis regni titulum, ut verior fert calculus, depoſitũ, *Childeberto* fratri ſucceſſori ceſſit. Pipinus inter hæc ortis, ad Rheni fines, bellis adfuturus, Nordbertum et amicis tantiſper Franciæ aulæ præfecerat, donec nati ipſi ex Plectrude conjuge filii, Drogo & Grimoaldus, ad hoc officium prudentiâ & exercitatione adoleſcerent. ipſe, poſt Saxones, Suevoſque variis prælîis fractos, contra Ratbodum Friſonum Regem profectus Batavodurum caſtrum * expugnavit, locupleſque opimis hinc ſpoliis Auſtraſiam reviſit. Quando opportunè adfuit ex Anglia S. Willibrodus cum XII ſociis prædicandi Evangelii gratiâ. Hic iis præcipuè gentibus erudiendis qui Angliam primò invaſerant, atque iſtic ab Auguſtino Epiſcopo fidem hauſerant, idoneus Pipino doctor viſus eſt. Inter quos Friſones, nuper bello domiti, quique in Iſala, cis ultráque Druſianas foſſas, incolebant. Quo cum magno ad fidem Chriſtiano emolumento Willibrodus divertiſſet; biennio poſt Romam Pipini

694. Pipinus Ratbodum friſiæ regulum debellat.

* *Doreſtratum.*

S. Willibrodus ex Anglia appulſus friſonum converſioni adhibetur.

Pipino missus, à Sergio Pontifice Episcopus in templo S. Cæciliæ est consecratus, remissusque ad sedem Archiepiscopalem Wiltaburgum, seu Ultrajectum in Frisiam est. Unde ad Trevirensem Diœcesin sese haud rarò, nec sine religionis emolumento, extulit. 696.

Pipinus verò tam eximias Christiani Principis virtutes, inveterato Franciæ aulæ libidinis vitio, haud parum infecit; quando Alpaidis pellicis implicatus amoribus hæsit. Quos dum S. Lambertus Trajectensium Episcopus liberè coarguit, per meretriculæ fratrem Dodonem impiè trucidatus est. Hoc non multò post, à vermibus, qui mortuo Lamberto parcebant, divinâ ultione, consumpto. Solatium illud tamen in calamitate Ecclesia habuit, quod Sergio Papa providente S. Hubertum ex Aquitaniâ Pastorem receperit. 697.

Pipinus libidine correptus S. Lambertum patitur interimi.

Et Basinus Trev. Archiepiscopus illustri virtutum ornatu denique sepulchro illatus est, quod ad S. Maximinum, sub crypta aræ maximæ, possidet, IV Nonis Martii solenni memoria venerandus. Hic jam tum spem D. Willebrodo cœnobii apud Epternacenses Lutzelburgico in agro, ad monasticæ vitæ secessum, fecerat. Sed quam mors facultatem interceperat, *Ludvvinus* Trevirorum in cathedra successor, & Basini ex Gonza sorore præclarissimus nepos, suâ consensione firmavit. Ille enim, splendidis nuper hereditatis suæ opibus, ad Divini nominis cultum piè traductis, Mediolacense monasterium, juxta Saravum flumen, sex passuum supra Saræburgi arcem millibus, istic loci, ubi explicatis sese pennis aquilam in sole quiescentem inumbrasse vidit, excitarat; monasticumque sub D. Benedicti disciplina institutum complexus (ne opes, quàm se ipsum præstantius collocaret) pari religionis studio flagrabat, ideóque D. Willibrodi votis lubens volensque obsecundabat.

Basinus Arch. moritur Lutvvino ex Mediolacensiũ Abbate surrogato.

Theofrid. in hist. M. S.

Lutvvinus Mediolacensis Monasterii primus autor.

Ergo hic alteram nactus spei suæ anchoram, D. Irmi-nam Dagoberti Mag. filiam Horreensis Parthenonis præsidem, & suis & sponsi opibus locupletem, præclaræ dona-

S. Willibrodus Epternacense Monasteriũ S. Irminę ope erigit.

donationis tabulas obtinuit. quibus quidquid Baſilicæ SS. Trinitatis, jam iſtic ſub Horreenſium Virginum dominio excitatæ, bonorum hærebat, & harum, & utrorumque Archiepiſcoporum Baſini & Lutvvini conſenſu, Willibrodo ſeſe transcribere, Childeberti regnantis anno IV. profitetur.

An. Chr. 698.

699. S. Willibrodus peſtem ex Parthenone fugat & Eccleſiam S. Pauli conſecrat.

Liberalitatem hanc probare de cœlo Deus viſus eſt, quando peſtiferâ contagione latè ſparsâ, Willibrodus ſuperveniens correptum jam Parthenonem, conſecrati poſt miſſæ ſacrificium aquâ, perque domum, aſpergine divisâ, repentè liberavit. Nec Sancti viri operæ urbi defuit. cum vicinam Collegio huic Virginum paræciam, duodecim Sacerdotum proventu ab Irmina locupletatam, ſolenni inaugurationis ceremonia D. Paulo Apoſtolo ſacravit.

S. Paulini Eccleſiam Lutvvinus juvat.

Et Lutvvinus omni celebris religionis ſtudio ac beneficentia, quâ & S. Paulini apud Treviros Eccleſiam, attributis Brambachii & Birkenfeldii bonis, complexus eſt, & ad exteros ſeſe etiam effundebat. Rhemenſes ſuo, ut poſtea intelligemus, deſtitutos præſule, nec multò poſt & Laudunenſes de ſuprema illic Epiſcopalis officii cura admittenda ſupplices habuit.

Lutvvinus diverſis eodē die locis ordines tribuit.

Quorum ipſe preces cum aſpernari vix poſſet, æquum cenſuit, quidquid in ſe operæ viriumque eſſet, id Ecclesiis Dei non denegare: eveniſſéque memorant, ut uno die cùm Rhemis tum Lauduni ſacris ordinibus impertiendis exſpectaretur, divinitus factum ſit, ut iſtic peracto munere, Lauduni idem, velut die ad votum prorogata, eadem ſit viſus luce præſtare. Nihil divinâ poteſtate nixis arduum nimis aut remotum eſt.

An. Chr. 706.

Jam *annus* volvebatur XII *in regno Childeberti*, cum oblato diplomate Pipinus & Plectrudis S. Willibrodo donant, *illud Epternaci dimidium quod Theodhardus Dux quondam ipſis tradidit. Actum Gaimundis* III. *Idus Majas.* Ita & Lutvvinus Mediolacenſe, unde prodierat, Monaſterium ampliſſimis prædiis, ſed Antiſtiis Trevirorum

rorum supremæ potestati obnoxiis, dotavit. Quando devota Christo Irmina Virgo jam annorum meritorumque plena, ad cœlestis Sponsi thalamos, nono cal. Januarii, est evocata. Sacrum ejus corpus, ubi moriens versari est visa, Weissenburgense Monasterium, ad Vogesi montis radices, in Spirensium Diœcesi, à Dagoberto quondam patre instructum, excepit, ubi magnificum in absside Mausolæum Virginis Cineres, dempto quod ad Spanheimenses pervenit capite, complecti asserunt. Modestáne an Anastasia eidem Treviris Antistitæ successerint proximè non satis exploratum est; cum ex quibusdam D. Willibrodi codicillis Anastasia, ex recepto Abbatissarum catalogo Modesta præferetur, ut ut sit, utraque suis nequaquam laudibus virtutum sanctitatisque, & hæc etiam amplificatæ possessionis titulo, minimè erit destituenda. adeò hæc secula in Regum aulis luxuriâ, in Monasteriis continentiâ singulari abundabant.

707. S. Irmina mortua & in Weissenburgensi monasterio sepulta est.

Nec Pipinus hanc impunè labem ad reliqua vitæ decora admisisse visus est. quidquid legitimorum illi ex Plectrude filiorum Deus indulserat, quod vagæ libidinis remedium esse debuerat, hoc in pœnam acerbâ morte sublatum ante oculos parentis interiit. Drogonem commune mortalium fatum subtraxit, Grimoaldum magisterio palatii donatum, & Ratbodi Frisiorum Regis jugatum filiæ, pellicibus tamen exemplo patris indulgentem, mors acerbior abstulit. Iter habebat ad patrem, qui Jopivillæ ad Mosam decumbebat æger. Leodium igitur attigit quò recenter ab Huberto, D. Lamberti pignora, ad cædis perpetratæ locum, translata erant, magnaque cùm miraculorum, tum hominum frequentiâ, crescente in urbem vico, affluebat. Quò ubi perveniisset, immixtúsque populo basilicam subiisset, Rangarius à Ratbodo Frisonum Rege submissus percussor adfuit, qui Grimoaldum, spem familiæ præcipuam, ante D. Lamberti aram sustulit. quo Pipini dolore, haud facile dixeris. Theodobaldum * tamen nepotem

Pipinus filios legitimos, non sine pœna, amisit.

An. Chr. 709. Grimoaldus spes familiæ ante D. Lamberti sepulchrum trucidatur.

* *Theodobaldum alii.*

710. Childeberto II. mortuo succeſſit Dagobertus III.

potem ex pellice Grimoaldi, aulæ Dagoberti III. Regis, qui nuper Childeberto mortuo ſucceſſerat, puerum Rectorem puero adjunxit, ipſe authoritate ac re, moderaturus utrumque. Quod tamen brevi mors propoſitum intercepit. Valetudine jam ſenſim morbis attrita finem ſpectabat, cum eidem S. Willibrodus præſens, ut ad pœnitendum ritè opem attulit, ita & beneficium ampliſſimi prædii, quod in pago Moſariorum Sueſtram dicunt, retulit: diplomate, quod ipſe non poterat, à

712. * *Pilitrude.*

conjuge Plectrude * ſubſignato. vix Pipinus ad immortales abierat, nullo poſt ſe herede niſi ſpurio, ad magni nominis dedecus, relicto, niſi martia Caroli, et Alpaide, hanc utcunque patris maculam virtus diluiſſet. Plectrudis tamen hunc averſata, Nepotis Theodobaldi, quamvis & illegitimi, partes amplexa, manum regimini admovebat. illius ab ætate & prudentia imbecillitatem fultura. Carolum, ne quid moliretur, carceribus Aquisgrani clauſum tenuit. At proceres Francorum indignati, jam à muliere & adoleſcente ſe, Regem, regnumque regi, ſummumque hunc magiſtratum familiæ unius poſſeſſione, qui optimi cujuſque virtutibus deferebatur, concludi; juncto ſibi Friſonum Rege Pipinianis bellum movent, hoſque cum Theodobaldo ingenti clade cædunt. Quo fugâ ægrè ſubducto, Plectrudis Coloniæ Agrippinenſis mœnibus claudebatur; ſtudiiſque religionis intenta, nobilium Virginum Parthenonem excitavit, ſub D. Virginis Matris patrocinio. quorum ſe pietati haud multò poſt ſociam addixit, extremum vitæ actum ſolertius inſtructura. Hoc in contubernio Noitburgim aluiſſe neptem fertur, quæ mortalium nuptias, ad quas penè trahebatur, faſtidita, cùm moleſti eſſe propinqui non deſinerent, præoptatâ ſæpius morte, voti demum compos, ſanctè ceſſéque terminatâ vitâ, eluſiſſe fertur. Nunc apud Confluentes in monte S. Beati glorioſis reliquiis corpora honoranda. Ita feminis pro regno cœli, viris pro mundi

Pipino mortuo nepos Theodobaldus licet ſpurius, Carolo incarcerato, in aulæ Præfectura antehabitus deturbatur.

Plectrudis Coloniæ Ubiorum religioſam familiam inſtituit.

In quo Noitburgis ejus neptis excellit.

mundi regno bellum in hac familia susceptum, Carolus ingentis animi juvenis, effracto carcere, ad se quoque hunc armorum pro corona ludum spectare credebat. Quare Ripuariis, qui à Rheni Mosellæque Confluentibus ad Mosam oceanumque excurrebant, tam suâ indole, quàm patris memoriâ gratus, repentè magno numero circumfluxit. Quos, licet principio Ratbodus Frisonesque collatis signis profligassent: rursum tamen in arma conspirantibus Francorum Rex *Chilpericus*, qui recèns post Dagobertum ex clerico imperare cœperat, longe impar Vinciacensi, haud procul Cameraco, prælio succubuit; vixque, persequente Carolo, Parisios incolumis tenuit. Quâ pugnâ adeò Caroli virtus enituit, ut errorem sui nominis latè sparserit. Ne verò regnum ipse Austrasiæ, nisi pro rege, affectare crederetur, *Clotharium* quendam, regii fortè sangvinis hominem, salutatum Regem Chilperico pari astu constituto opponit, Austrasiisque præficit: ut sub Regis umbra, tantò imperaret liberius. artificio ad nostrum usque seculum propagato. Carolus verò Coloniam descendit; nt & Novercam, & Pipini translatos istuc thesaùros in potestate haberet, atque utrumque ex voto cecidit: Agrippinensibus pacem, quàm bellum malentibus, Plectrudem sine noxa dimisit, clementiæ in victoria memor. Rigobertum tamen Rhemorum ex Ripuariis Episcopum sede movit, & Milonem D. Lutvvini Trev. Archiep. filium, militaris sub Carolo, quàm Ecclesiasticæ disciplinæ peritiorem, suffecit. Quo ad hoc munus parum comparato, Lutvvinus, ut supra meminimus, filii officium suppleturus adfuit, atque istic haud multo tempore jam senex versatus, vivere inter confertos labores desiit; felicior in filio *Milone*, Trevirensis etiam Ecclesiæ relicto successore, futurus, si, ut bonorum, ita pietatis ac virtutis heredem reliquisset. Primus is certè hujus loci Episcoporum, qui, si tempora regiminis virtutum incremento metiamur, cùm annis quadraginta præfuerit, meritissimus videri posset: nunc vix dignus,

An. Chr. 716. Carolus Martellus effracto carcere militem colligit, primò victus, post victor.

717.

Clotharium quendam coronat, ut sub ejus umbra dominetur Austrasiis. ut Neustrii in Chilperico fecerant.

Thesauros Patris Coloniæ Plectrudi eripit.

718. Milo homo militaris Patri Lutvvino in Trev. Archiepiscopatu sufficitur.

qui solo nomine succenturietur. Non tamen sui defuerunt Trevericæ Ecclesiæ Atlantes, hinc S. Willibrodus & B. Hildulphus inde, ut de utrisque, absolutis Lutvvini funebribus, intelligemus.

Lutvvinus prodigiosè Mediolacum transit.

Reposcebant suum Treviri, etiam post fata, Præsulem. Quare navi impositus secundo Mosellæ flumine ad eosdem ferebatur; sed ut ventum propius & Saravi sese infundentis aquarum attigisset ratis consortium, hæsit adversus remiges immobilis, suoque demum permissa impetu (quod in Sanctorum corporibus devehendis hac in Diœcesi frequens) per obluctantes Saravi undas, Mediolacum usque (Monasterium ab eo fundatum, excultumque) provecta est, indicante Divo quo post fata loco, vellet honorari. Ergo istic quietem monumentumque hac inscriptione nactus est.

„ *Hic pater insignis Luitvvinus fons pietatis,*
„ *Cujus in hac tumbâ requiescunt pignora sacra,*
„ *Quondam divitiis cum polleret copiosis,*
„ *Est factus Monachus, multis post forma futurus.*
„ *Viribus hic totis frangens incendia carnis,*
„ *Archimandritæ post hæc pignus subeunte,*
„ *Vrbis Trevericæ gregis & sortitus ovile,*
„ *Pastor agens vitam plenis virtutibus ipsam:*
„ *Tandem cum palmâ felix migravit ad astra.*
„ *Omnibus effectum tribuens poscentibus ipsum.*
„ *Vnde preces illi profundite mente fideli,*
„ *Pestis & assiduè procul absit, sospite cive.*

Vita illi ornatior, his versibus, fuit. quam à morte, apparet, fugatâ peste morborum, & sospitatum gratulatus est.

Ratbodus Frisonum Regulus vitam improbam pejore fine clausit.

Dispar Ratbodi Frisonum Reguli ejusdem tempestatis mors fuit. hunc post S. Willibrodum D. Walfranus, Senonensis Episcopus ad Christiana nequicquam sacra invitavit. Et hic denique induxisse visus est. quod homo improbus, altero jam pede aquis baptis-

libus (ut moris olim) impoſito, ad Epiſcopum verſus, ſciſcitatur: plures ne Majorum ſuorum apud Inferos, quàm Superos agere crederet? Iſque reſpondiſſet: apud Inferos: Ergo infert, reducto pede, potiorem numerum conſequar. Quâ voluntate ſi mortuus eſt, voti utique at ſerius pœnitebit. Non quam multos, ſed quam bonos ſequaris videndum. Meliora hoc Carolus viſus eſt ſapere, quando inter bellorum conſilia, religionis curam poſuit, & S. Willebrodo rem ſacram apud Treviros promovente, in uſum Epternacenſiū aſcetarum Bollunvillam * prædium, liberali donatione, adjecit. Sanctum verò Bonifacium à Gregorio II Rom. Pont, ad ſe miſſum, ut Thuringos Haſſoſque fide orthodoxa imbueret, omni opera ſtudióque promovit. Qui etiam, ut Milonis ignaviam in ſacrorum adminiſtratione ſuppleret, Rhemenſem ac Trevericam Diœceſin obiit. Quo in itinere Palatiolum ad ejus loci Præſidem Adhelam divertit. ubi cum ejus ex Albrico nepotem Gregorium, XV annorum adoleſcentem, jam ſtudiis excultum liberalibus, religionis amore inflammaſſet, ſecum ad gentilium inſtitutionem abſtraxit. cui jam adultiori & ſacris initiato Ultrajectenſis Epiſcopatus, non abſque ſanctitatis encomio, commiſſus eſt. Nec Milo Archiepiſcopus Trev. hoc tulit invitus beneficium. Licet enim quandoque rapaces in Eccleſias nonnullas, ut S. Medardi apud Treviros, & montem Martyrum, poſtea S. Beati, apud Confluentes manus injecerit: in alias tamen Eccleſias, ut Mediolacenſem, ſuā rurſus liberalitatē Caroli Mag. diplomate celebratam, exprompſit, & denique B. Hildulphum, eximia probitate ac doctrina cognitum, in vicariam poteſtatem ſacri muneris admiſit: pietatis ſi minus ſtrenuus adjutor, ſaltem fautor. Willibrodus etiam hanc ad rem ſedulò operam, eis, quibus Treviris aderat, temporibus, commodabat; ut plurium diviſus labor manantia à primo capite religionis detrimenta ſarciret. Teſtis illius ſtudii ædes Martyrum eſt, ſub mœnibus Trevirorum, ad Moſellæ ripam, pro Patribus Bene-

* *Bollendorff*

An. Chr. 719. S. Bonifacius à Gregorio Pap. in Haſſiam miſſus.

Palatioli diverſatus Gregorium Adhelæ nepotē ſecum trahit, poſtea Epiſcopum Ultrajecti.

Milo Arch. Bonifacium Hildulphum ac Willibrodum, haud invitus adjutores vidit.

S. Willibrodus autor Monaſterii SS. Martyrum Trev.

Benedictinis, ex vetuſti ædificii ruderibus, ab ipſo exci-
tata, quæ etiamnum cuſtodit autoris ſui, rariſſimum
pietatis monumentum, aram portatilem. in qua ſacrifi-
cium, quàquà iter faceret, divinum offerebat. Cujus
adumbratam in ære effigiem, ut ſpectatiſſimi operis eſt,
in Metropoli exponimus. Ciſtulæ formam refert, qua
conſecratum lapidem in medio complexa, intuſque S.
Crucis, & ex toga Deiparæ Divorumque, Pontiani Mar-
tyris, aliorumque, reliquias ſuſtinens; foris, utrâque
facie, varias Sanctorum imagines, medio Chriſto ac Dei-
para, exhibebat. Inſcriptionem verſuum ad memo-
riam poſteritas adjecit. Embricæ aliud quoque reli-
gioſæ arcæ, cujus in medio Corpus Dominicum inter
Sanctorum pignora aſſervabat, mnemoſynon cuſtodi-
tur. calicem in ſacrificio uſurpatum Epternacenſibus
reliquit. Unde intelligas, quæ huic Friſonum Apoſtolo
ſacrorum cura, & quantum hac ætate Friſonum Saxo-
numque poſteritas ab illa deflexerit: Romanâ tantùm
nihil variante Eccleſiâ; ut veritas immutabilis eſt.

Aram iſtic reliquit pro ſacrificio portatilem, ut calicem S. Epternaci.

Nunc ad Caroli Martelli ſtudia, armataque conſilia
revertamur. Clotharium Auſtraſiis præfectum mors
abſtulerat. Unde ipſi, ut ſub legitimo Francorum Re-
ge aulæ præfecturam obtineret, cura fuit. Raginfre-
dus, qui id officii poſſidebat, remque univerſam bello
& pace adminiſtrabat, præcipuè obſiſtebat. cumque
Ratbodus ſua ope ac vita defeciſſet; ad Eudonem Re-
gulum, Aquitaniæ ſummâ poteſtate dominantem, fe-
convertit. Quo cum ingentem adverſus Carolum ex-
ercitum ducebat; ſed tanto hos ardore in campis Pari-
ſienſibus Carolus aggreſſus eſt: ut cæſis fugatiſque hi-
tè omnibus, Eudo pacem ſtrenui Ducis, quàm arma
maluerit, Regemque Childericum, quem cum gaz
regia in poteſtate habebat, in pignus amicitiæ tradide-
rit. Raginfredus verò Andegavi, quo ſe receperat e
pugnatus, non niſi officio juſſus cedere, cum admira
tione Carolinæ clementiæ, vitâ eſt donatus. Chilpe
cus ad priſtinam, unde eductus erat, Clericorum hum
litatem

Carolus ſublato Rege Clothario ſub Theodorico præfecturam ambit & obtinet, Raginfredo præfecto cum Rege victo, quem ad ordinem clericalē remiſit.

litatem redire jussus, *Theodoricum* Dagoberti III filium *Calam* dictum (quod puer Calensi Monasterio incluſus fuisset) ſucceſſorem habuit; ſed hanc brevi morte calamitatem abſolvit, Martellumq; ſub Theodorico Auſtraſiæ Franciæque totius moderatorem reliquit. An. Chr. 720. Theodoricus Dagoberti III fil. Childerico, ad clericos remiſſo, ſuffectus à Carolo eſt, aulæ præfecturam occupante.

Nec Carolus, peſtilenti febre Treviris correptus, ab ipſo ſepulchri limine procul abſtitit. Jam triginta penè dierum faſtidio cibum omnem aſpernatus, mortuo quàm viventi ſimilior, D. Maximini per viſum apparentis imagine bis recreatus eſt. Primò monentis, ut ſi ſalvus eſſe velit, ſe ad templum conſequatur. Quò cum lecticâ illatus eſſet, iterum ſomno obrutus, jubetur temperare vitiis, ſi cupiat ſanitatem, annuentique hæc ſubitò oblata eſt. Quare erectus, atque in ſacrarium digreſſus, cibos popoſcit: ac deinde valens vegetuſque, gratum D. Maximino ſe præſtitit, Petraſalâ, Comiciaco, aliiſque latifundiis donatione tranſcriptis: nec Metropolitanæ D. Petri baſilicæ immemor Andaclanam eidem villam indulſit. Carolus D. Maximino ſanitatem debet, & gratiam Treviris refert. 721.

Bellis ſubinde aliis aliiſque ingruentibus, & Auſtraſiæ, & Franciæ totius incolumitatem, admirabili bellorum ſucceſſu, ab interitu vindicavit. Nam Plectrude, ut ajunt, Noverca concitante, Saxones & Bojarii in Auſtraſiam coorti, non repulſi ſolum, verùm & in propriis finibus victi, ad Caroli arbitrium leges accipere coacti ſunt, Plectrudiſque Parthenoni Colonienſium incluſa, omnem dominandi cupiditatem ſecum iſtic ſalubriori conſilio ſepelivit. Bonifacio etiam via in Turingiam, Saxoniam, Haſſiam, Wederaviamque liberior ad fidem propagandam aperta eſt, Carolo ipſius conatibus vim autoritatemque ſubminiſtrante; ut dulce Chriſti jugum indomitæ cervices paterentur. Carolum ſubinde Alemanni pari ſorte aggreſſi ſunt, & cum Landfrido Principe domiti in Francorum jus poteſtatemque conceſſêre. Saxones & Bavari à Carolo ſubacti. 723. &c. Alemanni ſubacti.

Cum verò abſentiâ Caroli Eudo Aquitaniæ Dux ad novi belli auſpicia uſus eſſet, reverſum à victoria in ſe Aquitania vaſtata primum à Caro-

lo, tum à Saracenis, pro ope postulatis.

concitavit, fugiensque venientem, impar viribus, pos se totâ provinciâ populabundum circumduxit. Unde ingenti malo suo ad Saracenorum jam Hispaniæ (quo à Juliano quondam Comite, ad vindicandam Roderici Regis in filiam libidinem, evocati) dominantium o pem confugisse memoratur. Abderamanus certè cum quadringentis hominum millibus, per claustra Pyrenæi illapsus, Eudonem propinquiorem cladi primum ter ruit; ut is, objecto ad Arelaten primùm, deinde & Bur degalam exercitu, gemina, eáque ingenti strage, & ex ercitum, & urbes amiserit. Hinc per Santonas in Fran ciæ effusus viscera barbarus, Carolum Germanis Fran ciscisq; probè instructum copiis, quibus Vascones Eudo junxit, obsistentem reperit, ac pugnæ intrepidum inve sit, tanta suorum clade, ut in campis Turonicis, ubi de certatum est, trecenta & 75. hominum millia Anastasius ac Paulus Diaconus occubuisse tradant. Ipse Abde ramanus fugientium oppressus turbâ, sine vulnere cecidit, vixque pauci ad cladem nuntii superfuêre, adeò ipsis miseris fuga exitialis fuit. Carolo subinde tanquam hostium malleo Martelli nomen hæsit. Gregorius II Romanorum Pontifex adhuc clavo assidebat, &, Leone Isaurico iconomachiam toto orbe propagante, ipse non impietate minus, quàm armis petebatur; cùm ho exhilaratus victoria, legatione Carolo gratulatus est, a cum oblatis sepulchri D. Petri clavibus Consulatum illi Romanæ urbis, ut Clodoveo quondam factum, ma ximâ honoris significatione detulit, voluitque Franco totius Principem appellari, simul verò subsidiariam a versus Leonis Imper. tyrannidem ac hæresin opem im plorvait, addictamque prolixè per Legatos Caroli o tinuit. Quæ omnia, cum victoria Caroli, & rebell ne Leonis conjuncta ad septennium, & Gregorii I Pont. tempora, cum Brovvero, * differri non possu Leo, hac confederatione territus, arma minasque co tinuit. Verùm Carolus non satis religiosè usus vic riâ, Decimas Ecclesiasticorum, quas primò ad belli sum

An. Chr. 726. Carolus cum Eudone Saracenos ingenti clade profligant.

Gregorius Pont. Carolo de victoria gratulatus ejus contra Leonē Isauricum opem implorat.

* *Ex Regi none ad an. 733. transfert.*

pus collegerat, deinde etiam in præmia Ducum præci- Ecclesiarum decimas Carolus malè invadit.
puis elargitus est, in exilium pulsis, qui resisterent Episcopis. Una illi ratio: bellum pro Ecclesia gestum, ipsius quoque impendio sustentandum esse. onus non minus, quam commoda, ex æquo partienda. non expendens, quod Ecclesia oratione, non armis, in hostem pugnet.

Sub hoc bellum, ad Trevirorum fines digressus Carolus, Westrasiam iniit, eam ditionis partem, quam Saravus interluit, Vogesusque mons prope Alsatiorum fines claudit, ubi restitantes incolas haud difficilè ad obsequium revocavit. Indè diversâ in Burgundiam viâ flexit, occupatáque Lugdunensium urbe, pronos ad imperium reliquos habuit, metúque plures, quàm armis domuit. Reliqua erat Aquitania, quæ, Eudone fortissimo Duce, jam morte averso, facilè ad Galliarum imperium revocari posse credita est. At filii Eudonis impares Caroli armis, in vicinam sese Hispaniam transtulêre, in qua Aznar natu grandior, eam trans pyrenæos partem, contra Saracenos, occupavit, quæ postea Aragoniæ regnum fuit. Alii germani Hunoldus & Gaiferus, Saracenorum imploratâ ope, rursum sese, ex Narbonensi ubi hæserant Gallia, dum Carolus Frisonico in bello adversus Roponem Regulum Christianorum persecutorem decertat, in Burgundiam usque populabundi effundunt, Lugdunum expugnant; Sed progressi in Senones, ab Ebbone loci Episcopo, pro aris fociscque pugnante, insigni clade repelluntur, dum Carolus superveniens in Septimaniam usque fugientes prosecutus est. Unde haud multò post, Carolo ad rebellionem Saxonum frangendam avocato, vi ac numero potiore Avenionem circumfusi, victores urbe potiuntur, sedemque ad Rhodanum figunt, Mauricio Comite Masilienfi per Eudonis liberos conciliato. Sed Carolus periculo excitatus, non modo Avenionem recepit, sed & Narbonem expugnavit, frustráque iteratâ irruptione obluctantes, Claustris Pyrenæi in potestatem redactis,

Westrasia apud Treviros paccatâ, Burgundiam & Aquitaniâ componit.

An. Chr. 733. Eudonis filios rebelles cum Saracenis, iterum iterumque subigit, & pyrenæis cõcludit.

An. Chr. 737.

intra Hiſpaniæ denique fines armis metúque conſtrixit, & Aquitaniam coronæ deinde Francicæ habuit obſequentem.

739. *Epiſt. 97. Theofred. Ept. in vita & Alcuinus Flac. in verſ.*

Sub hæc tempora Sanctus Clemens Willibrodus (nam & prius illi nomen à Romana ſede tributum) poſt L annos prædicationis ſuæ, ut de eo S. Bonifacius teſtatur, qua Belgis, Friſiis, Ripuariis, Alemanniſque ſalutifuerat, diem extremum Epternacenſi in Monaſterio clauſit, locumque innumeris á morte prodigiis illuſtravit. Ipſe ex lapide Sarcophagus, cum corpore recipiendo minor eſſet, anxiis in depoſitione fratribus ſeſe extendiſſe ad menſuram ſtaturæ memorarur. oleum S. Lampadis, aquâ fontis ſub templo emanantis multis ad ſanitatem profuit, vincula ferrea corporibus vinctorum ad ejus invocationem ſoluta ſunt. Colitur Idibus Novembris, magna ad ſepulchrum affluentium pietate ac turba. Pentecoſtalibus verò feſtis non tantum ſupplicantium; ſed & ſalientium ad numeros, tam religioſis proceſſionibus; ut lacrymas ſpectantibus non raro excutere ſint viſæ, tam verò Deo gratis; ut ſine piaculo nunquam omiſſæ; &, ni obligatis priſcâ conſuetudine locis frequententur, ipſæ in ſtabulo pecudes ad mortem uſque ſubſultent.

S. Willibrodus Epternaci mortuus prodigiis celebratur.

Proceſſiones ſaltantiũ ad S. Willibrodum.

Liberatâ ab incurſu Maurorum Galliâ. Luitprandus Longobardorum Rex arma, quæ Carolo junxerat, in Ducem Spoletanum Fraſimundum, &, (hoc ad Gregorium Papam confugiente,) in ipſum vertit Pontificem. Unde magnifica hic legatione, & Carolo de victoria contra Saracenos gratulatur, & ipſius adverſus Luitprandum ſubſidium, tanquam Eccleſiæ defenſoris enixè poſtulat. Nec fruſtra, cùm non armis, ſed conſilio bene de ſe meritum, Luitprandum, poſt exciſam latè ditionem Romanam, ad mitiora inflexerit, quamvis Leo Iſauricus non deſineret huic bello ad ſubvertendum Pontificem alimenta ſubjicere. Idem Pontifex, literis ad S. Bonifacium & Carolum miſſis, magnopere utriuſque zelum & operam extulit, quâ centenis hominum millibus

Pontifex Caroli opem adverſus Longobardũ implorat.

An. Chr. 740.

Gratulatur S. Bonifacio & Carolo de Haſſorum converſione.

millibus ad fidem conversis Romana Christi Ecclesia amplicata per Hassiam Saxoniamque fuisset. Verùm insequens annus, ut Leoni Isaurico, Gregorioque III, ita & Carolo Martello exitialis fuit; morte tamen dispari. Nam ut Leonis impia, & Gregorii pia, sic Martelli ambigua multis visa est. Quanquam sinistris quorundam, ut ferunt, visionibus parum censeam tribuendum. Evenit illi, quod in magnis Galliæ Principibus sæpe, ex historiæ lege, memorandum est; ut nec sine vitiis, nec sine virtutibus insignioribus ab hac vita decesserit. Quare extrema hæc Dei judicio relinquemus. Carolus si quibus spoliaverit Ecclesiam bonis, fidelibus tamen pluribus illustravit, & heredes post se nobilissimos reliquit. Ex quibus testamento Patris Carolomannus regendæ Austrasiæ, Pipinus Neustriæ sub Theodorico, ac mox, hoc etiam extincto, sub Childerico Rege præfecti sunt, revera ipsummet Regem moderaturi. Grifo & Ægidius ex Sunachilde, Odilonis Bavariæ Ducis nepte, in regni partitione neglecti; sed hic mitioris ingenii monasticen, ille arma amplexus spem regionum religioni prætulit. 741.

Moritur cum ipso Carolo, qui filios 4. relinquit, ex quibus Carolomanus Austrasiā regit.

Et Carolomanni præcipua religionis cura fuit, postquam à S. Bonifacio de corruptis passim cleri moribus querelas excepisset. Quocirca Moguntiacum Synodus Episcoporum convocata est, ubi salutaribus decretis Clementis & Adelberti errores aboliti, luxus Cleri castigatus, consuetudo feminarum, venationes, & aucupia damnata, vetitumque ne patratæ cædis convictus Episcopatum capesseret. Quo nomine Gervilio seu Gevilieb Moguntinus Antistes sede motus, Bonifaciusque omnium sententia est surrogatus, qui autoritate Zachariæ Romani Pontif. Metropolitanus, ad Carolomanni & Pipini Ducum preces, est declaratus, ac præter conversas ab eo gentes, eidem Tungri, Colonia, Wormatia, Spira, & Ultrajectum subesse jussi. Wirtzeburgi quoque & Erpheforti in Franciæ orientalis ac Turingiæ castris, sedes constitutæ sunt. Sed irritam Bonifacius

An. Chr. 742. Synodus Moguntina quæ ipse Episcopus loco motus, & S. Bonifacius cum Archiepiscopi potestate præfectus.

Zelo S. Bonifacii Milo Trev. aliique perverſi Epiſcopi moveri ſede non potuêre.

cum Zacharia impendit operam ad quorundam Epiſcoporum (in quibus & Milo Trevirenſis erat) libertatem coërcendam, quod favore ac potentia nixi procerum, & conſilia & minas eluderent. Videtur quidem eo tempore S. Landeolus, quem in Chronico Conſtantienſi Manlii appendix Trevirorum Archiepiſcopum dicit, in Milonis locum deſtinatus, at fruſtrato hanc ſedem conatu adiiſſe; ut & Rhemorum Epiſcopo Abeli factum. Morbus igitur multorum erat validior, quàm ut medicina ſalubri corrigi poſſet. In Buchoniæ tamen ſaltu Fuldenſe Monaſterium S. Bonifacius, ſub tutela Carolomanni feliciter auſpicatus, Sturmium eidem notæ ſanctitatis Abbatem præfecit, ut alibi refrigeſcentem pietatis ignem, alibi rurſum inflammaret.

Fuldenſis Abbatiæ initia.

743. Griſo malè tentato dominio carcerem reperit.

Interea Grifo matris ſuggeſtione, & ambitione excitatus propria, Laudanum in Picardia occupat, armiſque ad potiora adſpirat, ſed Carolomannus Pipinúſque junctis copiis repentè adſunt atque obſidione victum victumque in validiſſimum Arduennæ caſtrum ablegant. Tum Aquitaniam ab Hunoldo vendicant, tributario Ducis titulo eidem relicto. Poſt in Alemannos, Boios, Saxones converſa arma, ubique tam victorioſa, quàm benigna; ut quæ omnibus ad obſequium redeuntibus parcerent, præcipuumque belli fructum, in clementia victis præſtita collocarent. Et Carolomannum, calidioris ingenii juvenem, hæc pietas, ſubdente D. Bonifacio ſtimulos, ad majora incitavit. Mundi illevanitatem & inconſtantiam æſtimare primùm, ac dein aſpernari viſus, Pipino fratri regnum in alios reliquit, auſpicaturus aliud nobilius in ſeipſum. Nec invitus ille lauda-vit factum, quo ipſe ditior, frater ſanctior fieret. Carolomannus igitur Romam ad Apoſtolorum limina, ſuceſſoremque, non ſine donis, profectus, religioniquæ Zacharia auctoratus, in Montis Soractis eremum ſe abdidit. Quo cum multi, admiratione tam raræ virtutis, atque ex Auſtraſia imprimis gente agnatique inviſerent, mundumque ſe videret, quem fugiſſe

745. Carolomannus abdicato dominio Monaſticen præfert.

Soracten, ac dein turbæ fugiens caſſinum petit.

consequi, ignotus cum uno sociorum Cassinum adiit, receptusque ad humillima fratrum servitia, tanquam è trivio est, ac Benedictinos inter tantò illustrior, quantò abjectior eminuit. Tam diversâ uterque fratrum viâ ad gloriam, alter mortalem, alter immortalem contendit. Et quem horum maximè laudabimus? illum opinor, quem minimè imitamur. Tam ingenti à se invicem distant intervallo meliora sentire, & agere.

Pipinus Austrasia jam connexisque regionibus locupletior. Grifonem, flagrantem illâ quam frater abjecerat, cupiditate, repentè, perfractis carceris repagulis, in se vidit consurgere. Nam ad Saxonum primò opem, deinde & Bojorum, ubi Hiltrudis soror Odiloni juncta, confugit. Quæ cum, viro defuncto, fratrem amicè haberet, ab illo cum filio Tassilone circumventa principatu exuitur. At Pipinus, ut primò Saxoniâ, ita & postea Bavariâ Grifonem ejecit, Sequanamque atque Oesiam amnes inter, duodecim comitatibus, titulo Ducis, præfecit. At his minimè acquiescens, cum ad Gaiferum Aqitaniæ Ducem, qui Hunoldo fratri successerat, transisset, ejusque haud multò post uxoris formosissimæ desiderio captus esset, proditos amores morte luit, ac Pipino fratri Monarchiæ inter Francos occupandæ spem, æmulis sublatis, reliquit.

An. Chr. 746. Grifo elapsus Saxones & Bojos commovet, sed mox expugnatos.

747.

In Aquitaniâ perit.

Jam enim Childericus solo nomine Rex suburbano in agro delitescens, privatis vacabat deliciis. Semel in anno ad Maij cal. jugo bobus tracto, in publicum solitus prodire, nulla re, nisi intonsa cæsarie, spectabilis, tribunal conscendebat, solennia à populo vota ac dona accepturus: tum regni negotiis ad Proceres amandatis, suum ipse repetens in latebris pingue otium, Majori domus supremam administrationis, pacisque ac bellorum, curam deferebat, ut alterius esse labor, alterius fructus honorque, non æqua rerum sorte, videretur. Talis igitur regni fastidio, cùm, amorem Regum ejusmodi, posthabere Francos Pipinus animadverteret; suáque, cùm beneficentiâ, tum humanitate plerosque sibi

749. Childerico Rege ad regnum inutili, Pipinus adspirat.

Procerum

Procerum devinxisset, Burchardus Wirtziburgensis Præsul ac Fulradus aulæ Sacellanus Romã missi, expositâ Childerici ignaviâ ac Pipini fide virtutéque, facile obtinuêre; ut Zacharias, solutis juramenti obligatione subditis, Pipinum S. Bonifacio Moguntinensium Præsuli committeret inaugurandum. Quod Suessione in Francia, magno Procerum consensu applausúque gentis peractum est. Childericus verò cum uxore ad monasticam disciplinam ablegati Merovingorum regiam stirpem conclusêre, ante mortem mundo sepulti, pietate non illaudata, si tantùm voluntariâ.

An. Chr. 750. Pipinus Zacharia Pap. mandante inauguratur Childerico in Monasteriũ relegato.

751. Pipinus subhæc Saxones, Franciæ virtutis cotem, aggressus, tam facilè victos suppliceſque, quàm promptè rebelles habuit. A quibus reversus Theodonis villâ, haud procul Treviris substitit, & solenni diplomate Croviæ Ecclesiam cum decimis & parte silvæ, quæ Contella dicitur Epternacensi Monasterio, in S. Willibrodi honorem, legavit.

Saxones victi.

752. Novam deinde victoriarum segetem Italia suppeditavit: ubi Aistulphus Longobardorum Rex latè omnes pontificii juris agros urbesque armorum vi subigebat, Romamque ipsam seculari sibi jure parere cupiebat, Petrique successorem nullam, nisi in foro sacro, usurpare potestatem. Unde profugus in Galliam Stephanus III. Pont. Pipini auxilia implorabat, facile intelligens, & finis se denique pro arbitrio moderandis arcendum, si profana amisisset. potestatem hanc humanæ potentiæ substernendam non esse, ne alteri præterquam Deo obnoxia teneatur. Et favit Pipinus, postquam beneficio non tantùm, sed & manibus Pontificis in templo S. Dionysii Parisiis & ipse, & Berthrada conjux, & uterque filiorum Carolus ac Carolomannus sacro oleo pro Regibus inuncti, Procereſque Francorum Sacramento obligati essent, ex alia nullâ, quàm hac familiâ, dum mares supereſſent, Reges deligere. Aistulphus, ut Pipinum averteret, Proceribus Gallis pecuniam, Carolomanno fratri legationem offert, minatus exterminium

Et Longobardi in Italia Pontificem sibi subdere conantes.

754. Proceres Franci fidem Pipino ejusque stirpi juraut.

Cassino,

Cassino, si arma Italiæ inferret Pipinus. Et illa, & hic minimè ingrati venerunt, non tamen inflexerunt Regem jam in Pontificis defensionem juratum. Et hic in Gallia Viennæ haud multò post moriens, Cassino repetenti nil nisi cadaver remisit. Pipinus superatis Alpibus in ipso descensu hostium victor Aistulphum Ticini inclusum, huc impulit, ut jurejurando datisque obsidibus polliceretur, Exarchatum se Pentapolimque Romanæ sedi redditurum.

Aistulphus Rex Longobard. fidem Pipino & Pont. promittit, sed fallit. at coactus demum præstat.

Verùm reverso in Galliam Pipino, possessas urbes Aistulphus juratæ fidei prætulit, ac reliquis etiam ipsâque Româ deturbare Pontificem conatus est. Qui ab obsessa jam urbe Legatum cum literis obsecratione plenis ad Pipinum destinat; ac, licet obstante etiam, Exarchatumque sibi, ut debitum postulante Constantino Copronymo, Regem in Italiam rursum pertrahit. Qui simili fortuna, & ad Alpium claustra victum & Ticino incluſum Aistulphum ad extrema redegit, totoque Exarchatu ac Pentapoli excedere coëgit. Reliquit tamen Constantinus monumentum suæ liberalitatis Pipino organum musicum, rem id temporis Gallis incognitam.

An. Chr. 755.

Reversus in Galliam de regno, aptis legibus ac moderamine Procerum regendo, conventum instituit. quâ humanitate, ac velut communicata cum pluribus potestate, illorum sibi animos mirificè devinxit, qui deinde mos ad posteros Parlamentorum, ut vocant, principia istic inducere est visus.

756. Proceres ad consilium regendi adhibet.

Et hac tempestate Milo Trevirorum Antistes, more suo ad venationem egressus, apri dente, quarto infra urbem lapide, ad ripam Gelbis, lethaliter percussus interiit, in silva hodiedum Milonis, ad probrosi exitus memoriam, nuncupata. Sepulchrum ad ingressum vici Erangii istic propè, ubi ceciderat nactus. ut inter feras jaceret, quibus suas impendere curas, quàm Ecclesiæ maluisset. Sedem post illum electus tenuit, qui jam ante sacris plerisque loco Milonis operatus fuerat, Hildolphus, claro Bojorum genere, Reginoburgo, ubi tunc agebat,

Milo Archiep. in venatione ab apro interemptus, successorem ha-

buit, è Ratisbonensi accersitum Monasterio, Hildolphum.

agebat, acersitus. Qui tamen eremo, quam delegerat, decus vitamque suam claudi præoptasset, sed tantò hac mitra dignior omnibus visus est, quantò ab illa ambitione fuisset remotior. De quo paucis multa vitæ priscus autor: *Vir*, inquit, *erat nobilitate generosus, religione præcipuus, consilio cautus, operibus famosus, scientiâ eruditus, lingvâ urbanus, vitâ Deo placitâ, hominibus approbata.* Digna utique morum regula, quâ omnium Episcoporum aptitudinem ad munus tam excelsum metiamur.

757. S. Hildolphi egregia virtus, & in S. Maximini Abbatiam liberalitas.

Vix admissus in sedem, cùm rebus sacris templisque, lubrica Rectoris negligentia collapsis, manum admovit. Eminuitque ejus cum sedulitate liberalitas, in D. Maximini tam æde sacra, quàm Monasterio ad illustriorem cultum frequentiamque excitando. quod Sancti illius prodigiosi eâ ætate Cineres mereri sunt visi. Nam exundans aquarum illuvies, quæ totum nuper templum occuparat, sepulchrum reverita, circum muri specie, cum omnium admiratione surrexerat, pignus sacrum non ausa contingere. Ergo ponè D. Hilarii cellam ædem S. Joanni Evangelistæ sacram, ab ipsis fundamentis, illustri opere novam erigit. Cui absolutæ præter trecentorum è Thebæa legione Martyrum corpora, Agritiique ac Nicetii sacra ossa, D. Maximini cypressinam in marmore tumbam infert, Monasterioque juxta eleganti structura condito ampliscque vectigalibus donato centenarium Religiosorum constituit numerum, qui continuatis noctu interdiuque divinis laudibus operam darent, episcopalique tutelâ fruerentur. Et probavit studium Deus: siquidem energumeni ad D. Maximini sepulchrum plures, in quibus ex Pipini aula Brunco Clericus, Ericus Alemannus vir illustris, Cunibertus ex filia Regis nepos, Dæmonis infessoris vinculis exsoluti sunt. Maritimam etiam sex navium classem tempestati, extrema omnibus minanti, Ibbo Frisius S. Maximini opem implorans eripuit, spectabili inter fluctus scenoccur-

Sepulchrum S. miraculosum intactūque aquis.

Monasteriū amplificatū opere & personis.

Lupus Epis. in vita S. Maximini.

Dæmones & tempestas aversa.

occurrente, qui & voce periclitantes solatus bono esse animo jussit, & præsentiâ undas ventosque composuit.

Saxonum inter hæc inquieta gens, non semel bello victa, ut erat idololatriæ dedita, Christiano obsequium Domino invita deferebat, trecentos denique caballos tributi loco quotannis imperatos admisit. Subinde Aquitanicum cum Gaifero bellum exortum est, quod pluribus usque ad mortem annis utrumque exercuit. ut magna regna, tanquam maria, nunquam diu sine tempestate existunt. 759. Saxones & Aquitani perpetua bellorum materies.

Nec tamen inter arma rerum Pipinus sacrarum curam posuit, sed Bertradæ excellentissimæ conjugis impulsu, Eiffliacis in finibus, triginta circiter â Trevirorum metropoli passuum millibus, Prumiense Monasterium, amœna in valle ad Proneam rivum, magnifico opere impensisque planè regiis, excitavit: magnorum postea Principum comitumque sub D. Benedicti disciplina futurum religiosæ vitæ domicilium. Assuerum verò, pietatis religionisque eximiæ virum, his primum Abbatem dedit. cui hospitales S. Goaris ad Rhenum Canonicos, parum sui instituti nominisque memores, parere quoque, suo ut Præsuli, cellâ fiduciario jure attributâ, jussit. Quos ille, malè quondam ab eis ut hospes cultus, nunc sui juris factos, ad pristina D. Goaris disciplinæ vestigia reduxit. 760. Prumiensis Abbatia à Pipino fundata. cui Canonici ad S. Goarē subjecti. 765.

Eminuit & hoc tempore illustri morte Chrodegandi Metensis Episcopi virtus, quâ cum generis dignitate (ut qui Pipini Regis ex Landrada sorore nepos esset) conjuncta, obtinuit Româ Archiepiscopale pallium salvo tamen jure Metropolitanæ Ecclesiæ Trevirensi, cui obligatus prisca lege mansit. quanquam Episcopos ipse per diversas civitates constitueret. Referendarius ille quondam in aula Martelli, facundiâ Latiique sermonis, & rerum usus peritus, legationibus ad Romanam sedem exercitatus, magnam sibi autoritatem apud omnes comparaverat. Unde & hoc privilegio insoliti in illa Chrodegandus Metensis Episcopus magnæ autoritatis pallio donatus.

sede

sede honoris excultus, personæ illud, non cathedræ acquisiverat. Pipini verò usus munificentia nobilissimam, præter alia opera, D. Stephani basilicam, quæ omnium in se oculos amplitudine & magnificentia traheret, auspicatus est, quam deinde posteri Metis absolverunt. Disciplinam quoque clericorum Romana ab urbe petitam, quâ unius cœnobii legibus, communique mensa proventuumq; usu fruerentur, in Austrasiam induxisse, aut (quod verius) instaurasse collapsam memoratur; sed quæ in ruinam posteris rursum seculis est inclinata, ut in declive semper facilior, quàm in arduum est via: & libertatem, etiam in sacris, adstringi difficile patimur.

Canonicos cœnobio inclusit.

An. Chr. 766. Nova ad S. Goarem Ecclesia, imbribus non tangitur.

Assuero, cui ante memini Cellam D. Goaris commissam, hæc animo cura sedit, ut locum prodigiis celebrem illustriori decoraret Ecclesia, unde circa oratorium ampliorem muris extollere basilicam cœpit, quod cœlites novo insolitoque favore probare visi, cum frequens de cœlo imber, turbaturus ceteroquin operas laboremque, aversus toto structuræ tempore fuerit; quamvis vicinos montes ac flumen inundaret.

768. Stephanus IV. Rom. Pontifex illa quoque ætate indulsit, ut Leodium amplitudine suâ excrescens, aliquot possideret è Trevirorum, uberrimis Sanctorum, campis reliquias: unde Otgeri Decani auspiciis, præter alia Divorum ossa, S. Materni eodem delata sunt, ut quo vivus propius inviserat, mortuus rursum salutis gratiâ adiret.

Hildolphus Trev. Arch. substituto sibi Weomado solitudinem præfert.

Quo tempore Hildolphus Trev. Archiepiscopus, sanctioris iterum solitudinis amore flagrans, *VVeomado* Abbate ex Maximiniano vel Mediolacensi asceterio in locum accersito, per obstantes populi lacrymas precesque invictus penetravit ad eremum Vogesi, Deodati Nivernensis Episcopi virtute atque exemplo provocatus, ac Jacobi Tullensium Præsulis indulgentiâ, in amœna ad Murtam amnem valle, quæ Galilææ dicta est, Monasterium excitavit. Quin affluente deinde ad vitæ

Sanctioris

sanctioris famã multitudine; variisq; eâ solitudine captis, varias locis diversis cellas cõdidit, atq; habitatoribus sub sua disciplina implevit. In quibus, è Treverica urbe Spinulus, tum Joannes, ac Benignus Germani fratres cœnobitæ, ut ferunt, D. Maximini. Tres ad rivũ Rabado, rapaci à cursu sic dictum, ædes, unam Deiparæ, alteram D. Petro, tertiam D. Joanni collocarat. quarum primam, diversis coronatam cellis, ac domiciliis, amplo Monasterio auxit, quod Medianum est appellatum, eique Leutbaldum, rerum divinarum humanarumque scientissimum Abbatem, dedit. Succendit idem religionis ardor Eberhardi; * qui Germanus Hildulphi erat, animum; ut is quoque relicta Ratisbonensium, quâ fulgebat, insulâ, idem apud fratrem solitariæ vitæ genus excoleret. Quam demissionem utriusque Deus prodigio illustravit. cum Eticonis Alsatiæ Ducis & Berswindæ filia, quam Odiliam nuncupabant, adducta oculorumque orbata usu, opem à viris sanctis rogaret. Qui monuerunt gentilem adhuc puellam: ante mentis cæcitatem, quâm corporis curandam esse. Neque invitæ Christiana legis Dei præcepta, ac deinde, baptismus traditus, repente & lucem oculis affudit. cum tantâ, & aliorum, & Virginis admiratione, gratique erga Deum animi significatione; ut se totam eidem è vestigio addixerit, decusq; Sanctarum Virginum in Alsatico Parthenone facta sit. Quã miraculi fama Bigo ejus loci homo locupletissimus, ad Hildolphum accitus, eam partem Vogesi quæ Folchodi rupes dicta est, obtulit, cellamque, quæ Bigonis nomen retinet, fundis prædiisque dotatam erexit, cui Spinulus mõderator ab Hildolpho est constitutus. Ubi tamen haud multò post moriens, tantùm sanitatum gratiâ valuit, ut affluente circum multitudine hominum, solitudo in frequentiam versa nomen usumque amitteret. Quare S. Hildolphus Spinulum obtestatus, ut animis potius, quàm corporibus mederetur, prodigia, frequentiamque hominum ab ejus sepulchro amovit. Quanquam maximum ejus loci prodigium

Accedunt alii, & S. ædes excitantur, ac Monasteria.

Medianum Monasteriũ.

* *Ehrardus vel Erhardus alii.*

Odilia virgo oculis receptis Deo se addixit.

Cella Bigonis condita in qua Spinulus Abbas miraculis inclarescens à morte, rogatus, illa operari destitit.

fuerit hanc illos prodigiorum gloriam potuisse negligere.

Eberhardus frater, ad Insulam revocatus, eas quas in solitudine collegerat, virtutes secum attulit, ibiq; haud multò post in sepulchrum intulit. cum è proceribus Theudovaldus, Abbone filio unâ cum conjuge religioni consecratis, in locum, sub Hildolphi disciplinam concessit, qui basilicam D. Virgini in Berchemio prædio collocatam, Mediani Monasterii possessionibus adjici voluit. Tam præclaris hæc Vogesi montis & silvarum abdita plantariis Hildolphus excoluit, novâ rerum metamorphosi, in illustri Episcopatu suis virtutibus obscurus, in obscuris montium illustris. ut in frequentia populi solitudinem, in solitudine reperisse frequentiam videatur.

Solitudo Vogesi frequentia per S. Hildolphum repleta.

Pipinus inter hæc vivere desiit, postquam Ecclesiæ Trevirensis jura ac privilegia confirmâsset, constituisetque, ne judicibus publicis vel cuiquam alteri in monasteria, Ecclesias, castella, vicos, agros, saltus, homines, cis ultraque Rhenum ac Ligerim, jus ullum; neu cuiquam vectigal, sumptus, impensas & quæcunque ejus generis onera Ecclesiæ liceat imperare. Ita Princeps virtute major, quàm corpore (quo quatuor & dimidium pedem non excessit, ideóque & *brevis* appellatus) vitâ abiit. sepultusque Parisiis ad S. Dionysium, Carolomanum & Carolum post se heredes, illum Austrasiæ, hunc Neustriæ reliquit. Utrique de nuptiis consultura Bertrada Mater, Pontifice licet invito, in Italiam profecta, Desiderii Longobardorum Regis filias geminas in matrimonium collocavit. Ex quibus Bertha post annum, quo vitio incognitum, à Carolo ad Patrem remissa, Hildegarde ex Suevorum gente (probante Stephano Pontifice) in thorum introducta. altera, defuncto post annum Carolomanno, repentè, at non sine prole, viduæ Desiderium patrem repetiit, Carolo regnum sine mora capessente. Magnus ille subitò, ut corporis, ita virtutum præstantiâ cunctis visus est. Synodum Wormatiæ

Pipinus Ecclesiæ Trev. singularia privilegia indulget.

Morienti Carolomannus & Carolus fil. succedûnt. An. Chr. 769.

Nuptiæ filiorum non satis auspicatæ.

matiæ quam primum, consulturus Ecclesiæ rebus, instituit. quod vertente propemodum anno factum: cùm hac absoluta, ad Natalem Christi diem Moguntiæ quietè (ut Regum mos erat) peragendum accesserit. Synodus Wormatiæ habita.

Quo tempore, cum & S. Goaris basilica suo ab Assuero absoluta staret opere, Carolus Lullum Moguntiorum, Basilium Nemetum, Megingozum Wirtzburgensem dedicandæ solenniter ædi accersit Antistites, verum irrepertum adhuc latebat S. Goaris sub terra corpus, quamvis diligenti vestigatione perquisitum. Ergo ad preces triduanumque versi jejunium. post quod Madelbertus è clericis manu ac crure afflictus, ligone, ab oratione, rapto fodit latebrasque observat, per quas dum imminssa manu pertentat abdita sarcophagi pallium tangit vigoremque læsæ hinc dexteræ redire sentit. Quo indicio juxta templi muros in veteri recondito repertus, incredibili omnium gaudio, solennique processionis circuitu, templo per Episcopos inferendus, imponitur feretro. Sed hi frustra conati movere loco, nihil promovent. Dum fuit, qui admoneret S. Goarem ejusmodi videri pompam aspernari, qui omnis in vita gloriæ hostis fuisset. Abdicatâ igitur pompâ, tentatum rursum feretrum, ultro jam in viam templique vicinum aditum sese offerre visum est. Ac subitò, alii morborum, alii Dæmonum malignitate gravati, pristinâ sanitate libertateque donantur. Widonis viri nobilis servus ex claudo sanus, ac mox Clericus: Frecolphus Major Villæ regiæ Vesaliensis juxta S. Goaris oppidum, ex insano mentis compos factus. Waltharius vir illustris furioso Dæmoni traditus, corioque insutus, istic & Dæmone & maniâ liberatus, vineam S. Goari locupletem transcripsit. Qua re Reginarius patruus indignatus, Monachorum & S. Goaris osor, cùm, ne locum transiens videret, obnupto iret capite, intestinis mox effusis, cælitùs plexus, interiit. Alias Comes Herivinus, cum Abbatissa Metensi Euphemia, neglectim prætervecti, delapsique equis, hæc tibiam, ille latus

770. S. Goaris basilica solenniter, nec sine prodigiis consecrata.

Fugâ gloriæ.

Morbi Mania Dæmones aversi.

Contemptores S. Goaris puniti.

cliſit ; ſed ad Sanctum ſupplices converſi, ſanitatem, conſultâ pietate, recepêre. Ut neglectus ſanctorum vix ſine pœna, cultus ſine præmio ſit.

An. Chr. 772. *Æmoinus, Eginhardus in vita. Regino. Sigebertus &c.*

Hadrianus jam Romæ Pontifex Stephano ſucceſſerat, quando iterata ſub Carolo Wormatiæ ſynodus eſt, ac ſubinde arma Saxoniæ, tanquam in arenam martis Francici, illata. ubi caſtro Eresburgo, fanoque præcipuo Martis, quod Irmenſul idolum complectebatur, occupato, ſupplices datis obſidibus ad pacem recepit. Hinc per Treviros Leodium, reverſus, Weomado Trev. Antiſtiti, lateri adhærenti, in Hariſtallio palatio, diploma veterum privilegiorum confirmatoriũ largitus eſt, quod hoc loco apud Brovverum reperies. Inde Theodonis villam ad hiberna diſceſſit, ubi legatus illum Pontificius, Deſiderii Longobardorum Regis vim, odiaque in Romanos verſa, exponit ; tum ob conjugii novi approbationem, tum ob rejectos ex filia & Carolomanno nepotes geminos & regni Auſtraſiæ inaugurationẽ à Pontifice recuſatam. Quare facilè induxit Carolum, ut Pontificis non minus, quam ſui defenſionem ſuſciperet. Ante tamen per legatos ſemel iterumque Deſiderii pertentat animum. Quo pertinaciter cœptis inſiſtente gemineſque munimentis fortiſſimis clauſtra Alpium firmante, Carolus quantum potuit ab Auſtraſia militem per obſeſſas Alpium duxit fauces. quas non ſine præſenti Numine, hoſtibus improviſum terrorem, ſuiſque animum adferente, incredibili felicitate ſuperavit, geminis exercitibus, Deſiderii & filii Aldegiſi, propè ſine prælio profligatis ; ut mirarentur Franci potuiſſe vinci, quæ videbant devicta. Hinc verò cum Deſiderius ſe Ticinum, Aldegiſus Veronam cum filiis Carolomanni, & victa matre recepiſſet, utrumque ſimul locum obſidione aggreſſus, hanc facili expugnatione tenuit, Aldegiſo in orientem profugo Nepotibus cum Matre in Galliam remiſſis. Ticinum verò lenta obſidione fregit. Ipſe interea feſtis Paſchalibus Romam ad Adrianum profectus, non veteres tantùm poſſeſſiones, Eccleſiæ firmavit, ſe

Saxones Idolo Martis everſo pacem rogant.

773. Diploma privilegiorum à Carolo Trev. Eccleſiæ datum.

Deſiderius Longobardorum Rex victus captuſq; Leodiũ mittitur.

sed etiam adjecit novas, Corsicâ, Siciliâ, Sardiniáque eidem consignata. In castra reversus Ticinenses demum, peste magis quâ armis fractos, in potestate suo cum Rege habuit. Quem secum per Galliã unà cum uxore & liberis Leodiũ traduxit Longobardorum regnum suâ sorte concluſurum. quâ cum acquiescere imperando non posset, serviendo debuit. adeò in amplissimis regnis minor satietas, quàm in angustis familiis reperitur. Carolus Italiæ vindex ferreâ Modoëtiæ coronâ primum redimitus fertur, post aureâ Romæ donandus, more ad posteros ttansmisso, reversus in Galliam Paulum Diaconum, à Desiderii secum aula, doctrinâ viri delectatus, traxit, qui Metensium deinde Præsulum acta literis complexus est; sed aulæ demum gratiæque Caroli Cassinense Monasterium Cælitumque gratiam Monachus prætulit, spretis, quàm usurpatis honoribus excelsior. Quo tempore Lullus à superstite Bonifacio designatus Moguntinorum Archiepiscopus, dum pallium Romæ ab Hadriano Pontifice quærit, examini ante trium Episcoporum, Tilpini Rhemensis, Weomadi Trev. & Possessoris ex aula Carolinâ legati conspectum committitur, quod in ejus approbatione minimè fefellit.

Carolus Carolus M. Romanæ Ecclesiæ possessiones amplificat.

An. Chr. 774.

Desiderius Rex Leodiũ traductus.

Carolus Modoëtiæ ferro coronatus.

Paulus Diaconus.

S. Lullus pro pallio examinatur.

Carolus ubi Ingelheimium, natalem, ut ferunt, haud procul Moguntiâ Sedem pertigit, quatuor militum turmas in Saxones rebellantes misit qui inde reversi victores ingentem prædam averterunt: Rex verò operam dedit, ut Gallicanæ Ecclesiæ cantus gravitate Romana condiretur, & latini sermonis vinculo necterentur, eáque gratiâ formandos Romam clericos transmisit: canendique deinde norma à Metensi potissimum in reliquas quà Galliæ, quà Germaniæ Ecclesias derivata, multis hodiedum locis, veterum asperitate correcta, perstat. Subinde bella ex bellis Carolo nata, ad quæ tanquam laureatus abibat, penè victor ante, quam pugnator. Saxones consuetâ perfidiâ bis ad arma rebelles conversi, bis victi, tandemque Comitiis Paderbornensibus à Carolo in procerum capitibus collecti, præter unum Wi-

Ingelheimiũ Sedes natalis Caroli.

775.

Cantus Ecclesiasticus à Carolo formatus.

776.

Saxones sæpius victi, sæpius rebelles.

777.

An. Chr. 778. post bellum Italicũ Mauros in Hispania vicit, sed cladem ab amico non vitavit.

tikindum Ducem, perpetuum incitatorem; ac identidem profugum, fidem juratam dedêre; sed ad proximam rebellionis occasionem tantùm valituram. Interea ad Italiam quoque cum exercitu delatus Rotgandum Forojulianum Ducem, & campo & urbibus profligatum exegit. annoque dein, post Saxoniam compositam, lapso, ad Mauros in Vasconiam irrumpentes tempestivè frangendos profectus, hos in ipsam Hispaniam, Pompelone occupatâ, persecutus est, ostenditque alienis inhiantes non raro amittere propria. Sed redux à victoria in claustris Pyrenæi à defensoribus Vasconibus majorem, quam ab hoste cladem tulit. inquietâ gente quæ nec amicum Francum, nec hostem Maurum æquo animo sustineret, ac beneficium illorum in pœnis reputaret, quo servitutem non tam averteret, quàm mutaret.

781. Pipinus Caroli filius Italiæ, Ludovicus Aquitaniæ Romæ creatur.

Carolus demum ubi vastissimo in regno, pluribus undique hostibus se obnoxium, & mox Italiam, mox Saxones ad rebellionem, ipsius fretos absentiâ consurgere, profectus Romam ab Hadriano impetravit, ut Pipinum filium Italiæ, Ludovicum Aquitaniæ Regem inauguraret. Tertium etiam Pipinum Hildegarde comite, eodem translatum sacro fonte tingendum Pontifici exhibuit. quæ summa omnium voluntate solenniter fuêre peracta. Ipse redux Saxonibus, quotannis propemodum, & rebellibus, & victis, ad plenum obsequium, unà cum religionis orthodoxæ persuasione adigendis se comparavit.

Weomadus Arch. sancte defunctus Richbodum successorem habet.

Interea Weomadus, apud Treviros, pro cella S. Goaris sibi jure proprio debita, cum Assuero frustra contenderat: cum enim Judices ad hanc rem delecti regii juris esse statuissent, Carolus jus omne suum in Abbatem Prumiensem transtulit, illumque possidere ex integro jussit. Sed Weomado, altera deinde lucta cum morte sequenti anno 781. imminebat, quâ 8. Novembris succumbens, non sine elogio sanctitatis, in D. Maximi Ecclesia sepelitur. postquam jam ante triennium, h. e. est 778, prædecessor ipsius Hildolphus sanctissimè, ra-

mos

monastices propagatâ laude, ad V idus Julii decessisset, in S. Gregorii à se excitata æde sepultus, inde postea ingenti miraculorum gloriâ in Medianum D. Virginis Monasterium transferendus. Quem eodem anno Joannes & Benignus fratres, sancti quoque ejusdem discipuli, sunt consecuti; ille presbyter, hic Diaconus. Quos una eademque lux & eremo dedit, & cœlo transcripsit pridie cal. Augusti, unumque in D. Gregorii æde momentum excepit, uno quondam Matris utero productos, ut similiores natura ac virtus fingere vix potuerit. Ceterùm Treviris in Weomadi locum *Richbodus* * Mediolacensis Abbas successit, quem Alcuino notum ejusque celebratum literis accepimus; sed paucis præsidentem annis *Wazzoni*, post se ejusdem loci Abbati, locum cessisse juxta tenendum est, quem tamen aliquot tantum mensibus Episcopum tumulus quoque excepit.

Hildolphi & fratrum Joannis & Benigni Mors sancta.

* *Ribitto in Franc. Annal. apud Pith. dictus.*

Jam annus se verterat, cum apud Lupiæ fontes coacto Procerum senatu, bellum Carolus in Saxones perdomandos decernit, infertque, ac præliis geminis ad internecionem propemodum cædit. Tum velut respirans, Matris Berthradæ, funus conjugisque Hildegardis defunctæ in locum, Fastardæ ex Francia orientali nuptias interponit: moxque ad arma cum filio reversus iteratò haud ignobilem ab eisdem victoriam reportat, ut denique consternati, ac desperantes rebus suis, præcipui Ducum Wittichindus & Albion, ad Carolum incolumitatis fide præstitâ, evocati, Attiniacum venerint, atque istic Christianæ legis disciplinâ instructi, sacroque expiati fonte, universam suo exemplo nationem traxerint, humanam deinde obsequii fidem, cum divina sanctius habituri, quam religionis discrimen hactenus sæpe everterat, cum quo difficilè est ejusdem Regis ac legis observantiam sanciri. Sunt qui Wittichindum sub mendici habitu ante exploraſſe Christianorum Paderbornæ sacra, aulamque Caroli asserant, quàm iis-

An. Chr. 783. Carolus Matre & conjuge defuncta Fastardum ducit.

784. Saxones cũ duce Wittichindo ad fidem veram traducti.

dem palam dederetur. Quod, in re tanta, bene consti Principis laudem meretur.

785. Carolo verò curæ fuisse, ut diversis Saxoniæ locis su præficerentur Episcopi, in ceteris (quod ad rem nostram spectat) testatur diploma Verdensis Ecclesiæ & Episcopatus, S. Swviberto concessum, quod à tribus Archiepiscopis Lullone Moguntinensi, Hildebaldo Colonensi, & Trevirensi anno Divinæ Incarnationis 786 regnantis Caroli 19. Moguntiæ subscriptum legimus. Unde haud obscurè nobis liquet, contra Brovverianum calculum, jam tum Wazzone defuncto, post breve aliquot mensium regimen *Amalherium* Fortunatum Archiepiscopum ad Regis Caroli intercessionem, qui eodem, ut erudito sapientique viro, ad gravissima legationis officia utebatur, præpositum Treviris fuisse, recentem tamen in munere, facilè antecessorum ætas dignitasq; ostendit. S. Ludgerus postea Monasterienſium in Saxonia inferiore Episcopus hanc sibi delatum à Carolo honorem detrectaverat, quod se in Trevirorum Ecclesia longè esse doctiores dignioresque eodem assereret, in quibus Amalherius Græci juxta Latiique sermonis disertissimus, atque ex Alcuini, ut videtur, disciplina, productus, facilè eminebat; ut à Carolo & Leone Pont. maximis quibusque in negotiis adhibitum fuisse, minus sit admirandum. Non tamen nobis erit, cum alias supparis ætatis Amalherio Diacono officiorum divinorum autore, ut Brovverus facit, confundendus: cum hi libri Archiepiscopo jam defuncto, sub annum Christi 819. primum absoluti sint Ludovico imperante. Is verò liber qui de sacro baptismate ad Carolum Mag. conscriptus est, Archiepiscopo Trev. non immeritò tribuitur. De quo nostris in Brovverum Notis plenius diximus.

Vide Notas ad Brovverum tom. 2. p. 559.

Amalherius Archiep. post Wazzonem sufficitur.

Tom. 1. Annot. 16.

786. 787. Inde Aragisus Beneventanus Dux, in Hadrianum arma concitans, Carolum in Italiam armatum reduxit ubi, post aditum Pontificem, & Apostolorum limina solo in Capuam adventu Aragisum territum supplicem

Beneventani cum Duce à Carolo subacti.

qua-

que pro pace habuit, solùm tantum Caroli irati conspectum deprecantem, ut si plus in illo, quàm armis terroris circumferret.

Hinc rediit in Austrasiam, ubi Harderico Comite autore concitati adversus impotentem Fastardæ dominatum populi conjuraverant, ipsum Regis nimium indulgentis muliebribus illecebris caput petituri. sed ante maturitatem detecta conspiratio aliis oculos naresve, nonnullis etiam vitam, pluribus abstulit patriam. Mox in Thassilonem Bavariæ Ducem, jugum Francicum ope Hunnorum excutere meditantem, triplici penè itum exercitu, & ante Hunnorum opem, inopia virium subsidiique pressus, malo Luitbergæ uxoris, Desiderii Regis filiæ, consilio, & conjugem, & regnum amisit. Siquidem captus, atque ab ea divisus, cum filio Theodone, Laurishæ Mediomatricum includitur Monasterio, & vel invitus modestiam docetur.

Conjuratio in caput Caroli detecta.

788. Tassilo Dux Bavariæ victus & attonsus.

Alterum ab hoc annum Carolus quietum inter Ecclesiæ cantum ritè formandum, Cantoribus ab Hadriano Pontifice submissis, tum egestati multorum, præcipuè Christianorum inter Afros trans mare, Syrosque atque Ægyptios levandæ, magno religionis emolumento, impendit.

790. Carolus piis rebus intentus.

Mox velut instauratis ad præliandum viribus contra Hunnos Avaresque Pannoniæ incolas, quos juncta nunc voce Hungaros dicimus, profectus est, illosque non solùm Bavariæ finibus, verùm & propriis dejecit agris præsidiisque. Quod sequentibus annis bellum, per filios Ducesque, continuatum, excidio regionum istarum finitum est; quando nec bello, nec paci idonea gens visa est Unde Franci eò sensim, unde olim ad Rhenum transiisse memorantur, versâ orbis sortisque rotâ, regressi sunt.

An. Chr. 791. Bellum Hungaricum aliquot annis cum gentis excidio ductum.

Sub hæc Pipinus Caroli nothus, simulatione morbi ab Hungarico bello & Patre digressus, ore verbisque quàm gibboso tergore gratior, favore procerum Austrasiorum, Fastardæ mores non ferentium, ad regnum

792. Pipinus Caroli nothus conjurationis in patrem

compertus, Monasterioque Prumiæ inclusus piè vivit.

conjuratione inita adspirabat; sed Carolus ubi maturis nondum rebus interveniſſet, attonſum Pipinum Aſſuero, Prumienſium monaſterio includendum, tradidit: ubi neceſſitate, in virtutem flexâ, eminuit. Tam ſæpe ſalutaris magiſtra eſt adverſitas, quæ ſervat, quos proſperitas perdidiſſet.

793. Emerſerat hoc tempore, à Felice Orgellorum Epiſcopo Hiſpano, hæreſis, quæ Arianæ vicina, Chriſtum adoptivum tantùm Dei Patris filium aſſerebat. quam tamen auctor, à Carolo interceptus, & Romam miſſus, retractavit.

794. Hæreſis Felicianain Synodo Francof. bene damnata, ſed malè rejecta Synodus 2. Nicæna.

Synodus verò Francofurti inſtituta Epiſcoporum Galliæ Germaniæque, ut rectè damnavit hæreſin Felicianam; ita perperam rejecit ſecundam Nicænam Synodum: ut ſi illa latriæ cultum imaginibus exhibendum decreviſſet, errore magis facti, quàm juris. Quare nec exiſtimanda eſt Francofurtenſis Synodus cum Carolo damnaſſe imaginum cultum (niſi qui latriæ dicitur) ſed hunc errorem ſoli orienti reliquiſſe.

Carolus fruſtra Danubiũ Rhenum ſociare nititur.

Conatus quoque hac ætate Carolus eſt Mœnum Danubiumque mediâ ſociare foſsâ; ut ex hoc in illum porrò in Rhenum, transfundi naves, ingenti commodo poſſent; ſed natura ſoli mollioris, & in effoſſa refluentis hoc præſidium arti ſubtraxit, noluitque ſe impunè corrigi. Illud quod in temporibus diſtinguendis, literisque provehendis molitus eſt, meliori ſucceſſu eſt commendatum. Menſibus ad lunæ curſum duodecim annum diſtinxit, ſuiſque illos, lingva ſibi vernacula, hoc eſt Germanica, nominibus hodiedum uſitatis diſtinxit. Ventorum etiam, cum ante ſolùm quatuor, duodecim, ad majorem diſcriminis obſervationem, nomina reperit; ipſamque demum grammaticam patrio ſermone concinnare aggreſſus eſt; ut verè apud hunc Regem galea, haſtaque, ac ægide Pallas latere videretur, idemque inter literas Doctor, in campis bellator ſtrenuus appareret. Certè paſſim ſub illo eruditis ſuus honor, literis gratia conſtitit, & Alcuino præceptore ejus mo-

Menſibus Ventiſq; ſua Carolus nomina impertitur.

Literas Promovet, Academia Pariſiorũ condita.

ra-

rante, nobilissima Parisiorum Academia magnis opibus surrexit.

Ad Divorum quoque basilicas, cultumque regali munificentia extollendum sese convertit. Unde, ne remota tangam, Ecclesia Prumiensium in finibus Trevirorum à Pipino inchoata à Carolo absoluta est: nec procul Aquisgrani, ubi Thermarum calidarum gratiâ, sibi carissimum delegerat Rex domicilium, alia, illustriori etiam opere, quæ hodiedum ejus loci Canonicorum est, perfecta. Quarum illa Servatori nostro, hæc Deiparæ inscripta Virgini, utraque regiæ magnificentiæ decus ostendit. An. Chr. 795. Illustres Ecclesiæ perfectæ.

Porrò ad utriusque operis sempiternam memoriam evenit; ut Leo III. post Hadrianum interea electus Romanorum Pontifex, Carolo singulares deferret honores, non tantum S. Petri Clavibus, sed & novo exemplo vexillo urbis Rom. subnisso. Unde mirificâ Caroli collectâ gratiâ est; invidiam tamen Hadriani Pont. Nepotum incurrit. Qui per armatos Leonem publicæ extractum Processioni gravissimè, etiam, ut Anastasius refert, præcisâ lingvâ, oculisque erutis, multârunt. Is tamen divinitus integritati restitutus, ac dilapsus in Germaniam ad Carolum, omni observantiâ ac humanitate Paderbornæ exceptus est, atque hinc Aquisgranum, comitante Amalherio, Prumiamque deductus, utrasque incredibili solennitate Ecclesias consecravit, & illius quidem loci basilicam XVII Julii, h. nę VII Cal. Augusti salutis nostræ anno DCCLXXIX. An verò, quod Annales utriusque loci referunt, Præsulum istic quà Cardinalium, quà Episcoporum ex Italia, Gallia Germaniaque collectorum numerus dies anni, pro Leonis Carolique voto, exæquarint, & duo Tungrensium Episcopi Monulphus & Gondolphus ad deficientis numeri complementum sepulchris post facta relictis accesserint, id inter historiarum paradoxa in medio relinquam. Digna mihi res certè visa esset, de qua omnes ejus ætatis historici loquerentur. Trevirim Prumiâ adveniisse, tum

796. Leo Pontifex Carolum oblatis clavibus & vexillo honorat.

798. Ab Hadriani Nepotibus pessimè tractatus ad Carolū effugit.

799. Basilicas cōsecrat rarâ solennitate.

Diploma Trevirensi Parthenoni concedit,

tum ratio itineris in Italiam rursus sub comitatu Regis, quem attribuit, instituendi; tum loci sanctitas famaque celeberrima; tum verò maximè diploma Pontificium hoc tempore Horreensis Parthenonis Virginibus concessum arguit. Quo potestatem iisdem Leo facit, Matris suo ex corpore eligendæ; ne ad aliorum arbitrium extraneis sibi impositis parere cogerentur, cujus argumentum apud Brovverum reperies. Ceterùm Leo sub defensoribus à Carolo additis Romam profectus est, quem altero post anno Rex ipse, causæ futurus cognitor, vindexque injuriarum, consequetur.



LIBER

LIBER VIII.

Leo III Pap. Carolus Magnus Imper. Amalherius Archiepiscopus.

An. Chr. 800. Carolus M. Romæ à Leone Pont. creatur Imperator Rom.

JAm Carolus post Leonem Romam attigerat, diem istic nascenti Christo sacrum, consuetâ pietate, transacturus: cum Leo, clam Rege, consilio purpuratorum Patrum Romanique senatus, Carolo qui divinis Vaticana in æde aderat, imperatorium defert, imponitque solenni ritu diadema. Tanto Caroli ad improvisum honorem attoniti stupore, quanto populi gaudio lætissimis vocibus applaudentis: *Carolo Piissimo, Augusto, à Deo coronato, Magno, Pacifico Imperatori, vita & victoria.* Ita desertum jam diu in occidente, in oriente verò profligatum impietate Græcorum imperium, ad unius, meritissimi de repub. ac religione Principis, potestatem, delatum est. Pipinus verò Caroli filius Rex Italiæ simul est proclamatus. Deinde institutâ quæstione criminum publicâ, citati ad dicendam causam Leonis invasores, cum neque ad objecta Leoni crimina, neque ad purgandum facinus sufficerent, capitis damnati, ad Pontificis intercessionem, solo exilio dedecus luerunt. Subinde constituendæ, perque leges latas firmandæ reip. Carolus invigilans, hiemem in Italia transegit. non rerum modò civilium, sed & Ecclesiasticarum haud levi emolumento, ad quæ Leo consilium, vires Carolus, autoritatem uterque adferebat.

Pipinus fil. Rex Italiæ. 801.

Leonis invasores exilio multantur.

Neque abs re fuerit hoc loco commemorare, quæ hac tempestate reip. apud Treviros imago fuerit. Regebatur illa tunc Ripuariorum ac Salicis Francorum legibus, quæ etiamnum manibus eruditorum teruntur. Duo erant urbis capita, legatus & Comes. Ille Principis vice omnia supremo jure administrabat, magistratus

Trevirorum resp. & regimen quale fuerit.

gistratus creabat, imperabat vectigalia, excipiebat populi Sacramenta, causas audiebat, conventusque indicebat. Missus etiam Dominicus, Præses, Majorque domus Trevericæ dictus, quæ potestas ferè Archiepiscopis est delata. Nunc in Vicedominos ex parte derivata. Comes illi adjunctus, operam cautis aliisque sibi imperatis dabat, locumque illius Prætor deinde est assecutus qui XIV. Scabinis ad munus rectè obeundum utebatur. Consules serò, nec nisi anno MCDXLII Principis voluntate reducti sunt.

Leges Carolinæ.

Porrò inter Leges, seu capitula, ut vocant, Carolina, ac Ludovici Pii filii, Ecclesiastica quoque, cum Pontificum approbatione utilia apprimè decreta sanciuntur, ut quod Metropolitanis Suffraganeorum suorum in rebus statuendis gerundisque consilio utendum sit. Clericis non ante aliud, quàm Episcopi sui tribunal comparendum, jus canonicum Sacerdotibus tenendum. Femina, præter Matrem Sororemque, aut quæ suspecta esse possit, nulla domi alenda. Sic diversa alia de templorum cultu, vitaque clericali, de censu, decimis, Monasteriis, Scholis, digna observatu constituta sunt; ut Carolum non belli magis politicarumque artium, quam pacis religionisque ac eruditionis excolendæ scientem amantemque fuisse testentur.

An. Chr. 802.

Legationib⁹ Persarum & Irenes honoratus Carolus hujus nuptias ambit.

Carolus sub ea honorificis legationibus etiam Persarum Regis honoratus est. Memorant, & de nuptiis cum Irene orientis Imperatrice & Caroli, Fraxtardâ, ac post illam Luitbergâ mortuâ, vidui, actum esse; sed Nicephorum Phocam, occupato hoc consilium sceptro intercepisse. Vix Italiam reliquerat, cum de armis contra rebelles Saxones cogitatum. quos more suo, ut vidit, vicit, ac plerisque toparcharum ex nobilitate Francis cisrhenanâ, tum vero Episcopis ad religionem excolendam præfectis, denique in obsequio continuit. Quando Godefridus Danorum Princeps ex septentrione emergens, latè priusquam timeretur, Frisiâ in potestatem redactâ, dominari cœpit, ipsique etiam Carolo (tanti

803.

Saxonibus bello compositis, Dan⁹ grave bellum orditur.

(tanti, cum successu, animi creverant) Aquisgrani minari est auditus. Nec semel hunc ad sua rejecisse suffecerat, Carolo filio in hoc bellum submisso, identidem suis ex Insulis, velut latebris, erumpens, terrorem vastitatemque circumferebat, donec scelere domestico sublatus, hostem quem foris quærebat, inter amicos invenit. A Ludovico filio altero Aquitaniæ Rege felicius arma adversus Mauros illata Hispaniæ, & omnia prope ad Iberum usque, Catalaunià possessâ, Barcinone & Dortona expugnatâ, Francici iuris effecta sunt. Pipino in Italia contra Nicephorum Phocam pro Venetiis (quas Græci tenebant) Dalmatiáque, inter utramque partem divisa, certatum est, alternante (donec pax eos dirimiret) victoriâ. Ita Carolus sensim consenescens bellabat in filiis, suâ consultò quiete ad exacuendam illorum ætatem usus, gemino emolumento, quo ad continentiam pietatemque ipse, quam correctâ thori licentiâ colebat impensius, & filii experimentis bellorum ad fortitudinem proficerent. Ut sui cuique constarent termini, Pipino Italiam, Ludovico Aquitaniam à Ligeri ad Iberum flumen, Carolo Franciam Germaniamque à Ligeri ad Albim usque designarat. quanquam, ut rarò fratrum in partitione regnorum sibi constat gratia, occultâ æmulatione dissiderent; si Ludovicum demas, qui, quâ erat religione, modò per Patrem licuisset, Carolomanni exemplo regnum claustro, aulamque eremo mutaturus fuisset. Pipinus tamen cum Carolo eo propemodum tempore, quo Leo Pontifex Caroli Imperatoris desiderio ex Italia in Franciam, natalitia Christi cum illo Carisiaci celebraturus adverterat, felici Treviris apud S. Goarem casu est conciliatus. Descendebat Pater cum filiis Rheno secundo, Pontifice, ut par est credere, jam dimisso, ex palatio suo Ingelheimio Aquas Granæas revisurus, quando Abbas Assuerus honoris gratiâ occurrens, hospitium suum officiosè defert, simulque ad S. Goarem piè salutandum invitat, recusat Augustus aliumq; sibi profectionis termi-

804.

Ludovicus fil. Aquitaniæ Rex Hispaniam latè occupat.

Pipinus in Italia contra Græcos pugnat.

Carolus M. pietati se impensius dedit.

An. Chr. 805. Carolus & Pipinus fratres dissidentes cœlitùs ad S. Goarem concilientur.

terminum præfixum asserit. Filius tamen Carolus, Patre non invito, ad Sacellum Divi appulsâ navi excurrit. Pipinus inde, ratus exscendisse parentem, aliâ navi consequitur; fratremque Carolum piè ante aram prostratum reperit, simulque fraterni hinc odii stimulis, hinc pietatis reverentiæque erga S. Goarem, multis id temporis prodigiis celebrem, incitatus, ad pacem amoremque redintegrandum se mirificè sensit inflammari: nec secus viso fratre Carolus, ratus ingratas fore Deo Divoque preces inconciliatorum, cum eo amicè congressus est. Unde positis simultatibus, grato aliis spectaculo, in mutuæ necessitudinis jura cojerunt. ac subinde ab Assuero excepti mensa cibóque recreati ad naves rursum deducti sunt. At Imperatori ille pietatis neglectus, gravi navigationis periculo, ventis undisque obluctantibus, stetit. ut incertus vitæ jam vel ex navi, quæ nec viam, nec litus tenere posset, ad S. Goarem vota precesque mitteret. Positis tamen, sub occasum solis, fluctibus, cum assequi destinatum non posset terminum, noctem magnâ commeatus transegit inopiâ; Sequenti irreverentiâ peccasse in S. Goarem professus, viginti auri libras, duóque vestiendis aris ex holoserico pallia, in expiationem delicti submisit, voti sponsione addita. Locum se deinceps nunquam, sine appulsu precibusque ad sancti aram litatis præteriturum. Ita multi adversitate ad pietatem erudiuntur, quam felicitate sua frequenti negligerent.

Catolus Pater neglectũ reverentiæ S. Goari habitæ gravi jactatione navis luit, donisq; ac votis expiat.

Porrò S. Goar post biennium Isvardum Regii fisci procuratorem; postquam & contumeliis, & immensa exactione gravasset sui oratorii clericos, plagis per quietem tam validis afflixit; ut pedem deinde figere imposuerit navi supplex ad templum delatus sit, & promissâ clericis libertate sanitati restitutus: præter genitalium insolens pondus, quod ad perpetuum cupiditatis detestandæ stimulum Divus reliquit. Et nondum mortales discimus, quod nemo impunè Superos contemnat.

Isvardus procurator fisci ab eodem Divo plectitur.

Alter

Altero deinde anno Theodonisvillæ in procerum Comitiis primò Cæsar testamento sanciit hereditatem regnorum in filios divisam, multaque in Ecclesiarū usum destinavit, ac subinde filiis, ad sua quemque regna, dimissis, per Mosellam Treviros, inde per Rhenum ad Vahalim Noviomagum Bataviæ, ubi in condito sibi Palatio per Quadragesimam quietus, à Paschalibus Festis Aquisgranum rediit, Persarumque illic legatos, amplissimis ultrò citroque muneribus delatis, excepit. Qui tamen annus Solis Lunæque deliquiis terribilis, illustrium funeribus præluxit.

An. Chr. 806. Comitia procerum ad regnorū in filios divisionem probandam.

807. Solis & Lunæ defectus.

Prima quæ à mortalibus ad immortales transiit Ada fuit, Pipini Regis filia, Caroli Mag. soror, quæ spreto mundi fastu illecebrisque, Treviris solitariam Deo vitam dicaverat, multis in S. Maximinum, quem impensè illic coluit, beneficiis cognita; ideóque & chori basilicæ umbilico, sub hac in niveo marmore inscriptione sepulchrali, recepta: ADA. ANCILL. CHRISTI. SOROR. CAROLI. MAGNI. Vetustissimo ejus loci codice hæc continentur. IV. *idus Maij obiit Ada Ancilla Christi, piæ memoriæ filia Pipini Regis, soror Magni Caroli Imp. Quæ multa bona circa & infra Moguntiam & in pago Nachovve, S. Maximino contulit, & post finem vitæ hic sepulta quievit.* Memorabilem ibi reliquit Evangeliorum Codicem, in membrana aureis exaratum scitè, latii sermonis literis, & Evangelistarum iconibus; vivis adeò vegetisque lineamentis, ut non ita pridem ducta existimes, operculo auro gemmisque radiante: cujus Achates semipalmaris cum Ada Carolum fratrem tresque filios ejus repræsentare videtur, geminâ subter Aquilâ nativo magis, quàm artis colore emicante. Epigraphe libri non inelegans:

809. Ada soror Caroli Mag. Deo devota, ad S. Maximinum sepulta est.

Dona istic reliquit, in quibus eminet codex M. S. Evangeliorum.

Hic liber est vitæ Paradisi quatuor amnes,
Clara salutiferi pandens miracula Christi:
Quæ pius ob nostram voluit fecisse salutem.
Quem devota Deo jussit perscribere Mater.

Ada ancilla Dei, pulchrisque ornare metallis,
Pro quâ, quisque legis versus, orare memento.

Effecia altera Caroli M. soror Rutilæ.

Altera ejusdem Soror Effecia, paribus accensa pietatis studiis, Divique Benedicti familiæ devota, Monasterium ejus instituti hominibus, quod supra Treviros infra Theodonisvillam Rutilense vocant (jamque emorientе istic vigore ac numero pristino, Patribus Carthusianis anno cessit Christi 1431) liberalitate non impari excitavit. Ecclesiam Leonem III dedicasse in honorem Xisti Papæ memorant. cujus in oratorio S. Stephani Effecia quiescat.

Controversia Græcorum de processione Spiritus S. in Gallia sopitur.

Dum Carolus Aquisgrani ageret, ob vocem FILIOQUE Symbolo Nicæno additam, quâ procedere ab eodem S. Spiritum significabant, nata per Franciam dissidentium controversia est: quæ per Synodum Episcoporum illic collectam ad Leonis Pontif. arbitrium delata, conquievit; dum omisso publicè cantu, sensim legendi consuetudine recepta est.

An. Chr. 810. Pipinus & Carolus Caroli Mag. filii moriuntur.

Pipinus verò Italiæ restitutus, cùm felici armorum successu obtinuisset Venetias, Nicephorumque orientis Imp. pace jam Aquisgrani cum Patre initâ obstrictum teneret, magno hujus dolore occubuit. Hunc, alterum post anno, Carolus frater morte secutus, luctum optimi senis cumulavit. Quem tamen justo Dei judicio plurium concubinarum amatori, licet jam pœnitenti, incussit; ut legitimi thori sobolem doleret sublatam, qui illegitimi parum pudicè usum consectatus esset. Quare animum jam sensim à mortalium rerum amore abstractum, Deo divinisq; cœpit impendere, ac quidquid in thesauris domesticis esset, in Ecclesias ac pauperes, tabulis super ea re confectis dispertiri. Tum Amalherium Trev. Archiep. in orientem ad Michaelem Imp. qui Nicephoro defuncto successerat, fœderis societatisque perpetuandæ gratia, ut ipse per Legatos Michaelem rogaverat, unà cum Monantulo Comite destinavit, cujus expeditione & reditu postea intelligemus.

811.

Amor concubinarum in Dei amorem versus.

813. Amalherius in orientem pro pace legatus.

Reliqua

Reliquerat Deus Carolo, post quatuor Reginas morte sublatas, unam tantùm præter illegitimos filios, prolē masculā Ludovicum, virtutis merito Pium appellatum, ad quem totius imperii curas transferre statuit, nisi quod Bernardo, spurio ex Pipino Nepoti, Italiæ regnum consignarit; cùm præsentem illud rectorem ob frequentiores motus sibi deposcere videretur. Quare Ludovicum ad se Aquisgranum evocatum, in frequenti procerum comitio, summâ in æde inter sacrorum solennia post fusas Deo preces, de imperio rectè administrando Ecclesiaque protegenda commonitum, propositam in ara maxima imperialem coronam, velut de manu Dei accipere, suoque ipsummet jussit capiti imponere, atque ab omnibus Imperatorem salutari. Deinde verò synodis Episcoporum Moguntiæ, Rhemis, atque Arelate institutis, Episcopos, de rebus Ecclesiæ toto imperio quàm optimè moderandis, leges rationesque expendere. quòd religionem sanctè cultam præcipuum sentiret esse salutis publicæ privatæque fundamentum, quo concusso cetera in præceps ruere, longâ experientiâ, comperisset. atque inter tam præclaros conatus Aquisgrani febri ac pleuritide dejectus vivere desiit. anno salutis DCCCXIV ad V cal. Febr. in basilica imperiali Deiparæ à se condita, non sine sanctitatis famâ, sepultus. Verè magnus scientiâ & amore literarum, fortitudine ac felicitate armorum, pietate ac pœnitentiâ. Cùm inter clarissimas virtutes una labes hæsisset Veneris, Marti Palladique sociatæ. Hoc multis suorum felicior, quòd maculam hanc suæ hærentem purpuræ dignis seriò lacrymis diluerit. Episcopatus per Saxoniam Austrasiamque varii ipsius liberalitate gaudent, ac Saxones plerique suis Episcopis tributis obnoxii mansêre. Apud Treviros Metropolitana ædes in beneficiis * Levicanum & Serviacum, anno 34. regni conceſſum, numerat. Sancti verò Maximini Ascæterium, inter munificentiæ illius monumenta Steinsalam, Wimaris-

Carolus Ludovico filio coronam defert.

An. Chr. 814.

Ipse Imp. piè ad mortem dispositus moritur.

Vitia illius & virtutes.

* *Leucke apud Saram.*

In Trev. Ecclesias liberalis.

mariskircham, & Comitiacum, prædia haud parum lu-culenta, gratum recenſet.

Amalherius à Legatione mortuus Hetti habet ſucceſſorem.

In oriente Michael abdicato imperio Leonem ſucceſſorem habuit, qui perinde cupidus pacis Chriſtophorum Protoſpatharium & Gregorium Diaconum cum Amalherio revertente ablegavit. Sed hunc à via reducem morbo correptum ſuccubuiſſe ac HETTI Mediolacenſis Cœnobii Abbatem ſucceſſiſſe, ex argumentis diverſis ſatis compertum, adverſus quorundam chronologiam, habemus. quando quidem Bernardo in Italia rebellante anno ſeculi XVII jam Hetti Cathedram poſſidebat, adeóque libros officiorum ſub Ludovici imperio conſcriptos vulgare non potuit niſi alter Amalherius Diaconus Metenſis. Illuſtris nihilominus doctrinæ zelique vir, Theganum Suffraganeum, magnopere ſuis conſentaneum moribus habuit, cujus pro concione dicentis & eruditio, & ardor Walafridi Strabonis illi familiaris teſtimonio eminuit. Arhiepiſcopus idibus Junii mortuus in S. Paulino quievit.

Vide Notas ad Brouv. tom. I. Annot. 16.

Pith. Annal. Franc.

An. Chr. 816. Stephanus V Papa Leonis ſucceſſor Ludovicum Rhemis coronat.

Leoni Romæ Pontifici Stephanus ex Diacono ſurrogatus ante omnia Ludovicum in Gallia, bellorum fortaſſe imminentium præſagus, adeundum cenſuit. Qui id temporis Aquiſgrani habito Epiſcoporum conventu multa ſalubriter de Cleri moribus Canonicáque vivendi methodo per eoſdem conſtituerat. Inde igitur Rhemos cum Hermingarde conjuge profectus, à Stephano ſolenni coronatione, præſente ejus loci antiſtite Ebbone, inauguratus eſt. Verùm Stephanus magno honore muneribuſque excultus, ceu ad hanc coronationem tantum electus fuiſſet, Italiæ redditus tertio poſt menſe exſpiravit. Ebbo parum conſtans Ludovico obſequium præſtitit. Imperator Aquas reverſus, ſanctioris hebdomade quinta die, ubi ex templo domum redit, caducâ oppreſſus porticu, haud leviter afflictus eſt; aliis tamen hoc caſu pereuntibus, ipſe poſt vigesimum diem convaluit. ut parcere Ludovico viſus in porticu Deus fuerit, etiam cum noceret. Alter poſt hunc

817.

Ludovicus Aquenſi porticu lapſa graviter læſus.

armo

armorum impetus pari felicitate aversus est. Nam Bernardus, ex fratre majore natu Pipino nepos, sibi, licet illegitimo, deberi imperium volebat, atque iccirco indignè tulit Aquisgranensibus comitiis Lotharium, Ludovici filium consortem imperii Pipinum Aquitaniæ, Ludovicum Bojariæ Regem dictum ut denique armis injuriam hanc vindicandam sibi esse cerneret. Quare Ludovicus & sibi omni studio bellum esse apparandum statuebat. Quo nomine Hetti Trevirorum Archiepisc. legati Imperatorii potestate ad Frotarium Tullensem Episcopum litteras hoc anno dedit, quo ipsius Vasallos expedire repentè arma jubet, atque ad omnem Imperatoris nutum esse paratos. Quem cum subinde ingenti properare exercitu Bernardus accepisset, impar viribus, abjecto rebellandi consilio, ad ejus clementiam supplex confugit. Quam & pro ingenio indulsisset Ludovicus, nisi suorum procerum consilio in transversum actus, misero oculos effodi jussisset. Quo dolore, per animi ægritudinem inflammato, cum post triduum expirasset, suam Ludovicus, cum multis aliis, crudelitatem, dum viveret, accusavit, crebráque filiorum rebellione jactatus expiavit. nimia in hos clementia, dum priorem corrigere severitatem vellet, illorum temeritatem exacuens, & suam augens calamitatem. adeò difficile regnantibus est, in pœnis ac remissione, mediocritatem obtinere, & delictum omne vitare, dum delicta corriguntur.

Labbe de script. Eccl. in Addendis tom. 1. p. 695.

818. Bernardum Nepotem rebellantem, ac dein supplicem, oculis vita crudeliter privat.

Variis subinde Principum & Episcoporum Comitiis, Aquisgrani, Ingelheimii, ac Theodonisvillæ de rep. & Ecclesia Dei, varia sunt constituta. Et huc quidem illa referenda sunt, quæ Browerus anno hujus seculi 6. adversus percussores Clericorum decreta asserit, ubi Hetti Archiepiscopum Trev. subscripsisse non diffitetur. Porrò Irmingarde jam mortua, Ludovicus Juditham Boicæ nobilitatis conjugem duxit, ignarus quantam cum illa calamitatum seriem traheret. quæ tamen illi ex conjugio Carolum Calvum, postea Imperatorem, dedit.

An. Chr. 819. Comitiis variorum locorum Ecclesiis & reip. consulitur.

Judithan Bavaram Ludovicus, Irmingarde mortua ducit.

dedit. Ceterùm Ingelheimio secundo Rheno Confluentiam descendit, S. utique Goarem religioso id temporis more reveritus. Cum & Patris quondam præteruntis, & recens multorum hoc officii negligentium, celebrata esset correctio. Quandoquidem Maximinus, S. Gereonis apud Ubios præsul, vix ex naufragio, cum navi transitum meditante, ad litus emerserat: altera vero navis, quæ mulierem ad sancti Goaris limina egressam operiri reducem noluit submersa erat, infante ejusdem matris ex undis ad ripam incolumi delata, & servi metu pœnarum ad aram divi profugi impunè avelli non potuêre. tanta loci, hac tempestate, tamque sacra habebatur religio; ut hunc sine veneratione præterire diceretur in crimine.

S. Goarem navigantes impunè non negligunt.

Annus insequens tres Ludovici exercitus in rebelles, sub Liudevito Duce, Pannones immisit. qui uno alterove hic anno, lautis rebellium ditati spoliis, Austrasios revisêre.

820 Pannonia rebellis domita.

Imperator sub hæc Aquis per Arduennam, venatione frequenti tritam, Trevirorum urbem, Martyrumque basilicas invisit, atque hinc Theodonisvillam digressus, Lotharii filiorum natu maximi nuptiis; cum Irmingarde Hugonis Comitis filia, in solenni Procerum, ipsiusque Paschalis Pont. legatorum conventu, celebratis interfuit, verum perpetuo inter lætissima quæque conscientiæ vulnere, quod supplicem ultra sibi nepotem Bernardum oculis vitáque orbasset. Atque iccirco collectæ, Rhemorum in finibus Attiniaci, Episcoporum Synodo, publico judicio accusatur ipse, & reus dignâ & pœnitentiâ, raro submissionis exemplo, plectendum fatit: pœnæ sibi irrogandæ supplicium non deprecans; sed ultro accersens. Inde verò Lotharium abs se filium, cum imperio dimisit in Italiam; ut acceptis regni insignibus, ejus præsens incolumitati consuleret. ipse Francofurtum descendit, atque istic inter Germaniæ proceres de ejus salute deliberaturus, ædificiis non minus quàm legibus urbem ornavit. Altero vero post anno

821. Lotharii filii nuptias Theodonisvillæ celebrat.

822. In Synodo Episcoporũ pœnam sibi ob Bernardi mortem infligi petit.

823.

autor Clero Metensi fuit, ut Drogonem, ex Carolo Magno & Robeda Concubina, fratrem, monasticæ, (cum aliis spuriis Hugone & Theodorico) vitæ autoratum, in Antistitem suum, Gundolpho jam defuncto, admitteret. Tum verò, ad intercessionem Adelhardi Patris consobrini, Abbatis Corbejensis in Gallia, alteram sub ejusdem obsequiis Corbejam inferioris Saxoniæ erexit, tanquam aliquod pœnitentiæ susceptæ pensum, nobili censuum proventu locupletem. Interea, velut ipsum cum suo Principe lugere imperium videretur, varia passim extitere prodigia, Aquensi etiã palatio, trepidante terrâ, concusso, & latè per Franciam in vulgus sparsa mortalitate, quando, & alimentis apud multos deficientibus Leucorum in agro Comerciaci puella annorum XII pasta cibo eucharistico festis paschalibus, alium per triennium cibum respuit; à quo ad communem deinde est victum reversa; ut & pateret, quàm facile Deo esset esurientes pascere: & simul ostenderet mortalem suæ non debere conditionis oblivisci.

Drogo frater Ludovici Episcopus Metensis.

Corbejam Saxoniæ Ludovicus fundat.

Prodigia, & puella per triennium sola Eucharistia pasta.

Nec multo post Harioldus Nortmannus, magna cinctus Danorum multitudine, ad imperatorem per Rheni sanctique Goaris confinia Moguntiam usque transiit, ubi in S. Albani basilica solenni cum suis apparatu sacris Christianis initiatus, fidem exemplumque ad suos retulit, non levi optimi Imper. gaudio, qui & muneribus & honorifico reduces comitatu est prosecutus, tanquam orco triumphato victores. Cum quibus postea S. Ansgarius, Corbejæ Monachus, Danos ad orthodoxam fidem traduxit. Quo tempore cum filiorum adversus Ludovicum patrem susceptа, Novercæ Judithæ odio, gliscceret conjuratio, missi ad Lotharium in Italiam legati sunt, Odgarius Moguntiorum Archiep. cum aliis, ut alienatum ad patris obsservantiam animum componerent. Quâ occasione S. Severi Ravennatis Episcopi, Vincentiæque conjugis, atque Innocentiæ filiæ ossa clam accepta Moguntiamque translata fuerunt.

826. Dani Moguntiæ baptizati.

S. Ansgarius eorum Apostolus.

Variæ ex Italia in Germaniam Galliamque illatæ Reliquiæ SS. ex quibus S. Sebastiani caput Treviris cessit.

Cui beneficio accessêre S. Sebastiani Martyris pignora Monachis Dionysianis ab Eugenio Pont. concessa, & a Suessionibus ad S. Medardum deposita. unde caput vicinis Augiæ, apud Treviros, Monasterio, ac deinde illatum urbi, magna hodiedum religione observatur. Pars etiam Epternacensibus & Arensteinianis apud eosdem cessit, magnâ ubique & religione & prodigiorum gloriâ, tam earum pignus comitante.

827. Mauri Aquitaniam spoliant.

Evenit deinde, ut Mauri ex Hispania in Aquitaniam, magnâ rursum vi, erumperent. quibus componendis primò quidem Helisacharem S. Maximini apud Treviros Abbatem, cum Donato & Hildebrando Comitibus legavit. Nec multò post Pipinum filium cum exercitu objecit Imperator; at serius, quando jam Mauri, An. Chr. 828. cum ingenti præda, Cæsaraugustam sese receperant. Ipse domi Ludovicus Palatio Aquisgranensi basilicè instruendo, sacrisque rebus ac venationibus intentus, plerasque etiam reip. negotia ad Bernardum cubicularium Hispanum hominem, ideóque Francis invisum, administrabat. Quem cum adulteræ Reginæ Judithæ amoribus sentirent implicitum, perque illius blanditias cor Regis ad omnem nutum versari Proceres filiis, inprimisque Pipino, persuaderent, natumque ex ea Carolum imperio educari traderent, facilè horum in patrem animos concitarunt. Et hoc quidem Pipinus occupato, Judithan abstractam latere cum filio, per Jessen Ambianensium Episcopum, monasterio incluſit: patrem sub custodia tenuit, Bernardo fugâ in Septimaniam evadente. Lotharius in subsidium à Patre evocatus, conjuratorum ad partes inclinari, dissimulanter tamen, cœpit. Ludovicus pari arte, ceu non invitus monasticen amplexurus, Necomagensi omnes conventu apud Batavos, velut dispositurus cum proceribus de regno, adesse filios, sed absque milite, jussit. Ubi, cum Germaniæ principibus faventibus uteretur, postquam & filios, & Episcopos Francorum, rebellionis autores, haberet in potestate, illos paternè admonuisse, horum quosdam, in quibus Jesse, per reliquos

Proceres Francorum filios Imp. ad rebellionem incitant.

830.

Pipinus Judithan Novercam adulterii insimulatam à Patre abstrahit.

Ludovicus filiis in potestatem redactis parcit.

reliquos fideles exautoraſſe ſatis viſum eſt. Juditham Aquiſgrani, poſt vindicatam in judicio pudicitiæ famam, ipsóque purificationis feſto die abſoluram, in thorum recepit. Et Bernardus ſe eidem ſtitit Theodonisvillæ, atque accuſatore ad duellum (qui id temporis mos purgandi) provocato, cum nemo appareret, ad officium redut. Verum illa Imperatoris, cum in manibus rebelles eſſent, manſuetudo tanquam mel in felleo corpore, bilem non extinxit, ſed exacuit, opportunè in novum ſeditionis morbum eruptura. Nam Pipinus, jam Bernardo ad ſua ſibi conſilia ſociato, in Aquitaniam, invito Patre, digreſſus, nova repentè moliri cœpit; ſed cum Ludovicus maturis nondum rebus à tergo inſiſteret, eídem rurſus ſupplex Pipinus nihil gravius paſſus eſt, quàm ut Treviros in cuſtodiam amandaretur. Ubi jam non Amalherius, ſed Hetti præſidebat, ut ſupra meminimus. Unde illa quæ de Amalherio à Brovvero & ſupra de oblatis officiorum hoc tempore libris, ac de Romana ad Pontif. Legatione, atque hic de morte ejus diſſeruntur, ad alium Amalherium, Eccleſiæ Metenſis virum, doctum juxta piumque, ſunt transferenda, ut ex ipſorum contextu manifeſtum eſt.

831. Juditham judicio purgatam recipit.

832. Pipinus iterum rebellis Treviris cuſtoditur.

Libri officiorum ad Imp. à quo ſcripti.

Hetti verò, illuſtris, cum generis, tum vitæ, ſororem Monialibus Palatiolanis juxta Treviros præpoſitam, hoc tempore floruiſſe argumento eſt, repertum, his verſibus:

Sororis Hetti Epitaphiū.

Hic Warentrudis nimium veneranda quieſcit
Abbatiſſa; animam ſed paradiſus habet.
Hetti Pontificis fuerat ſoror, Amita Magni
Tietgaudi Domini, magnificique patris.
Cujus Germanus vir clarus in omnibus extat:
Nomine Grimaldus, ore & honore potens,
Quique jubent titulum ſcribi pro munere amici.
Illius ut nomen tempora multa habeant.

Videtur idem hic Grimoaldus eſſe, quem Wallafridus Strabo, ſuo in carmine inter Palatinos Ludovici Imp.

celebrat, bello ac pace strenuus. Sed Hetti hoc anno, quo S. Ansgarii Danorum Sueonumque Apostoli latè ad conversionem barbararum gentium fama inclaruit, cum Drogone Episcopo Metensi fratre Cæsaris, tum Odgario Moguntinensium, & Ebbone Rhemensium Archiepiscopis, jussus est Ansgarium primum Hamburgensibus creare atque imponere Archiepiscopum, qui septentrionales hosce populos autoritate suâ, ex Romanæ, Ecclesiæ instituto, moderaretur.

S. Ansgarius primus Hamburgensium Episcopus creatur.

Anno insequenti novis acti rebellionis adversus patrem furiis Lotharius Pipinus & Ludovicus Ebbone Rhemensium aliisque Episcopis cupiditatem inflammantibus, arma junxerant, nec segnis Ludovicus Germanorum secum & Austrasiorum exercitum Argentoratensibus in campis objecit, quando Gregorius IV Rom. Pontifex, oppositis jam copiis, mediator opportunus intervenit. Qui cum primum ad filios divertisset rebelles animos compositurus, atque illi simulato pacis amore illusissent Pontifici, Ludovicum ea imbuêre opinione, quod causæ filiorum Gregorius faveret; fomenta ad hanc alendam subministrantibus adversariis. Unde, ductâ longius controversiâ, sollicitati Imperatoris Duces arte donisque, cum plures filiis militem jungerent, desertus atque impar bello Ludovicus, cum filio Carolo & Juditha conjuge in potestatem rebellium venit. Et hæc quidem in Italiam procul Dortonam est ablegata, velóque rursum abdita. Illi à Lothario captivorum specie per Franciam ducti sunt, Ludovico in S. Medardi apud Suessiones monasterium redacto, postquam is sententiâ Episcopali, Ebbone Rhemensi Præside, damnatus esset, atque indignus regno pronuntiatus, ideóque ante aram discinctus gladio, ac scelera, quæ non fecerat, imperata confessus, purpuram cilicio cuculloque mutasset. Indoluit Pontifex tanta se filiorum impietate delusum, campusque ubi deceptus est *mendacii* dictus fuit. Erubuere & Austrasiæ proceres, ad tantum suæ gentis dedecus probrumque.

833. Filii junctis copiis rebellantes, Pontifice frustra intercedente, Patrē Imp. & Novercam capiunt, & utrumque ad monasticen cogunt. ex Ebbonis Archiep. Rhemensis sententiâ.

Ipse

Ipse etiam Pipinus à Drogone Metensi impietatis, nullo suo emolumento exercitæ, commonitus, cum rapere ad se fratrem Lotharium omnia cerneret, conscientia scelerum, cum Ludovico fratre tractus, tribus raptim exercitibus, ex Francia, Burgundia, & Aquitania ductis, Lothario sese objiciunt, armaque, ni patrem pristinæ reddat dignitati, ostentant. quando ipse, quem pullatum secum trahebat, Ludovicus medius, fratrum sese oppositit armis, monuitque non alia se lege priora dignitatis insignia admissurum, nisi per Episcopos ademptores declaretur innocens, ablatusque cum fama honor restituatur. Nec mora, Parisiis ad S. Dionysii basilicam inductus à Drogone Metensium aliisque Episcopis, damnata priori sententiâ, criminumque objectorum pronuntiatus insons, pullatâ exutus veste, purpuráque ac baltheo gladioque ornatus, ingenti lætitia populi repentè novus Imperator, ceu mutatâ per comœdiam scenâ, apparuit. ipsaque sub cœlo elementa hoc judicium probare visa sunt, quando ex fœda & jam diu sæviente tempestate, exundantibusq; ubiq; fluminibus, & serenari aer, & aquæ residere, totique redire tranquillitas orbi cœpit.

Drogone Metensi Episcopo autore Pipinus & Ludovicus fratres resipiscunt.

834.

Lotharium fratrē armis premunt.

Ludovicus Imp. sententiâ Episcoporum priori dignitati restituitur.

Fuêre, qui Lotharium persequendum, Patrique in vinculis sistendum rati sunt. Sed horum aversatus Ludovicus consilia, tempus firmàndæ iterum rebellioni indulsit. At Pipinus cum Ludovico in patris gratiam amplexumque receptus, ferro flammáque in Neustria grassantem, junctis copiis, Aureliano in agro pressum Lotharium ante patrem stitêre supplicem, qui solis verbis castigatum remissumque in Italiam, eâ sese continere jussit.

Lothario pater rursum ignoscit. Ebbo dignitate spoliatur.

Tantum paternus amor filiorum reverentiam superabat. Theodonisvillano deinde comitio depositoriis Episcopis abrogata dignitas, quam Ebbo coram, excusatione ab Hetti etiam Trevirorum Archiepiscopo rejecta, abdicare, exilioque permutare jussus est. plerique reliquorum, ut Jesse Ambianensis, Helias Trecassinus Episco-

835.

Autores conjurationis intra annum moriuntur.

Episcopus, Walo Abbas Corbejensis, Malfridus, Hugo, & Lambertus, Agumbertus Pertensis, Ricardus, Comites, ac Borgaretus regiæ venationis præfectus, intra annum pestifera lue sublati, Deo neglectam ab Imperatore vindictam perfidæ conjurationis exigente.

Juditha Ludovico reddita.

Juditha, rursum ex Italia, monasterioque ad aulam reducta, pristinum quoque honoris locum occuparat; cum Ludovicus, ut poterat, turbatis domi forisque reip. rebus novis comitiis, legibus, decretisque consulebat. Ne verò Legati, seu Missi, ut vocabant, Dominici, immoderatis subditos gravarent sumptibus, præscriptum

Annona Legatis præscripta.

legimus: *Episcopo* venienti, pro victu, *panes XL Friskingæ*, seu assaturæ *tres, de potu modii tres, porcellus unus, pulli tres, ova XV. annona ad caballos modii IV. præbentor.* Ita curæ Ludovico erat, ut suis quæque legibus circumscriberentur: útque necessitati præsidium, & cupiditati terminus statueretur. Ubi quod Wandelbertus è Prumiensi monasterio hujus temporis scriptor memorat non videtur negligendum. Dum enim ultro citróque, per Trevirorum fines, Imperator commeat, ac

Ludovicus Imp. à S. Goare in podagræ morbo levatus.

secundo Rheno ad S. Goarem pro more appellit, ex podagræ doloribus, vix inter sustentantium manus ad oratorium eniti poterat: *ubi verò surrexit* (verba autoris sunt) ab oratione, *ad Abbatem, & clarissimum virum Gerungum, olim palatii ædilem, nunc monachum, conversus, Deo, inquit, gratias, nunc meritis S. Goaris levamen mihi datum persentio. neque eo jam, quo huc veni dolore laboro. Sic à memoriâ regressus, lætus & alacer diem totum duxit. Hæc ipso Abbate, qui coram adfuit referente cognovi. quanquam nec ego ipse multùm abfuerim, qui pridie ejus diei Imperatorem, prædicto dolore gravissimè laborantem, in palatio* (Ingelheimensi) *viderim.* Adeò frequentia hac ætate erant in omne hominum genus S. Goaris beneficia, tam benevoli veneratoribus, quàm contemptoribus terribilis.

S. Castoris collegium

Nec Hetti Archiepiscopo, per quietem à S. Materno commonito, ut honori S. Castoris Cardonensi in Eccle-

sia

sia depositò consuleret sanctius, Reliquiis ejusdem ad Confluentes Rheni Mosellæque delatis, favor ac liberalitas Imperatoris defuit. siquidem basilicæ illic magnificè instruendæ opem opesque contulit. quâ perfectâ, atque in honorem Sanctorum omnium Divique Castoris consecrata, frequenti pompæ spectaculo olla viri sancti illata sunt, Canonicorumque, sacra istic ministeria hodiedum obeuntium, Collegium Ludovici munificentiâ est institutum. Confluentiæ ab Imp. funratum. 837.

Inter hæc Cælum nova siderum feralium inductione visum est calamitatum imminentium mortales commonefacere. Nam & Aquis Ludovico versante Cometa in signo virginis, & Carisiaci anno proximo, ubi Carolum ex Juditha Neustriæ regno inaugurat, alter in scorpio visendum se præbuit. Ille Nortmannorum in Frisiam Bataviamque ac Belgicam, excisò Doreστrato, Andovverpo, & Witla, irruptionem; hic Pipini Regis mox consecutam mortem prænunciavit. ad quam, cum Ludovicus, velut sibi præsentem, curas disposuisset, filius ante patrem vocatus est. Is Mortis hoc in orbe lusus est, ferire sæpe alios, quam quibus jam ante minabatur. Ergo Ludovicus, vocato ex Italia Lothario, Wormatiensi Comitio, quidquid à Mosa in Austrum vergit, id eidem novæ regni partitione tribuit; Carolo verò quidquid respicit occidentem. Cometa genescere. 838. Nortmanni, & Mors Pipini.

Læti illi, inprimisque sua sorte Carolus; sed Ludovicus solam Bavariam sibi tantùm relictam esse indignatus, bis arma hostilia in fratres patremque corripit, bis eisdem, à patre tempestivè obvio, victus, & in gratiam receptus est, jam usitatâ filiorum temeritate, & patris clementiâ. Quæ tamen eidem postrema in vita fuit. Etenim in Rheni insula, Moguntiæ Ingelheimioque vicina, Odgario Moguntiorum, Hettique Trevirorum, ac Drogone fratre Metensium Episcopis præsentibus, ad extrema ritè comparatus, memorabili pietatis exemplo, per quadraginta dies nullo nisi Eucharistico cibo refectus dicitur, ac demum, ceu ultimo hoc expiatus 840. An. Chr. 839. In reliquos Ludovicus Imp. filios regna partitur. & Ludovicum filium invitũ cogit.

Sanctè moritur, & Metas ad sepulchrũ transfertur.

tus jejunio, desiisse vivere. Cujus si ingenium spectes, pacis illud, quàm belli magis artibus idoneum, cùm semel nimia peccasset severitate, sæpe postea deliquit clementia. quâ dum pacem cum filiis sectaretur, suâ plerumque exspectatione falsus, novam bellorum dedit materiem. ceterum inviolatâ thori castimoniâ, & pietate inter Francorum Reges eximius.

Funus optimi Principis per Treviros à Drogone Metas deductum in D. Arnulphi basilica, juxta Matris Hildegardis ossa, justis funebribus depositum est. Multa, etiam in agro Trev. suæ reliquit pietatis monumenta. Nam præter Collegium S. Castoris Confluentinum, munificè dotatum, D. Paulinum juxta urbem, Massolterio pago cum parœcia prædiisque eodem pertinentibus, locupletiorem reddidit & omnium vectigalium immunitatem Hetti Archiepiscopo concessit. His monumentis, quam urbium bello devictarum, apud omnem retrò posteritatem futurus glorioſior.

Liberalitas ejus in Trevirenses.

Lotharius, à patris morte, ex Italia subitò advolat, raptisque quæ poterat, armis, & proceribus in suas partes abductis, quasi monarchia Galliarum uni tantùm, & majori natu filiorum jure debita, vindicandaque esset, omnia occupabat; ac simulatâ tantùm cum Carolo primùm amicitiâ, ne utrorumque in se verteret copias Ludovicum aggreditur, atque hunc, ut imparem facilè ad tutiores Bavariæ latebras redigit, móxque totam belli molem in Carolum vertit. Quare Ludovicus, absentiâ fratris ad instaurandas vires usus, coacto ex Germanis quantó potuit milite, Odgarium Moguntinensem Præsulem & Adelbertum Austrasianorum Ducem sibi obnisos perfringit ac dissipat, & Carolo sese laboranti adjungit. Quo cum anno insequenti, apud Fontaniacum in finibus Altisiodorensium, castra castris objiciunt, cúmque intractabilem pace deprehenderent Lotharii animum, consanguineas inter se acies tanto furore collisêre, ut pertinaci utrimque pro victoria marte contendentes, præcipuum Francicæ militiæ robur, frater-

Lotharium monarchiam ambientem fratres repellunt.

841.

Fraternæ acies crudelissimo Marte confligunt.

fraternis odiis, ambitionique turpiter exſatiandæ, immolarint. Lotharius tamen inferior juſtas ſuæ pertinaciæ pœnas dedit. Verùm ubi nondum acquieſceret victus, majori rurſum militum delectu, & Carolomanno Ludovici filio roborati, Odgario nequicquam reſiſtente, per Confluentes ducto exercitu vires cumulant, ut Lotharius impar Viennam Allobrogum, ut propius abeſſet Italia, ſeſe recepit, paſſuſque eſt regnum fratres inter ſe partiri. Ne tamen exortem vellent, perpetuamque bellorum materiem Germanos interſererent, altero anno hac diviſionis lege pax conſtitit: ut Carolus poſſideret omnia quæ Britannici maris littore ad Moſam uſque continentur, Ludovicus quidquid trans Rhenum latè per Germaniam in orientem terrarum porrigitur; Lotharius verò præter Italiam, Provinciam, Burgundiamque ac Belgicam primam, illam Auſtraſiæ partem, quæ ab illo hodiedum Lotharingiæ nomen retinet, Moſamque inter & Rhenum in Boream excurrit, cum Auguſti Imp. titulo obtineret, Pipino verò nepoti cederet Aquitania. Quæ ſubinde diviſio, Comitiis Virduni inſtitutis, communi Procerum aſſenſu, juratáque ultro citroque fide, eſt confirmata, ac Ludovicus Germaniæ, Carolus Franciæ, Pipinus Aquitaniæ Rex dictus, Lotharius verò imperator eſtſalutatus. Ex quo hic Metis ſubſtitit, ceteri in ſua quique regna abierunt.

Lotharius iteratò preſſus cedit.

842.

In partitionē tamen admiſſus, Imperatoria dignitate ornatur.

843.

Vix obtinuerat imperium Lotharius, & faſtidire jam cœpit, illaſque volvere animo mutandæ vitæ rationes, quas denique eſt executus. Quare filium Ludovicum, cum Drogone patruo adoleſcentiæ moderatore, miſit ad Sergium Pont. recèns cathedræ præfectum, ut auguſtalia ab ipſo inſignia capeſſeret. Qui ita ingreſſi ſunt, ut infeſto milite pontificias ditiones, tanquam ſibi debitas, pervaderent. Sergio, ut ab armis imparato, omnia diſſimulante, & utriſque deferente; Drogoni etiam Archiepiſcopale pallium, & vicariam per Gallias poteſtatem indulgente. quâ jam ſenem diu uſurum non crederet. Et evenit ſanè, ut eodem anno reverſus titulum

Imperii coronam filio Ludovico indulget.

844.

Drogo Met. cum Ludovico Papæ timendi, omnia obtinent.

lum hunc repentè in tumulo Metis condiderit, quem armatis magis, quàm honoratis precibus occupaverat. Ludovicum deinde emollitum Pontifex coronâ tam Longobardicâ, quam Romanâ ornatum, à se in Franciam avertit; donec sub Leone IV Pontif. reversus, bellum contra Saracenos, per Italiam invalescentes, sat diuturnum auspicatus est.

Marquardus Abbas Prumiæ varias Româ traducit reliquias.

Et Marquardus Prumiensium Abbas, quâ apud Lotharium valebat autoritate, acceptis ab illo litteris Romam ad Sergium contendit, pro Sanctorum Reliquiis ab eodem impetrandis, quibus Austrasiorum pietatem accenderet, templorumque augeret frequentiam. Nec tergiversatus Pontifex SS. Chrysanthi, Dariæ, Eusebii, Marii, Audifacis, & Abbacuc, Marthæ, Primi, & Feliciani, Gordiani, & Epimachi, ac Pontiani Martyrum, & B. Lupiani Confessoris pignora, liberali donatione transcripsit. Quo thesauro auctus lætusque ad suos rediit, nec Prumiensem tantùm, sed & alias Ecclesias locupletavit; imprimisque Monasterium Eiffliæ à se excitatum, & biennio post Sanctorum Crysanthi & Dariæ corporibus dotatum. quod suis ipse Abbas sumptibus, ad perpetuum Canonicorum usum, instituit. qui tunc quidem Prumiensibus subditi, nunc ad Juliæ Principis ditionem transierunt. Quo tempore idem Marquardus Wandelbertum literis mandare voluit illustre S. Goaris præsidium, quo Matri supplici ad tumulum adstitit, puerumque septennem, mutum, claudum, surdumque, in præsentiâ populi ingentis, qui ad solennem depositionis ejus diem confluxerat, cum gaudio omniũ plausuque integritati restituit; simulque puellam oculis orbatam parentibus ductoribus, eadem luce jam ducem illorum futuram, reddidit. ut una hæc dies æternæ memoriæ (cum qua pridie Non Julii suas etiam Ephemerides Wandelbertus clausit) non immeritò consecretur. Atque utinam pari diligentiâ posteri cultum hujus observationemque Divi prosecuti factis essent, literisque. Quam seculo proximo emergens Lutheri Calvinique hæ-

An. Chr. 846. Collegium Canonicorũ Monasterii Eiffliæ fundat. in honorem Chrysanthi & Dariæ.

S. Goaris beneficio restituti sanitati.

hæresis pessumdedit: Ut nunc sine honore locus, solúmque hinc translatum Confluentiam S. Goaris brachium, argentea in theca, cum hac inscriptione observetur:

Panditur ignaris, quod sint hæc ossa Goaris.

Sequenti porrò anno, cum Leonem IV Pontif. à Sergii morte excepisset, restitui Lotharius postulavit Ebbonem in Rhemensem Ecclesiam adversus Hincmarum, qui Carolo Rege instante, per Synodum Belluacensem, electus substitutúsque Clero suffragante in Archiepiscopum fuerat. Quare Synodus Treviris à Sergio indicta, Lutetiam translata est, sed contra Ebbonem pro Hincmaro judicatum. Qui & acquievisse sententiæ, atque à S. Ansgario, cui se in conversione Danorum junxerat, Hildenesheimensi* Episcopatu donatus memoratur, annóque salutis 851. defunctus.

847. Hincmarus pro Ebbone Archiepiscopus Rhemensis institutus contra hunc persistit.

**Hildesiensi.*

Hetti subinde ad Moguntinam profectus Synodum, cui Rhabanus, ex laudatissimo Fuldensium Abbate recens creatus Archiepiscopus loci, præsidebat, subscripsit damnationi Godescalci Presbyteri, qui de SS. Trinitate, libro hominis arbitrio, prædestinatione, aliisque novam commentatus doctrinam fuerat, Calvinoque præluserat; sed maturiori Germaniæ Episcoporum judicio, Lothariique ac Ludovici principum vigilantiâ opprimendus. Quando furtim, ignoscendoque crimine, ex Romana SS. Martyrum Marcellini & Petri æde, à Theotgiso Monacho, ossa Helenæ Augustæ sublata, atque in Belgicam ad Monasterium Altivillarense, non sine miraculorum, recensitâ à Flodoardo, gloriâ, deportata sunt, ac demum inde caput, ad natale ejusdem solum, Treviros traductum, metropolitana in basilica piè asservatur.

An. Chr. 848. In Synodo Moguntina damnatur hæresis Godescalci.

849. Reliquiæ S. Româ in Belgium, & Treviros caput S. Helenæ transfertur.

Tandem verò Hetti Archiepiscopus mortali hac statione decessit, ad S. Matthiæ extra urbem Ecclesiam juxta Rutgandum fratrem, celebratæ nobilitatis virum, depositus. Prudentia illum virtusque Ludovico Imp. inprimis conciliârat, ut autoritate consilióque inter

850. Hetti Archiepisc. præclara factorum memoria relictâ, extinguitur.

aulæ emineret proceres. Unde & Indominicatum, seu beneficium legationis, cum annexis eidem feudis, obtinuisse primus fertur, alioſque viros principes diversis per Archidiœceſin, ad majorem defensionis securitatem, feudis sibi ac Monasteriis devinxisse. Cujus deinde vestigiis posteri inhæserunt. S. Paulini Clerum in Wadriola & Reinonis Campo, ex concesso sibi, ut ajunt, Indominicato, beneficiis multis auxit; ut non nisi ad erogandum accepisse videretur. Epternacensi eundem Monasterio sexennio præfuisse memorant, ut patriæ quidem, at præcipuè religioſorum pater dici potuerit.

851. Thietgaudus nepos impari felicitate succedit.

Unde & suæ stirpis successorem *Thietgaudum* ex fratre nepotem, lubente vulgo, habuit, suâ tamen, quàm nepotis virtute ac felicitate futurus celebrior. Nec immitius cœlum hanc electionem probasse visum est, quando & aëris inclementiâ, & ingenti annonæ deficientis malignitate adeò miseros flagellare mortales cœpit; ut ad obscœnas passim escas, infantumque, in edulia cæsorum, dapes parentes desperatos abjiceret, ac pœna jam esset vivere, non nasci beneficium.

852. Nortmanni admissi in Gallias.

Nortmanni subinde afflictæ gentis reliquias oppressuri, quâ se pinguior ostentabat Galliarum fortuna, ex Normannia quam Carolus Rex illis ante biennium fugere in Galliis, sub Godefrido Duce, temerè permiserat, sese locustarum instar effuderunt (torpentibus adeò Regibus, tanquam in plures, sparsa potestas degeneret ad impotentiam) ac Nannetensem, Andegavensem & Turonensem urbem agrosque cum plurimorum excidio depasti, ad suos reversi sunt. ubi tamen mutuâ invidiâ, atque insectatione, bono Francorum, sese invicem attriverunt. Magna Caroli ignaviâ, qui ad Ecclesiastico-

853. Bona Ecclesiæ malè à Carolo ad profanos aversa.

rum magis Præsulū bona occupanda, quam avertendos hostes strenuam manum admovebat. Unde in diversis perstrictus synodis, recta magis audire consilia quàm sequi est visus. quod difficilè esset viscosis illa procerum manibus semel indulta, rursum subducere.

Infam

Infame hoc anno commentum Monachus quidam Marianus, Scotus à patria dictus, Moguntiæ suo in Monasterio, post ducentos & amplius scribens annos (ut inter tales miræ feruntur, & facilè creduntur fabulæ) imperitè protrusit. Videlicet Joannam hoc tempore Romæ sedisse Pontificem. Quem deinde ceu in re nova multi scriptores consecuti sunt, feminamque hac in sede collocarunt. Cum tamen manifestum sit, illo adhuc anno Leonem præfuisse, urbemque novam, quàm recèns D. Petri Basilicâ inclusâ muris adversus Saracenos munierat, & à se Leoninam dictam anno superiori consecrarat, locupletius excoluisse; tum Romanæ synodo hoc anno, præsentibus Lotharii & Ludovici Imperatorum legatis, & 67. Episcopis præsedisse, ubi 72. canones de Ecclesiastica disciplina formati sunt. Sequenti verò anno salutis 854. constet, quod urbem centumcellensem, à Saracenis dirutam rursumque excitatam, in honorem SS. Trinitatis consecrarit, cui & Leopolis nomen relictum est. Legatioque ad eum ab Ignatio Constantinopolis patriarcha missa fuerit, quâ Concilii istic habiti sententiam de exautoratione Gregorii Syracusani Episcopi approbari rogabat. Quod cum Leo, parte inaudita altera, fieri posse negaret, proximoque anno moreretur, res ad successorem delata est Benedictum III qui eodem anno subiit, ut ex manifesta Anastasii presbyteri à Leone excommunicati rebellione, dum sese in sedem intrudere conatus est, compertum est. habetque res testem, omni exceptione majorem, Anastasium bibliothecarium, qui his ipsis scriptor interfuit. ut stultum prorsus sit, solitario uni Monacho, tam procul & loco, & tempore absenti, & sub Henrici III schismate, quando adversus Rom. sedem plurimi verbis factisque conjurabant, tam aliena ab omni similitudine veri scribenti, assentiri. Quæ si nota fuissent, tot Mariani sectatoribus, suo erubuissent scriptores dedecore, ac temeraria nimium credulitate. Non quam rara, sed quàm vera scribantur, prudenti historico videndum est.

An Romæ Joanna Pont. præsederit?

Urbs Leonina nova.

Synodus Romana sub Leone.

854.

Urbs centũcellensis ab eo instaurata.

855.

Consule Baron. ad an. Chr 853 &c.

Lotharius Imp. relicto filiis regno, in Monaſterium Prumienſe abit.

Lotharius tamen Imperator rarum de ſe præbuit hiſtoricis narrationis exemplum. qui, quàm ante annos aliquot inſatiabilis imperandi, nullam cupiditati commenſam ſuæ reperiebat terrarum partem, tam nunc faſtidiens aſpernebatur omnem; ut convocatis regni optimatibus, provincias in tres filios partitus ſit, Ludovicoque Italiam, Carolo minori natu Burgundiam, medio Lothario Auſtraſiam reliquerit, ipſe dein unius Prumienſis Monaſterii, inter aſperos Eiffliæ montes ſilvaſque ſiti, anguſtiis, ſeſe ad anteactæ, rebelliſque in parentem fratreſque, vitæ pœnitentiam incluſerit; ſanè, tanquam monitus de cœlo, opportunam: quando ejuſdem anni ſpatiis pœnitudinem vitamque concluſit, mortaleſque Reges docuit in cilicio felicius, quàm in purpura eandem abſolvi. Regalia eidem Monaſterio munera in auro gemmiſque ac Reliquiis SS. illuſtribus intulit, tabulaſque, in Archiepiſcoporum Thietgaudi Trev. & Rutgandi Arelatenſis præſentia, donationis oblatæ, confecit: quibus ſigillatim omnia, apud Brovverum in hunc annum, exponuntur. Deceſſit III cal. Octob. Sepultus modeſto tumulo ante aram Animarum omnium recèns ab illo excitatam Rhabanus Archiep. Mog. hoc illi Epitaphium ſuis verſibus condidit, Epiſcopus tamen, quàm Poëta melior:

Sepultus ante aram à ſe excitatam.

Continet hic tumulus memorandi Cæſaris oſſa
HLotharii, magni Principis atque pii.
Qui Francis, Italis, Romanis præfuit ipſis,
Omnia ſed ſprevit, pauper & hinc abiit,
Nam bis tricenos Monachus ſic attigit annos,
Et ſe mutavit, ac bene poſt obiit.

Lotharius junior Auſtraſiæ Rex Waldradam Legitimæ Thietbergæ

Lotharius junior filius Auſtraſiæ Rex cum adoleſcens Waldradæ aulicæ puellæ, quæ Guntharii ſacellani & Archiepiſcopi Colonienſis neptis erat, inſuevifſet amoribus, Pater ab hac eum licentia ad ſtabile connubium traducturus, cum Thietberga Huberti Acephali Comitis

Comitis sorore junxit. Quanquam alii à morte id patris factum sentiant, Huberto potissimum impellente, An. Chr. 856.
Certè hæc thalamo juncta, & detrito sensim amore, recurrentibus pristinis cum Waldrada illecebris, fastidita, ingentem Regi regnoque, ut post constabit, cladem dedit.

Cælum ipsum insolitis tempestatibus ac fulminum excussorum vi, quâ & Colonia, & Treviris, quarum capita petebantur, magnopere conterrita est, præludere videbatur. 857.

Principio Lotharius pietatem ostendere, litare Manibus parentis, Episcopis etiam bello afflictis adesse. ut testari potest diploma Hungero Trajectensi Præsuli à Nortmannis graviter afflicto datum, quo illi Bergense Monasterium S. Petri ad Ruram liberaliter transcribit, anno regni III Christi DCCCLVIII Indictione VI Prumiæ. An. Chr. 858. Trajectensi Ecclesiæ benefacit.

Sed nec bello, quo patrui, Ludovicus Rex Ger. & Carolus Franciæ collidebantur, misceri prudens voluit. & hic quidem, non levi periclitatus discrimine, præcipuum in fuga præsidium habuit, donec Franciæ occupatæ proceres, animo rursum ad Carolum verso, indulgentius hujus imperium præoptare, eumque ad se revocatum amplecti cœpêre. Tum & apud Antonacum infra Confluentes, & Wormatiæ & Basileæ, de regni finibus concordiaque disceptatum est, & Synodus Galliæ Germaniæque Episcoporum, juxta Tullum in villa scarponaria, convenit, in qua Thietgaudus Trev. Archiep. cum Arnulpho Tullensi & Adventitio Metensi Episcopis suffraganeis, præter Guenilonis Senonum Archiepiscopi, conjurationis adversus Carolum delati, causam, etiam Hattonis Virdunensium Episcopi suffraganei electionem expenderunt, veteremque inter se, per bella labefactatam, unionem, Lothario inter fratres medio, sanxerunt. 859. Inter patruos bellantes medius est. In Synodo Trevirensiũ Episcoporum concíliantur.

Ipse etiam cum Ludovico Caroloque patruis Confluentiæ in templo S. Castoris, in Synodo Episcopo- 860.

Iterumq; in Synodo Confluentina ſanctius fedus ineunt.

rum, pacis firmius ſanciendæ gratiâ, memorabili comitio ſociati ſunt, Legibuſque ultro citroque latis, communi omnium, quà Eccleſiaſticorum, quà ſecularium ſaluti conſuluêre. Hac tamen à Synodo, cum Tetgaudus abfuerit (niſi valetudo obſtiterit) creditur illa captivitate hoſtium irrumpentium abſtractus, quâ, cum Præpoſito Cleroque concluſus, jurejurando ſe illis obnoxium reddidit. Quo, ut iniquo, poſtea à Pontifice Nicolao eſt abſolutus, juſſuſque utroque tum ſpirituali, tum corporali gladio iniquos perſequi, & amiſſa Eccleſiæ bona revocare.

Epiſt. Nicol. 15. q. 6. c. 2.

Thiergaudus juramento ſolutus.

Otium ſubinde libidinis nativæ fomentum Lotharium jam pluribus feminis inhiantem corrupit. Waldradæ is rurſum illecebris olim deguſtatis capi, utque unius amor alterius faſtidium generat, averſari Tietbergam cœpit. Guntharium igitur Colonienſium Antiſtitem, ut vafrum, ita nec inexpertum conſulit; num qui excuti viâ Thietberga thalamo poſſit, id ſi opera ipſius conſequatur, Waldradam ſe neptem in thorum Reginæque titulos admiſſurum. Quæruntur ultrò citróque divortii cauſæ, & quanquam valida cenſeretur, ſi Waldradæ ſe prius ut conjugi aſſueſſe diceret, probatu tamen facilior illa viſa eſt, quâ Thietbergam ante Regis connubium à fratre violatam eſſe obtendebatur, quod ad illius delicti confeſſionem Thietberga induci poſſe eſt credita. Guntharius ſuo, & Waldradæ honori conſulturus, Synodo Epiſcopali rem agendam decidendamque judicat, eumque in finem Thietgaudum Archiepiſcopum Trev. hominem minimè callidum, & canonum rudem, autoritate tamen validum ſibi adjungit, reliquos ſuffraganeorum Epiſcoporum facilè inductorus, tanquam ſecutura membra, ubi capita præceſſiſſent.

W'aldradam Lotharius pro Thietberga Reginam creat.

An. Chr. 861.

Inſtruitur in Thietbergã calumnia.

862.

Damnatur in Metenſi Synodo à Trever cis & Colonienſibus Epiſcopis.

Metis igitur indicta Synodus, ubi Adventitius Epiſcopus Thietberga inducta, relationem inſtituit. quâ Lotharium, & ante Waldradæ connubio patris voluntate junctam & Thietbergam fratris Huberti ſuaſu meretricque ſuperinductam, & hanc publicâ jam famâ frater incel-

incestu contaminatam docet constare. Quod facinus, cum denique subornatis mala fraude testibus pressa, adversariis ultro concedere videretur, judicatum à Synodo fuit, justè illam regio depelli matrimonio, neque ullius deinde mariti thalamo admittendam. Quam deinde sententiam, nixi potissimum incestu, in Aquisgranensi conventu idem Guntharius & Thiergaudus cum Adventitio Metensi, Hattone Virdunensi, Arnulpho Tullensi, Francone Tungrensi, Ratholpho Argentinensi, & Ungario Trajectensi iterarunt, aliudque eidem Lotharío indulserunt matrimonium. Quare evocatam Waldradam sibi copulat, solennique applausu Reginam jubet salutari. Verùm & illius, haud post multò, libidine exsatiatus, ubi Nicolaus Pontifex & fulmen anathematis è Romana cathedra minaretur, & fratres propinquique Thietbergæ in ultionem coorti ostentarent arma, pari levitate & Waldradam ejecit, & Thietbergam, judicio Episcoporum aliorum criminis absolutam, pro conjuge recepit.

Iterumque in Aquisgranensi.

Pontifex Rom. Nicolaus damnãtes Episcopos damnat, & Thietberga recipitur.

Ad consuetas tamen Waldrada illecebras, & Rex cupiditates reversus, solita illam vecordia repetere, & Thietbergam eliminare ausus est. Gunthario, ut nuper à se ejecto, ita & nunc revocato, non sine vulgi ludibrio, quod turpium amorum Episcopus factus esset appendix. Causa ad Nicolaum Pontificem ab utriusque partis Episcopis Proceribusque delata est, ipso Lothario omnia summo Pontifici, simulata submissione deferente. Qui cum ad causam propius explorandam, Rodoaldum Portuensem, & Joannem Fidiculensem legatos destinasset, & hi auro consiliisque Lotharii obsecuti, malignè Pontificis animum pertentarent, is fraude agnita, multò gravius in Lotharium exarsit, Gunthariumque & Thietgaudum sui ac Regis purgandi gratiâ, in Lateranensi Episcoporum Synodo, post Metense & Aquense synedrion exautoratum, damnavit, atque episcopali honore, sacerdotiique functione privatis, laico tantum more Ecclesiæ usum indulsit. Qui tam acri confixi

863. Rursum à Lothario ejicitur.

An. Chr. 864. Legati Pontif. à Lotharío corrupti.

865. Thietgaudus & Guntharius, in Laterana Synodo

exautorantur, damnata Metenſi & Aquenſi Synodo.

ſententia, licet ad Ludovici Imp. tunc Italiæ immoratis præſidium, atque arma confugiſſent, iſque cum exercitu Romanis, Pontificique vim intentaſſet, nequaquam tamen ad omnia immotum Nicolaum perculit. Quin Lothario, ni ejecta Waltradâ, locum Thietbergæ daret priſtinum, anathematis fulmen per Arſenium legatum denuntiârit. Waldradam quoque cum Engiltrude ejuſdem levitatis adultera, & incentrice feminæ execrationi, omneſque fautores divortii, ſubjecerit. Ergo Lotharius Thietbergam coactus recipere, peſſimè habuit, coégitque demum Pontifici ſcribere, quod nuptiis renunciaret, ultróque Waldradæ cederet. Indignatus Pontifex & ſibi & feminæ ita illudi, ſpem omnem Waldradæ reſtituendæ abſcindit. Cumque ipſe Lotharius per Adventium Epiſcopum Metenſem Legatum jam Romanis conciliatum ſe offerret ad ſatisfactionem Romæ præſtandam, id Nicolaus quidem negavit, Adrianus tamen ſucceſſor anno ſalutis 868. indulſit. Magno igitur Epiſcoporum procerumque ſibi inprimis faventium, in quibus & Thietgaudus noſter, urbem adiit, ac perquam exceptus honorificè, manè ad D. Petri ædem Euchariſtiæ participandæ gratiâ invitatur, cúmque ſe executum à Nicolao imperata, diceret, ac porrò obſequi Sacræ ſedis judicio paratum, proceresque annuerent, Adrianus, peracto ſacrificio, corpore Domini in manus ſumpto, hæc illud ſententia Regi offert: *Age fili, ſi, ex ſententia Nicolai, adultera renuntias, ſit tibi hoc ſacramentum in ſalutem; ſi minus, cave ad internecionem accipias.* Proceribus verò inquit, *ſi in flagitio Regi impoſito non faviſti, nec Waldradæ diris devota communicaſti, proſit tibi hoc myſterium ad vitam æternam.* Et vide tragicum hujus ſpectaculi finem, in prodigis ſuæ ſalutis, ob ſolam Regis gratiam, hominibus, quo Superi declararunt, ſibi impunè nunquam illudi, Deumque abditarum etiam cogitationum vindicem, omnes myſteriorum divinorum participes, intra ejuſdem plerique

866. Waldrada excommunicatur, Thietberga recipitur.

867. Lotharius cum fautoribus Romam venit, & ſacrilegè communicat.

868.

Cum omnibus divinitus punitur, & extinguitur.

869.

anni

anni circulum, nec Italia quidem egressi, cum suo Rege miserè extincti sunt. Lotharius acri febricula Lucæ perstrictus, ubi Placentiam attigisset, pereuntibus sub ipsius oculis fœda lue comitibus, & ipse 8 idus Augusti repentè, nullis pœnitentiæ argumentis, nullâ prole legitimâ, occubuit. Thietgaudus Romæ dignitatis recuperandæ studio hærens, cum in Monasterio D. Andreæ, à Gregorio Magno excitato, hospitatur, ab hoc per visionem bis terve objecto, intentatâ ni cederet morte, ejectus est, cumque vulgatâ re Romanorum nemo reciperet, ad Sabinos transgressus, istic cum suis anno proximo 870. consumptus est. Niger Treviris in sede Episcopali repertus canis atræ præluisse morti fertur. An. Chr. 870.

Carolus, intellectâ Nepotis Lotharii morte, Metas sese accelerato itinere, præoccupaturus fratrem Ludovicum, contulit, ibique à suffraganeis Trevirorum Episcopis Adventio, Hattone, & Arnulpho, secundis votis obsequiisque, exceptus, ab Hincmaro Rhemensi Metropolita, cum Trevericus deesset, Lotharingiæ Rex consecratus est. Ludovicus tamen Rex ubi morbo à profectione tardatus, postea adesset, ne armis irrueret, Episcopis mediatoribus in partem Lotharingiæ admissus est, adjunxitque Germaniæ regno quidquid citra Mosam in Austrum orientemque vergit, hoc est Mediomatrices seu Metas, Tullum, Virdunum, Argentinam, Basileam, Theodonisvillam, Treviros, & quidquid Arduenna & Eifflia Aquisgranum Trajectumque usque cum Epternaco, Prumia, Stabulao, complectitur, atque hinc Coloniam ultraque per Ripuarios excurrit. Quæ subinde divisio stetit apud posteros, dum superiori seculo Franci ad tuendas hæreticorum in Germania partes contra Carolum V evocati, in præmium operæ bonam rursus partem decerpserunt. Carolus Calvus in Lotharingiæ à Trevericis Episcopis & Rhemensi inauguratus. 871. Ludovico tamen Germaniæ Regi inferiorem inter Mosam Rhenumq; Lotharingiã indulget.

Hæc priusquam pax constaret, jam Adventitius Metensium Episcopus, impetraverat, ut *Bertolphus* consanguineus ex abbate Mediolacensi, usitata sæpius electione, Archiepiscopalem Treviris cathedram occuparet; Bertolphus Trev. Archiep. eligitur.

cui, cum Ludovicus Rex se doleret præteritum, Waldonem * quendam Maximiniani, ut videtur Asceterii, juxta urbem Monachum oppositum. Pervicit tamen Hincmari & Adventitii studiis, pallio Româ ab Adriano Pont. impetrato, Bertolphus. Waldo posthæc in gratiam Ludovici, Abbatialem inter Maximinianos obtinuit infulam; parum felici, ut solet esse consectantium, gubernatione, inter Nortmannorum persecutiones, defunctus. Pontifex tamen, ut Bertolphi electionem; ita Caroli, ac postea in sortem admissi Ludovici Regis probare noluit; sed Nepoti illorum Ludovico Imperat. & Regi Italiæ, ut fratri Lotharii deberi Lotharingiæ coronam contendit, quem negavit, contra Saracenos, & pro Ecclesia strenuè in Italia pugnantem, hereditate illâ privandum. Verum utriusque mors, & Adriani Papæ, & Ludovici Imp. cui proles mascula deerat, hanc litem diremit, aut mutavit potius, utroque dein fratrum pro imperii insignibus contendente. At Joannes VIII successor Pontifex, à Caroli fautoribus occupatus hunc ad coronam invitat. qui paratissimo instructus milite, Ludovico nequicquam utrumque filiorum Carolo & Carolomanno cum duobus exercitibus ad fauces Alpium objectante; quod vi unita Carolus fortior, Nepotes sibi objectos facilè dissiparet, illum Marte fractum, hunc fœdere conciliatum. Sed hæc triennio post mortem Adriani facta paulò inferius repetemus.

Illo inter fortunæ fœcundioris incrementa Carolus infortunio multatus, ob habitos nimium indulgenter filios, est; quod major natu Carolus simulatâ personâ, insigni temeritate fortissimum Francorum Ducem Albuinum duello aggressus, occubuerit; Carolomannum deinde solutioris vitæ adolescentem, ut minorem illo Ludovicum regno aptaret, clericali frustra vitæ illigare conatus sit. Qui cum lautissima aliquot beneficia per luxum decoxisset, libertate inter vincula caruit; cumque nec sic quidem mansuesceret, oculo-

* *alii* Walto.

Waldo æmulus fit Abbas S. Maximini.

An. Chr. 872.

Carolus Calvus præ Ludovico fit Imperator.

Ex ipsius filiis male educatis Carolus duello perit.

Carolomannus refractarius excœcatur.

oculorum etiam lumine à patre orbatus est. Qui cum Pontificem Adrianum appellasset, ad Ludovicum patruum Germaniæ Regem confugisset, hic miseratus ejus sortem Epternacense eidem, suæ jam apud Treviros ditionis, Monasterium, Prælati vicem acturo, tribuit. Quod cum locupletissimum quà possessionibus, quà hominibus religiosis olim fuisset; nunc clericis principibusque secularibus subjectum, magnopere Regum, passim sacra invadentium, licentiâ à S. Willibrodi instituto degenerârat. Carolomannus tamen hic brevi vitæ curriculo metam attigit, plus mortuus, quàm vivus, ut quietis sic commodi, allaturus. Sunt qui illum, ut erat clericus, primo introduxisse liberioris vitæ Canonicos ferant; quod tamen alii factum Adelardo Lotharingiæ Comiti, ante annos XXX Præposito, tribuunt. Cum Ludovici Pii filii Nepotesque degeneres, pessimique exempli, Abbatias Majorum liberalitate fundatas, liberalitate impia ad profanos homines, procerumque suorum alimenta transferrent. ut monstrum deinde amplius in Ecclesia Gallica non fuerit, caput esse profanum, & corpus sacrum.

Epternacensi Monasterio decoctor præficitur, videntibus cæcus, qui omnia evertit.

Clerici hic Monachis pulsis agebant, seculares imperabant.

Bertolphus inter hæc cum Hincmaro Rhemensi (Adventitio jam defuncto) constanter in utriusque Ludovici Carolique conflictatione, licet Pontifice parum benevolo, etiam cum aliqua inclementiæ nota, Carolo adhæsit. quando anno 871. in Franciam Attiniacum profectus, Hincmarum Laudunensem Episcopum nepotem Rhemensis, Adriani partes adversus Carolum tuentem, ceu rebellem in Regem, ab immiti Hincmaro patruo, in synodo prædatoria damnari, gradu dejici, oculisque orbatum carceribus includi, probavit. Quem quidem, in synodo postea Trecensi, Joannes Pont. dignitati; at luci pristinæ reddere non potuit. Bertolphus subinde Coloniam Ubiorum descendit, atque istic, cum Luitperto Moguntinensiũ, & Williberto ejus loci Archiepiscopo, metropolitanam D. Petro dicatam ædem, nondum

Bertolphus malè Hincmaro Rhemensi favet.

Coloniæ cũ aliis sumam ædem consecrat.

dum suo absolutam opere, solenni ritu consecrarunt, non sine maligno spirituum, inde sese proripientium, exaudito ululatu; ut mortales agnoscerent, quo Dei beneficio tartarique detrimento sacra hæc mysteria adhibeantur.

Ossa S. Scholasticæ in Arduennam delata.

Sed & Arduenna nostra sacris Scholasticæ, D. Benedicti sororis, ossibus illustrari hoc tempore cœpit. Illa cum fratre ex monte Cassino, barbarorum irruptione devastato, translata nuper in Galliam ad Cenomanos, (ut Benedictus ad Monasterium Floriacense) hinc per Richildem ex Thietbergica familia Caroli, ab Hirmentrudis morte, conjugem Juveniacum traducta est. ubi ex patriis illa bonis Parthenonem recèns erexerat. quem hoc pignore, anno salutis 874. ad 6. idus Junias, quando & Carolus ibidem Duciazensem procerum conventum tenuit, ditatum ibat.

An. Chr. 874.

875. Ludovicus frater Ger. Rex Carolo absente Galliæ molestus, redeunte quiescit.

Porrò Carolus superatis Alpibus adversantibusque Nepotibus in Italiam progressus, magno honore à Joanne excipitur, atque imperiali diademate ornatur. quia vero interea Ludovicus frater, ductis in Galliam copiis, procerum quorundam occupato favore, Richildem uxorem, cum Ludovico filio premebat gravius, Bosonem Richildis fratrem Ducem creavit Mediolanensium, suasque ipsi in Italia vices credidit: ipse tamen reversus Ludovicum spontè, Immæ conjugis morte acceptâ, rediisse comperit. quem denique Italiæ adhuc partem, studiumque Pontificis captantem, mors interlapsa sustulit; ceterùm moribus, justitiâ ac pietate claris, imperio digniorem. Qui & laudatam ex se progeniem Ludovicum, Carolomannum, ac Carolum, quem postea dixere Crassum, reliquit. Cum Ludovici morte Calvo aucta cupiditas, ratusq; luctu & divisione regnorum occupatos Nepotes facilè Lotharingiâ ejici posse, quinquaginta millium exercitu se ad Rhenum effundit. Ludovicus fratrum natu medius, orientali relictus Franciæ, ad primum impetum patebat, hærebatque etiam-

876.

Carolus, Ludovico mortuo, Lotharingiam reliquam malo successu invadit.

num

num Francofurti in paternis exequiis. Is milite longè impar, missis ante omnia legatis pro pace obtestatur, necessitudinis jura, pacta vetera, & quidquid sacrum sanctumq; est obtendit. Sed asserenti à fratre sese per injuriam ablata repetere, cumque ejus morte federa concidisse; misit triginta viros, quorum decem per aquam ferventem, totidemque per frigidam, ac postremò candenti etiam ferro innoxiè tractando deni, usitato id temporis probandi genere, se omnia jure optimo possidere testarentur. Qui licet coram exercitu ab his experimentis illæsi abirent, immobilis tamen exequendi propositi Carolus perstitit. Ergo imploratis in vota Superis, ritéq; expiato per jejunia, & supplicationes milite, spe plenus Ludovicus, exiguas contra copias, quas raptim, ex vicinis terris legerat, educit, infráque Confluentes transmisso Rheni flumine Antonacense Castellum, belli futuram sedem, occupat. Tum Carolus simulato pacis desiderio, inducias pascitur, aucturusque perfidiam, silentio noctis à Mosella per agrum Trevirorum Meginensem castra, quantâ potest celeritate, promovet, incautum ut sperabat oppressurus; sed pluviis ac tempestate confusæ tenebræ, viarumque lubrica pessimè militem afflixêre. Et Ludovicus, ad omnia vigil, vim fraudemque advertit, primâ luce objecit militem, exiguum illum quidem longè maximo; at, quod in commodis censebat, fesso recentem. Nec diu fatigatus iniquissimâ profectione miles stetit. quanquam pudor contineret, & Imperatoris præsentia, fractique etiam irrumpentes principiò in tam vasta agmina Saxones: tamen alter Francorum orientalium impetus tam vehemens fessis incubuit, ut primis Ducum cadentibus, desperare demum ac cedere coacti, multitudine fugientium, ac viarum intercepti angustiis, aut ferro hostili ceciderint, aut captivitate sunt intercepti. Carolus, vix eluctatus, effugium suum pro victoria habuit; didicitque, non tam in prælio viribus, dolisque; quàm æquitate

Probatio innocentiæ per candens ferrum, aquam calentem frigidamve olim usitata, ad Ludovico frustra adhibetur.

Carolus suâ perfidiam victus à paucis luit.

tate Deoque fidendum. Richildis, quæ Heristallii ad nuntium victoriæ excipiendum substiterat, fœtu gravida, hunc in via, ad famam acceptæ cladis fugiens, effudit. nec fugâ abstitit; cum salutis amor dolorem puerperii abstergeret, ac terror afflictæ pro remedio esset. Infanti cursoris brachia pro cunis, saltus pro agitatione fuit, qui non Porphyrogenitus, ut ille ollim, sed correctius, Prosphygogenitus esset nuncupandus. Ludovicus tamen quanquam spoliis dives, moderatè usus belli sorte, Caroli terris vim abstinuit, satisque habuit propria defendisse. Reversus Carolomanno majori natu fratri Bavariam, Pannoniam, Bohemiam, Sclavos, Carnos, Noricos, Vindelicos reliquit: Carolo minori Lotharingiam superiorem, cum Alsatia, Alemanniaque: ipse Lotharingiam, quæ Metas, Treviros, Ubiosque complectitur, cum Franconiâ, Turingiâ, Saxoniâ, Frisiáque possedit. ut pauci Francorum deinde tam ex æquo fraternè hereditatem creverint.

Richildis profugiens in via parit.

Ludovici victoris æquitas, in victos.

& fraternæ hereditatis æqua sortitio.

An. Chr. 877. Carolus Calvus Imp. posthæc adverso rerum successu morboque obrutus, remedio (an veneno anceps) per Judæum Medicum propinato, exspiravit, cum vita, cupiditatem; Locupletior futurus, si pauciora ambisset. Ludovicum fil. Balbum à linguæ dictum vitio, heredem regni sine æmulo destinavit. Sed & Joannes Pont. eidem collaturus imperium; cùm à Romanis, Ludovici Germaniæ Regis liberis sortem hanc cupientibus, vi consilioque destineretur, fuga in Galliam delatus, Trecisque instituta synodo (ad quam & Bertolphum Trev. Antistitem evocavit) Balbum ibidem Imperatorem creavit. Quo tamen post annum defuncto, Ludovicus, quamvis à multis procerum postulatus in Regem, Lotharingiæ tamen totius (nam Calvus partem abstraxerat) delato à Balbi filiis dono acquievit: reversusque cum exercitu, Nortmannos ad Carbonariam silvam obvios secundo prælio, quamvis non sine jactura Hugonis filii cadentis, profligavit.

An. Chr. 877. Carolus extinctus Ludovicũ Balbũ fil. reliquit.

878.

879. Balbo mortuo Lotharingia Ludovico Germ. Regi offertur.

880.

flavit. Acceſſit dein anno proximo ex morte Carolomanni fratris Ludovico Bavaria vicinæque regiones, Carolo verò Craſſo fratri regnum Italiæ. quæ ipſi ſors, ad Auguſti Imp. inſignia viam aperuit, cum Pontificem ambiguum, Ludovicóne, an Carolo hunc impenderet honorem, ſuas denique ad partes inflexit. quam tamen Ludovici poſt biennium mors electionem probavit.

Bavaria accedit Carolomanno defuncto.

881.

Carolus Craſſus Italiæ Rex.



LIBER

LIBER IX.

Ioannes & Marinus Pap. Ludovicus III. Loth. Rex.

Nortmanni majoribus copiis Franciã invadunt. transmosanã.

NOrtmannis Francici soli fertilitate prædarumque dulcedine captis, tum barbara quadam feritate adversus Christianos eorumque sacra incitatis, crevêre animi, copiæque ad rapiendum perdendumque paratæ. Nec Francis, quod raptu occupassent, rursum adimere religio erat; nec vincere arduum illos, qui perpetuis seditionibus consanguineas inter se acies collidèrent, Et Normannia non ita pridem concessa spem novæ regionis possidendæ faciebat. Ergo sub Godefrido iterum Rege, qui solo præferebat pacem nomine, arma juncto sibi Danorum Principe Sigifrido, per mare Balthicum ingentem multitudinem Rheni ostiis inferunt, ac per Batavos Menapiosque in Brabantiam, ad Atrebates usque Rhemosque effusi, quidquid Britannicum inter Mosamque occurrit, populationibus, cædibus, incendiis, sacris profanisque monumentis abolitis, everterunt. Ecclesiis præsertim sacerdotibusque, ac sacris Virginibus nusquam parcitum, ut si hoc Diis suis obsequio litarent. Ludovicus priusquam militem tantæ non imparem multitudini legisset, jam ipsi prædâ onusti Neomagum ad Vahalim attigerant, locoque in potestatem redacto, hunc, ceu receptaculum prædis exponendis opportunum, munimentis copiisq; firmarunt. Hic postquam aleam pugnæ declinassent, aliquamdiu obsidione pressi, denique abitum pacti sunt, si prior Ludovicus cessisset. quod ubi factum, abiêre illi quidem, sed ut victores, eversis funditus, cum palatio ingenti, omnibus; ne quem Ludovico præsidii locum relinquerent. fidi promissorum; sed non absque perfidia.

An. Chr. 882.

Fœdè in omnem statum præsertim Ecclesiasticũ grassantur barbari.

Verùm

Verùm exonerati prædis, ante hujus anni exitum, Novembri mense reversi, cis ultráque Mosam, ad Rhenum Mosellamque usque, Trajecto Tungris, Leodio, Aquis, Malmundario, Colonia, Novesio, & Bonna, occupatis, excisisque, Ripuariorum agros, finesque Trevirorum fœdis stragibus implêrunt. Prædis avectis cismosanas partes vastant.

Interea sequens sese annus aperuit, quando sepositis rursum spoliis auctiq; numero intimos Treverici agri sinus penetrant, Arduennæ in aditu locupletissimum Pruniæ Monasterium, regias complexum opes, exequiasque, ipso Epiphaniæ ingressi die, vastatione triduanâ prorsus exhauriunt evertuntque, ac conglomeratâ agrestium pro defensione turbam, bellorum rudem, pecudum more trucidant. Hinc latè diffusi Augustæ Trevirorum urbi formidandi tantò magis incumbunt, quòd Rex Ludovicus animi morbique ægritudine dejectus, ex qua postea XIII cal. Septemb. sine herede discessit, defensionis spem nullam faceret. Qua desperatione rerum illud evenit memoria in urbe dignissimum. quod S. Symphoriani Mosellano in Parthenone à S. Modoaldo fundatæ Virgines, gnaræ quàm Nortmanni indigna contra tales perpetrarent, Deum junctis precibus obtestatæ sint, potius ut mortali hac vitâ intactas eximeret, quàm barbarorum petulantiæ objectas, in jurata Christo castitate sineret periclitari. Nec irrita fuêre vota, triginta dierum spatio morte omnes sublatæ sunt. Nortmannisque præter Monasterii muros exiguáque spolia nihil reliquêre. Qui tamen ita mortuas etiam vindicaturi Parthenonem funditus exsciderunt. Neque enim solos homines, verùm & religionem eversam cupiebant. Unde quidquid sanctarum Reliquiarum nomine exitium erat ac singulare, hoc jam ante sub terra fuit abditis in recessibus conditum, lamellis ex plumbo, quæ inscriptione suâ distinguerent adjectis. Et providus hic labor fuit. Nonis enim Aprilis Trevirorum, ut Regino loquitur, nobilissimam civitatem, quæ annis jam quadringentis sub Francorum & Austrasiorum Regibus

883. In Trevericum se denique agrum exscindunt.

Ludovicus Rex moriens indefensam patriam relinquit.

Treviris integrũ Virginum cœnobium amore castitatis extinctum.

Reliquiæ SS. passim sub terra reconditæ.

Treviris per 400. annos intacta per Nortmannos exſcinditur

priſtinum uteunque decus inſtauraverat, hoſtes ingreſſi, ipſo ſacratiſſimo Cœnæ Dominicæ tempore, ad evertenda cum incolis ſacra baſilicaſque, manus ferro flammiſque armatas admoverunt. Verùm ad D. Paulini ædem cum fruſtra ignes congererent, tandem, ut in vita Felicis referunt, indignati cryptam ſubeunt, & Sancti illius Defenſoris tumbam ferreis ex alto catenis ſuſpenſam moliuntur ſubruere. Et diffractis quidem vi diſjectiſque vinculis, cum hærere medio aëre ſine fulcro aut nexu tumbam, nec loco dimoveri vidiſſent, attoniti, ceu præſenti Numinis ope, retrò pedem tulere, veriti ne eadem virtute obnixi defigerentur. Nec horarium, aut unius diei prodigium fuit, hæſit immobilis lochli moles annis plurimis, in undequaque affluentium, venerantiumque populorum affluxu, dum temerarii quidam ſacrilegis tumbam manibus in ſubjectam humum depreſſerunt, quo facinore totius Eccleſiæ, non ſine manifeſta Numinis offenſione confuſa facies, & caligine incumbente extincta templi Monaſteriique vicini lumina, ſacrilegique obortis deprehenſi tenebris, malóque immedicabili correpti, non ante peſtilentiâ, quàm vitâ ſoluti ſunt, exemploque poſteros docuerunt, Deo Sanctiſque impunè nunquam illudi: longas Regum manus eſſe, ſed Dei immenſas.

S. Paulini baſilica contra flammas perſtat, tumba ſoluta hæret in aëre.

Deprimentes tumbam puniuntur.

Eadem in æde cum vacuum panderent loculum, vivum quem ex captivis tenebant hominem eidem includunt. qui poſtea, ad D. Paulini invocationem, vitam ſepultus retinuiſſe incolumem compertus eſt. Urbs prædis exhauſta, conſueta Nortmannorum immanitate, injecto igne conſumpta eſt, cum eis curæ eſſet, nequid mortalium quiſpiam præter ipſos poſſideret, ut qui in aliena etiam calamitate ſuam felicitatem collocarent, in ſuprema cupiditatis, & invidiæ apice conſtituti.

Treviris flammis conſumpta.

Hinc Metas digreſſi Walonem loci Epiſcopum in ſtruſt

ſtructo ſibi occurrentem milite viderunt, cui Bertolphus Trevirorum Antiſtes Comeſque Adelhardus, cum domi fruſtra fuiſſent, ſuas copias adjunxerant: ut aliena ſalutem tuerentur, qui nequiſſent propria. Acriter ad Remichium pugnatum eſt, ſed multitudine potiùs, quàm virtute Nortmanni victores, cadente Walone, ceteriſque intra mœnia receptis, ſuam in Metas vim experiri non ſunt auſi. Sanctæ illud Glodeſindis Virginis patrocinio Metenſes tribuunt, cujus ſacrum corpus, adverſitatis imminentis tempore, oleum, ceu lacrymas, ab oculis profudiſſe obſervarunt. ac ſi his divinum Numen emollitum ſentirent.

Metenſes prælio vincuntur Walone Epiſcopo cadente.

Metis urbs tamen patrocinio Glodeſindis ſervata.

Carolus Imp. intellecta fratris Ludovici morte, & hoſtium irruptione, ex Italia cum exercitu, Nortmannos periculoſa certamina declinantes, in caſtris irrito conatu oppugnare aggreſſus, tandem in familiare conſortium Godefridum admittit, Chriſtiana eidem ſuadet ſacra, ac Giſlam Lotharii Regis filiam, cum Friſiæ totius dote offert, ſi religionem non aſpernetur, amicitiamque colat. Non diſplicuit barbaro liberalis oblatio, & baptiſmum, & puellam cum Friſiæ poſſeſſione admiſit, immenſo etiam auri pondere gaziſque Eccleſiæ Metenſis in donum oblatis, adeóque cum ſuis ipſe in Friſiam, Sigefridus in Daniam receſſit, lætus maximis flagitiis tam luculenta etiam præmia decerni, & quæſiturus propediem, quâ arte paria aucupetur.

Carolus Craſſus Godefrido Nortm. Duci ad fidem converſo Friſiam offert.

Et hæc etiam calamitas properaſſe Bertolphi Trev. Archiepiſcopi mortem eſt viſa. Siquidem is multis defunctus malis, vita quoq; minimè mala, per varias adverſitates probata, defungi IV. idus Febr. cœpit. oſſa ſtanti adhuc D. Paulini Eccleſiæ illata brevi hac epigraphe, gaudent ⊖ *Bertolfus Trevir. Archiepiſc. IV. idus Febr.* Ejus beneficia in Eccleſiam Trev. laudantur diverſa, tum quod jura autoritatemq; ipſius per Epiſcopos ſuffraganeos labefactam, ſtrenuè vendicarit, Waloni Epiſcopo Metenſi accepto Romæ pallii uſu Paſchalibus feſtis interdixerit, nec niſi metropolitani

884. Bertolphus Archiep. moritur ſtrenuus Eccleſiæ ſuæ defenſor.

⊖ *id eſt, mortuus eſt.*

conſenſu arbitrioque indulſerit : Dadonem quoque Virdunenſi Eccleſiæ à Ludovico, & Pontifice datum, non aliter niſi ſuo accedente ſuffragio ſuſtinuerit : tum quòd Marciam, ſeu ut hodie Marcetum vicum, ad Sabram amnem, à Rege Ludovico coëmptum Eccleſiæ bonis adjunxerit, rebus ipſius honoribuſque ex æquo conſulturus.

Ratbodus Arch. ex Mediolaci Abbate.

Ratbodus ex conſueto Archiepiſcoporum ſeminario graduque Abbatiæ Mediolacenſis, naturæ doctrinæque egregiis ad hoc munus dotibus inſtructus acceſſit cujus ſuffragio & conſecratione Robertus quoque Eccleſiæ Metenſis gubernaculis poſt Walonem admotus eſt.

An. Chr. 885. Quando haud multò poſt Romæ Stephanus VI Apoſtolicæ ſedi impoſitus uſum aquæ ferrique ferventis, ad probationem innocentiæ adhiberi ſoliti, datis ad Luitbertum Moguntinenſem Archiepiſcopum literis, velut ſuperſtitioſum improbavit quidem; ſed nondum prorſus ſuſtulit; quòd vetuſtarum perinde conſuetudinum atque arborum radices difficilè funditus eruantur.

Stephanus Pap. uſum aquæ & ferri candentis improbat.

886. Godefridi Regis & Hugonis affinis ambitio punita.

Sequens annus Godefrido Nortmannorum in Friſia Regi poſtremus fuit, qui dum ampliora poſſeſſis captaret, omnibus cum vitâ excidit, ſorte ambitioſis ſæpe Regibus præparata. Hugo Lotharii ex Waldrada filius conjugis Giſlæ Germanus, Lotharingiæ obtinendæ cupiditate flagrans, affinem Godefridum conſilii ſocium adjutoremque flagitat, ſemiſſe poſſeſſionis oblato, quòd Lotharii hanc ſoboli deberi contenderet. Godefridus pari æſtu raptus ad Craſſum legatos deſtinat, queriturque ſterilem ſibi, vinique exſortem regionem obveniſſe, quâ tamen abundet ipſe, ideóq; Confluentes ſibi Andernacum, Sinzigiumque concedi poſtulat, ſi negaret vi petiturus; ſi daret uſurus ad tranſitum. Carolus, quaſi indulturus, per Everhardum Comitem ad Batavam invitat pro tranſactione Inſulam, ibique concluſum trucidat. Hugonem verò interceptum excæcatumque Reginoni, hujus hiſtoriæ ſcriptori, Prumienſi Monaſterio mancipandum, tradit ubi cæcus ſuam ambitionem

bitionem videre ac luere coactus est. Salutari oculorum caligine, ad quam perspicacior animus cœpit illustrari.

Ornabat hoc tempore Prumiam Ansbaldus Abbas sanctitatis ac religionis famâ, quem proximus annus cœlo morientem, ut spes est, intulit. Illi rem divinam facienti hisce locis celeberrima sors delata est. Nittardus vir Francus ex Hynnapiæ vico, haud procul à Guisia Ducum nobilissimorum sede, dives improlisque cum uxore Erchanfrida deliberaverant, cui potissimum bono ex divina voluntate amplissimas opes destinarent; quando denique ea sedit animo sententia, conscriptæ donationis schedam sagittæ alligatam, missuros in altum, quóque transtulisset Deus, eo & possessionem transferendam. Hæc igitur stanti ad aram Ansbaldo per fenestram ante oculos delata, & mysteriis absoluti lecta, cum & locum unde mitteretur, & beneficium oblatum panderet, admirabilem Dei providentiam, erga afflictum nuper à Nortmannis Monasterium ostendit. Missis igitur ad acceptandam hereditatem legatis, humanæ liberalitatis, & divinæ ordinationis memorabile pignus adiêre. Et sagitta hodiedum, & facultatum quædam portio cœnobitis supereſt, nec facti tam singularis recordatio posteris excidere potuit. Ita lenire ex insperato afflictionem Deo familiare est. Qui Deum non deserunt, à Deo non deseruntur.

An. Chr. 887.

Prumiensib. hereditas ex Francia per sagittam transmittitur.

Nortmannorum tamen, ceu impastorum pecorum ex stabulo emissorum, his metis cupiditas non stetit. Lovanii, postea Belgarum Athenæo, sedem probè munitam pars illorum fixerat, quo quidquid per utramque Belgicam prædarum collectum congessit. Hinc deinde auctis viribus in Neustriam Parisiosque effusi, Lutetiam, ceu caput regionis, obsidione premebant. Carolus ubi semel iterumque profligandis hostibus vires omnes frustra consumpsisset, quamvis Lutetia patrocinio Sanctorum Germani & Genovefæ, defensorumque fortitudine staret, Neustriam illis habitandam, ultra se-

888.

Nortmanni alii Lovanii sede fixa hinc Parisios transeunt.

Carolus oblatâ Neustriâ pacem ab iis redimit, ubi deniq; fidem accepêre.

quanam conceſſit: ratus conſultò membrum ex regni corpore amputari, ne totum perderetur. Fuitque hæc ſalutaris Nortmannis regio, quando religionem ſimul Chriſtianam hausêre, Herveo poſtea Rhemorum Antiſtite ſuam eis ad hanc rem operam collocante. Raro exemplo, quo raptoribus pro ſupplicio ſalus reperditur.

Richardis immeritò de adulterio ſuſpecta à Carolo relegatur.

Carolus poſitâ ad pacis uſum galeâ ubi domum revertiſſet, quorundam traductorum malevolentiâ Richardem conjugem, quam intactam ipſe reliquerat, de adulterii conſuetudine cum Luidvvardo, Vercellenſi Epiſcopo, aulæ ſacellano, ſuſpectâ habere cœpit, nec admiſſa purgatio, quam in candentis ferri contrectatione, aut ſingularis etiã certaminis experimento deferebat, relegatus in exilium Epiſcopus, libellus repudii Richardi datus eſt. Quæ calamitate hac ad ſanctiorẽ uſa vitam, Chriſto ſeſe illibatam ſtitit, & poſtquam Ticini in Italiæ Parthenone S. Marini rudimenta perfectioris vitæ poſuiſſet, in Alſatiam à morte Caroli reverſa Andalauvienſe iſtic Aſceterium SS. Fabiano ac Felicitati ſacrum erexit, ſeque inibi ad mortem uſque condidit, laudabili viventium ſepultura, quam felici demum morte, ad XVIII. Sept. memoranda, coronavit. Fortunato planè divortio, quo meliori eſt ſponſo conſecrata.

Parthenonẽ in Alſatia excitat & ingreditur.

Craſſus ad imperium ineptus deponitur, deſerturque, ſuffecto in locum Arnulpho.

Hoc ſani in Carolo adhuc animi deliramentum viſum eſt. Cum deinde mentis conſiliique vigor hebeſcere, ac ſuis obtorpeſcere in vitiis, prorſuſque imperio adminiſtrando Germanis proceribus ineptus cœpit videri. Quare cum Lotharingiæ Optimatibus, comitio Triburiis, haud procul Moguntia, inſtituto, imperium Craſſo derogatum, in Arnulphum Carolomanni, Bojariæ quondam Regis ex pellice, filium, transferunt. Quæ res Craſſum primò quidem rerum neceſſariarum inopiâ ad Augiæ Monaſterium, deinde haud multò poſt ad tumulum tranſtulit. graviori, quam ille Richardem innoxiam perculit, divortio regni, amicorum, opum ac vitæ denique multatum. Tam facili immortalis Dei nutu

nutu, mortalia hæc omnia subruuntur; quibus diu fidentem non decipi inter prodigia haberi potest.

Et Arnulphus quidem Germaniam ac Lotharingiam tenuit. In Italia diversi principatum, Imperatorisque etiam nomen, sed impares his titulis, prensabant. in quibus Ludovicus Bosonis Mediolanensis filius, Berengarius Forojulienſis, Guido Spoletanus. & hic quidem à Pontifice coronatus, Lamberto filio haud multò post diadema reliquit. quod tamen, post regni sui quadriennium, Arnulphus, in Italiam transgressus, majori ad se jure ac dignitate transtulit. In Galliis verò deficiente regia stirpe, præter unum Carolum, postea simplicem dictum, quem Ludovicus Balbus posthumum reliquerat; sed adhuc regnandi ex ætate incapacem, nemo supererat: ut Arnulpho intra Lotharingiæ terminos acquiescente, Eudonem primò, strenuum Parisiorum adversus Nortmannos defensorem, Regem, tutoris tamen prætextu, inunxerint; denique ad Carolum, ac postremo ad Ludovicum ejus filium, ex Anglia reductum, ideóque transmarinum appellatum, regni insignia detulerint.

In Italia diversi Imperiũ affectant; donec Arnulphꝰ idem occupat.

In Gallia alii quoque Carolingis intercedunt.

Moguntiæ subhæc, lubente Arnulpho, Synodus Episcoporum inter quos & Ratbodus Trev. cum Willibertо Colonienſi, convenit, in qua & Sacerdotum egregiè vindicata autoritas, & Regis officium munusque diserte est explicatum. tum gravissima totius reip. & Ecclesiæ per Nortmannicum bellum inflicta vulnera, magis ostensa fuêre, quàm sanata. quòd imminentes etiamnum barbarorum gladios suis cervicibus formidarent, plagamque pro remedio exspectarent graviorem, cum jam Treeis suceensis, in Tullensem ac Virdunensem sese agrum effudissent, atque ex propinquo ruinam minarentur.

An. Chr. 889
In Synodo Moguntinẽnensi Ratbodus adest.

Ratbodo tamen Arnulphus in solatium cladis pristinæ Trajectensem S. Servatii ad Mosam Abbatiam solenni diplomate, anno regni sui secundo, ad cal. Julii consignavit.

890
Trajectensis illi Abbatia S. Servatii donatur.

891 Formosus Rom. Pontifex in Germaniã fugit.

Quando haud multò post Romanus Pontifex Formosus Sergianorum in urbe factione jactatus Ratisbonâ ad Arnulphum confugit, ubi eundem Ratbodus convenit præsens graviſſimis ceremoniis quibus B Emmeram Martyris Eccleſiam conſecravit. Hoc loco opem Arnulphus Pontifici, & hic coronam Arnulpho promiſiſſe eſt viſus.

892 Nortmanni victores Lotharingorum ingenti clade ab Arnulpho profligantur.

Sed hunc morabantur adhuc irrumpentes in Germaniam Sclavi, & in Lotharingiam Normanni. illis ſeipſum, his Lotharingiæ proceres armatos oppoſuit. qui atroci prælio, haud procul Trajecto ad Moſam cum eiſdem colliſi, cadente poſtremùm Sunderoldo, ſeu Sunzone Moguntinenſium Archiepiſcopo, cum Arnulpho Comite, palmam campumque tenuêre. Re cognitâ Arnulphus ex Bojaria cum ingenti orientalium Germanorum manu eos Lovanium uſque proſecutus, & cum aleam pugnæ detrectarent, in ipſis adortus caſtris, tantâ cecidit ſtrage, ut cum utriſque Regibus Sigefrido ac Godefrido, confecti ad centum millia, vix nuntium cladi ſuperſtitem fecerint. Cujus victoriæ memoria hodiéque apud incolas cal. Septembris perennat. Et jam hac ſentina hominum exhauſiſſe Belgium credebatur,

893 Prumia rurſum ab eis exciſa, multique religioſorum facti Martyres.

quando anno inſequenti, abſente Rege, qui ad claſſem & paludes hæſerant, ſuis è latebris in ultionem emicant, & quidquid Rhenum inter Moſellamque repertum eſt, aut in ſpolium, aut in excidium vertunt. Prumiam rurſum Arduennamq; profugorum depoſitis plenam, ceu odore prædæ tracti, pervadunt, exhauriuntque. atque illic quidem Faraberto Abbate cum nonnullis fugâ elapſo, ceteri religioſorum familiariumque ferro trucidati ſunt. Quorum memoria apud poſteros in laude Martyrum celebratur.

Regino hiſtoricus & Abbas Prumienſis demũ in S. Maximino privatꝰ moritur.

Farabertus tot malis jactatus, ceu tempeſtatis ſuſtinendæ impar, *Reginoni*, nobili hujus ævi, locique hiſtorico, clavum ceſſit, non tamen perſtituro in munere, quòd facilius eſſet calamum illi, quàm pedum, ſine aliorum obtrectatione, regere. quamvis alienæ ambitioni, arti-

artibusque Gerardi & Matfridi Comitum, Richario fratri hunc locum destinantium, cesserit, excesseritque demum privatâ ad S. Maximinū, Trevericos juxta muros, vitâ: insigni prudentiæ & moderationis laude commendatus; aptâ & valiturâ regentium dote, si par fuisset habilitas regendorum: & effrenes equi bonos aliquando rectores non excuterent.

Metensi Synodo salubria de clericis & Judæis decernuntur.

Ratbodus laxatâ, ut per bellum evenit, Ecclesiasticorum disciplinâ, provincialem Metis Synodum instituit: ubi Roberto Metensium, Dadone Virdunensium, & Arnoldo Leucorum Episcopis suffraganeis, aliisque Prælatis Comitibusque assidentibus, decretum est: ne quis sacerdotum plures simul Ecclesias administret: neu clericis arma ferre liceat, malè turbulentis hisce temporibus usurpata. Judæorum denique, Metis invalescentium, consuetudine, in cibo præcipuè annonáque sumenda, abstineant. Denique tridui supplicatione pro regni Regisque salute concluſum est.

An. Chr. 896. Zvvendeboldo Rege Lotharingiæ constituto, Arnulphus Romam profectus victor coronatur.

At Comitiis Wormatiensibus, postquam Zvvendeboldum fil. nothum constituissent Arnulphus Lotharingiæ Regem, & Triburii in Synodo Ratbodo cum suffraganeis Episcopis præsente, quinquaginta canonibus Ecclesiæ disciplina instaurata esset, Rex in Iatliam dissidentem progessus, cum Romam adversariorum armis reperisset clausam, perfregit tamen, leporis, ut ferunt, fugientis vestigia militibus ad muros usque consectantibus, quos, custodibus ut reperissent vacuos, sibi patere rati, transierunt, ductore lepore victores, & coronam promeriti muralem. Hos consecutus Arnulphus Formosi Pontificis hostes oppressit, præmiumq; operæ coronam retulit imperialem, Lamberto cedente, & haud multò post in venatione ab Hugone Mediolanensi interempto, ut venatorius id temporis lusus videatur, imperatorio diademate tam donari, quàm excidere.

Uterque Regum parum benevolus Monasteriis.

Sed Roma Arnulphum Præsulibus & Monasteriis Trevirorum, quorum opes dignitatemque, vel ipse, vel filius

filius carpsit, benevolentiorem non reddidit. Cum, more Francis antiquo, quod alii Regum Procerumque liberaliter contulerant, alii Ecclesiæ raperent, prælaturisque ceu pilâ luderent, nunc in seculares, nunc in religiosos translatis.

Duci Megingaudo S. Maximini Abbatia delata, non sine vindicante Deo, fuit.

Ita Erkenberto S. Maximini Abbati Dux Megingaudus ab Arnulpho, frustra reclamantibus Monachis, substitutus est. Sed Deo injuriam ulciscente, cum enim Dux per ludibrium uxori suæ exponeret, locupletem sese hodie famulum, suæ deserviturum familiæ, nactum esse Maximinum; horror ad impias has voces, & uxorem, & Ducem corripuit: atque hunc tanta è vestigio membrorum secuta contractio, ut, in globum convolutus, vix jam ultra præ se hominis ferret speciem. Agnovit Dei Sanctique manum vindicem, supplexque votis omnibus ante hujus aram delatus, non desiit illius sese devovere, ultimis etiam, obsequiis, ac Domini servum, cujus se ante servi Dominum arroganter enunciarat. Accessêre deinde obnixæ Religiosorum preces; ut sibi restitutus, dignitate huic Abbatiali non renuntiarit solùm; verùm etiam donationem Ribinacæ villæ ex regali fisco adjectam ab Arnulpho obtinuerit: quamvis extorquere Regi jus Abbatis constituendi non potuerit.

Dux punitus eidē renuntians benefacit.

Ex fundis S. Willibrodi ditantur Comites, qui postea Lutzelburgici dicti.

Epternacensis quoque Monasterii res haud leviter acciſæ sunt, quando ad regii exercitus adversus Normannos supplementum, ex fundis D. Willibrodi Comitatus Lutzelburgicus sensim erigi, alterque Hollandiæ ad limitum custodiam subnasci cœpit, ut his velut ad bellum defensionemque præstandam Regis Comites alerentur: illo facti prætextu, quod Monasteria adversùs Ecclesiæ hostes propugnanda, his opibus turarentur.

Sed dum alibi Ecclesiæ fortunis decerpitur, accrescit in oppositis diœcesis Trev. transrhenanis limitibus alibi. Nam par illustrium fratrum, ex Alsatia, Hermannus & Udo, cum venationi in campis vacant Wetzla-

An. Chr. 897.

rien

rienſibus, loci amœnitate capti, baſilicam illic collegiumque non ignobile Canonicorum erigere, nec in gratum Deo, neque indecorum ſibi arbitrati ſunt; conſiliumque, ut cœperunt, ſic executi ſunt. ante tamen morte occupati, quàm ædem ſacram abſolverent, locupleti agrorum circumjacentium dote in uſum relicta. Horum, quod Auſtriacæ familiæ eſſe Comites Maximilianus Cæſar ſentiret, epitaphium ſecum œnipontem ævo ſuperiori tranſtulit. adeo virtutis nobis in Majoribus grata memoria eſt, quam in nobiſmetipſis ſæpe negligimus. Archiepresbyter hujus olim ante Lutherum Eccleſiæ XCII. pagis, cum oppidis quibuſdam, jure ſacro præſidebat: nunc Canonicis paucis, ac Virginum Parthenone Romana in fide ſtantibus, cetera hæreſis decerpſit, quando hanc partem Treverici corporis, ceu gangræna quædam, occupavit.

Contra ab aliis Wetzflarienſes Canonici & Eccleſia fundatur.

Zuendeboldus interea Rex, ut natalibus, ſic moribus degener, cum per tyrannidem pleraque in ſacris profaniſque adminiſtraret omnium in ſe odia vertit. Quare Comites regno præfectos Stephanum, Odoacrum, Gerardum, & Matfridum imperia detrectantes, ducto Trevirim exercitu honore atque opibus ſpoliavit (in quibus & Horrei Trevirenſis, & D. Petri Metenſis præfecturæ erant, his, pro Regum ejus temporis licentia, conceſſæ) Quanquam ea fuerit Ratbodi apud Regem tunc reverentia; ut Trajectenſem, quam Arnulphus pater conceſſerat, Abbatiam, à Reginario Comite cui attributa erat, repetitam, cum nova, ut ajunt, inveſtiturâ, diplomate firmatâ, reddiderit. Quod jus ſibi à Carolo Magno uſque, qui ab Adriano Pontifice ob ſingularia in Eccleſiam merita retulerat, conſtanti uſurpatione vendicabant. Sequenti Rex idem anno, ſummæ ædis apud Treviros Canonicis immunitatem, ab omni onere hoſpitalitatis, quo regii ſæpe gravabant, & juriſdictionis ſecularis, quæ in eorum perſonas aut bona exerceri, ſine aſſenſu, aut voluntate Epiſcopi poſſet, liberos decernit. Verùm hæc beneficia aliis Rex maleficiis non rarò corrupit:

An. Chr. 898

Zvvendeboldi tyrannide Comites opprimuntur.

Eccleſiæ Trevericæ bona & immunitatem tuetur.

899

Alibi tamen jura Eccleſiæ violat,& Ratbodum ſibi obnoxium percutit.

rupit: adeò, ut jura Eccleſiaſtica violantem, & Fulco Rhemenſis Archiepiſcopus graviſſimis apud Pontificem alioſque literis accuſârit, & Ratbodus liberiori eundem caſtigatione perſtringens fuſte in caput impacto rejectus fuerit. Quocirca primò obnixi regni Lotharingiæ proceres, Carolum Franciæ Regem invitant; ſed cum hic exercitu in Lotharingiam ducto, ſeu deſperatione, ſeu mollitie animi Zuendeboldo pacem regnumque, quamvis viribus potior, reliquiſſet, ac mox Arnulphus Imp. Ratisbonæ defunctus Germaniæ regnum Ludovico aperiret filio, alia ſe ſpes oſtendit. Etenim hunc Forchemii anno proximo coronatum optimates regni Lotharingici, Theodonis villam evocatum, in ſuum quoque Regem cooptant; ac Zvvendeboldum, cum perditorum manu fruſtra obnitentem, Stephano, Gerardo, & Matfrido Comitibus adversùm miſſis, juxta Moſam prælio victum obtruncant, grato his ſpectaculo, qui privato ſimul publicoque odio exoptatâ litaſſent victimâ.

Ludovicus Arnulphi filius ad regnũ evocatur.

900

Zvvendeboldum Comites vincunt, obtruncantque.

Memorabilis inter hæc anno 898 D. Maximini, ſuperiori temporum injuriâ, reconditi, ſuâque ignorati latebrâ, inventio Trevirorum lætitiam cumulavit. Inſtaurabant nonnulli baſilicæ per Nortmannos vaſtatæ ruinas, cum ſubſidente ad unius ſub pondere inceſſum pavimento, hiatus ſubteraneus gratiſſimâ odoris fragrantiâ reſpirabat. Religioſi, quod res erant ſuſpicati, Ratbodo Archiepiſcopo rem manifeſtant. qui poſt triduum jejunium preceſque, magnâ populi ſupplicatione ingreſſus, locum ſuis aliorumque manibus detegens, ex marmoreo monumento loculum eduxit cypreſſinum, quo recluſo omnia apparuêre corruptionis expertia, veſtes juxta, corpuſque, ut ſi ipſo die fuiſſent condita. Cumque intueri ex vicinia non omnes poſſent Ratbodus ex ſuperiori loco, pallium ſtolamque integerrimam exhibuit, ac dicere pro concione exorſus, ingentes animorum ad pietatem concivit motus, juſſitque hunc diem inde illis, poſteriſque diem eſſe feſtivâ recordatione celebrem.

S. Maximinus prorſus incorruptus invenitur.

celebrem, quem ad VI cal. Junnii Notokerus in Martyrologio reponit.

Lodovicus regno initiatus Ratbodum, Trev. Antistitem, sibi, autoritatis maximæ senem adolescenti, conciliandum duxit. unde Circium illi Orsivelsiumque cum finitimis prædiis inter Saram Mosellamque, dono obtulit; ac deinde anno 902 *monetam*, ut in diplomate ait, *ipsius civitatis, telonium, omnéque tributum, intra civitatem & extra, per omnem comitatum, de monasteriis, & villis, & vineis, sed & cunctos censuales atque fiscales, & medenam agrorum de comitatu ad Episcopatum, cum omni integritate convertimus, & de nostro jure ad partem & potestatem S. Petri reddidimus* (unde apparet hæc jura ante pertinuisse, & per Zuendeboldum aut alios fuisse aversa) *ejusque domino per hoc serenitatis nostræ præceptum sancientes, perpetua stabilitate firmiter nuncupavimus, præcipientes obnoxiè ut sicut hæc omnia Comiti* (qui in civitate Regis absentis vices sustinebat) *solvebant, sic à die præsente deinceps in perpetuum in potestate permaneant Pontificis. Et ut hæc nostra largitionis, seu redditionis* (quod notandum est) *firma & inviolabilis, per cuncta succedentia tempora, consistit, manu propriâ eam firmavimus, & sigilli nostri impressione insigniri jussimus. Data Cal. Octob. anno Dom. Incarn. DCCCCII Indict. V. anno vero III. Domini Ludovici glorioſissimi Regis Actum in villa Wadegozinga, in nomine Domini feliciter, Amen.*

An. Chr. 901. Ludovicus Rex Circium & Orsivelsiũ Ratbodo offert.

902

Jus monetæ, vectigalium, tributorum, censuũ reddit Ecclesiæ & Archiepiscopo à Comite sublatũ.

Justitiæ igitur non minus, quàm liberalitatis opus fuit, dare quod non obtineret, & reddere quod erat ablatum. At laudari temporum vitio in Rege non potest; quod Conrado & Gerardo Franciæ orientalis Comitibus, Horreum nobilium puellarum, & D. Maximini Monasteria, à Gerardo & Matfrido Zuendeboldi victoribus occupata, novo, sed iniquo munificentiæ genere detulerit. Reddenda hæc quoque suæ erant Ecclesiæ, non transferenda. Quanquam hæc, ut fluxa est Regum gratia,

An. Chr. 930 Præfecturas tamen Monasteriorum malè in fratrem transfert.

gratia, in Gerardum ac Matfridum, parum honestè designare visus est, cum ex occupatis illorum spoliis Conradum fratrem ditaret. quod nec sine gravi Trevirorum concussione est impetratum. contra quos Conradus ex fratre nepotem, Germaniæ postea Lotharingiæq; Regem, cum exercitu destinavit, ferroque ac flammis Comitum villas ac prædia vastavit. eisque denique bello fractis Metensi in comitio exilium denuntiavit. Nullâ quidem horum injuriâ, qui Ecclesiastica sine jure bona occupassent; sed nec Regis justitiâ, qui indigna eadem largiretur. Tam pronum est rerum potentes æquitatis prætextu iniqua perpetrare, & virtutem vitiis obtendere.

905

906 Hungari incogniti hactenus se Germaniæ & Lotharingiæ inferunt.

Innotuit hoc tempore inexploratum Germaniæ hactenus nomen Hungarorum, qui ex Pannonia in Italiam, atque hac vastata in Bojariam, Saxoniam, Thuringiam, ac Lotharingiam, tantâ sese immanitate effudêre; ut horrorem sui nominis (quod aliis è Scythia, aliis ab Hunnis Avarisque traductum videtur) latius multò, quàm arma propagarent. Hi cum ad Vogesi eremum, ac penetralia se effunderent, S. Romarici, tam Virorum quàm Virginum cœnobia, cum ejus Divi, tum Amati etiàm, & Adelphi, Reliquiis, sese Tullensi ditioni, ultra Mosellam, intulêre. ubi Drogone Episcopo loci (qui Ludhelmo nuper Maximiniano, egregiâ laude defuncto, successerat) favorem opemque præstante, Monasterium sanè magnificum excitarunt. quod oppido deinde auctum, palatioque, jam olim regio nobilitatum, Romarici Mons est appellatum.

Vogesius à religiosis deseritur.

907 Romarici mons apud Tullenses surgit:

Ludovicus etiam Rex, quamvis iniqua bellorum tempestate jactatus, tamen his aliisque ad honorem Dei Sanctorumque ejus surgentibus ædificiis, Ecclesiisque non defuit. Ita anno salutis DCCCCIX. trans Rhenum in limite diœcesis Trev. quâ Moguntinensem & Hassicam ditionem, ad rivum pagumque Loganæ, tangit, Conradi Franconiæ Ducis, & Hattonis Archiep. Moguntini rogatu, opimos Brechenæ indulget Eccles. Lim-

909 Ecclesia Limburgensis ad Loganam Brechenæ agris à Rege donatur.

Limburgensi agros. quam cum collegio Canonicorum illustri prorsus erigebat opere Conradus ejus loci Comes, Perstat etiamnum nobilissimæ basilicæ Georgianæ pluribus turribus & singulorum murorum artificio exurgens species, & autoris sui liberalitatem magnificentiamque muto lapide contestatur. Indulserat jam ante, non impari Rex beneficentia, anno salutis 908 ad 3 idus Octob Andernacensem Ecclesiam, cum annexis quibusdam possessionibus, Ratbodo. Verùm ulterioris denique munificentiæ spem mors immatura juvenis, sine prole decedentis, succidit anno DCCCCXI mense Decembri. Ergo ad Ottonem Saxoniæ Ducem, cujus sororem Mathildem Ludovicus duxerat, vota Procerum spectabant; sedis raro exemplo, ætatis tamen gravioris obtentu regiam defugit purpuram, quam multarum esse curarum velamentum non ignorabat, passusque illam est ad Conradum Franconiæ Ducem, Ludovici Regis ex fratre nepotem, deferri. Qui & principio Lotharingiæ regno præfectus, illud per Giselbertum Ducem, accerrimæ indolis juvenem, administravit. Hic Reginario Comite Epternacensis Abbatiæ domino natus, ad majora subinde aspiravit, ac Lotharingiam sibi adversus Conradum Regem, aliis quoque Principum in Germania rebellantibus, vendicare conatus est. Sed dum ipse ambitione nimiâ altiora sepresat, & Conradus Hungarorum vi atque excursione avertendâ, fortè & ignaviâ regnandi distinetur, Lotharingiæ proceribus Carolum Simplicem Galliarum Regem accersere, ac summa sibi potestate perficere visum est. Quem anno dehinc altero Theodonisvillæ commorantem Ratbodus officii honorisque gratiâ convenit, atque exoptatum huic Ecclesiæ Metropolitanæ D. Petri Canonicis diploma obtinuit. quo ipsi tanquam *summo* regni *Cancellario* & *Archicappellano* aulæ conceditur, *ut post hujus Antistitis* (verba diplomatis sunt) *obitum, quemcunque Trevirensis Clerus & populus, de propriis ejusdem Ecclesiæ filiis, pari consensu legerint, absque*

Illustris illic Ecclesia & Collegium Canonicorũ à Conrado Comite erecta.

Andernacensis Ecclesia Ratbodo data: An. Chr. 911.

Ludovico Rege mortuo Conradus Nepos succedit.

912

Giselbertus ab eo Dux Lotharingiæ præficitur.

916

Corolus Simplex è Gallia ad Lotharingiæ regnum evocatur.

Ratbodus Regis summus Cancellarius & Archicappellanus imperat

ab eo jus electionis liberum Clero & populo.

absque ulla cujuslibet contradictione; ille, Deo favente, eis Episcopus detur; nec ulterius contra eorum libitum, contra canonicam autoritatem, quenquam non optatæ personæ cogantur suscipere Pastorem: & si fortasse, quod futurum minimè creditur, in ipsa Ecclesia inveniri talis non poterit.. suscipiant quemcunque voluerint aliunde eligere. si hoc quoque evenerit, quod in quorundam Episcoporum electionibus contigisse dignoscitur, ut vota eligentium divisa dissenserint, ei parti, in qua Clerus, & melioris intentionis viri consenserint .. regalis faveat autoritas. &c. Data die Augusti anno Dominicæ incarnationis DCCCCXVII Theodonisvillæ. Hoc igitur tempore translata à Regibus ad Clerum & populi optimates Episcopi fuit electio: quanquam ille sua hanc voluerit autoritate in controversa electione definiri.

An. Chr. 917

Nec multò post ejus libertatis indultæ usus fuit. Quando enim Ratbodus anno proximè insequenti desiit vivos inter III cal. April censeri, Clerus populusque non exspectato Regis imperio, jure suffragiorum communi *Ruotgerum*, ab eruditione aliisque donis abundè instructum, Antistitem crearunt. Et Ratbodi incepta sanè apud Treviros, tum locupletatæ possessionibus juribusque Ecclesiæ, inter præstantissimos Episcoporum, perstat memoria: quam & anniversariam olim Clerus habuit. Ejus munificentiâ D. Paulini basilica gaudet, in oratorio Wilre adjunctisque agris, & decumis, in Novianto, aliisque Gaurici campi possessionibus. Eternacensibus quoque id temporis Canonicis, ut prædia, ad Principum arbitrium transferri solita, postliminiò redirent, à Zuendeboldo impetravit: Ostenditque, exemplo suo Majorumque, & Reges hac Ecclesiâ dignos Episcopos, seculari quamvis scrutinio, deligere potuisse. Cum vix quisquam, licet improbus, reperiatur, qui virtutem non æstimet, atque in Ecclesia Dei censeat præferendam; inter Electores verò plures, privata non rarò utilitas publici rationes boni subvertat.

918 Ratbodus moritur succedente Ruotgero, dignis inter regiæ electionis Principes laudibus ornandus.

D. Paulino & Eternacensibus opem tulit.

Conra-

Conradus Germaniæ Rex Hungarici calamitatibus belli jactatus tandem in limitibus Trevirorum Loganensi in pago portum reperit quietis, ubi exequiis in Limburgensi S. Georgii basilica persolutis, extisque ut videtur in monumento depositis, quod etiamnum jacentis Regis suo in apparatu statuam exhibet, corpus Fuldam ad S. Bonifacii monasterium translatum est. Ceterùm inscriptio hæc Limburgensem tumulum evanescentibus versibus coronat. 919 Conradus Rex mortuus ad Loganam Limburgi sepulchro honoratur, ut benefactor.

Hic jacet in tumulo Dux, per quem servitus isto
Fit celebris templo. Laus, virtus, gloria Christo.

Nec confundendus cum Imperatore Conrado est, qui curiam vineasque in Camp eidem S. Georgii collegio detulit, & anno MXXXIX vitâ decessit. Ducis verò nomen eidem relictum est, quòd nondum Rex donationem contulisset.

Henricus verò Saxoniæ Dux ad quem moriens Conradus, tanquam successorem dignissimum, licet victorem quondam suum, insignia transmiserat, ceterorum quoque procerum votis Rex est designatus. quòd Otto hunc Dux ex Luitgarde Arnulphi Imp. filia susceperisset, ideóq; dignitatem generis cum virtute jungeret, quam tum maxime declaravit, cum suâ unius sententiâ indignus imperio haberetur. *Auceps* dictus; quod aucupio intentus, secundis imperium avibus sit auspicatus. An. Chr. 920 Henricus auceps post Conradum Rex Germanorum. *Chron. Vrspergense.*

Quo tempore Sigebodo Steinfeldiæ, in tractu Eifliaco Arduennæ Arebergam & Schleidam inter, nobilem Parthenonem condidit. quò, Ruotgero Archiepiscopo suffragante, Sanctorum Potentini, Simplicii, & Felicii Martyrum corpora, ex Cardonensi D. Paulini basilica, ad novi templi inaugurationem transportata sunt. Sed labente hoc loco sensim Vrginum disciplinâ, Springirsbacenses à Treviris Canonici, & post hos Præmonstratenses instituti Clerici, qui hodiedum florente religione possident, incoluêre; ut Sigibodonem Hocstadenæ gentis Comitem impensarum opum pœnitere non possit. Sigebodo Comes Steinfeldensis Monasterii auctor SS. Martyrum corpora Cardona impetrat.

921 Giselbertus Dux in Lotharingia libertate nimia in Ecclesias dominatur.

Alternante hac etiam ætate procerum Lotharien-sium favore, nunc Carolus Rex, nunc Giselbertus Dux rerum ferè potiebatur, cujus in opulenta quæque monasteria rapax magis libertas, quam liberalitas prædicatur. Unde cum Hilduinum quendam Tungrensi obtruderet Ecclesiæ (corruptus ære simoniaco) Episcopum, eumque Hermannus etiam Colonienſis ordinaret, pervicit tamen Carolus Rex, ut Richarius Prumiensis Abbas præficeretur, & Joannes X Pontifex majori illum autoritate consecraret. Quamvis & Giselbertus ad Regis Caroli obsequium sese receperit. Treviris verò Abbatia D. Martini, Reginone amisso Præsule, nactus nobilium cupiditati, interversâ Abbatum lineâ, petuit, hæsitque labes illa Ruotgero Archiepiscopo, quod frater ejus Beroaldus clientelari jure ejus prædia occupaverit. Quanquam eodem tempore valetudinis recuperatæ beneficium S. Maximino deberet. Is enim nondum à superiori inventione in sepulchro repositus, id sibi obsequii ab Archiepiscopo per somnum impendi postulavit, & ne ingrato præstitisset, luem quâ conflictabatur sustulit.

Rutgerus Archiep. malo etiam exemplo fratri Beroaldo Abbatiam S. Martini tradit.

922 Henricus Rex Simoniacis infestus Bonnæ Synodum cogit.

Porrò Henricus Germaniæ Rex, post illustrem ab Hungaris victoriam, quâ secum Deus in excidium barbarorum conspirasse visus erat, votum, quo se obligaverat, Simoniæ ab Ecclesiæ, quam passim infecerat, profligandæ, exsolvere conatus est. Quare etiam Rege Carolo probante aliquot Episcopi cum Abbatibus aliisque sacri ordinis viris Confluentiam ad Rhenum ab illo evocati sunt: ut Hermannus Agrippinensis, Hatrigerus Moguntinensis, Thiedo Wirciburgensis, Lutharius Mindensis, Dodo Osnaburgensis, Richonus Vangionum, Ricquinus Argentinensium, Wanno Paderbornensium; qui, Ruotberto tunc, ut apparet, valetudine afflicto, multa pro Ecclesiæ bono sanxisse, inprimisque consangvineorum liberas nimium, extra gradum etiam sextum, amandasse nuptias feruntur. ut licentiam opinor, tantò severius adstringerent. uti Burchard

Nuptiæ consanguineorũ adstringuntur.

post

postea Wormatiensis Episcopus scripto reliquit. Quæ Synodus cum Ivone non est altius ad Christi anni 912 efferenda, quando Henricus nondum præfuit.

Rex Carolus quoque Giselberti Ducis castigavit temeritatem, quâ se in Abbatiam Trajectensem, Trevericæ ereptam Ecclesiæ, jam pleno usurpandi jure ingesserat. Unde, exhibito Theodonisvillæ diplomate, ad VII idus Julii anni DCCCCXXIII, Ruotberto est restituta, quem & Carolus supremum regni sui Cancellarium agnoscit. Sed Lotharingia ad Henricum Regem transeunte, Giselbertus prædiis quibusdam, in Arduenna & Meginensi tractu, Archiepiscopo cedens jure precario dum viveret Abbatiam rursum impetravit.

Rex Lothar. Carolus Giselberti libertatem in bonis Ecclesiæ Trev. cohibet.

Etenim Carolus Lotharingici regni terminos per Alsatiam promoturus dum foris amplificandarum rerum satagit, Francici regni Proceres indignati unius Haganonis aulici autoritate, posthabitis ceteris, omnia administrari, Rudolphum Burgundiæ principem pro Carolo Regem salutant, Herveo tamen Rhemorum Archiepiscopo, & quibusdam aliis obnitentibus. Quare Henricum sibi Carolóque Regem conciliandum rati, junctam Germaniæ nuper regno Lotharingiam, Comitiis procerum solennibus Bonnæ institutis, Henrico deferunt, pactionemque ultro citróque juramento confirmant. ita Carolo cum Henrico quidem pax, sed cum domesticis nondum certa erat. Veromanduorum enim Comes Heribertus, simulatâ amicitia Regem complexus Santquintini, vinculis eundem proditorie attinet, & Galliis Rudolpho pænè neglecto dominatur; ut cum hujus denique gratiâ excideret, & Joannis X Papæ diras pertimesceret, Carolum iterum laxârit, pristináque simulatione Regem, iccirco dictum simplicem, tenuerit, donec rursum interceptum in carceribus ad vitæ metam impulerit, feliciori sorte natum, quàm morientem.

An. Chr. 923 Carolus à Francis oppugnatus Lotharingiâ Henrico Regi Ger. cedit.

Ipse à suis in vinculis attinetur, & moritur.

Nec Henrico sine controversia possidere Lotharingiæ regnum licuit, cum Wigericus Mediomatricum

924 Henric⁹ Metensem Episcopū resistētem frangit.

Episcopus Rudolpho studia sua Metasque urbem addiceret; sed cum Henricus mox adesset, & Ruotberto ac Giselberto sibi adjuncto obsidione hominem premeret, ultro sese ad obsequium submisit, hoc pacis fructu, quod altero ab hoc anno in pace quieverit, Bennone * absolutæ virtutis homine in cathedram subeunte. Qui Rudolpho Burgundiæ Regi junctus sanguine, ac Henrico fide mansit. Eremiticæ quondam insuetus sanctitati celeberrimum in Helvetia Asceterium (ubi oratorium Deiparæ S. Meginradus erexerat) auspicatus, quod ab Eremitis Einsidelen dictum, & hodiedum miraculorum hominumque frequentia notissimum est. Sed Benno, ut bonus Pastor, lupos se pro ovibus pascere comperit, quando illorum correcturus licentiam, infactiosis occupatus, luminibus orbatus est. qui cæcus licet, vidit quod in perditorum moribus deprehenderet. Henricus igitur Duisburgensi ad Rhenum synodo nexios investigavit, & pœnæ dedidit, Adelberonem verò ex suffraganeo Trevirensi in locum suffecit.

*Seu Benedicto.

An. Chr. 925 Benno successor in Metensi cathedra Henrico fidus.

Autor Monasterii Einsidelen in Helvetia.

927 Excœcatur improbè, & è Treviris Adelbero succedit.

Ruotgerus postquã ante bienniũ Ecclesiam S. Eucharii, nunc S. Matthiæ dictã, à Luitfridi invasoris violentis & injuriis, quibus illam profanus usurpator diu presserat, instauratis possessionibus, Henrici Regis imperio, vendicasset: consulturus huic magis, & Ecclesiis diœcesanis reliquis, Treviris Synodum, cum universo clero & suffraganeis Episcopis Adelberone Metensium, Barnone Virdunensium, & Drogone Leucorum instituit, ac multa salubriter corrigendæ dissolutioni Clericorum decrevit, Sanctionumque Ecclesiasticarum librum proposuit, consensione omnium approbatum. Deinde curæ eidem fuit, ut sparsum latius Trevirorum D. Petri patrimonium conjungeret, quibusdam cum Alberto Argentinensium Dynasta possessionibus, quas istic obtinebat, mutatis, Bevera aliisque in comitatu Bedensi acceptis prædiis. quod Henrici Regis diplomate anno Incarn. Dn. 929 firmatum est.

Ruotgerus S. Matthiæ Ecclesiæ subvenit.

928 Synodo Trev. instituta sanctiones Ecclesiasticas condit.

D. Petri patrimonio consulit.

Gisl

Giſelbertum ſubinde Ducem, cum Henricus Rex, elatâ audacique ſuſpectum indole, rebus novandis uſurpandiſque per Lotharingiam opportunum cerneret, maluit eum beneficiis tenere devinctum, quam adverſarium formidare. Quocirca illum Gerbergâ filiâ in thalamum traditâ, generum ſibi adoptat, Lotharingiamque ceu dotis confert nomine. Quâ ipſe dignitate fretus longè deinceps in clerum aſperior, ſacra profanaque juxta habere cœpit, atque inprimis S. Maximini Religioſis infeſtus graviſque incubuit: donec caſtigatus cælitus, odia demum in favorem, detrimenta in commodum vertit. adeò facilis virtutum magiſter Deus eſt.

929 Henricus Giſelberto Duci filiam cum Lotharingiæ adminiſtratione defert.

Et hucuſque propagaſſe Ruotgerus Archiep. vitam creditur. Quam honeſtè integréque traductam, ad S. Paulinum tumulandus, concluſit. *Rutbertus* patre Rudolpho Burgundionum, & Italiæ (poſt devictum Berengarium) Rege, tum Bertha Arnolphi Boiariæ Ducis filiâ natus, acris vigilantiſque ingenii Antiſtes, poſt illum ſuffragiis Trevirorum electus eſt. Qui ſynodo deinde Erfortenſi (quam nonnulli ad annum removent 936. cum Hildeberto Moguntino, Unno Hamburgenſi, & Otholrico Auguſtonenſi interfuit, quâ, inter cetera, vigiliæ ac feſtivæ Apoſtolorum ſolennitates impensè commendantur.

An. Chr. 950. Rutgero Trev. Rutbertus ſuffi-citur.

932 Synodus Erfortenſis feſta Apoſtolorum commendat.

Interea S. Maximini Abbatia cœnobiumque multa ſuſtinuit à Giſelberto perpetratu indigna, neque humanæ apparebat opis ſpes, cum Henricus Imper. fruſtra appellatus generum nollet offendere. Ergo religioſi ad Deum Sanctumque Maximinum ſupplici imploratione converſi, de cælo rogant auxilium: nec defuit. Sanctus enim Maximinus per quietem noctu Giſelberto adeſt, graviterque ob maleficia increpitum, acri flagellatione perſtringit; cujus non dolorem ſolum, verùm & vibices notaſque jam vigil circumferret. Unde, ne quid in ſe durius ſtatuerent cælites, Treviros ipſe feſtinus ſupplexque ad D. Maximini ædem incolaſque divertit,

933 Giſelbertus Dux à S. Maximino caſtigatus, non ſolum Abbatiam liberã, ſed & locupletiorem, favore Henrici Regis, reſtituit.

renunciat Abbatiali dignitati, atque ab Henrico indultum impetrat, quo plena eis deinde libertas offertur, suo ex corpore Præsulem deligendi. tum verò & ipse non modicam rebus domi instaurandis pecuniam largitur, & Rex præter sumptus reparandæ basilicæ, Ecclesiam iisdem Theodonisvillanam, cum Mosella portorio, aliisque regalis fisci vectigalibus largitur. Dein religiosæ disciplinæ ad pristinum decus revocandæ Ogonem * priscæ sanctitatis virum proponit, qui Monasticorum votis facilius admissus est, quàm æquo animo toleratus, quòd nonnulli opportuna morbis media aspernarentur. tantò promptiores per declivia à recto declinamus, quàm per ardua ad virtutem enitimur. Dyscolos igitur loco submovit, saniores ad sexagesimum usque numerum auxit, & ad Tungrensem Episcopatum vocatus, Willero post se Abbati locum fecit.

934

* *aliis Hugo dictus.*

Ogo vir sanctus præfectus dyscolos corrigit.

Sed nec Deus cujusdam illic Acoluthi insolentem crapulam vitæque dissolutæ exemplum impunè sustinuit, qui non veritus subinde, ventre jam ante saginato ad sacram cum aliis mensam accumbere. Evenit, ut, ministros inter, sub sacrificio thus adoleret, quando scintilla in lineam excussa vestem flammis repentè totum involvit hominem, quæ nullâ ope, & nec affusis quidem largiter aquis extinctæ, vivum in conspectu omnium hominem absumerent. quæ Sigehardus, sub Ogone Monachus, temporis locique præsens arbiter, in fastis testatus est. Aliquantò mitius castigationis exemplum Frodoardus suo in Chronico (quem à Flodoardo Rhemensi Canonico, & ejusdem ævi Poëta aliqui distingvunt) nobis hoc etiam anno reliquit, in Adelmanno Diacono Virdunensi. Ille enim pro mortuo funeris causâ jam feretro incumbebat: cum mox vivus valensque de tumba in pedes enititur, & se altera ex vita reducem horrenda vidisse suppliciorum loca testatur, sontibusque adjudicatum pro vitæ merito, præcipitandumque æternùm, ni Deipara cum D. Martino intercedens

Acoluthus dissolutus vivus, Deo agente, comburitur.

Diaconus Virdunensis alter, è tumba resurgens pœnitentiâ severam agit.

cedens, vitam tempusque pœnitendi impetrasset. in quod se deinde omni contentione severioris disciplinæ impendit, levi mortis momento ad insignem pietatem instructus. adeò mortuorum quàm viventium saniora judicia sunt.

An. Chr. 936. Henrico Regi defuncto Otto filius solenni inauguratione Aquis surrogatur.

Henricus subinde, mortali, cum laude, defunctus regno, illud anno salutis 936. ad 6 Non. Julii moriens Ottoni filio reliquit. Qui, ut erat præcelsæ indolis, communi Procerum voluntate Aquisgranum ductus, istic à tribus Archiepiscopis Hildeberto Moguntino, Rutberto Trevirorum, & Wigefrido Agrippinensium in regia Caroli magni sede inauguratus est. Moguntino ut Metropolitarum post S. Bonifacium in Germania primo, præcipuas cæremonias obeunte. Nam, ut Witichindus scriptor refert, Ottonem basilicam subeuntem primò excepit, lævâque prehensium manu, lituum dextrâ præferens, media in basilica populo stitit: & ecce, ait electum à Deo, Henrico Rege, ac regni principibus Regem adduco. Si probatis, attollite manus. quod repentè ab omnibus cum applausu præstitum. Hinc ad aram deducto, insignia ordine, solenni apprecatione exhibentur, atque ad imponendum diadema Colonienſis Antistes, ut diœcesanus, accessit. Quamvis enim Trevirensis, hunc sibi tanquam institutæ ab Apostolo Petro sedis Antistes, præ ceteris honorem deposcere visus, modestiæ tamen studio hoc certamen declinavit. Giselbertus Lotharingiæ Dux, Aquensis tunc Palatii incola, omnibus, velut hospitibus, regale epulum ministravit.

An. Chr. 938. Ada Dominium Bruchiense Rutberto confert.

Rutbertus domum receptus, ab Ada nobili Domina ex Folrado Ruotgeri Archiepiscopi nepote, in possessiones dominatus Bruchiensis, nunc agri Lutzelburgici, diplomate Ottonis Regis immissus est, anno regni ipsius altero. Eâ tamen lege, ut precario eis jure ad mortis diem frueretur. Ita renuntianti omnibus, nihil ademptum est.

Otto verò, ut religionis non minus, quam reip. civilis

vilis ſtudio flagrabat, cùm Treviros præſtantiſſimis eruditione ac ſanctitate viris vidiſſet excellere, inter medias Sclavorum gentes monaſticen & clericalem diſciplinam propagare cupidus, illuſtri Magdeburgenſium Abbatiæ hinc ex D. Maximino primum delegit Annonem Præſulem, poſtea Epiſcopum Wormatienſem. atque intervallo eorundem Epiſcopatui, nobiliſſimis proventibus erecto, Adelbertum primum Archiepiſcopum. ceu gemina ejus loci futura ſidera. quorum luce exemploque ſi hodiedum regerentur poſteri, tam altâ non mergerentur divinarum rerum caligine.

Magdeburgenſi Abbatiæ, & Epiſcopatui inſtituto Otto Rex ex S. Maximino primũ Abbatem & Epiſcopum tribuit.

939

Giſelbertus Loth. Dux rebellis cum Henrico Regis fratre, ab Ottone Dei ope vincitur.

Giſelbertus interea Lotharingiæ Dux, pro connata ingenii mobilitate, & novandi cupiditate, bellum contra Ottonem, quantis poteſt viribus molitur, adjuncto ſibi Henrico Ottonis fratre, & Everhardo Franciæ orientalis Duce. His occurſurus Otto fortè exercitus ſui parte Rhenum ſuperaverat, cùm Giſelbertus adfuit, diviſaſque in conſpectu Ottonis copias, præoccupatâ jam ſpe victoriâ, adoritur. Otto igitur, in illa rerum humanarum deſperatione, ſuplex cum reliquis, ante Chriſti in Cruce triumphantis clavos exemplo Patris cum Lancea militari in labaro propoſitos, humi provolutus, divinam opem implorat. Nec fruſtra. Nam Ottonis miles, ex deſperatione mutuatus virtutem, atque in ſpem eniſus, non modò adverſarias profligat copias; ſed Henricum quoque lethali vulnere perſtringit. Nec ſegniter Otto victoriæ ſucceſſibus utitur, cum Francorum Regem, Ludovicum tranſmarinum Caroli ſimplicis filium, conjuratis armis Alſatiam penetrare cognoſcit, quem repentè converſis in eundem armis pari felicitate victum in fugam agit, ac Briſacum, munitiſſimum ſuperioris Alſatiæ caſtrum, ab Everhardo poſſeſſum obſidet. Verum Fridericus Moguntinenſium Antiſtes, partes rebellium amplexus, & traducto ad ſe milite, hinc Ottonem avertit. Sed mox iterum mutata belli eſt alea, quando Giſelbertum & Everhardum prædâ graves,

Ludovicus quoque Francorum Rex fugatur poſt in affinem cooptandus.

graves, Udo Alemanniæ & Conradus Wormatiæ Comites, Ottonis Duces, infra, Confluentiam adorti, non præda tantùm, sed & vitâ utrumque, cæsis ad internecionem copiis, exuerunt. Ad cujus prælii nuntium solus Ottoni terror ad Brisacenses expugnandos sufficit. Fridericus verò Moguntiacus cum Rutgardo Argentinensi Episcopo exautorati, iste Fuldæ, hic Corbeiæ monasterium subiit ad pœnitentiam, quam absolutis Rex imposuit: ut scirent Episcoporum arma optima esse pedum & breviarium: illud gladii hoc clypei loco usurpandum. Ludovicum deinde Franciæ Regem Gerbergam viduam Giselberti & Ottonis sororem duxisse ferunt, conciliatumque Ottonem, Henrico nepoti Giselberti filio ducatum Lotharingiæ, Ludovico consentiente, indulsisse, sub tutela & administratione patrui Ottonis.

Pereuntibus rebellibus Brisacum deditur.

Episcopi armati exautorantur: An. Chr. 940.

Rutbertus verò Trev. Archiep. Ottonis Regis favore usus suæ archidiœcesis res amplificavit. Et Limburgensis quidem ad Loganam Ecclesia censu proventibusque, in gratiam Conradi Comitis, ab Ottone locupletata est. Mediolacense verò ad Saram Monasterium à Wicelino Trevirorum Comite vastatum, legibusque solutum, postquam Rutvvicum, ex S. Cornelii ad Aquas Monasterio accepisset Abbatem, ipsius cultură & Rutberti Ottonisque beneficiis, ad pristinum rursus florem emersit, facultatemque à Rege obtinuit, submotâ potestate secularium, suo ex corpore legendi Abbatem. Ara istic D. Petro erecta hanc Archiepiscopi inscriptionem tenuit.

Limburgensis Ecclesia ab Ottone promovetur.

941. Mediolacensis Abbatia instauratur.

Claviger alme poli, Rutbertus mente fideli.
Hanc tibi præclaram Præsul devoverat aram.

Interea D. Maximini basilica è ruderibus ampla rursum specie emerserat, quam Rutbertus cum Adelberone Mediomatricum Episcopo, aliisque Prælatis senis, illustri cæremonia consecravit corporibus Sanctorum Agricii, Maximini, Nicetii, Basini, & Weomadi, in ea, quæ sub ara principe visitur, crypta reconditis.

942. S. Maximini basilica nova consecratur.

Conradus gener Ottonis Lotharingiæ præfect. Rutberto gravis.

Sed aliunde Rutberto tempestas à Conrado, Henrici Lotharingiæ Ducis recens defuncti successore, incubuit, qui & Franciæ orientalis Dux, Regisque Luitgardæ filiâ Ottonis ductâ, animosus gener, Archiepiscopum Trev. cum Richario Tungrensi perfidiæ arguere cœpit; sed cum authoritate magis, quàm veritate niti in Duisburgensi Synodo compertum esset, uterque à calumnia absolutus est. Hic tamen brevi post defunctur

944 * *Alii Hugonem.*

Ogonem * S. Maximini Abbatem successorem habuit invitum quidem; sed frustra Regi obnixum, qui dignum loco ac honore virum jure censuit: Et Leodiensibus ejus grata perstat memoria. Nam & Collegium

945 Richario Tungrensiũ instauratori Episcopo Ogo Abbas S. Maximini sufficitur.

Canonicorum S. Petri ex reliquiis Monasterii Benedictorum à Nortmannis eversi aliisque prædiis locupletatum, instituit, ut triginta Canonicorum, alimentis sufficeret. & S. Lamberti collegium, tantâ auxit dignitate ac virorum præstantium frequentiâ, ut id temporis XII. ex illo Abbates legerentur.

Rutbertus verò Trajectensem S. Servatii Abbatiam sæpius à secularibus abstractam possessoribus novo rursum Ottonis diplomate basilicæ S. Petri Trevirorum

* *Dalheim.* Abbatia S. Servatii Rutberto nunc restituitur, nunc eripitur.

asseruit, quod hoc anno 945. in Thalahem * IV. cal. Jun. ab hibernante obtinuit. verum hæc Abbatia pilæ instar, ut data Rutberto sic Henrico rursum successori ab eodem Ottone adempta, ac subinde per Ottonem III. Egberto est restituta; ut & vacillans Ottonis Magni circa Rutbertum favor, jus supremum Abbatiæ Maximinianæ eidem abjudicavit.

Ecclesia tamen Trev. à Comitis jurisd. libera agnoscitur.

Hoc tamen in singularibus Ottonis beneficiis Ecclesia Trev. numerat, quod eam, Ludovici Regis exemplo, ab omni Comitis jurisdictione, & regalis administrationis consortio exemptam, unius Archiepiscopi potestati transcripserit, nec Rheni Mosellæque telonius ei noxiam esse solenni diplomate ad VI. cal. Febr. anno

An. Chr. 947 DCCCCXLVII. Francofurti decreverit.

Rhemensis inter hæc natum Ecclesiæ schisma Ru-

berto

bertum cum Ottone Germanorum & Ludovico Gallorum Regibus distinuit. Contra Artaldum enim, Antistitem loci, factione Procerum obtrusus Hugo Comitis Heriberti potentissimi filius, Joanne & Stephano Pontifice probante; sed Agapito deinde improbante, cathedram invaserat. Unde Ludovicus Rex Ottonis ope Rhemos intercepit, Artaldumque reposuit. Sed hic conjuratione procerum, & Hugonis alterius Principis, Regi adversantis, vi stare vix poterat. Unde Rutbertus & Virdunensi & Mossunensi Episcoporum concilio, Apostolicâ fretus autoritate, Hugonē damnavit. Cumque hic denique supposititicias velut ab Agapito Pont. obtruderet approbationis literas, Marinus Româ legatus adfuit, novâque Ingelheimii Synodus, utroque Regum præsente, instituta est, ubi in XXIV. Episcoporum præsentia Artaldi probata electio, Hugonis, urgente inprimis Rutberto, damnata est, aliaque salubriter decreta. tum denique Ludovico Regi contra rebelles, imprimisque Hugonem Principem, (qui & in Treverica Synodo, Marino Legato Præside, Ecclesiæ communione secluſus est) delata à Lotharingiæ Proceribus auxilia, quibus Artaldus suæ cathedræ, Rex coronæ est restitutus. quam tamen ægrè inter perpetuas jactationes salvam ad tumulum traduxit, Lothario post se ex Serberga successore relicto, eo ferè, quo in Merovingis exspirantibus eventu; ut Reges, dum regerent, suorum plerique arbitrio regerentur, & penes illos dignitas, penes alios esset potestas. quæ deficientium solet esse regnorum prima ægritudo.

Schisma Rhemensis Ecclesiæ per Rutbertum & Legatum Rom. favente Ottone, compressum, & Hugone invasore damnato, Artaldus sedi redditus.

948

Ludovico Rege Franc. mortuo Lotharius fil. ex Sorore Ottonis substitutus.

Alia porrò Rutberto jus pristinum Abbatiæ Maximinianæ sibi vendicanti, cum Willero Abbate controversia extitit. Lotharingiæ, utsupra vidimus, Duces id ultimò usurpatū restituerant. quod cum Willerus, tā Pōtificis Agapiti, quàm Ottonis Regis patrocinio fretus ad se revocasset, Rutberto tum temporis cedendū fuit.

An. Chr. 950. Wellerus Abbas contra Rutgerū jus liberum Abbatiæ obtinet.

Sororis tamen Adelheidis sorte felicior extitit. Hæc Lotharii Italiæ Regis defuncti uxor, à Berengario

951

Juniore

Otto Adelheidem Rutgeri sororem Lotharii Regis Italiæ viduam liberat, ducitq;.

Juniore regni invasore in custodiam data erat; Cùm per avunculum Athonem Otto Rex ad liberandam illam ducendamque in conjugem cum dote Italiæ invitatus, tam benignam sortem, Pontifice hortante, amplexus est, ductóque trans Alpes exercitu Berengarium facilè profligavit, ac Ticinum ingressus Adelheidem solennibus sibi despondit nuptiis. Reversus tamen in Germaniam Conradum generum Lotharingiæ Ducem perficiendo bello reliquit. A quo pressus Berengarius, cum Adelberto filio supplex ad Ottonem venit, ac clientelari jure administrationem Italiæ obtinuit, novâ deinde rebellione ab eodem concitandam. Sed & Conradus unà cum Lutolpho Ottonis filio Lotharingisque Francones, Saxónes, Bavarosque in arma adversus Ottonem concivit. Qui ubi deinde Brunonem fratrem, post Wigfridi mortem, Colonienſibus dedisset Archiepiscopum, virum bello sacerdotioque inclytum, eundem quoque Conradi loco præfecit Lotharingiæ, pleriſque Episcoporum in gratiam jam receptis. quibus demum & Moguntinensis accessit. Conradus porrò rebus desperatis ad juratos omnium hostes Hungaros confugit, eosque magnis primum copiis traduxit in Lotharingiam. qui depopulationibus, incendiisque omnia confuderunt. Et, his in Italiam nullo ad victoriam emolumento digressis, majorem Hungarorum anno sequenti exercitum in Bavariam traxit, Ottone gravi Sclavorum bello implicito: ut cum octo illis tantum legiones objiceret, hostesque metuendi omnibus incumberent, suoque jam magis, quàm Conradi arbitrio regerentur, hic patriæ à se proditæ tactus pœnitentiâ ad Ottonem supplex transiit, vitáque donatus, hanc Deo se offerre in piaculum violatæ fidei testatus est, versique cum Ottone in Hungaros armis, labantem suorum aciem, ut erat expertæ virtutis, potissimùm sustinuit, ut in alteram usque lucem productum steterit prælium, quæ cùm esset D. Laurentio sacra, Merseburgensem Episcopatum ejus honori promisit Otto, si victoriâ potiretur.

952 Berengarius victus supplexque administrationem Italiæ obtinet.

953 Pro Conrado genero Bruno Lothar. præficitur.

954 Conradus Hungaros inducit.

955 Facti pœnitens ab Hungaris ad Ottonem redit, & occumbit victor.

potiretur. Ex quo tempore illi ad Lycum flumen omnia fuêre cum ventis undisque ad pugnandum secunda, incredibilique strage hostes, qui se vinci posse negaverant, cadente tamen Conrado, prostravit: ut omnem præteritæ ætatis gloriam hac victoria superârit.

Dira subinde pestilentiæ lues Germaniæ Galliæque incumbens etiam Rutbertum Trev. Archiepiscopum apud Ubios celeberrimo Procerum comitio immorantem sustulit, insignique virtutis famâ defunctum Treviris D. Paulini cæmiterium excepit. Sub quo Monastica apud Prumienses ac Mediolacenses disciplina, secius aliquamdiu curata, cum eximia cultæ eruditionis laude, rursum caput extulit. Severus quoque presbyter in Terrotina Italiæ valle repertus, atque ad Meinfeldiam Trevirorum translatus existimatur.

Pestilentia ingruens etiam Rutbertum Archiep. tollit.

Otto, ut res suas per Lotharingiam magis stabiliret, hoc Treviris obtinuit, ut HENRICUM affinem suum in defuncti Archiepiscopi locum eligerent: cum Brunonem haud leviter seditiosi Proceres suarum quique rerum satagentes exagitarent, diversique comitum ac ducum titulis per Arduennam, Mosam, Schaldimque sensim emergerent. Porrò Henricus cum S. Wolffgango, Ratisbonensium postea Episcopo, ex Suevica Pulingensium familia comite, in Augiensis monasterii disciplina, ad eruditionem pietatemq; egregiam formatus, hunc à se divelli passus non est; sed primò cum eodem Herbipolim, ad Popponem fratrem, loci Episcopum, deflexit, ibidemque à celebris doctrinæ viro Stephano, ex Italia ad hanc scholam accersito, eminentioribus studiis, imbutum, deinde secum ad Trevirensem urbem traduxit, ejusdem virtute ac consilio fruiturus: ubi tamen ille, præ oblatis honoribus, formandæ bonis literis moribusque juventuti dare operam maluit; quam ex Scholastico hoc pulvere ad aulica sese Henrici transferre consilia. Quin tamen postremò summæ ædis sacerdotium ac Decanatum quoque admitteret, devitare non potuit. Cui sese muneri tam impendit sedulum, tamque Canonicæ

An. Chr. 956. Henricus Ottonis affinis Archiep. Trev. eligitur.

S. Wolfgangum secum in literis educatum Trevirim traducit.

Ubi is, licet illustri genere, primum in Scholis Magister: deinde, in summa æde Decanus, Cano-

nicos ad regularē communemque victum reduxit.

nicæ inter omnes disciplinæ revocandæ navus solersque extitit; ut more priscis consueto, ad communem omnes vitam mensamque, sub ejusdem claustri legumque institutis, reduxerit. Quod arduum non minus impetratu ab assuefactis vitæ jam liberiori, quàm inter posteros continuatu fuit. cum difficilius sit laxatum habenis equum regere, quàm adstrictum, licet obluctantem, retinere. Sed exempla cùm Principis, tum Decani ad virtutem egregia, ipsis potentiora verbis ad persuadendum fuêre. Frigidè suadet, qui diversa, quàm suader, opere consectatur.

An. Chr. 957. Crucibus Treveris pluit. Unde Henricus Archiep. Crucem lapideam, quæ in foro visitur, erexit

Memorabile sub hoc tempus prodigium ad venerationem passionis Christi passim visum est. quando cruces de cœlo labi, vestibusque passim hominum visæ adhæresce re, aliis religionem, aliis etiam risum, sed non impunem, excusêre. Henricus certè ad Crucis S. memoriam ac venerationem palam omnibus ingenerandam, medio Crucem lapideam foro, cum hac inscriptione, defigi voluit, *Ob memoriam signorum Crucis, quæ caelitus super homines venerunt Anno Domin. Incarnat.* DCCCCLVII *An. verò Episcopatus sui* II *Henricus Archiep. Trev. me erexit.* Et quâ hæretici seculi nostri fronte Crucem aspernantur, quàm Cælum mortalibus imprimere, ac præsignare visum est? Iidem si lubeat in

959 S. Firmini Virdunensis Episcopi translatio ad Tullenses multis prodigiis illustrata.

Annalibus Trev. hujus ætatis meditentur S. Firmini Episcopi Virdunensis Suffraganei nostri, ex S. Vitoni Ecclesia, Flaviniacum ad Tullensem diœcesim translationem, quæ tot pænè miraculis, quot pagorum stationibus signata, in plurimorum affluxu conspectuque hominum fuit: claudis, cæcis, surdis aliisque miseris restitutis, quibusdam etiam, ad observantiam sanctis præstandam, utiliter castigatis, ut Deo familiare est quosdam plectere ut multos servet, & puniendo etiam misereri.

960 Lotharingiæ proceres rursum Immone quodam Duce in arma coorti, à Brunone adventante, humanitate magis, quàm armis victi, Fridericum Comitem Otto-

pii

nis Comitis Virdunensis (quondam eisdem præfecti) filium acceperunt Moderatorem , qui primus structo Barri domicilio ejus loci Comitum Ducumque originem dedit. Uti Immo in castro Capræmontis haud procul Leodio ; Robertus verò superius ad Mosam in Namuro arce, unde Namurcenses Comites, sedem fixerant, quâ non poterant dimoveri. Quare cum nec bello Bruno posset, nec pace conciliari vellet, induciis quies reperta est.

Bruno rebelles Lotharingos utcunq; componit.

Et Berengarii hac ætate tyrannis in Italia omnem sacrorũ reverentiam excusserat, Villâ uxore, ac meretrice impudentissimâ hominem ad quævis insana circum agente, cui Adelbertus & Albricus Romanæ urbis consules ad Ecclesiam opprimendam suffragabantur. Joannes igitur ejus nominis XII Pontif. Ottonem, legatione missâ ad liberandam urbem, coronamque imperialem, legibus à Carolo Magno utrimque constitutis, invitat. Nec moratus Otto, postquam egregiæ indolis ex Adelheide filium Ottonem II Aquisgranum, cum Brunone fratre Agrippinatum, & Wilhelmo filio Moguntinensiũ denique Henrico affine Trevirorum Præsulibus, Aquisgrani Regem Germ. inauguarasset, in Italiam conjuge sociâ profectus, omnia vel metu, vel amore prona ad obsequium reperit. Ticinum ingressus ubi ruinas Berengarii reparasset, Mediolani ferream pro more coronam ab Archiepiscopo retulit; ac subinde Romam sequentis principio ingressus, deductusque omnium ordinum obsequiis, solenni cæremonia in Vaticano Augustalibus à Joanne Pont. insignibus est decoratus, primúsque translatum à Francis & Carolingis imperium Romanorum in Germaniam attulit, fortissimam illius hactenus quam semel occupavit dignitatis propugnatricem, ne majori dedecore amittat, quam gloriâ acquisivit. Metuendum tamen, ne, ut immoderato novandæ religionis studio, religionem multis regionibus pessundedit; ita & novandis imperii legibus pessundet imperium, & libertate majori quæsitâ perdat libertatem;

961 Otto coronat Aquisgrani Ottonem fil.

An. Chr. 962. Progressus in Italiã coronatur primus è Germania Romanorũ Imperator.

jugum-

jugumque servitutis, dum excutit, subire cogatur. Extrema in arduis ad præcipitium jam spectant. Franci languore imperandi augustissimo exciderunt imperio; cavendum Germanis, ne excidant ardore. Multi tamen imperantes, ut istic perdiderunt imperium; ita hic quoque erunt formidandi. Fortissima optimeque formata corpora, ab uno capite reguntur: multa capita monstrum efficiunt, non minus in regno, quàm natura.

Ad Ruthenos Christi fide imbuendos missus è S. Maximino Adelbertus malè excipitur.

Miserat ante annum Legatos ad Ottonem Helena, sive, ut alii, Elga Russorum, sive Ruthenorum Regina, Constantinopoli Christo autorata, & ad gentis suæ conversionem virum rogavit Apostolicum submitti. Destinatus in hanc rem Adelbertus Maximiniani apud Treviros Monasterii, excellens quà eruditione, quà virtute cœnobita, Episcopali ad hoc munus dignitate instructus. Qui cum aliquot eò sociis profectus, intractabilem gentis barbariem nequicquam sub mite Christi jugum conatus inflectere, magis efferavit; ut vix incolumis, plerisque sociorum occumbentibus, in Germaniam rursum evaserit, seu Reginæ impotentiâ, seu dolo in hæc retia abstractus. Ottoni verò deinceps in pretio fuit, periculoque obito favorem auxit.

An. Chr. 963. Puer S. Maximino à Parentibus cõsecratus miro eventu ab illo servatur.

Aliud S. Maximini apud Treviros basilica exemplum posteritatis dignum memoriâ, Rege Ottone Juniore istic præsente, conspexit. Filius Reginonis & Engelæ de Brambach à parentibus D. Maximino, cum onere duorum quotannis denariorum, ab ipso & posteris solvendorum, consecratus, adhuc puer à raptore militi trahebatur. Is cum pontem Trevericum adiisset, obstans, atque ad S. Maximini ædem elata voce conversus, exclamat: *Sancte Dei, adjuva me.* Miles adhæc indignatus dum verbera ingerit, à præcipite equo expectoratque in aquam ejicitur, puerò innoxiè super pontem relato. Unde is ad Sanctmaximinianum Abbatem Wirkerum delatus, rem totam aperuit. Hic eundem Regi stitit, factique memoriam ab eodem regio sigillo firmatam accepit. qui puerum quoque cum posteritate

ab omni Advocatorum onere, eodem diplomate, anno salutis 963. regni tertio XII. cal. Augusti, absolvit. Et negabimus adhuc, Sanctos exaudire hominum preces, qui tam subitò, hinc ad opem, inde ad ultionem mortalibus è cœlo præsentes adsunt?

Lutzenburgi etiam Comitum, à quo genti urbique nobis vicina fama & nomen petitum, huc jure origo refertur. Sigefridus ejus loci primus Comes dum alii in Lotharingia alia munitionum præsidia ambiunt, castellum illic in edito monte parvum (ut nomen sonat) in Comitatu Godefridi Comitis, in pago, ut vocant, seu ditione Metingovvia situm, à Religiosis Maximini Trevirîs, quorum proprium erat, permutatione prædii Fiulni *in Arduenna sub comitatu Giselberti positi, obtinuit, Brunone Colonienſium & Henrico Trev. Archiepiscopis, cum Wickero Abbate, ad xv. cal. Maij pro- bantibus. ut ex diplomate anni 963 multis obstruatur fabulis aditus. Lutzenburgorum Comitum origo à Sigefridò. *vulgò. fuilen.

Quo tempore Joannes Rom. Pontifex, uti moribus, sic consiliis lubricus, suis contra Ottonem favere adversariis Berengario & Adelberto cœpit. ut iccirco, qui in fide steterant, accersitum Ottonem, Joanne Pont. profugo, intra mœnia receperint, Synodoque ille convocatâ, cui & Henricus Trev. Adalelagus Hamburgensis, Otgerus Spirensis, & Landvardus Mindensis adfuêre, Joannem sede Apostolica indignum, Leone Protoscriniario substituto, perperam decreverint. Joannes vicissim diris omnes devovit. qui, absente contra Adelbertum Imperatore, ad urbem à suis revocatus fautoribus, Leone pulso, aliâ Synodo acta Ottonis Leonisque damnavit, ac, fortunâ arridente, ad pristina rursum devolutus flagitia, repentè, non sine ulciscente Numine, divinitus percussus interiit: moxque à Romanis Benedictus in locum suffectus est. Quocirca percitus irâ Imperator, reducto exercitu urbem occupavit, repositoque in sedem Leone, Benedictum exauctoratum in Germaniam Hamburgum ablegavit. Hanc tamen Superis Joannes Papa lubricæ vitæ & fidei homo Ottoni adversatur, & sede dejicitur. 964. Miserè perit, & qui eundem malè condemnarunt, plectuntur.

Et Henricus Archiep. Trev. peste in Italia interit.

peris displicuisse. tragœdiam, quâ in sacris, pius ceteri Imperator, licentius, quàm profanum decuit, versatus est, ingens pestilentia, quæ exercitum procerесque, in quibus & Henricus Trev. Archiepiscopus fuit, depastus est, haud vano argumento exploratum est. Quanquam Berengario victo captoque, atq; in Bavariâ amandato, pœnam malè factis à Deo destinatam, & inflixerit, & passus sit. Flagelli instar, quod dum punit, frangitur.



LIBER

LIBER X.

Ioannes XIII. *Pap. Otto* I. *Imp. Rex Loth.*

ACceptâ Henrici Archiepiscopi morte, Treverici proceres Theodoricum summæ ædis Archidiaconum, & Præpositum Moguntinensem, probante Ottone, substituêre, naturâ, doctrinæque ac pietatis exercitatione, ad illam dignitatem excultum. An. Chr. 965

Otto verò, quæ Dei in illum benevolentia, ex tragica illa Italiæ concussione, post electum jam approbatione omnium Joannem XIII. superstes, per Moguntiacos Treviroſque secundo Rheno delatus Agrippinam, à Brunone fratre, Mathilde Matre, Gerberga sorore, Lotharioq; Galliarũ ex illa Rege, & Nepote ex eodem Carolo, ac totius populi solenni applausu, exceptus est. Istic quoq; Henricum Ottonis fratrẽ Saxoniæ Ducem ad fuisse, & tum Lothario Regi, tum fratri excipiendo perquam magnificè invigilasse, memoratum est. Et ab illo quidem postquam trabeatus à tergo tulisset ensem, non spernendo terrarum inter Rhenum Osnamque donatum tractu, recensent. Baculum quoque stolamque D. Servatii nactum intulisse Saxoniæ, erectoque super Boda fluvio Monasterio, Mathildis hortatu, in hoc condidisse referunt: Trajectenses tamen subsecutos, partem illarum astu rursum subduxisse. Certè in monte Quidilinburgico Saxoniæ Parthenonem S. Servatio sacrum à Mathilde excitatum constat. quæ facultates suas latè in pios usus, etiam apud Treviros memoranda, sparsit. Et quando similes nobis Saxonia dabit, quales primi illi fuerunt Christianæ religionis proceres? aut illi hoc religionis studio delirarunt, aut posteri desipiunt.

Otto Imp. ex Italia reversus Coloniæ excipitur.

Henricus frater Saxoniæ Dux, cum Malthilde Matre Monasteria & Reliquias SS. amant.

Theodoricus etiam hoc tempore, alter, consobrinus Ottonis, Metis in locum Adelberonis defuncti surroga

Theodorici consobrini Metensis Episcopi pietas.

tus est, vir eximia morum probitate spectatus, cui divinitus objecta fuisse omnium successorum hujus Ecclesiæ nomina memorant, pro cujusque merito, auro, argento, plumbóve, in tabula exarata. cúmque suum argento signatum reperisset, dicere solitum, laboraturum se pro viribus, aut auro signetur: Sanctoque ob id Vincentio Martyri in Metensi insula constituisse Monasterium, quòd hanc, reor, citra victoriam palmam non speraret.

Bruno Col. Archiep. moritur.

Bruno subhæc, nuntiatâ Ottonis Burgundiæ Ducis morte, discordiæ inter nepotes, de heriscundis sequanorum agris, futurus arbiter, dum ascendit, Rhemis mortem ex febri oppetiit, non absque sanctitatis, etiam in isto civilium negotiorum æstu, quo jactatus est famâ. Coloniam magno procerum, in quibus & Theodoricus Archiep. ductus comitatu, in augusto, quod cœperat, D. Pantaleonis monasterio sepultus est. Trevira sui memoriam, pio, ut benignè loquar, reliquerat æstu,

Illius facinus Treviris in clavo Domini subtrahendo admissum.

dum clavum Domini subducere, alio persimili incum substituto conatus, custodem ejus thesauri precepretioque ad hoc perpetrandum facinus induxerat. Sed hic, dum linteolo exceptum clavum jam liminibus templi effert, profluentem è sinu cruorem ubertim conspicatur. quem dum à sacro manare clavo observat, sacrilegii horrore territus, crimen factumque profitetur, templique ærario clavum, pudorem Brunoni reliquit quem vultu quoque erubescente professus est, ut solus ruborem clavus non contraxerit. ignoscendo minus crimine, nisi devotio persuasisset.

An. Chr. 966 Otto in Trev. Ecclesiam liberalis.

Otto porrò Imp. rebus in Germania ac Lotharingia compositis, Trevirensi etiam Ecclesiâ liberali dono ex Rhenensium Comitum, ob maleficia proscriptorum, bonis ex Nasagovv cohonestatâ, se rursus in Italiam adversus Pontificem tumultuantem contulit, Berengarium & Adelbertum fil. capita factionis gladio messuit, sub

In Italos rebelles sever.

pendioque, cæcitate, exilio, aliisque in alios pœnis, pro delictorum gravitate, animadvertit: ut quod alii justitiam, alii, pro affectuum varietate, crudelitatem sint in terpre

terpretati. certè non nisi extremâ necessitate ad hæc compulsum, indulgentia præteritorum evincere videtur. Româ peractis Christi Natalitiis Ravennam cum Pontifice digressus, institutâ synodo, de Sclavorum ultra Albim, Saxoniæ confinibus, recèns ad fidem institutis salubriter decretum est; suas ut haberent diœceses, & Magdeburgo gauderent Metropoli, cui Adelbertus Sanctmaximinianus, nuper Ruthenis frustra datus Episcopus, cum pallii Româ accepti dignitate, præfectus est.

967 Ravennæ in Synodo Magdeburgum Sclavorum Metropolis statuitur, cui Adelbertus Trev. datur Episcopus.

Otto Junior subinde in Italiam ad patrem evocatus, post habitum Wormatiæ Procerum concilium, abiit, ibidemque Romæ Imperatoriis à Joanne insignibus ornatus, Augustúsque salutatus est. Ejus in comitatu adfuisse utrumque Theodoricum Trevirensem ac Metensem Episcopum verisimile est. tum ut utrumque honestarent Imperatorem, tum ut suæ uterque ad sacra Apostolorum limina (quod olim frequentissimum Episcopis, & post quinquennia pæne vim obtinebat) vacaret pietati.

968 Otto II Romæ coronatur.

NB. Visitationem SS. liminum Anacletus & Zacharias Papa quotannis, Gregorius M. quot quinqueñiis statuerat. *dist. 93.*

Et tanè privilegium diplomate Pontificio concessum anno 969. ad XI. cal. Febr. illud testatur. quo, veteri prærogativa honoris, inter Galliæ Germaniæque Episcopos, primatus illi defertur, & proxima à legato pontificio, vel illo absente ab Imperatore, ceu Vicario Pontificio, sedes datur. *Trevirensis Præsul*, ait, *post quemlibet ordinarium legatum A. S. primum inter alios Pontifices locum obtineat, & si Missus Rom. Ecclesiæ defuerit similiter post Imperatorem sive Regem sedendi, sententiam edicendi, & Synodale judicium canonicè promulgandi, primatum habeat. Vtpote in illis partibus vicarius sedis Apostolicæ meritò constitutus. Neque enim dignum est, ut illius Ecclesiæ Præsul aliquo tempore ceteris non habeatur Prælatus, cujus honor, in illis partibus sub ipso Apostolorum principe extitit primitivus.* His addit veterum jurium confirmationem; & authoritatem, in reliquas ejus diœceses Ecclesias ac Monasteria,

969 Primatus Trev. Arch. rursum declaratus.

ex fundatorum mente subjecta, tribuit. Theodoricus

An. Chr. 970 Theodorici Met. Episcopi ad impetrandas sacras Reliquias ardor.

verò Metensis cum adesset exorcismo, quo Dæmon furente ejectus per admotas D. Petri catenas fuisset, injectáque illam manu attinuisset, cum dicto: *manum citius, quàm catenam tam potentem relicturum*, ad intercessionem Imperatoris adstantis, unus eidem extenta annulus, Pontifice indulgente, cessit. felici hoc donum pertinaciâ consecutus, quòd demissis vix precibus impetrasset. adeò quædam nonnunquam importunitas ad obtinendum est opportuna. Nec his acquievit; sed, quæ illius erat apud Ottonem Pontificemque gratia, de capillis quoque S. Petri, sanguine D. Stephani, Craticula S. Laurentii, ac denique S. Luciæ corpus, quod Corfinio ex Italia Metas transtulit, pro voto est assecutus. quibus ad locupletandam sacris Reliquiis Ecclesiam Vincentianam à se in urbis insula conditam sate-

972 ctè usus est.

S. Wolfgangus Treviris digressus, tandem Ratisbonæ Episcopus Monasterium S. Emmerami restituit.

Et D. Wolfgangi celebratæ apud Treviros sanctitatis viri huc spectat promotio. Is post Henrici mortem, frustra Brunone Colonienſium Antistite retinente, ad Herciniæ silvæ latebras, solitudinis amore, confugerat. Hinc verò ad gentilium salutem jam sacerdos egressus, dum per Danubii tractus ad Pannoniam usque, per Alemanniam Noricumque cum Operarum manu vagatur, Ratisbonæ denique, Ottonis Junioris voluntate, Episcopale munus suscipere coactus est, insigni cùm Ecclesiæ, tum monastices in S. Emmerammi cœnobio reductæ bono. Nam evocatis Treviris ex Sanctmaximino cœnobitis, disciplinam primò, deinde, & bona, à Principibus dynastisque alienata, ex fundatorum mente restituit. Ramvoldum quoque patruelem, Treverica in aulâ Sacellanum & collegam, regularis disciplinæ peramantem, Religiosis Abbatem imposuit, suæque non rarò subduxit familiæ, quæ in illorum pauperumque usus insumeret lautè sat pransus, ubi his nil deesse comperisset, ut qui ex horum abundantia suas opes metiretur.

Ob

Otto inter hæc ſuam in Saxoniam ab Italiâ reverſus, cum filio ſponſam Theophaniam, Græci Imperatoris filiam ex oriente pro eodem petitam, ſimul adduxit, legationibuſque diverſorum Principum honoratus, ſe Mimmeliebæ, peractâ hujus vitæ fabulâ, ad fatalem lectum lethumque Nonis Maji compoſuit. Quem qui *Magnum* dixerunt, una ſatis voce laudaſſe videntur. Trevirenſis Eccleſia, præter alia illi beneficia, jus cudendæ per diœceſin monetæ debet: antehac inconceſſum.

Otto ab Italia cum filio reverſus in Saxonia moritur. An. Chr. 973

Trevirenſi Eccleſiæ jus monetæ cudendæ tribuit.

Anno inſequenti Otto II Wormatienſi in Comitio, per diœceſin ſuis terminis, cis ultraque Moſellam Gelbin, Leſuram, Sarâ, Suramq;, deſcriptam, plenum nemorum fluviorumque, ad venandum piſcandumque, uſum conceſſit, vectigalium ſolo jure retento, quod poſtea Carolus IV Imp. contulit. 974

Otto II jus ſilvarum & fluminum pro venatione & piſcatione donat.

Subinde Theodoricus, Romanũ rurſus iter ingreſſus, à Benedicto VII privilegiorum à Joanne Papa conceſſorum, non modò confirmationem, verùm etiam cellam quatuor Coronatorum Romanâ in urbe obtinuit: ut divertentes, perampla iſtic hoſpitali ſede, exciperentur Trevirorum Antiſtites; nec alieno beneficio, aut ære ſuo impoſterum indigerent. Nec domus ſola collata eſt, ſed ut habet diploma, *cum omnibus appendiciis ſuis, aquis ſcilicet, aquarumque decurſibus, pratis, paſcuis, vineis, ſilvis cultis & incultis; curtilibus & manſis. Quæ omnia*, inquit, *fratri noſtro Theodorico S. Trev. Eccleſiæ Archiepiſcopo, vicarioque noſtro cariſſimo, in partibus totius Galliæ & Germaniæ, ac per eum cunctis ſucceſſoribus in perpetuum poſſidenda, tenenda, ac ordinanda, per hujus noſtræ Apoſtolicæ præceptionis ſeriem tribuimus, &c. 16. cal. Febr.* 975

Cella 4 coronatorum Romę cum omni proventu Archiepiſcopis Trev. datur.

Reverſus Archiepiſcopus S. Martini (ſub D. quondam Benedicti regula florens monaſterium) quod ſub Henrico deceſſore poſt Alberici Præſulis mortẽ Clerici, ſolutioris vitæ, occupaverant, revocare ad priſcæ normam diſciplinæ aggreditur, divino utique impulſus monitu,

Theodoricus S. Martini Trev. Monaſterium inſtaurat, poſtquam Cano-

nici invasores divinitus puniti essent.

monitu, Clericorumque dissolutorum castigatione, fi enim IV. Nonis Julii, qui dies translationi D. Martini sacer, ad deblaterandum magis, quàm psallendum sacrum precum Officium in choro sociati, dum, sine animo sensuque devotionis, illud deproperant, repentè per spectabilem venerandumque pontificiali in habitu senem (Magnericum redivivum sentires) interpellantur voce, quàm pro homine, augustiore: *Exite ignavi, exite: Monachus Martinus fuit, non Canonicus.* Tum enimvero horrore ac terrore pleni, non templum tantummodo, verùm domicilium quoque, ceu fatale habitatoribus futurum deserunt: nec tamen mortem, brevi omnes consumentem, effugerunt. Inde loci deserta, & quibusvis pervia facies, sine cultore ac tecto squalebat, prædiaque in nobilium raptorum manibus, ceu in spolium versa, profanis usibus serviebant. Hæc igitur Deo ejusque cultoribus restituere Theodorico curæ fuit. Reparata tecta, bona repetita, Monachi restituti, eisque datus, & prudentiâ, & religione excellens Abbas, Engelbertus. Privilegia à B. Magnerici ætate indulta, jus ferendæ mitræ, Præsulisque cooptandi, diplomate pontificio, stabilita sunt.

Epternacense Monasterium ab eodem, Sigefrido Comite favente, restitutum.

Ita Theodorici quoque studiis promota Epternacensium D. Willebrodi Religiosorum securitas est. Galeatos illud hactenus Abbates, dynastas videlicet, Comitesque locorum sustinuerat. cum Sigefridus Comes nuper religione tactus, Clero, qui istic vixerat, e moriente, ab Ottone Magno impetravit; ut, monastici instituti reductis viris, Ravangerus Abbas, exploratæ virtutis vir præsideret. Qui illam brevi restituit loco faciem cultumque; ut quadraginta cœnobitarum numero ac religione efflorescceret. Unde & Otto II cum Theophania conjuge loci sanctitate delectati, in ceteris beneficiis, monumentum affectus sui reliquêre Evangeliorum Codicem aureis obductum bracteis, in quo sub D. Benedicti effigie Otto, sub B. Ludgeri Abbatis icone, Theophania expressa visitur. Quibus postea

Ottonum memoriam retinet in Evangeliorum codice, & juxta monetæ.

Otto

Otto III jus monetæ cudendæ regio diplomate adjunxit, ut finguli ſuæ aliquod munificentiæ dederint argumentum. quod tamen laudare plures malunt, quàm imitari; Cum ut multæ ad participandum his bonis promptæ manus; ita ad augendum paucæ.

Nec ipſe Theodoricus ita ad Eccleſiæ vigilabat commoda, quin nonnunquam (vitio Principum ſuis placere magis, quam prodeſſe cupientium) in arduis connivendo dormitaret. Etenim ſummæ ædis Canonici, ſervitutem regularis communiſque vitæ pertæſi, quam annis ſuperioribus B. Wolffgangus induxerat, abjecto rigidioris diſciplinæ inſtituto, priſtinam rurſus libertatem ſeparatis familiis, indulgentiâ Principis ſui, amplexi ſunt. Quod exemplum reliquos ad S. Paulinum Treviris, S. Caſtorem Confluentiæ, ac vicinis in Diœceſibus Moguntiacos, Wormatienſes, ac Spirenſes imitatione traxit, ut ad libertatem prona omnibus, velut è captivitate ſolutis, via eſt. Quamvis diffitendum non ſit, inter homines regularis diſciplinæ impatientes, commune domicilium victumque plus incommodi, quàm emolumenti adferre, ut infectas præſtat oves à grege ſeparari. Quæ fortaſſe ratio, momenta utriuſque vitæ expendentem Theodoricum excuſabit. Quis enim in tali collegio omnium integritatem ſperet, quando nec in Apoſtolico hæc reperta eſt? Pœnituiſſe tamen facti Trevericos, reſumpta poſtea ſub Ludolpho communis vitæ diſciplina, oſtendet, quanquam, ut mutabilis affectio eſt mortalium, & hujus demum pœnitentiæ ſubierit pœnitudo.

An. Chr. 976 Theodorici indulgentiâ Canonici à communi vita legibuſq; recedunt.

Beati tamen Paulini Clericorum à vaſtitate ortam tenuitatem, uti & cœnobitarum ad Martyres indigentiam ſua Theodoricus liberalitate ſuſtentavit, diſciplinamque hujus loci, Adeodato Abbate præpoſito, jacentem erexit. cum in mortali hac rerum inconſtantia, ut paucorum hominum illibata ſemper valetudo conſtat; ita hæc quoque cœnobitarum corpora ſuos quandoque morbos patiantur, quæ remediis opportunis ſunt

An. Chr. 977 B. Paulini Canonicis & cœnobitis ad Martyres ſubvenit Theodoricus.

B. Gangulpho Moguntiæ Ecclesiã fundat & Canonicos, ubi & moriens sepelitur.

sublevanda. B. Gangolpho impensè etiam deditus Princeps Moguntiæ sacram eidem ædem cum XII Canonicorum Collegio suis opibus instruxerat. Quo cum divertisset, vitam istic corpusque in eisdem ædis tumulo reliquit, vir longiori ævo pontificatúque dignissimus, qui religioni eruditionem raram copularat, scribendis etiam Sanctorum actis intentus; ut animo imprimeret, quæ chartis; & agenda scriberet, qui agebat scribenda. Ex vetustis Bibliothecæ hujus loci Matthianæ membranis, extant versus, qui vitam ab eo S. Luidtrudis Virginis conscriptam testantur. Quorum aliquos Brovverus cum synopsi vitæ avido lectori suppeditabit.

Vitis SS. etiã scribendis delectatus.

978

Egbertus in defuncti sedem adscitus, illustri natus genere, Patre Theodorico Hollandiæ II Comite Hildegarde matre Ludovici Transmarini Regis filia: vita tamen innocentiâ & flagranti pietatis ardore illustrior D. Adelberto S. Willibrodi discipulo, cui Pater templum, Monasteriumque Benedictinæ legis, Egmondæ constituerat, jam addictus à teneris. Huic, cum valetudinem receptam debuisset æger, seipsum non ingratus consecrârat, adolevitque eâ pietatis virtutúmque specie, quæ Trevericâ dignum insulâ reddebant.

Egberti successoris genus ac virtus.

Otto II. Bavaros & Lotharingos rebelles frãgit.

Otto inter hæc dum bellis adversus Pannones Bohemosque occupatur, & ab Henrico nepote Bavariæ Duce, adstipulante Henrico Carinthiæ Duce, latius regnum captantibus; & Lotharingiæ proceribus, Lotharo Caroloque nepotibus ex Gallia suffragantibus, rebellione impetitus, par tamen omnibus, quà hostibus, quà seditiosis amicis fuit. Hostibus igitur pacem, amicis gladium obtulit; ut ad illos gladium, ad hos pacem, opportunius transferret. Carolo tamen Nepoti, ne totam amitteret Lotharingiam, eam concessit partem, quæ Rhenũ inter Mosamque, Metim, Tullũ, Nanceium, & Alsatiæ confinia ambit, mediis eis quæ ex dote Gerbergæ Matris obtinebat, Ducemque Lotharingiæ passus est haberi, Lotharioad hæc fratre invito, armisque etiam repugnante

Carolo Nepoti partem cedit Lotharingiæ.

Hanon

Hanonia etiam Lovaniumque suis indultum Comitibus. Superior Mosellæ pars aliis Mosellaniæ Lotharingiæ Ducibus concessa. Trevirorum verò diœcesis Germani Imperatoris partes est secuta. Hac Otto divisione Lotharingiæ semper fluctuantis & inquietæ ditiones curasque partitus, Henricum Bavariæ Carinthiæque utrumque bello aggressus, in potestate victor habuit, Treviroſque exulatum misit, unius jam urbis familiæque angustiis contentos, quos integri ante Ducatus non capiebant. ita multa possidentibus desunt multa, pauciora nihil habentibus.

Bavariæ Ducem Henricū Treviros ad exilium ablegat.

Lotharius porrò neque Cæsaris illa Lotharingiæ partitione contentus, quâ frater ipsi Carolus præhabitus fuisset, improviso sese exercitu in hanc effudit, adeò ut imparatum ad bella Imperatorem hærentem Aquisgrani pænè oppressérit. Quâ re, cum justam Otto indignationem concepisset, ingentibus, quantum repentè licuit, copiis quaquaversum evocatis, fugientem Parisios usque consequitur, ac deinde nemine resistente, non illis solum agris, verùm & Rhemorum, Laudunensium, Suessionumque latè vastitatem infert: Ecclesiis tamen religiosè abstinens, ne contra alios, quàm homines pugnare videretur. Cum interea Lotharius Hugonis Capéti subsidiis auctus, gravem prædâ militem, ideóque & pugnæ & fugæ minus idoneum, non levi ad Axonam flumen clade multârit. ubi tamen S. Wolffgangus erectis ad cælum manibus, pro avertendo suorum discrimine, prævius ipse flumen ingressus, sequi milites jussit, incolumesque quamplurimos in altera contra hostes ripa stitit. Hæc victoria Lothario ad pacem impetrandam profuit, quam prior ipse violarat. Tractu enim Vabrensi apud Charem amnem uterque Regum convenêre, abolitâque injuriarum memoriâ, & jus omne in Lotharingiam abdicante, ut ferunt, Lothario, pax jurata est, Carolusque in Germanici imperii societatem illâ, quam obtinuerat, Lotharingiæ parte receptus est.

Lotharius Ottonem, ob Carolum fratrem sibi prælatū bello petit, quo variâ sorte gesto Lotharingiæ tandē se jure abdicat.

979 Carolus cum Lotharingia Germaniæ adjungitur.

Egber-

Egbertus ad Ecclesiarum & Monasteriorum restitutionem conversus.

Egberto Trevirorum Præsuli inter hæc præcipuè sedit animo cura; quemadmodum collapsas passim aut devastatione Normannorum, aut bonorum spoliatione, quæ in procerum militiæque capitum munera, ipsasque etiam Principum rapinas pleraque cesserant, Ecclesias ac Monasteria restitueret; à B. Eucharii, quam nunc S. Matthiæ dicimus, basilica cœnobioque exorsus est. de illustri igitur templo excitando laboratum primò est, Ottonisque ad hoc gratia subsidioque usus, fundamentis eruendis adhibebat operas: Cum ignoti sese monumenti epigraphe aperuit, quæ talis erat;

Templum S. Matthiæ erigit. B. Celso invento.

Sollicitus quicunque cupis cognoscere tumbam,
Præclarus jacet hic nomine, vel meritis
Celsus, quem Dominus vero insignivit honore. &c.

De illius elevatione in synodo peragit.

Quintus hic fuerat in ordine Trevirensium Episcoporum, seculo Apostolorum propinquus. Noluit verò Egbertus, nisi communicata cum Imperatore & aliis Episcopis re, sepulchrum pandere. quod in synodo Ingelheimensi, ipse, ut apparet, concilii, juxta acceptum nuper à Romana sede privilegium, ante alios primus à Cæsare, tanto orationis pondere affectuque præstitit, ut egregium aliis pietatis sensum, non sine lacrymis, injecerit, probarintque omnes, sacræ tumbæ ossiumque venerandorum expositionem. Ergo redux supplicatione publicâ ad locum inceditur, sepulchrum ac tumba panditur, tam admirabili cœlestis odoris afflatu, ut ad immortalium se transisse paradisum repentè præsentes existimarent. Vnde ad laudes sancti omnes pignoris, ipseque inprimis Archiepiscopus conversus, ut divinam ejus virtutem oculis omnium exponeret, tenui velo articulum de sancti digito involvit, jactatoque in admotum aræ ignem, & Missæ sacrificium pro more peragit, ac subinde innoxium à foco velum, applaudente populo, reducit. Sacrum vero corpus in ara reliquit, dum novi fabrica templi exstrueret. Pari subhæc veneratione Sancti Wolffilaici D

Velum cum ejus reliquiis igne non consumitur.

B. Wolffilaici translatio de cœlo probata.

aconi ossa Ivodium ex vicino monte transtulit, non sine pri

Præsentis Dei affulgente gratia, quando largissimus de cælo procedentium agmini affusus imber, sancti feretrum planè siccum intactumq; prætériit; ut ipsa ad hujus obsequium elementa conspirasse viderentur.

Cum verò Reliquiarum observationi impensè se Egbertus dederet, Werinum * Agrippinensem convenit Præsulem, impetravitque, ut Baculus S. Petri, quo alias S. Maternum revocatum ad vitam meminimus, à Brunone nuper Metis, ubi securitatis causâ latebat, ad Ubios traductus, Ecclesiæ Trevirensi, unde prodierat, redderetur. quanquam, ceu partita hereditate, dimidium Agrippinatibus reliquerit, superiori ad Treviros parte revocatâ. Baculi caput orbiculatum XII Apostolorum, à posteris incisas icones continet. Thecâ conditur, quæ bracteis argenteis lamellisque in longum excurrentibus tecta, hanc continet inscriptionem: *Baculum B. Petri quondam pro resuscitatione Materni, ab ipso transmissum, & à S. Euchario huc delatum, diu hæc Ecclesia tenuit. Postea Hunnorum, ut fertur, temporibus, Metim cum reliquis hujus Ecclesiæ thesauris deportatus, ibi usque ad tempora Othonis piissimi Imp. senioris permansit. Inde à fratre ejus Brunone Archiep. expetitus, Coloniam translatus. Iunioris autem Othonis Imp. tempore, petente Egberto Trev. Archiep. & annuente Venerabili Werino Coloniæ Archiep. ne & hæc Ecclesia tanto thesauro fraudaretur, in duas est partes transsectus. Una, superior videlicet, huic Ecclesiæ reddita, & à Domino Episcopo in hac theca recondita: reliqua cum apice eburneo ibidem retenta Anno Domini Incarnationis DCCCC LXXX Ind. VIII.*

989. *vel* Warinum.

B. Petri Baculus ex parte reductus.

Hinc Romanus Pontifex nullibi, ut Innocentius IV in decretalibus refert, nisi in Germania (Treviris nempe) baculo utitur, quod eò transmissus à Petro ad excitandum Maternum fuerit: non per Martialem, ut ait, nec per Clementem, ut Metenses quidam, ad vendicandum hunc sibi baculum commenti sunt; sed per Eucherium notum Materni comitem. Hoc autem baculo

Decret. ubi vulgo. Rom. Pontifex non utitur pastorali baculo, nisi in Germania. *Vide in S. Materno.*

lo solennia olim decreta, ut alibi monui, obsignabant.)

Ara portatilis in æde summa.

Visitur & in æde summa aliud Egberti monumentum, capsa eburnea scitè laborata, quæ portatilis aræ vicem præstitit, illâ epigraphe. *Hoc sacrum Reliquiarum reconditorium Egbertus Archiep. fieri jussit, & in eo pignora S. servari constituit. Clavum videlicet Domini, dentem S. Petri, de barba ipsius, & de catena, Sandalium S. Andreæ Apostoli, aliasque SS. Reliquias. Quæ siquis ab hac Ecclesia abstulerit, anathema sit.* In capsæ tegumento legitur: *Hoc altare consecratum est in honorem S. Andreæ Apostoli.*

981 Ecclesiæ S. Paulini spoliatæ Egbertus rursum provident.

Jam, ut desolatam lautè olim fundatarum Ecclesiarum imaginem, atque Egberti in reparando studium liberalitatemque observes, vide quæ in novæ fundationis diplomate, S. Paulini apud Brovverum Egbertus anno Dom. Incarn. 981. exhibet. Postquam enim antiquas hujus Ecclesiæ possessiones à diversis collatas exposuisset: subjicit: *Quia omnia supradicta prædia, partim in beneficium militibus distributa, partim ad usus nostros, ad mensas & ad servitium constituta, monasteriis unde ablata fuerant restituere non potui: alias possessiones, ad usus & ad servitium nostrum pertinentes, eidem loco, pro restauratione, concessi. Itaque de beneficio Liuthardi Comitis, quod mihi, ipso mortuo sine herede aliquo, ad proprios usus contigit, quidquid in villa Kerne, & in Syrtzenich, Lorich, Hederischrode, atque Cervia, & Grimelrode habui, fratribus Deo & S. Paulino famulantibus, donavi. &c. Et quia earundem possessionum summa à nobis restituta, vix ad decimam partem pervenit bonorum, quæ fuerant ablata. mihi ac successoribus meis id deinceps constitui, atque banno meo confirmavi agendum, ut eâdem curâ eâdemque diligentiâ ac solicitudine, quâ domum B. Petri ædificant, & hunc monasterio trabes, laquearia, fenestras ponant, casulis, Dalmaticis, cappis vetustate consumptis, meliores suffi-ciant. &c.* Quæ à Præposito Decano aliisque sum-

ma

mæ ædis firmata ac consignata fuêre. Subscripsit eidem Siffridus, sive Sigefridus supra à nobis memoratus Lutzelburgii Comes S. Maximinr Advocatus, propagator gentis.

Huc quoque referendum videtur tempus illud, quo Egbertus penetravit in Italiam, Ottone jam eodem contra Saracenos Græcosque invalescentes ingresso: Unde Henricum Trev. Antistitem Parmæ sepultum reduxit in Treviros, atque in oratorio S. Andreæ, quod vicinum summæ ædi excitaverat, illatum condidit. Præcipuè illi tamen curæ fuit, Ottonis gratiâ Sanctorum hinc efferre Reliquias, in quibus SS. Felicis ac Regulæ Tiguri quiescentium; & num S. Severi, incertum; cum alii Ruotberto hoc pignus tribuant. Certè Egbertus illum à Mosella Meginensi Divi Martini intulisse Ecclesiæ, non sine miraculorum gloriâ, memoratur. 982 Egbertus ex Italia Henrici Archiep. ossa refert, cum variis Reliquiis.

Otto interea aggressus Græcos Saracenósque est, qui conjurata ope imminebant Italiæ, Apuliâ jam occupatâ, cum quibus felici primùm certamine pugnavit in Calabria; sed inauspicato Marte, Italis stationem deserentibus, concluſit; ut cæso ad internecionem exercitu, vix natatu ipse ad biremem emergens, per Theodoricum Metensem Episcopum subductus sit. Dissimulatâ porrò offensione, Italiæ proceres, qui ab acie discesserant, convivio exceptos, humanitate cruentâ sicariis conficiendos objecit, Beneventumque injectis flammis consumpsit: ut qui inimicorum ferrum igneſque subterfugissent, amicorum non evaderent, honestius coram hoste perituri. Quam, cum alii vocarent justitiam, alii tamen crudelitatem sunt interpretati. Quòd desperatis in rebus fuga, etiam forti viro, non sit exprobranda; nec ineptè olim Demosthenes fugam excusans dixerit: *vir fugiens iterum pugnabit.* At, ne iterum fugerent, Otto censuit providendum. Verùm nec ipse Otto diu superstes, ægritudine animi in corpus exundante, febres, atque ex febribus mortem contraxit, Ottone filiolo post se relicto. Quem cum Henricus Dux Bava- 983 Otto contra Saracenos in Calabria pugnans gravi clade profligatur. Italos desertores pugnæ inter epulas conficit. An. Chr. 984

Otto etiam, ægritudine & morte occupatus, filio Ottoni III imperium, quamvis insidiante Henrico Bavaro, reliquit.

Bavariæ, superiori anno ab exilio receptus in Cæsaris gratiam, sua in potestate esse vellet, ut pro eodem capesceret imperium, priscæ nondum ambitionis interviucula oblitus, repentè is à Joanne Ravennate Pontificis in Germania legato, & Willigiso Moguntinensi Archiepiscopo Aquis Rex inunctus est, & in manibus custodiaque Warini Colonienſis Archiepiscopi relictu, cui illum tamen Henricus Dux, ut sangvine propior, tutelæ specie eripuit. Nec defuerunt è proceribus adulatores qui Regis Henricum titulo honorarent. Sed cum Adelheidis avia, Mathildis amita ac Theophania Mater, delecto procerum Militumque robore adessent ex Italia, hisque & Conradus Franconiæ Dux, alterque Burgundiæ Rex faverent, Henricus, desperatione rerum, Ottonem his cedere coactus est. qui, quod admireris, in gynecæo mulierum educatus, tantâ eruditione rerumque cognitione excelluit: ut *Mirabilia* mundi vulgò dictus fuerit. Theodoricus tamen Metensis Episcopus dum vixit, ejus adolescentiæ moderator fuit, Ottonibus inprimis charus: qui à suo illum consortio ægrè divelli patiebantur. Cujus postulatis, cum Imperatoriæ ferè aures animusque faverent, Adelberto Magdeburgensium Archiepiscopo defuncto, Giselharius quidam, per Theodoricum ingenti auri argentive pondere corruptum, si Ditmaro credimus, occupasse hanc dignitatem fertur. Ita optimos quosque aulæ aurique fulgor excœcat, & opibus opes emuntur; quod sæpe *qui Episcopatum desiderat*, bonas magis opes, quam, (ut vult Paulus) *bonum opus desideret.*

A mulieribus hic educatus viriliter, artibus optimis.

Theodoric⁹ Metensis instructor, ejus quandoque favore abusus.

Egbertus Treviris in siccitate ambarvalium supplicationum autor.

Egbertus interea Trevirensibus ad pietatem formandis, cum daret operam, annusque superior 983 sterili patriam siccitate exhausisset, prævio jejunio (quod banitum, ab interminatione, ut reor, pœnæ vocant) ambarvales, quæ etiamnum perstant, supplicationes, hebdomade à Paschalibus diebus tertia indixit. voluitque, præter alias Sanctorum Reliquias, ab aliquo summi Collegii Canonico baculum D. Petri præferri. Quin & earum

earum Supplicationum autor fertur, quibus pagatim rustici, Curione prævio, prælatáque inter concinentes Cruce, suis quique diebus ad urbem, præcipuáque circum templa, non sine eximio religionis argumento, incedunt. Quas neglexisse piaculi loco habetur, piè exsolvisse, in frugum pecorumque lucro computatur, experientiâ non raro in exemplum productâ.

Florebat hoc tempore Virdunensium Ecclesia, sub excellentis famæ meritorumque Episcopo Wilfrido, qui, inter cetera religionis opera, B. Saturnini Ecclesiam cum divite vectigalium censu superioribus attribuerat annis habitandam Patribus Benedictinis. Voluitque D. Pauli nuncupari; quod illustri miraculorum illic ad sepulchrum suum gloria clarescceret Paulus, Eremicola quondam Trevericus, ac deinde Episcopus Virdunensis, oleo ex venerando illius corpore distillante, cum præsenti morborum diversorum remedio. Vitare tamen hac suâ probitate Wilfridus odia Comitis Sigefridi, Ottonianis partibus infesti, nō potuit. Qui in carcerem abreptum, cum malè tractaret, ab Egberto Trev. Archiepiscopo Pontificis Rom. autoritate armato diris intentatis territus, simul incumbentis subitò morbi vi perstrictus, homines divosque adversantes veritus, non solū restituit libertatem Præsuli, verùm & honorem, aureâ laminâ cum coronâ, ad principem basilicam, in argumentum illius innocentiæ, delatâ. Sed Wilfridus hac velut extrema lucta ad mortem comparatus, ubi Adelberoni II Godefridi Virdunensis Comitis filio, Ottoni pari fide obstricto, locum feciſſet, æmuli, spretâ Imperatoris infantiâ, Lotharium Galliarum Regem accersitum Virduni mœnibus excepere. qui Adelberonem sede expulit, aliosque fautores Ottonis Proceres in Galliam victos ablegavit.

Wilfridus Virdunensis Episcopus S. Paulum ex Trev. Eremita Episcopū sanctum honorat.

Sigefridus Comes injuriam Wilfrido illatam, cælitus perstrictus, reparat.

Lotharius Rex Gal. Virdunum invadit.

Atcum reliquos deinde Lotharingorum, cum fratre Carolo, in fide Imperatoris consistere, Henricum etiam Bavariæ Ducem supplicem non in gratiam solùm, verùm intimam quoque amicitiam receptum, aliosque 985

Sed ab Ottonianis territus, restituit, & moritur.

Germaniæ proceres Ottonis videret ſtudioſos, ubi hic repetitum ablata misereret, belli metuens, pace iteratò firmatâ ceſſit, & Adelberonem cum ceteris captivorum reſtituit, eminentem jam tum in adoleſcente Rege indolem veritus. Nec diu poſt ſuperſtes, Ludovico filio
986 ejus nominis quinto, & Carolingorum in Gallia regnantium ultimo locum aperuit.

987 Hugo Capetus conſanguineus Ottonis Carolingis in Gallia ſuccedit.

Hic enim annuo veluti magiſtratu regno ſimul vitaque defunctus, Hugonem Capetum fortiſſimum Parriſiorum ex Eudone propatruo in Gallia Ducem, Hugone magno & Hedvige Ottonis ſorore natum, dignißimum regno cenſuit, ac teſtamento ſcripſit, degenere magis animo, quàm calamo, quòd Carolo patruo, unde Lotharingiæ fuere Duces, neglecto in ſe Caroli Magni in Gallia regnantis, gloriam ſepeliret. Et plerique Galliæ procerum, à Carolo Ottonianis benevolo averſi, Hugoni adfuêre, cùm jus patrium ſibi armatus Carolus
An. Chr. 990 vendicaret. Nam Rhemis anno 990. exceptus, jam
Carolus Lotharii frater fruſtra Hugoni obſiſtit. ſpe regni capeſſendi plenus, cum anno proximo Laudunum ſubiiſſet, incluſus produtuſque, & ipſe, & conjunx, ab Hugone Aurelianum abducitur, atque in carcere ibidem exs titur, nullius, niſi quod regno natus eſſet, compertus flagitii. Quanquam ignaviæ illi, uti & Ludovico, crimen impoſitum à Francis fuerit; an ut propriæ defectionis ſcelus excuſarent, an ut probarent alienum? Sed regnorum, ut hominum ſuæ ſunt periodi. Caroli Magni ad Lotharingos & Germanos proſapia tranſiit; ut unde orti erant, eò velut ad ſuos redirent. Capetorum in Gallia ſtetit hactenus, & hodiedum poſſidet. Lotharingia contendit, ac cujus Ducem noluit, ducatum non aſpernatur. Otto ex Carolo heres in Lotharingia, indulgente Germanorum Imperatore Ottone, ſuccedit.

Egberto Trevirorum Antiſtiti hoc tempore volup erat, florentia inſigni pietatis atque eruditionis laud illa intueri Monaſteria, quibus ipſe ex ruinis ſordid que emergendi facultatem, liberali paternáque ma adm

admotâ, præbebat. S. Matthiæ Monasterium post eductas B. Celsi reliquias, tantâ cœpit sanitatum gratiâ affluere, & miraculorum gloriâ celebrari, ut loci illius sanctitatisque fama latè increbresceret, multique ab ipso Egberto frequenti concione producti debiles, omnibusque capti membris, sani redirent. Ipso coram Episcopo ad populum gravi cohortatione perorante, atque ad Dei laudes, gratiarumque actionem invitante. Quando insigni istic eruditionis laude claruit, operum testis, & ingenii sui monumentis apud Trithemium laudatus, Engelbertus.

S. Matthiæ Monasteriū gloria miraculorum B. Celsi, latè inclarescit.

Majori tamen id ætatis literarum, etiam exteris traditarum, gloriâ eminuit, celeberrima olim Archiepiscoporum Trevirensium palæstra Mediolacense Ascaterium. Illi, post Hezzelem Abbatem lubricæ vitæ hominem submotum, Nitardum, ac dein Remigium, pietate ac liberalibus studiis cultissimum virum, præfecerat. Qui cum scholas aperuisset, tam indigenis, quàm advenis excolendis, publicas, illâ eruditionis celebrari hic locus famâ cœpit, ut clericorum istuc ex Gallia ingens affluxerit numerus, multique hinc Præsulum educti sint, Ottonique Germanorum Regi, his etiamnum vigilanti studiis, Remigium scriptis compellare versibus libuerit. Ejusdem quoque Remigii lucubrationum seriem haud vulgarem Trithemius pertexuit. Et, Egberto jubente, Trium sedis Trevericæ primorum Antistitum officia, ut erat callens Musicæ, cantu haud inamœno celebravit. Notus & ipse studiorum communione præstantissimo ejus ævi scriptori Gerberto, qui ex Monacho Floriacensi Abbas, ex Abbate Archiepiscopus Rhemensis, unde ejectus, per Ottonem Imp. Ravennatium, ac denique Romanum Pontificatum Sylvestri II nomine assecutus est. Hic, ut erat Matheseos quoque peritissimus, difficillimi operis sphæram, torno elaboratam, artificioseque excultam Mediolacensibus submisit, Epistolis suis non ad hos tantùm, sed præcipuos imperii Proceres Egbertumque nostrum, atque adeò ipsam

Academiæ & eruditionis gloriâ Mediolacenses celebrantur.

Remigius & Gerbertus celeberrimi eruditione viri.

Theophaniam Augustam percelebris, cultissimo ad summa quæque ingenio & aptus, & quod rarius est, adhibitus, minùs admirandus nisi ex cella ad hæc prodiisset. Quanquam illa artis sortisq; raritate invidorum obtrectationem non evaserit.

An. Chr. 992 Folcardus doctrina & virtute apud S. Maximinũ celebratus.

Et Folcardi Abbatis ad D. Maximinum hac ætate virtus doctrinaque fulsit, per quem monasterium illud non minus sanctitate morum, quàm eruditionis splendore excultum est. Novum eidem monumenti genus, labrum fontis orbiculare, ex ære ductum, variaque cælatura fusilibusque ex metallo imaginibus arte rarâ exornatum, his versibus inscribitur, encomium viri complexis.

Vitæ sectator, virtutum verus amator,
Abbas natorum dulcis Folcarde tuorum.
Rectè viuendi, tu nobis norma fuisti.
Perpes in arce Dei: maneat tibi sors requiei.
O quisquis spirat, sic te Folcarde requirat!

Hoc labrum ante æstivale Refectorium, ut vocant, aquas loturis affundit. & Fosbertus atque Absolonis Monachorum artificum Folcardi disciplinæ hoc obsequium præstantium, nomina exhibet. Sigefridum verò, sub illo, Comitem Lutzelburgensium, anno salutis 993 donatione ex Marischensi fundo, anniversariam sibi apud S. Maximinum, ubi sepulchrum unà cum Hedvvige conjuge nactus est, fundasse memoriam reperimus. Præsidens loci Advocatus, qui beneficium hoc impenderet, ut reciperet dignius, & quorum in terris fuerat, Advocatos haberet in cœlis.

993 Sigefridus Comes Lutzel. S. Maximini Advocatus, ibi sepulchrum nactus.

Egberto demum etiam hæc cura fuit. Ad S. Eucharium Protoepiscopum Trevirorum, quem imperiosè colebat, festo ejus, qui in 8. Decemb. cadit, die, sacris illuc operatum, solenni apparatu, venerat, &, ceu ultima se litasse Deo hostia sensisset, declinata quæ illic strauerat pransuro mensâ, ad urbem reveniens, inclinante ad mortem valetudine, postera luce ad immortales de-

Egbertus Archiep. sanctè moritur.

cessit. Ita enim habent fasti Cardonenses: *V IDVS Decemb. Θ Egbertus Archiep. Trev. An. Dom. Incarn.* DCCCCXCIII Corpus Sacello D. Andreæ, juxta ædem Metropolitanam illatum, ubi ad latus dexterum his versibus ornatur.

Pontificum decus Ecclesiæ clarissima lampas,
Pax & amor populi, totius gratia cleri,
Hic jacet Egbertus, lucis regione repertus,
Præsul Trevericus, sedet aulæ conditor hujus.
Rexit & Ecclesiam senos denosque per annos.
Omnes dilectum prece commendate Patronum.

Illustris ipsius statura & virtus.

Spectatæ is prorsus dignitatis Antistes, procero, & ad egregiam, cum majestate, formam erecto corpore. Quod tam illustre domicilium illustrior habitaret anima. Ex monasticæ disciplinæ sanctimonia, ad Episcopatum hanc secum traduxit. verus pastor, qui & ipse pro concione populum doceret verbo, & exemplo traheret. Sacris litare Deo frequenter suo pro grege solitus: inter quæ, hoc ejus vim precum commendat, quod summâ in ædè, à prætervolante supra aram hirundine perfusus stercore, exulare oeyus, & hanc, & omnes imposterum sacra domo jusserit. Ex quo tempore hirundo nulla subiisse, vastum ceterà patensque latè templum visa est; aut, si quæ subierit, mortua prolabi. Illo ferè imperio eventuque quo D. Bernardus garrulas in lectione precum Philomelas, Himmerodii jussit conticescere. Ecclesiæ & Monasteriorum eximius, ut promotor è suis facultatibus, ita propugnator contra hostes, seu usurpatores bonorum profanos fuit. Unde plures Communione sacrorum Proceres ab eo proscriptos Gerbertus meminit. & Theodoricus hujus temporis apud S. Eucharium scriptor eruditus. *Egbertus mitissimus*, inquit, *ambitionem refrenare non timuit, comprovincialium tyrannidem æquus arbiter auctoritate sua repressit, & omnia quæ Monasteriis erant hostili invasione subtracta, manu potestativâ undique recuperavit.*

Hirundines ex summa ædè proscribit.

Epist. 100. & 101.

Spoliatores Monasteriorum spoliat.

Benefacit Ecclesiis.

Suis ipse se opibus atque ornamentis spoliare solitus, ut cùm pauperes, tum Religiosos, Ecclesiasque Dei his excoleret. Longam Suram, haud ignobile prædium, fluvio cognomini vicinum, S. illi Matthias cum amplissimis liberisque possessionibus debet. Egmondana apud Hollandos Abbatia, auream illi ingentis pretii, cum incluso S. Crucis, interque gemmas condito donario acceptam refert. ut & egregium pro S. Missæ officio apparatum. Dignum quem hac tempestate Hollandi magis observent; ne suis nimium dispares Majoribus ab his inter sacra de cœlo non agnoscantur.

An. Chr. 994 Ludolphus Arch. Trev. eligitur.

Ludolphus Saxo genere, Goslariensis Ecclesiæ vir, doctrinâ morumque integritate ab Ottone laudatus, à Trevirensi clero in sedem admissus est. cujus tamen inauguratio, quàm progressus clarior; temporúmne, an gestorum obscuritate? haud facilè dixeris. Gandesheimensi tamen apud inferiores Saxones Synodo interfuisse compertus est, magnumque inter primos Electores nomen fuit sortitus, Ottone ac Pontifice Gregorio V. ad hunc, alioque viros principes, eximia dignitate excolendos, intento.

995 Otto Romæ Crescentium premit.

Rebus Mediolani & Romæ turbatis, Otto à Joanne XV Papa evocatus, ad Crescentii Consulis seu Ducis Rom tyrannidem, qui ejecto Pontifice rerum potebatur, comprimendam adfuit. Et hunc quidem, illo restituto, admisit supplicem. Moxque, Joanne vita functo, Bruno Ottonis propinquus Bavariæ Regis filius, qui in comitatu aderat, jam Sacerdos, à Romanis Regi gratificaturis electus est, & Gregorius V. appellatus, à quo imperatoriâ coronâ donatus Otto, cum Maria conjuge Augustalia insignia sumpsit. Cum verò destitutus prole Imperator esset, institutâ Romæ synodo, cujus acta intercidêre, Germaniæ proceribus electio novi Regis concessa, deindéque usurpata ab iisdem fuit. Quanquam incertum manserit, an illi soli omnesque sint constituti, quos Martinus Polonus, qui seculo XIII sub Innocentio IV. vixit, recenset; ut Moguntinus Archi-

996 Joanne XV Papa defuncto Gregorius V. succedit. qui Ottonem coronat, & Germaniæ Proceribus eligendi Regis potestatem defert.

chicancellarius per Germaniam, Trevirensis per Galliam, Colonienſis per Italiam, Marchio Brandeburgensis Camerarius, Palatinus Dapifer Rex Bohemus pincerna. Certè iis officiis, ſub Ottone, & poſt eundem celebratos, aut ſolos omneſque electioni fuiſſe adhibitos, compertæ ſatis falſitatis eſt. Liberam tamen deinceps fuiſſe Principum electionem, & penes hos ferè Eccleſiaſticos inaugurationem perinde exploratum, neq; ad Gregorium X Pont. ut nonnulli volunt, hujus poteſtatis decretum eſſe rejiciendum. Otto, poſt Romam compoſitam, relegebat iter per Italiam: quando per viam Maria Auguſta, ut erat in libidinem profuſa, amore Mutinenſis Comitis occupata, cum pertrahere ad ſcelus non poſſet, tentati eidem adulterii crimen impingit, credulumque Ottonem inducit, ut innocenti caput auferret. Sed adeſt plexi innocentiam teſtatura, & præcipitem Cæſaris ſententiam damnatura conjunx, ferri candentis probationem offert: auditaque, in conſpectu omnium, innoxiè ignem tractat. Tum deinde alia impuritatis in Auguſtam ſigna, adoleſcentiſque ſecum muliebri ſub veſte, in gynæceo aliti, detorta indicia; ut hæc flammis adjudicata ſit, Comes ſceleris poſt mortem ſuſpicione abſolutus, conjux, ad viduitatis ſolatium, quatuor caſtris donata. Otto verò non levi perſtrictus judicii præcipitati pœnitudine, raris hanc deinde pietatis, afflictioniſque, clam palamve ſuſceptæ, argumentis expiârit. Compertus etiam, ubi in Germaniam rediiſſet, S. Adelberti Pragenſis Martyris Geſnam in Polonia ſupplex, atque in urbis conſpectu nudipes adire limina, atque Archiepiſcopatus, probato Romanis, titulo locum honoraſſe.

Quanquam Electores nō eo quo hodie numero definiti ſint.

Maria Auguſta cum inſontem, tentati in adulterii ſpecie dediſſet neci, ipſa rea comburitur.

An. Chr. 997 Ottonis dolor & pœnitentia ob præceps judicium.

Verùm ubi per abſentiam ſuam turbata Romæ à Creſcentio rurſum omnia, ejectum Gregorium, Joannemque Placentinum ſubſtitutum intelligeret, delecto injuriam milite vindicatum properavit, & Joannes quidem in fuga ab adverſariis, linguâ naſóque præputato, oculiſque erutis, ambitionem luit. Creſcentius verò in ar-

998

999 Creſcentius iterum rebellis perit, uxorem Otto decem perit.

ce obsessus, ac denique, in fidem ut nonnulli volunt, receptus, abscissâ cervice, vel ut alii membratim truncatus, perfidiam exspiravit, relictâ uxore, quæ muliebri deinde illecebra & venustate Ottonem tenuisse fertur. An primò, usque ad flagitium, haud satis observatum est. certè miserabili deinde catastrophe optimum principem creditur evertisse.

1000 Gerbertus Pontifex Silvester dictus.

Rediit ab ea illæsus in Germaniam, postquam Romæ in Gregorii defuncti locum Silvestrum II, ex Gerberto Ravennatum Archiepiscopo, vidisset substitutum, ac Treviris, S. Maximini Abbati Ostrado, jus cudendæ signandæque monetæ, diplomate Cæsareo indulsit.

Santmaximinianis jus monetæ tributur.

Aquisgranum postea cum legato Pontificio transiit, coactâque illic Synodo, Giseleri Magdeburgensis, geminas cathedras occupantis, causam judicio Episcoporum decidit: ac curiosa indagatione sepulchrum Caroli Magni penetravit, reperitque, etiam à morte, regali in solio considentem, amictumque purpurâ, & aureamque se crucem ferentem. Quâ, cum vestium parte, subtractâ, pietatis esse credidit, & hæc auferre, & cetera relinquere. Hinc Italiam revisit, quo potissimum stimulo incertum; nisi quod pro Crescentio jam uxor esset. Belli lum istic quidem non reperit, sed peperit. Nam Synodo ob Saxonicas Episcoporum controversias habita, Romani, in seditionem coorti, pænè Imperatorem oppressêre, nisi fortior Germanorum virtus scelus avertisset, autoribus ad supplicium deditis. Inde verò post Tudertinam cum Silvestro celebratam synodum, reditumque ad urbem, cum discessum pararet in Germaniam, & Crescentia spe conjugii, quam conceperat; se frustrari animadverteret, chirothecis veneno illitis obliatisque infeciisse creditur, quanquam Ditmarus, ejus temporis autor, puerili pustularum lue extinctum tradat. Unde unde morbum traxerit; constat illum mulieres tam puerum optimas, quàm virum pessimas expertum fuisse. S. Heriberti Colonienſis Archiepiscopi societate felix in morte fuit. Quin deserendi regni, solitudinisque

Otto Caroli M. sepulchrũ aperit.

1001 In Italiam reversus seditione periclitatur.

An. Chr. 1002 Otto in Italia mortuus Aquisgranum translatus sepelitur.

que, S. Romualdi suasu, adeundæ, hæsisse ambiguum memorant Hanc designasse animo, ut meliorem; illi adhuc ut commodiori adhæsisse visus est: quòd facilius sit rectè consulta agnoscere, quàm perpetrare. Mortuus X cal. Febr. in Germaniam ad basilicam Aquisgranensem translatus est.

Henricus Bavariæ Dux ex rebelli patre Ottonis nepos in Regē Germ. bis coronatur, ductâ Cunigunde Lutzelburgicâ.

Insignia imperii, cum lancea Dominica (quæ nempe Domini armata clavo esset) ab Heriberto reportata, Moguntiæ ab Archiepiscopo Willigiso aliisque procerum faventibus Henricus Dux Bavariæ accepit, nepos ex Henrico Treviris exule, quem S. Wolfgangus ad omnem pietatem instruxerat, & Imperatorem jam dudum præscia mente salutârat. Mosellani, obnitente tamen eorum Duce Theodorico, cum Francis, adversus Suevos Saxonesque faverunt. Sed & his quà armis, quà consiliis ad se traductis Henricus Cunigundem Lutzelburgicæ stirpis ex Sigefrido, ut plerique sentiunt, filiam, (quanquam Brovverus aliique ex Giselberto neptem putent) sponsam sibi junxit. Quâ Paderbornæ coronatâ, ipse demum Aquisgrani, ceteris Archiepiscoporum procerumque assentientibus, iteratò coronam, ita urgente Heriberto, suscepit; quòd Moguntinensis coronatio vitio facta diceretur.

1003 Prumiæ exceptus Reliquiarum thesauro delectatur.

Trevirum subinde ingressus fines, Prumiensem Abbatiam, ut sacrorum erat locorum amator, invisit, eamque religione atque opibus, thesauróque Ecclesiæ florentem admiratus, ab Udone Præsule suppellectilis, vasorumque omnis generis ac thecarum, quibus Reliquiæ conderentur, descriptionem memoriæ gratiâ postulavit, quæ in sequentem quoque ætatem est propagata.

Theodonis villæ castigat Mosellanos Duces.

Hinc Theodonis villam ingressus, cum in Comitio Procerum Theodoricum & Herimannum Mosellanorum Duces, parum æquitatis legumque observantes comperisset, Mulsbergio castello, quo se tuebantur, e verso, coercuit. Quando eundem S. Servatii apud Confluentes recèns celebrati memoria, hinc Trajectum

S. Servatio singularem honorem habet.

ad præcipuam ejus sedem, veneratione debita colendam, traxit. Huc enim pertinere credimus, quod Gulzæ, supra ostium Mosellæ, in vinea Trajectensi, Ecclesiæ D. Servatii addicta, evenisse tradunt. Hanc enim cum adversus raptores ægrè tuerentur, quibusdam Patroni sui Reliquiis Canonici muniendam censuêre. Qua Confluentiâ, ad quam appulerant, frequenti populorum accursu delata ubi S. Beati montem, Carthusia nunc sacrum, præterveherentur, trina inclinatione locum hunc salutasse, & cùm habitationem, quam invasores tenebant inter Epulas attingerent, repentè omnes, ceu fulmine tactos, concidisse affirmant. Auxit deinde sancti reverentiam, ejusque prædii immunitatem, quòd pueri uvarum raptores, ubi matureſcentibus botris in vineam penetrassent, plures, eo quo quisque habitu avellere racemum moliebatur, obrigueriut, totóque spectaculum die vicinis affluentibus facti sint, dum parentes ad Sancti aram supplices, votis precibusque veniam absolutionemque impetrarunt. Missi, quod in votis fuerat, consertis manibus pueri Trajectum ad S. Servatii Basilicam pœnitentiâ ritè defuncti sunt, latéque omnibus furti metum, Sanctorumq; observationē ingenerarunt. Quæ in monumentis Collegii nostri Confluentini, hac aliquando possessione freti, ut fuêre asservata, sic Brovverus hoc loco communicavit; licet apud nonnullos risum faciliùs, quàm fidem habitura. Sed historia lautissimæ instar mensæ, diversa diversis proponit fercula, cum plurium palatis deserviat. nec divinæ quidem Sapientiæ opera sapiunt omnibus. Quæ nonnulli fastidiunt, aliorum sunt deliciæ.

Mortui se invicem sancti honorant.

Pueri uvarū raptores puniti.

An. Chr. 1005 Otto Lotharingiæ inferioris Dux Carolingorum ultim⁹.

Trajectum Henricus, & venerandi D. Servatii, & canonicæ disciplinæ, quæ labem trahere, ut mortalia omnia, videbatur, expurgandæ gratiæ adiit. Subhæc Otto Lotharingiæ inferioris, quæ in Brabantiam excurrebat, Dux Carolingorum, ut creditur, ultimus (Nivigellis, an Coloniæ? ambigitur) vita abiit, mascula, in illo nomine sepulta progenie, in qua

Germa

Germani imperium exorsi sunt, ne sola illud voce retrogradum censeamus * Ita hæc quoque Lotharingia Germanorum imperio ex pacto reddita est, quam Imperator Godefrido Arduennati, Godefridi Barbati filio, concessit.

* NB. Otto *vox retrograda est.*

Interea Hardvini, ad tyrannidem vergentis, seditione concitata Italia, Henricum, citra moram, cum Regina Cunigunde, Ticinum, seu Papiam, trans alpes abstraxit. Ubi exercitu stante extra urbem, intra mœnia Rex in palatio multitudine fremente periclitari cœpit, quando Giselbertus Lutzelburgicus, Reginæ frater, fortissimus juvenis, dum per mœnium ruinas, cum milite suppetias laturus, in medium Longobardorum agmen irrumpit, illatis acceptisque vulneribus, ingenti omnium mœrore concidit. Rex tamen periculorum victor, reliquos Longobardiæ ac Tusciæ populos obsequii promptiores expertus est. Hinc igitur Germaniæ redditus, religioni per varia Monasteria instaurandæ se totum impendit, ac convocatâ Tremoniam Westphalorum synodo, egit, ut Corbejæ Saxonicæ, Fuldæ, Hersfeldiæ rectius consuleretur. Dum tamen Augiæ in Alemannia Immonem ex Prumia assumptum Abbatem, invitis Monachis præficit, qui rigori humanitatem posthabebat (quod religiosos prudentesque viros moderansis vitium est) plerosque exasperatos, cum Monasterii rebus aversis, dissipavit. Religiosus, qui humanitate æquisque non regitur legibus, religiosus non est. Hoc eodem tempore, se Theodoricus jam grandævum inter Monachos B. Eucharii Treviros receptum à Richardo Præsule perbenignè asserit, ac postea exorsum scribere vitam ac miracula B. Celsi, miraculo consanatum à tenaci ac jam triennali podagra, quæ vix baculo innixum tulisset: ut, se exclaudicante monacho Asahelem repentè factum, sit admiratus. Teste igitur ad miracula scribenda accessit fide digno.

Henricus, seditionem in Italia oppressurus pæne opprimitur.

Diversis redux Monasteriis consulit.

An. Chr. 1006

Immo Augiæ præfectus nimio rigore peccat.

Theodoric⁹ apud S. Matthiam B. Celsi miracula, ipse sanatus à podagra, scribit.

Francofurti subinde Synodus à triginta & sex Episcopis instituta est, quâ Episcopalis sedes, nuper ab Henrico

1007

Francofurti in Synodo Bambergen-

sis Episcopatus probatur.

co Bambergæ instituta, authoritate Joannis XVIII Pont. est approbata. cui interfuisse Ludolphum Trevirensem Archiep. subscriptione illius testatum est.

1008 Ludolphus Trev. Arch. moritur, scriptore vita destitutus.

Et fuit hic supremus, quo celebratur, in vita actus, quæ insequenti illum anno destituit, sepulturæ loco haud satis comperto. Illustris illi vitæ acta non defuere; sed historicus scriptor, ut appareat mortalibus quantum talis ad immortale nominis decus, vitæque communis ex Majorum exemplis formandæ rationem momenti dignitatisque adferat, plerisque sine honore morituris, nisi scriptores viverent. Certè Otto Fuldensis, in Prologo ad vitam S. Pyrminii illustratum, pauca multa de illo scribenda insinuat, dum, ad illum, inquit: *Fides & veritas te composuerunt, ceteraque virtutum caterva tam firma tutela muniunt, ut livore careas, & ab omni ventositate immunis existas.* Illud verò etiam zelum religionemque Præsulis demonstrat; quod summæ ædis Canonicos, solutiori rursum vitæ subditos, ad communis vitæ normam, societatemque ejusdem mensæ legumque revocârit. Quod nemo, nisi rara autoritate ac pietatis studio munitus, suoque, ad severioris disciplinæ usum, exemplo prævius, facile impetrabit: neque enim ad ardua persuadenda imperandáque aliis idoneus potensque est, qui suis ante affectibus vitiisque non didicit imperare.

In diversis laudandus, ut etiam inrestitutis regulari disciplinæ Canonicis.

Adelberone Cunigundis fratre neglecto, Henricus Clero assentiente Megingaudum ad Archiepiscopatum promovet, utpote dignior em.

Imperator ubi ex Ludolphi morte vacare sedem intelligeret, ad dignum illi Præsulem sufficiendum cogitationes vertit. Erat in eadem Ecclesia Adelbero ædis D. Paulinæ Præpositus Cunigundis uxoris frater, qui & Theodoricum Metensi nuper cathedræ datū Antistitē & Henricum Bavariæ ante trienniū ab Henrico creatū Ducē, præter Giselbertū nuper Ticinensi seditione cadentē fratres censebat (adeò Lutzelburgensis hæc ex Sigeberto patre familia repentè creverat) Hunc tot hominum favor, ac Cunigundis etiam Reginæ preces, tum cleri his inclinati favor Archiepiscopum designabat, unus Henricus Rex, quæ illius erat integritas, sola morum

minus

minus castigata indole, & ob templum D. Martini nuper spoliatum occupatáque ab eodem Monasterii bona, aversus Megingaudum Moguntinensi Ecclesiæ Præpositum, probitate vitæ spectatum, peregrinum affini, præhabendum duxit, Treviríque assentientibus præfecit.

Adelbero cum fratribus se opponit Megingaudo & Cæsari.

Hinc in Cæsarem iræ, & Theodorici Henricique fratrum conspiratio, junctáque in obnitentem arma. Adelberonis sors Treviros jam possidentis visa melior; at visHenrici & causa potior, animusque ad munera & preces incorruptus. Fratres, quibus & possessa retinere, & augere inerat cupiditas, commoverat Babenberga dos Cunegundis, quam ille, hac, (ut pietatis, & continentiæ simul juratæ sanctissimi erant conjuges) indulgente, Ecclesiæ concesserat. Hanc ad se familiamque redire, quàm Christi (licet duo illorum ex Ecclesiæ bonis viverent) esse malebant. Henrico igitur, ne dicam Deo, obnisus Adelbero, occupatâ jam in sede stabat. Henricus frater, & ipse gravissimo Cæsari ducatus accepti beneficio obnoxius, fratri dissimulanter, quàm apertè potentius adstitit. vafrè scilicet, ut tanquam amico Cæsar fideret, sed frater uteretur.

Ex urbis Trev. palatio se contra utrumque tuetur.

Etenim Adelbero, ubi vim ad Megingaudum inducendum parari sensit, conscripto milite urbis Palatium, vastis tunc muris turribusque (quarum hodiedum una cum muri parte supereſt) munitum insedit. ubi primum quidem à Megingaudo nequicquā oppugnatus, ab ipso denique Imperatore cum exercitu obsessus, detrimenta, neque accipit in urbe levia, neque hostibus frequenter erumpens intulit, dum annonæ denique deficientis penuriā, Henrico Boiorum Duce medio, exitum pactus est. Digresso Adelberone, præsidia Henricus submovet, ac Megingaudum, jam ante à tribus Episcopis, Willigiso Moguntino, Heriberto Colonienſi & Baldrico Leodiensi consectatum, instituit; atque in Superiorem Lotharingiam, ubi & Theodoricus Episcopatum, tutelæ specie, Theodorico Mosellanorum Ducis filio

Liberum exitum impetrat.

Theodoricus frater Metensis Episcopa-

tus invasor bello etiam petitur.

An. Chr. 1009

filio minorenni submoto, invaserat, bellóque Trevericæ alimenta suppeditarat, exercitum traduxit. At Theodoricus valida sese urbis Metensis munitione continuit; quæ tamen Saxonum Sclavorumque feróci impetu, attritis viribus, Theodoricum quoque ad dolosæ pacis consilia vertit. Quâ Henricus deliniri visus, jucundiori sese Giselæ sororis eximia pietate, & Hungarorum ad Christum transitu oblectabat. Hæc enim conjugem Toxi, seu Stephanum, (qualis à baptismate nuncupatus) Regem, Christianâ imbutum disciplinâ, eam denique, ut cum toto profiteretur regno, felici persuasione induxit, suisque salutem, Ecclesiæ incrementum, amicis Germanisque gaudium, æternam sibi, cum sancto deinde Rege, gloriam peperit. Quanquam exemplo magis probatissimæ vitæ, quàm eloquentiâ obtinuisse hanc mulier, ante viros Apostolicos, palmam videatur, adeò potentius his suadetur, quàm verbis. Treviri utriusque conjugis beneficia liberalitatemque, suis in diariis, recensent.

Theodoricus dolosâ se etiam pace subjicit.

1010 Gisela Henrici Imp. Stephanũ cum toto Hungariæ regno ad Christum adduxit.

1011 Adelbero cum Theodorico gemina pressius Synodo est.

Adelberonis inter hæc Fratrisque Theodorici, Henrico Duce colludente, sopita magis, quam oppressa conjutatio, novis rebellionis igniculis gliscebat: neque enim Megingaudus Trevirim unquam admissus sedem alibi, quàm Confluentiæ fixerat: neque Theodoricus Metis pupillo spem locumque faciebat. Quare Henricus Episcoporum Synodo Confluentiæ habita, illorum, ceu contumacium, proscriptionem meditabatur; cùm missis intercessoribus, & spe parendi facta, Moguntinam ad Synodum delata causa est. ubi deniq; præsentes, cùm sua minimè consilia factáque probarent, iterum simulata pace elabuntur, & revertentem Haimonem Virdunensem Episcopum cum Duce Mosellanorum Theodorico aggressi, magnâ clade, hoc graviter vulnerato captoque, profligant. Unde Theodorico quidem interdictum sacris, Henricus ducatu spoliatus est. quem tamen

Theodoricus in pertinacia constans.

1012

men denique, cum gratia Regis, recepit. Adelbero verò morbi langvore, & cum eodem scelerum perstrictus conscientiâ, fortè & sororis optimæ impulsus hortatu, Megingaudo Episcopatum, seque ejus obsequio, malè occupata bona possessoribus restituit, vitamque pœnitentis amplexus est, illo, quo Henricus tempore in Italiam Cunigunde socia profectus à Benedicto VIII Pont. augustali diademate, anno salutis MXIV. ad VI calend. Martii redimitus est. Annus verò insequens, quo compositâ jam ad pacem Trevirorum Ecclesiâ Megingaudus fruiturus putabatur, Archiepiscopali in urbe Confluentina pacem in sepulchro, vigiliâ Natalis domini reperit, quam nullæ deinceps mortalium turbæ interpellarent.

Adelbero resipiscit, & Megingaudo cedit, bonisque Ecclesiæ occupatis.

1014 Megingaudus mox Confluentiæ moritur.

1015

LIBER

LIBER XI.

Benedictus VIII *Pap. Henricus* II *Imp.*

An. Chr. 1016

VAcanti Trevirorum Ecclesiæ Henricus Imp. Poponem, Babenbergensis Ecclesiæ Præpositum, obtulit, Clerus populusque admisit: Genere, virtute, atque eruditione hac infulâ dignissimum. Luitpoldo enim Austriæ (quæ superior tunc Pannonia) Marchione natus, & Richeza Matre, fratrem Adelbertum, & ex nepotem Luitpoldum, bellis adversùs Hungaros celebratos habuit. Alter illi Fratrum Ernestus fuit, Suevorum & Alemanniæ Dux, cui Gisela Imperatoris neptis desponsata. Quæ, ipso, pro fera in venatione, à Comite interfecto, Conradum Salicum duxit. Hoc Poppo genus lig[illegible]ae pietate Ratisbonæ exercitus, haud vulgariter ornavera[illegible] Porrò Henricus, ne quid turbarum, in Poppone sedi admovendo, cieret Adelberò, ipse præsens Erkenbaldo Moguntinensi; cum Theodorico Metensi & Haimone Virdunensi Episcopis, adfuit. Cumque Erkenbaldo consecrandi præcipuæ partes, ut par erat, committerentur, Theodoricus, quâ erat ambitione, id sibi munus deposcere, contràque protestari orsus est. Pervicit tamen Imperator, ac Popponem consecratum sedi imposuit, parem, ut putabatur, Adelberoni ejusque factioni domandæ.

Poppo, invito Adelberone, Archiepisc. Trev. eligitur.

1017

Neque eum fefellit opinio. Poppo enim, ubi ipse Romam profectus, ejus urbis proceres Pontificemque sibi conciliasset: Pallii honorem, cum diplomate Apostolico, consecutus, diœcesi sese ad quietem, à turbulentis hominibus, avocandæ dedidit. Insederat collem urbi vicinum, qui sanctæ nunc Cruci sacer, tum insigni castro munitum, Adelbertus factione antipiscopalis, quem per Siconem strenuum militem, & Adalberto nocuum aggressus est. Hic in æstu & fatigatione

Româ ipse Pallium adfert.

ante

ante arcem substitit, potumque sibi pro veteri amicitia postulavit, quo liberaliter ab Adelberto suppeditato, discedens nuntiari jubet, pro gratia sibi facta, se non tantum pocula vini aliqua, sed vasa etiam propediem remissurum. Quo nuntio abiens Adelbertum promissione lætum reliquit. Nec defuit Sico, sed pro vino armatis vasa implet, adestque cum paucis ministris portæ, munusque ostentat; sed admissus ut olim ex equo Palladis, sic nunc Bacchi doliis erumpit miles, occupatoque aditu ipsum Adelbertum obtruncat, arcemque Popponi restituit.

Adversarios arte magis quam vi domat.

Cumque Scivam, seu Monclerium, pari arte tenuisset, Adelbero felicitatem ejus veritus, reliquis ultro castellis Sircio, Rutichio, Sarburgo, ac Berncastello cessit, seque intra Præposituræ D. Paulini officium beneficiumque consultâ modestiâ continuit. Vicedomini oblata sibi dignitate contentus: ut ex epigrapha Lapidi Saræburgensis arcis incisa, & post excidium, quo Brandeburgicus Lutherizans ante seculum hoc munimentum evertit, adhuc reperta intelligas. Sic enim habet.

Hoc castrum à Domino Adelberone Vicedomino & Præposito S. Paulini, ædificatum, & ab ipso Ecclesiæ traditum, Et postea per multa tempora neglectum, & desertum, tandem à Brunone Trev. Dei gratia Archiepiscopo reædificatum est.

Adelbero ultro se ei suadente subdit. Vicedomini dignitate Adelbero præest.

Ex quo tunc Vicedominos, qui pro Archiepiscopo remp. administrarent præfediſſe non ambigas. Berncastellum insigni prædonum manu defensum per tinacius restitit, at superatum postremò, dirutis propugnaculis, vim decusque amisit. Hinc ad sacras ædes, quæ per superioris ætatis schismata opes viroſque amiserant, instaurandas versus, Sanctorum Martyrum ad Mosellam Asceterium, à Canonicis occupatum, Patribus Benedictinis restituit. ac S. Beato hinc ad Montem Confluentinum translato, possessionibusque utrobique, aut datis, aut redditis, cultum divinum revocavit. Quo tempore, cùm Epternacense Monasterium incendio quoque consumptum esset, Uroldi Abbatis, indu-

Berncastellum occupatur à Poppone & diruitur.

Monasterium SS. Martyrum Canonicis pulsis Monachis redditur. Conflu-

entinum erigitur, Epternacense instauratur.

industriâ rursum emersit. Extat verò alterius ejusdem ævi Uroldi Prumiensis Abbatis, ex Daunensium Rheni Comitum familia propagati, munificentia, laude ac memoriâ dignissima. qui juxta Monasterii sui septa, alteram excitavit Deiparæ basilicam, eamque Canonicorum attributam collegio, sat locuplete agrorum proventu instruxit. Henrico Imp. ac Poppone factum, non adjuvantibus minus, quàm laudantibus, ut unum hoc Monasterium, tanquam mater, plura alia pepererit Canonicorum collegia; donec ad suos denique sterilitatis annos, ceu effœtum, perveniret.

Prumia Canonicorum Collegium fundat.

An. Chr. 1018 Meinfeldensis ager ipsaque Confluentia Trevirensi Archiepiscopatui jungitur atq; urbis speciē induit.

Henricus verò, ut anno superiori Francofurti agens, ad Cunegundis intercessionem, Collegio Canonicorum S. Florini Cæsareo diplomate largitus est, mercatum, ut vocat, in villa Gillenfeldt, summo jure etiam vectigalium & monetæ; ita hoc anno, agros apud Confluentes, (qui, Meinfeldiensi attributi pago, regii hactenus juris fuerant) ejus loci Ecclesiæ ac Trevericæ diœcesi, indulsit. Unde Confluentia, quæ præter Collegium utrumque S. Castoris & Florini, (regiâ domo in adversomonte constitutâ) nihil admodum complexa fuerat, jam in urbis emergere speciem, muris claudi, regalique ac fiscali jure Archiepiscopis plenè tradi cœpit, Abbatiâ Trajectensi, sæpius datâ ablatáque, nunc rursum adjectâ. Unde Confluentia cortis regiæ (quo titulo Meingaudus nuper in ea salvus steterat) nomen ab hoc tempore amisit, cœpitque Archiepiscopalis Trevirorum civitas haberi.

S. Florinus apud Rhætos natus sanctéque educat' vixit. sub Ottone Mag. apud Confluentes celebratus.

Sancti autem Florini, quem illustri hoc loco Canonicorū collegio venerantur, translata ad locum religio primis suis initiis vix satis explorata est: nisi quod is apud Rhætos ad Rheni fontes natus, sub Alexandro Eremitanæ Ecclesiæ presbytero formatus, vinumque ferre solitus, cum arceretur urbe, hausta ex fonte aquam Magistro tulerit, quæ in vinum conversa, ejus jam tunc sanctitatem adolescentis vulgârit, quam deinde multor-

ad fidem barbarorum conversione, ejusdemque post Magistrum Ecclesiæ laudatissimâ curâ, usque ad mortem probârit. Unde ejus ad Confluentes usque cum Reliquiis traducta observantia, favore Magni Ottonis aucta, & decimis Humbacensis castelli, per Hermannum Sueviæ & Alsatiæ Ducem, alita, succrevit.

S. Simeon Trevirensis Eremicola, ubi, qualisq; in oriente vixerit.

Ceterùm & hoc tempore B. Simeonem Eremitam, celebri apud Treviros sanctitate cognitum, primum ad eorum diœcesin appulisse, atque à Theiologiensi Abbate Erbervvino receptum esse constat. Mira illius sors, & vitæ per aspera quæque circumactæ ratio, ut ab ipso Ebervvino vitæ scriptore tenemus. In Sicilia Antonio Patre Græco, & Matre Calabra natus, cùm à Patre, Constantinopoli militante, jam septennis eruditis viris traditus, præter Græcam, Latinam quoque, Syriacamque, Arabicam, & Ægyptiam linguam teneret; pietatis demum, quàm literarum studiosior, Palæstinam, locáque Solymorum Christi vestigiis honoranda invisit, iisque delectatus, Hilario, eximiæ sanctitatis viro, Septennio in peregrinorum adhæsit ministerio, ac subinde amore captus solitudinis, nunc Eremum ad Jordanem, nunc in monte Sinai, nunc etiam monasticen in aliorum consortio, alio alioque perfectionis ardore sectatus, denique ab Abbate montis Sinai in Nortmanniam ad Richardum Comitem missus est, qui honestum pecuniæ subsidium, ejus loci Religiosis alendis, peregrinus addixerat. Quod iter varia ab eo sorte peractum; dum, nunc ut proditor, detentus; nunc ut hostis à piratis interficiendus, cum aliis, ex navi præceps natando emersit, donec ab Ebervvino Abbate, cum Richardo Virdunensium Antistite, ex peregrinatione revertentibus, assumptus viæ socius, penetrare tamen non potuit, Belgradi urbis præfecto moribus habituque suspectus. Quare hinc illi in Italiam, inde in Galliam, cumque hic Richardum in sepulchro reperisset, promissorum vacuus, ad Eberhardum per Lotharingiam, miserabili jactatus profectio-

Qua occasione in occidentem venerit.

In Monasterio Tholeiæ ab Ebervvino receptus sanctè vivit.

fectione deflexit. ubi religiosa in domo, rarâ brevi sanctimoniâ vitæ conspicuus illuxit.

Henricus inter hæc, lustratâ Saxoniâ, à Goslariensi comitio Moguntiam, atque hinc Ingelheimio Aquigranum deflexit, ubi S. Heriberti interventu Theodoricus Metensis, & Henricus Dux fratres Cunigundis in gratiam recepti sunt. Et huic quidem altero post anno Popponis intercessione Bavariæ Ducatus restitutus est, à quo octennio dejectus, Ditmaro teste, exulârat, cùm Metensi adversus Regem bello pertinax rebellibus adhæsisset, quem soror Ratisbonam deductum læta restituit. germanum tunc denique verum rata, cum in pace, & honore sociaretur.

An. Chr. 1019 Theodoricus & Henricus S. Cunigundis fratres Cæsari reconciliantur.

Quo anno Godefridus Arduennas inferioris Lotharingiæ, seu Belgicæ Dux, qui nuper in Frisones auspiciis Henrici Imp. infelici prælio collisus, exercitu ad vocem incertum unde missam, fugiente, hostibus & carceri relictus, nunc custodiâ dimissus, domum non ad libertatem, sed mortem rediit. quæ nullis se patitur legibus pacis comprehendi. Successit Gozelo frater. quorum uterque in numero bene meritorum, à Metropolitanæ Ecclesiæ Trev. Clero censetur.

Godefrido Duci Lorhar. frater Gozelo succedit.

1020

Ætas hæc eadem illustrium, quâ eruditionis, quâ sanctitatis famâ, virorum, Trevericâ in diœcesi ferax in S. Eucharii, seu Matthiæ, cœnobio Engelbertum Golscherum, Theodoricum, & Theodorum scientiâ claros, præter virtutem, dedit. At Poppo Stabulensium & Richardus Virdunensium apud S. Vitonum Abbates sanctimoniæ laude excelluerunt. Quæ utique, si certamen veniat, præferenda est: cùm virtus sine literis pretium ferat, literæ sine virtute evanescant. Goscherus porrò ab orationis facundiâ Trithemio laudatus, trium hujus Ecclesiæ Protoepiscoporum Eucharii, Valerii, & Materni encomia calamo, uti & gesta Trevirorum, complexus fertur.

Docti & sancti apud Treviros hac ætate plures sunt.

Per eosdem dies Otto Comes Rhenanus, bello armisque, quàm castitate laudatior, diris ab Erkenbaldo Ma-

gun
igni
mixt
Han
ri, ni
rat.
nien
erat,
tend
indig
bertu
secus
in po
Heri
quòd
tisse,
ni co
instru
tame
excep
dum
divin
comp
bertu
ram D
adeò
suum,
lacryn
in pœ
certam
sterne
plus se
ut Her
Imper
Aprilis
Inte
Græco

guntinensi Antistite ob illiciti thori vincula perstrictus, igni ferroque per Moguntinum grassatus agrum, admixtis Trevirensium possessionibus non parcebat. quin Hamersteinia infra Andernacum receptus arce dimoveri, nisi ab Imperatore vires suas admovente, non poterat. Huc ergo cùm Cæsar, Heribertum quoque Colonien sem pro suppetiis evocasset Præsulem, isque ut erat, afflictâ valetudine se purgasset, Henricus hanc obtendi magis, quàm esse causam ratus, nuntiari non sine indignatione concepta, jussit; se igitur invisurum Heribertum, si is recusset convenire Cæsarem. Nec factum secus, ubi enim jam interceptâ arce Ottonem haberet in potestate, descendit Coloniam, suâ etiam moturus Heribertum sede, aut certè haud levi clade multaturus, quòd illum sibi jam à primis regnandi principiis obstitisse, in negatis regni insignibus dum hæc ipse Aquisgrani conferret, persuasum haberet, malevolis quibusdam instructo sermone hanc suspicionem alentibus. Quâ tamen se denique Henricus falsum deprehendit. Namq; exceptus urbe ab Heriberto, & perquam honorificè, dum vindictam meditatur, noctu per somnum Antistes, divinâ majestate spectabilis visus adsistere, his verbis compellavit: *Cave ne quicquam in Dei famulum Heribertum gravius decernas, aut difficilis tibi incumbet coram Deo, cui acceptus est, ratio.* Quâ monitione usque adeò pius Imperator flexus est, ut, detestatus errorem suum, postridie ad pedes Heriberti supplex, etiam cum lacrymis, acciderit; seque in pœnam ei dediderit, quem in pœnam destinârat. admirabili utriusque sancti viri certamine, ubi quisq; alteri demissione sese ultimâ sub sternere est visus; tantò minus habiturus culpæ, quantò plus se habere profiteretur. Denique ita divulsi sunt, ut Heribertus conscius instantis sibi mortis ultimam Imperatori hac in vita salutem diceret, VII dein cal. Aprilis defunctus.

Otto Comes Rheni à Cæsare bello victus capitur.

An. Chr. 1021 Cæsar S. Heriberto Colon. Archiepiscopo immeritò offensus, divinitus conciliatur.

Vtriusq; sancti viri demissio, & Heriberti mors.

Inter hæc Benedictus Rom. Pont. Henricum contra Græcos Apuliam rursum invadentes rursùm sollicitârat:

1022

Infelix Henrici in Italiã expeditio.

rat: quando Poppo (quæ tunc erant Episcoporum Abbatumque ad hæc onera militiæ præstandorum obligatio) cum exercitu XI millium præmissus est, Henrico cum Peligrino Colonienſi, qui Heriberto succesſerat, XX millium copias, haud multò post, in Italiam traducente. Verùm ejusmodi illa fuit expeditio, ut peste ac ferro plerisque sublatis, revertentium cis alpes pauci sint reperta vestigia, functusque militiæ cladem non exæquaret.

1023 Henrici Cæsaris & Roberti Galliar. Regis mutua benevolentia.

A reditu Episcopos totâ Germaniâ præcipuos Henricus colligit, ac his præsentibus, cum Roberto Galliarum Rege in Mosæ confinibus de utriusque regni commodis, atque Ecclesiæ totius incolumitate, egregiâ mutuæ humanitatis ac benevolentiæ significatione deliberat, Episcopis utriusque nationis Elvacensi in synodo ad communicanda ultrò citróque consilia etiam coëuntibus. Placuitque decreto in Italiam itinere, Ticini cum Romano Pontifice consulta hoc loco utrique Regum expendere; sed mors Benedicti hæc simul consilia abstuliſſe est visa. Memoria atque imitatione dignum est, quod cum uterque Regum ad Mosæ ripam subsisteret, quæstione nata, quis eorum transiturus ad alterum? Henricus, licet dignior, præoccupârit transitum, ac Robertum suis in castris salutârit, atque ex ingentibus auri argentique gemmarum ac centum equorum donis, evangeliorum sibi librum, Cunigundi verò geminas inaures delegerit. quod deinde factum Robertus, ab Henrico pari munificentia atque honore exceptus, sibi duxit imitandum, ne munera ante homines habuiſſe videretur. exemplo noſtri etiam seculi Principibus digno.

Synodus Elvacensis Episcoporum Galliæ & Germaniæ.

Liberalitas utriusq; Regis & munerum abstinentia.

Moguntiam ubi appuliſſet Imperator, facilè à cupidis bonorum persuasus Monasteriorum, ut inopiam, sic abundantiam ad jacturam regularis disciplinæ facere; cùm illa personas ad necessarium religionis cultum subtrahat, hæc ad libertatem dissolvat. Sanctmaximianum apud Treviros Monasterium, usque ad procerum invidiam

invidiam, locuples, non vulgari agrorum censu, hoc est, sex millibus & 656. mansis exuit, quos, ut in diplomate, ait, ab Harichone Abbate in beneficium acceptos, fidelibus suis, Henrico Duci, ut videtur, affini, & Ezzoni Palatino Comiti, nec non Ottoni Comiti, bene de se meritis, feudi titulo consignat: eâ tamen lege; ut cum Harjcho, jam senio confectus, commodè domi militiæque servire Imperatori non possit, ipsi beneficiarii eorumque heredes, ea bello ac pace munia sustineant. Monasterium verò ac cetera illius bona, hoc per alternos annos recurrente servitutis onere, perpetuùm liberentur, nulliſque clientelis fiant obnoxia. Quæ trium Archiepiscoporum consensu pridie cal. decemb. anno Christi MXXIII fuêre confirmata. Non dispari Henricus sortè nuper Fuldæ atque Hersfeldiæ Monasteria, dissolutione inter rerum copiam obrepente, opibus juxta ac servitio gemino, ut interpretabatur, malo liberaverat. Sed duro satis malorum remedio, quod facilius datur, quàm accipitur. Haricho posthæc fortè suis parum gratus religionis causa Hierosolymam profectus, cùm apud Myrream Lyciæ Metropolin vitâ decessisset, Henrico agente, virum sanctum Popponem Stabulensis Monasterii successorem nactus est, cujus eximia virtus posterorum est litteris celebrata.

Cæsar Monasteriorum onera simul & reditus, idq; notabili quantitate in S. Maximino imminuit.

Ne copia disciplinæ obesset.

An. Chr. 1024 Haricho S. Maximini Abbas in peregrinatione moritur.

Imperator, adulto jam vere, Magdeburgum cum Augusta deflectens conjuge, ubi morbo lethi prodromo tentari cœpisset, neque ab intacta hactenus Cunigunde liberorum quenquam tulisset, rogatus de successore, à Proceribus, Conradum Salicum Franconiæ Ducem, strenuum bello ac virtute virum, imperio dignum pronuntiavit. Hinc porrò Goslariam, atque inde ulterius profecturus, ab incumbente Gronæ morte sistitur: rum rebus ad extrema sanctè compositis; Augusta Cunigunde adstante, ad ejus propinquos conversus: *Recipite* inquit, *quam mihi tradidistis Virginem. qualem accepi, talem restituo.* Ita pridie idus Julias extinctus, funusque ingenti procerum comitatu Babenbergam, ut petierat, depor-

Henricus Imp. Gronæ in Saxoniâ moriens Cunigundem uxorem virginem, sanctus sanctam relinquit.

vel Bambergam.

deportatum est. Rari ille exempli Imperator, rarioris conjux. filios cum nullos haberet, tot tamen reliquit, qui appellarent parentem, quot in Ecclesia & Monasteriis suis opibus ac beneficio aluit. Positum illi ab Hildegarde Poëtria epitaphium est; ut qui feminam nullam agnovisset, laudaretur à femina.

Epitaphium illi à femina conditum.

An. Chr. 1025 * *vel Cauffungensi.*

Cunigundis persoluto migrationis anniversario, & ipsa mori voluit, sed mundo, in Confugiensi * à se excitato Parthenone, haud procul Cassellis ad amnem Fuldam. ubi inter Basilicæ consecratæ solennia, seipsam templum Dei vivum consecrari est passa, virgineo pro augustali purpurâ velo induta, ac quindecennio post mortua, juxtáque virum sanctum, virgo ac conjunx sancta deposita. Quod exemplum tota posteritas admirata probavit; donec Lutherus, imitatione præpostera, Virginem Deo sacratam voluit habere dispari plane sorte, conjugem. & Philippus Landgravius Hassorum, detracto Monialibus velo, anno salutis MDXXXI totum procatu Parthenonem, suis illum usibus copulavit.

Cunigundis à morte viri Monasteriũ ingreditur, post ab Hassis eversum.

Conradus Salicus Imp. pro filio Henrico quoque coronam impetrat.

Conradus sub hæc Salicus, nequicquam obnitente Cunone, seu Conrado, Vangionum Duce, ab Aribone Moguntinorum Præsule inunctus, præcipuáque favente Procerum turbâ, Aquisgranensium Comitiis de imperio constituit, & cùm Romam, ad rebellionem quorundam infringendam, atque imperiale diadema à Joanne XX. Pont evocaretur; ante, ut Aquisgrani Henricus fil. regiâ unctione ac corona à Peligrino Colonensium Antistite donaretur, pœne supra votum est assecutus, Poppone Trevirorum Archiepiscopo, ad honestaquæque suffragante, qui cum suam se debere Henrico dignitatem agnosceret, ultimæ illius, in Conrado substituendo, voluntati noluit refragari. Quando tamen Conradus Rex cum Brunone consangvineo, electo Tullensium Episcopo, Popponem Treviris convenit, regans; ut vel neglecto ordinandi jure, Romano illud Pontifici remitteret, vel Brunonem non tam arctâ sui juris jurandi formulâ obligaret: utrumque Poppo, su-

1026

Conradus ægre à Poppone impetrat, ut Brunoni Tullensium Episcopo aliquid de jure consecrandi remittat.

jura

juris retinentissimus, negavit donec Wormatiensi res synodo composita est, ordinesque Bruno admisit, ac fidem Popponi, formulâ tamen minus strictâ dedit, postea ab hac sede ad Romanam cathedram, quæ erat viri virtus, transiturus.

Conradus porrò, cum Wormatiæ S. Burchardum Episcopum, Moderatorem quondam suum, jam extremo decumbentem morbo salutaturus adiisset, atque hic viribus tantisper à Deo impetratis, excepisset venientem, benedictione ad Romanum iter donatus. Alpes transmisit, domitosque Longobardos, eversam arcem coëgit reponere, Ravennates propria se in urbe aggressos fregit, Apuliæ Normannos, Græcis exturbatis restituit ac subinde Romam ad Vaticanum pro imperiali diademate recipiendo deductus est. Romana expeditio & coronatio. An. Chr. 1027

Poppo interim reip. atque Ecclesiæ domi formandæ operam collocabat. cum forte Palatioli infra Treviros agens, vestimenti genus, quo in sacris uteretur virgini ejus Parthenonis quondam à Dagoberto fundati contexendum tradidit, quæ veneficiis usa, amatorio illud philtro, ad Antistitem traducendum, illevit. Qui ubi post sumptam vestem insueto se libidinis æstu rapi sensit, quem veste simul remotâ deponeret, aliis experimenti gratiâ eandem exhibet, cumque pari illecebra traherentur, ad examen deducta res, compertúmque Medeæ ingenium, ac soluta cœnobii disciplina. Et illa quidem hoc ejecta contubernio, aliæ rigidioribus obstrictæ vivendi legibus, candidum exinde in pullum vertere habitum jussæ. cumque detrectarent, abire loco, & in alia se condere monasteria coactæ sunt. Ex quibus Horreense in urbe, meliori disciplinâ cultum, plures excepit. Et hæc quidem Poppo rectè, sed illud perperam, quod sexaginta Virginum annonas, seu, ut ajunt, Præbendas militibus perpetui stipendii feudique titulo indulgeret. *Ita cæci mortales dum vitia aliena corrigimus sæpe admittimus propria, pœnasque, dum infligimus, promeremur.* Poppo à seelerata Monialis philtro tentatur, convertitque in pœnam cœnobium.

S. Maximini Religiosi, ex corrupta disciplina restituti, per Abbatem S. Popponem, frustra veneno petitum.

Nec spernenda morum labes, in laudatissimum aliàs S. Maximini juxta muros Monasterium sese infuderat. Opulentiam Henricus Imp. nuper liberali opum portione subtractâ facilè adimendo correxerat, tanquam disciplinæ sanctioris detrimentum; sed hanc laxatam pristinis legum cancellis constringere magis fuit difficile. In eam rem ex Stabuleto, vir pristinæ severitatis Poppo illi datus Antistes. Cujus rigorem cum Monastici non sustinerent, veneno vinum dapesque miscent. at vir sanctus divinis præmunitus antidotis, aut innoxiè sumpsit, aut præteriit. Quin ad ipsos rediisse autores visum. cum ante vertentis anni exitum pestilenti luce consumpti, terrorem in reliquos sparserunt superstites, ut jam vel timore, vel reverentiâ suo conciliati Præsuli, mitius ejus mandata, obsequentiusque exciperent: aliorum castigatione quæ felix pœna est, emendati.

Poppo ob tractata liberius Monastica bona Hierosolymam peregrinatur, substituto in vices Theodorico Metensi.

Et Poppo ubi se deliquisse sacrorum attrectatione bonorum, tam importunâ liberalitate in profanos usus transmissorum, videret. profectione Hierosolymam ad loca dominicæ passionis mysteriis celebria, usitato tunc pœnitentium labore suscepit, ac Theodorico Episcopo Metensi, Romanæ sedis indulgentiâ, suas in archidiœcesi vices commisit, assumpto non ignaro ejus profectionis socio, ex Tholeja, Simeone. Quod iter tantâ sedulitate, & locorum omnium peragratione, relicto in Syria Simeone, obiit, ut triennium pæne in eodem posuerit, ipsas Babylonis reliquias aditurus, nisi captivitatis illum metus diserimenque retrò egisset. Interea cum Theodoricus sacris Treviris præsidet, brevi reversurus, suæ aliquod operæ pretium colligere, minus laudatâ pietate, constituit. Nam cùm venerationis causâ, clavus Domini in ara expositus esset, ipse, Brunonis Antistitis malè olim tentato sacrilegio, nihil absterritus, formatum ad similitudinem clavum, dum ad aram faceret, substituit, verúmq; intra manicæ sinus abstraxit. At dum ex ara regreditur, ubertim è clavo per vestes defluens,

cruor

cruor Clerum attonitum, suoque Præsuli metuentem, ne quo vulnere perstrictus esset, circum attrahit. qui terrore ac consternatione plenissimus, cum occultare jam facinus non posset, rem, ut erat confessus, à Deo hominibusque facti veniam est deprecatus, manantemque adhuc clavum sangvine produxit, qui in hierotheca hodiedum, cum altero supposititio clavo, asservatur. Publico hic eventus chirographo, ab ipso præsule consignato testatus mansit. adeò muta etiam hæc metalla divinorum mysteriorum vini, & reliquiarum apud Treviros dignitatem extollunt. Id verò anno Incarnationis Dominicæ MXXVII calendis Julii factum Trevirorum fastis signatur.

Hic clavum Domini sufurari conatus, ab codē sangvinem fundente proditur.

Poppo demum cum S. Simeone reversus Treviros, Lutzelburgiorum factione, quæ Adelberonis nondum sortem æquo animo sustinebat, diœcesin haud leviter afflictam reperit, pacis tamen quam armorum cupidior, ad quietem omnia composuit. Et Sancto quidem Simeoni ad solitudinem, Deique solius conversationem aspiranti, nigram urbis portam, Martis quondam curiam, indulsit, ubi in obscuro molis angulo latitans, pane & aquâ pastus, inter assiduas preces, cantúsque, & mille Dæmonis insultantis terriculamenta, reliquum ætatis, singulari vitæ asperitate, transmisit.

An. Chr. 1028 Poppo cum Simeone reversus hunc passus est in porta nigra solitariam vitam agere.

Abbatis verò Popponis ad S. Maximinum virtus cum latius inclarescceret, Argentinæ illum sedi Episcopum admovere Conrado Imperatori visum est; sed is fugiens honoris, cùm nescio quod natalium obtenderet huic dignitati vitium: ubi illustri deinde ortu prodire Cæsar accepisset, demissionem honorandam ratus, totius Germaniæ Abbatiis illum, per se alioſve Præsules, ipsius judicio delectos, moderandis præfecit. Unde factum, ut lectissimis brevi Antistitibus, egregiâque morum castigatione Abbatiæ passim florerent; & quem nuper vix unius Asceterii Religiosi, nunc tota latè Germania imperantem sustinerent. *Tantùm est in parvis sæpe durare constantiâ, ut magna denique obstacula facilius perfrin-*

1029 Poppo Abbas Episcopatum demissione fugiens omnibus Imperii Abbatiis corūque Præsulibus constituendis præficitur, & egregiè disciplinā promovet.

fringamus. Unde ab illo hisce locis Epternacensibus Humbertus, S. Matthiæ cœnobio Bertulphus, Metensibus Heribertus, Hersfeldensibus Rudo, sive Rudolphus, Brauvveileranis iuxta Ubios Ello, aliis alii impositi. Ipse etiam Bosendorffii Monasterium, in amœno Lotharingiæ secessu juxta Niddam rivum excitavit, Cunonemque huic Abbatem dedit. ut unus jam, plurium instar, feliei S. Benedicti disciplinam, & instauraret successu, & propagine amplificaret.

1031 Authoritas ejus apud Reges.

Eratque tanta viri, cùm autoritas, tùm apud Reges etiam æstimatio, ut Henricum Galliarum Regem inter, & Conradum Imperatorem de Francis occidentalibus jam inveteratum dissidium, æquatâ causâ, animisque firmâ pace compositis, quod tot bellis sedari non poterat, voce sola auferret. Nimirum *Deo obsequentibus, humana promptius obsequuntur.*

Poppo Archiep. Epternacensem Ecclesiam consecrat, elevato S. Willibrodi corpore.

Poppo verò Archiepiscopus ab Humberto Epternacensi Abbate ad dedicandam recens erectam Ecclesiam, quam superiorum annorum everterat incendium, ad XIV. cal. Novembris invitatus, eam ritè consecravit, præsente Henrico Bojorum Duce, ex Lutzelburgiis loci Advocato. Quando & S. Willebrodi ossa sub altare SS. Trinitatis translata, divinæ edidêre præsentiæ signa. Nam & incorruptum prorsus per secula pallium sarcophago instratum fuit, eductumque ad miraculi spectaculum est, & hians tumba opobalsami fragrantiam vincere, omnesque perfundere gratissimo odore cœpit.

Thiofridus Epter. Abbas in S. Willibrodi vita.

Miraculosè sanatur desperatè læsus.

Quidam etiam è nobilitate Frithelo dictus, qui lapsus ex equo immedicabili plaga effuderat viscera, dum supplex ignoransque tumbæ allideretur, salutifera collisione pro vulnere salutem habuit, & viscera in sedem revocari, pristinamque redire sanitatem gavisus est, neque ingratus Servatori Divo deposito militiæ profanæ cingulo, se, cum duobus eximiæ indolis filiis, sacræ istic militiæ addixit. Dispar fortuna & exitus Frithelonis alterius, Bedensis pagi, seu ditionis, Domini, Epternacensis cœnobii Advocati. qui hoc munus, pro consuetudine

Mal⁹ S. Willebrodi Advocat⁹, unus alterque, plectitur.

dine malè Advocantium, non in defensionem, sed oppugnationem rapinamque verterat. Ille enim postquam, viribus, quàm æquitate firmior, Namurecensem bello Comitem lacesseret, non modò turpiter ab eodem profligatus est; sed postea à gregario etiam milite interfectus. Cumque gener ipsius Bertramus, Burscheti Dominus, pari injuriâ D. Willibrodi hereditatem carperet, avitis ipse dejectus possessionibus, & anathemate illigatus, vitam in servitute ærumnosam traduxit. Quippe rarò quisquam, ex dicatis Deo bonis, aut opulentior, aut felicior esse visus est: *Plures ex sacris opibus inopiam contraxêre. æruginis instar sunt, æs cui adhæserunt, sensim consumunt.*

Rudolphus hoc tempore Burgundionum Rex sine liberis moriens, præterito nepote, Henrico Conradi Imp. filio regni diadema, cum lancea, quæ Christi latus fixerat, hereditatem transcripsit. Unde hoc regnum nepote frustra ad armorum præsidia transeunte, Germanis cessit. An. Chr. 1032 Burgundia accedit Imperio. *Sigeb. ad an. 1034. Contractus. Blondus Lavizius.*

Friderico quoque Mosellanorum Duce, Theodorici filio, sine mascula prole defuncto, ducatus qui ad arbitrium Imperatoris reciderat, Gozeloni * Lotharingiæ Duci Godefridi fratris successori, ob navatam strenuè militiâ operam collatus est, amplis terrarum spatiis, à Mosella ad Scaldim usque, deinde præfuturo. Ita cum hominibus imperia transferuntur, nec cuiquam, nisi post hanc vitam, certæ possessionis spes relicta est, pro qua tamen, licet amplissima, longè minori contentione certatur. * *Gozilo vel Gothelo.* Mosellanicus ducatus Lotharingico in Gozelone jungitur.

Popponem Abbatem hæc nihilominus cura tenuit, perque omnem versavit religionis, in Monasteriis promovendæ, industriam. Quo consilio Treviris Joanne nepote ad S. Maximinum substituto, in Stabulense, unde primum advenerat cœnobium se transtulit, ad labantem inibi disciplinam sustinendam. Sed & illic repertus est, qui legum præscriptarum impatiens, injuriosius sancti viri conatus interciperet, vindicante rursum Deo, & im- An. Chr. 1033 Popponi Abbati Stabuleti repugnans punitur.

& improvisa lue, miserabilique lethi genere pertinacem conficiente. Nec Conradus Imperator virum sibi charissimum hic consistere diu est passus. siquidem gentilitium sibi castrum Limburgum, Nemetes inter Vangionesque situm, in Monasterium ipsi cum basilica S. Crucis & D. Joannis Evangelistæ transferendum commisit, coloniamque eodem Religiosorum diducendam, quod cum insigni solertia præstitisset, accersitum Treviris Joannem ascetis præfecit. ut sumptus huic operi Imperator, operam Poppo, uterque laude egregiâ, commodârit.

Limburgo Spirensi in Monasteriũ vertendo præficitur.

1034

Subinde inclusus Trevirorum portæ tenebris B. Simeon emicare moriens in novam lucem visus est. Eberwinum Abbatem suæ quondam peregrinationis ducem, imminente prænuntiatæ mortis tempore, ad se invitavit, ultimam accepturus daturusque salutem. Qui divinum se hominem, cælestique odore inter latebras obscuræ cellæ fragrantem convenire arbitratus, ultimos amplexus, verbaque discedentis excepit. quibus sibi ab Archiepiscopo exorari petiit, ut in eâ, quâ vixerat, portâ sepulchro relictum corpus mandaretur, quod etiam, Junii calendis anni MXXXIV moriens, est assecutus; tantâ sanctitatis cælitus probatæ demonstratione, ut innumeri prope cæci, claudi, mutili, & quibuslibet morbis, dirisque afflicti homines pristinæ integritati redderentur, nec avelli incolæ accolæque loco possent; sed per dies omnino triginta funebris, interfaces hymnosque, apparatus, non intermissis studiis duraret. Nec Regum quisquam eâ posset exequiarum solennitate frui, quâ ex latebra hac sordibusque, tanquam ex carcere quodam, productus Eremicola cultus fuit. adeò *mors Sanctorum pretiosior nobis est, quàm vita, & qui Regibus in solio, his in tumba honor defertur*: nisi, quod horum veneratio secus quam illa, fuci expers, omnem malevolentiam excludat.

S. Simeon Eremicola moritur, & in porta nigra, pluribus miraculis editis, sepelitur.

1035

Aberat hoc tempore in Italia Conradus, Mediolanensis Archiepiscopi rebellioni frangendæ intentus, cùm

Ob

Odo Campanus, Rudolphi Burgundiæ Regis nepos, amissi dolore regni, & Tullensium quorundam provocatione stimulatus, in Lotharingiam sese armatus infudit, Barrique castro occupato, latè arma terroremque circumfert, sed Gozelo, fortissimus Lotharingorum Dux, obviam factus, cadente licet sua ex parte Namurcensium Comite, ex clade acceptâ ferocior, tantâ vi adversariis incubuit, ut Odone interempto, pax, Burgundiaque ut vocant Jurensis Robertoque Franciæ Rege assentiente, Austrasiæ imperioque accesserit.

Nepos Burgundi rebellans à Gozelone Lotharingo frangitur. 1036

Aucta subinde XII mansis Michlenbaci Trevirensis Ecclesia, per Thietfridum est Advocatum, postquam Poppo illius cum Lucharde consangvinea matrimonium, adhibitis in consilium Peligrino Colonensi, & Bardone Mogumtinensi, Archiepiscopis, ratum habuisset. Idem verò deinde suffraganeis Episcopis, Theodorico Metensi, Lamberto Virdunensi, & Brunone Leucorum provinciali synodo cum universo clero, de archidiœcesalis Ecclesiæ commodis deliberavit, donationemque ampliſſimarum vinearum, juxta Beronis castellum, S. Eucharii monasterio, ab Adelberto & Judith Lotharingiæ Dynastis factum, probavit. Atque instauratis jam summæ basilicæ ruinis, S. Maternum, à latere D. Eucharii avulsum, maximâ solennitate, Episcopis præsentibus, consecratæ intulit.

Thietfridus Advocatus benefacit Ecclesiæ Trev.

An. Chr. 1037.

Monasteriis S. Eucharii seu Matthiæ vineis donatur.

S. Maternus ad summam ædem transfertur.

Quo tempore adhuc superstes Adelbero S. Paulini Præpositus amplas possessiones in Ecclesias & Monasteria testamentaria legatione partitur, Prumiensi cœnobio Wiltingen, decimas illi adjunctas S. Mariæ ad Martyres, Emmel S. Maximino, prædium Ocfe S. Martino, villas Nenniche, Paltzele, Dilmare & Helfeldt S. Euchario, additis, quæ in Hempteren, Balderingen, Lampaiden, Bermerold possidebat. quibus jacturam se diversis illatam rependere profitetur, insigni terrenarum, & vitæ præsentis, quarum priùs amore deliquerat, aspersione, hoc, in ceteris verbis diplomatis, usus dissicho:

1038

Adelbero S. Paulini Præpositus Monasteriis sua bona largitur.

Præsens

Præsens vita statum nescit præstare beatum:
Cùm sit inæqualis, nunc lucida, nunc pluvialis.

Verus ex propriâ experientiâ Vates quorum *nonnulli sunt, qui tunc primum cum desinendum est, rectè vivere didicerunt*: feliciores utique, quàm illi, qui totâ hanc artem vitâ nequeunt comprehendere.

1039

Conradus Imp. moritur in Trev. Ecclesiam beneficus.

Mors deinde in suprema duo Germaniæ Procerum capita incubuit: alter Conradus præclari nominis virtutisque Imperator, dum grassantem in Italia pestem declinasset, hanc, in extremis septentrionalis Germaniæ oris, apud Frisios Nonis Junii anno MXXXIX, oppetiit, Trevirorum Ecclesiæ pluribus beneficiis, inprimis comitatus Marsfeldiæ, exoleto nunc pæne nomine, commemorandus.

1040.

S. Cunigundis ex cella ad cœlum transit.

Altera Cunigundis quondam Augusta, nunc augustæ habitatrix cellæ, ex qua multò illi expeditior ad cælũ via, ad III. diẽ Martii anno ejus seculi quadragesimo patuit. Quæ cum Friderico fratre Lutzelburgensium Comite, & Giselberto ejusdem Germano, Trevirensium Ephemerides inter benefactores exornat, Sanctorum cum viro fastis inserenda. Quorum licet magnus in Ecclesia proventus; similium tamen inter aulæ imperiique libertatem ac delicias conjugum simul virginumque rarissimus. Nullam hæc in vita maculam passa erat, nisi invidæ suspicionis, quæ apud Henricum Imper. adulterii accusata, accusatores erubescere coëgit, quando ignitam è foco productam galeam, illæsa manu ac capite sustinuit. victoriâ quâ æternùm triumphabit.

Suspicione sceleris per ignem liberata.

An. Chr. 1042

Simeon Eremicola Sanctis accensetur.

Nec multò post Popponis Archiepiscopi postulatione B. Simeon, ante sexennium Treviris vitâ functus, Benedicti IX Romani Pontificis consensu ac definitione, post tot cælitus oblata sanitatum beneficia, ceu indubiæ felicitatis æternæ argumenta, Sanctorum Catalogo accensus est, eademque, quam habitaverat, porta obstructa, inferne per altissimos gradus aditu, tectóque altius erecto, muris Romani antiquissimi operis (cui hodiedum durant) stantibus, in fabricæ illustris templum est transformata.

15. *cal. Decemb.*

Templum & Collegium Canonicorũ

formata, erectòque ibidem, sancti Simeonis nomine, Canonicorum à Poppone Collegio honorata. quod ad nostram usque memoriam, præclaris doctrinâ ac virtute viris efflorescit. ut Romana illo in loco, non operis tantùm, sed & religionis antiquitas visenda emineat.

ejus nomini à Poppone erecta.

Henricus Rex niger à crinium colore dictus, qui Conrado Patri, in imperio juxta curisque, successerat, Petrum Hungarorum Regem S. Stephani successorem, in fidem tutelamque susceperat cum Ovo * Petri æmulus, militiâ juxta felix audaxque, post occupatam Hungariam, in Austriam Bojariamque usque, se victor effundebat. Huic ad Danubium Popponis sese frater Adelbertus Austriæ Marchio, cum Luitpoldo filio, habili ad arma juvene, tanta animorum armorumque virtute objecit, ut qui Imperatorem occursurum non formidabat, ipsius se clientibus submittere, cæso ad internecionem milite, coactus sit. Fractâ igitur cum tumore hominis audaciâ, ultro se ad pacem, obsidibus ab Hungaria datis, obtulit, &, partem regni pactus, acquievit.

1043

* *Alii Vban.*

Henricus Rex Hungaros in tutelam recepit.

Ovo Hungariæ invasor ab Adelberto Popponis fratre victus.

Porrò Henricus Constantiæ, frequentissimâ procerum synodo; ne quibus ipse metuendus, aut metuendi ipsimet, ex mutua dissensione, superessent; donare se injurias omnium professus, hanc vicissim à Suevis Germanisque mutuâ dissensione inter se collisis professionem Christianâ pietate extorsit, quibus turpe visum est, iras odiaque non ponere, ubi Rex potentiorque ipsis vindex, ultione abjurata adeò sanctè mansuescceret. Admirabili sanè Germanorum procerum exemplo, quod laudatores hac ætate facilius, quàm imitatores habiturum est.

Henricus injuriarum oblivionem sanxit.

Quò & alterum Henrici Regis exemplum nuptiarum cum Agnete Guilhelmi Principis Pictavorum, vel filia, vel sorore celebratarum Ingelheimii, adduci quear. Cum remoto omni luxu, histrionumque ac ludionum nugis & sevitate, pauperum ad palatii fores gregem, quàm hoc pascere hominum genus maluit. Et opportunè, quando fortissimus istic juvenis Luitpoldus Popponis

Modestia nuptiarū ab Henrico celebratarum.

ponis nepos vivere inter hilaria epularum desiit, publicisque haud levem mœrorem gaudiis asperſit. quem secum Poppo traductum Treviros justis illic funebribus est prosecutus.

An. Chr. 1044 Sterilitas, fames, & pestis Germaniam sexennio affligit.

Annus consequens seculi undecimi quartus & quadragesimus, ut rigidissima hieme adussit vites, ita infelici sterilitate famèque ac peste, ceu flagello triplici, Germaniam Galliamque afflixit. tantò gravius, quantò irremediabilius, lustro post integro propagatâ calamitate. Hungaria tamen diversâ rursum Ovonis rebellione concitata, Henricum, cum Adelberto Popponis fratre, in arma iteratò excivit, qui validissimum hostis exercitum clade internecinâ prostravit. quanquam non sine aliqua Trevericorum strage procerum, quibus honestius visum est, hostili ferro victores, quàm domi fame ac peste victos succumbere. Treviros subinde Rex ad Popponem Natalitiis Dominicis revertit, illique præter cetera beneficia, antiquum monetæ ac teloniorum jus firmavit.

Hungari bello victi.

Rex Popponi Treviris benefacit.

1045 Godefridus Mosellaniæ Lotharingiæ Dux, exclusus ab Henrico, & receptus.

Godefridus Gozelonis defuncti filius, cum fratre Gozelone, ille ob arrogantiam, hic ob ignaviam ab Henrico excluſus, principatu Mosellanico in Adelbertum translato; ut per Henrici absentiam armis omnia confuderat, ita præsentem veritus, cum se stitisset supplicem, memoriamque dominæ nuper omnibus injuriæ suggereret, hac etiam oblitterata in gratiam rediit, ac Lotharingico-Mosellanas possessiones recepit, pro Gozelone tamen fratre rebus quæ Lotharingiæ Fridericus Lutzelburgicus Comes & Cunegundis, superstes etiamnum, germanus renuntiatus est. Quam Regis in alienos præ suis liberalitatem, cum æger animi non ferret, ipso in Italiam digresso & Francorum Rege Henrico favente miserabili Tullenses ac Virdunenses excidio ac vastatione depopulatus est. ut quantumvis Wazzo, Leodiensium id temporis præstantissimus Antistes, operam Franco avertendo

1046 Friderico Lutzelburgico pars Lotharingiæ data, occasio rebellionis est.

Wazzo Leodiensis intercedit.

opera

opemque Virdunensi Ecclesiæ, collato ære, præstando contulerit; impar tamen levandæ calamitati præsidium esset. Ipse demum post annum Adelbertus insidiis Godefridi interceptus succubuit. adeò *vita nobis aliorum vilis est, dum pro exili terrarum portione decertatur.* Adelbertus occiditur.

Et parum glorioſa, quamquam pro augustali honore susceptа Henrici nostri expeditio fuit. Romæ enim fœdissimâ tempestate factiosorum jactata Ecclesia est. pro Benedicto IX, nunc Silvester III, mox hoc per Tusculanos Comites amoto, rursum Benedictus atque illo pecuniis abdicato, Gregorius VI cœperat præsidere, quod Henricus absque suffragatione suâ factum indignatus, in Sutriensi Episcoporum synodo Bambergensem Episcopum Suidegerum, quantumvis, reluctantem, Clementis II nomine præficit, & ab eodem Romæ cum Agnete imperiali coronâ redimitur. Hinc in Germaniam redux, cùm Spiræ moratur, Popponem Trevirensium Antistitē morbo, ac brevi post morte, interceptum cognoscit. Ille enim dum metropolitanæ ædis fabricæ amplificandæ, flagrante solis æstu adsistit, usitatâ correptus febri, impar jam ex senio viribus, non vulgari sanctitatis famâ occumbit, memoriâ illius, fatali die, qui XVI cal. Julii fuit, quotannis in Clero repetitâ Depositus pontificali ornatu in S. Simeonis, excitata ab illo, ædesacra fuit, epitaphii versibus jam vetustate obtritis. Ex quibus hemistichion extat. *Spes gratissima Cleri.* Et *Clara manens lux.* quòd virtutum illius decus nulla ætate obscurandum sit. Liberalitas certè ipsius in omne genus hominum, præcipuè sacrorum, per diversas Ecclesias, largitionibus profusis, cognita est. S. Simeonis Ecclesia, ut diximus, cum collegio ab eo fundata Primaria ædes corte Koreiâ, villisque Irâ, Odelingâ, Wilezîâ, Suemichâ, Beverâ, ab eodem aucta est. Canonici S. Castoris apud Confluentes decimis Salicæ quondam Logensteiniæ, Partenheimiæ, Kerlichæ, ac Paffendorfiæ donati. Diœcesi etiam ipsius beneficen-

Henricus in Italia novo Pontifice instituto Clemente II, coronatur.

An. Chr. 1047

Poppo Trev. Archiep. sanctitatis, & liberalitatis in Ecclesias ac pauperes famâ celebratus obit.

tiâ acceſſit nemus Kylenvaldicum, à Kyla, ſeu Gelbi, influente, ad Quintam rivum uſque porrectum, ex Eiffliano etiam tractu cortem junxit Brunsfeldicam, & Enſchæ. Rivum oleviæ novo opere, inclusóque lapidibus canali per urbem, magno publicæ rei bono duxiſſe, in faſtis memoratur. In pauperes ea viri fuit miſeratio, ut cum in ſumma annonæ victuſque penuriâ inopum grex ad urbem revertenti obviam fieret, ac lamentabili voce inediæ aliquod remedium flagitaret, iſque æs omne præſens offerret, illi verò non pecuniam, ſed equos ad ſedandam famem poſtularent, & ipſe, & ejus exemplo ſocii, equis diſceſſerint, eoſque miſerabili eſurientium turbæ, ad lenienam & paſtum repentè irruenti, indulſerint. Spectaculo quo & Popponis humanitatem, & afflictorum id temporis hominum calamitatem poteris æſtimare. Erat Popponis egregia in ore exporrectáque fronte dignitas, procero corpore, ſed majore animo ornata. Soror illi Chriſtina Simeonis exemplo Treviris incluſa, quæ 3. Nonis Novemb. beatæ illic mortis recordationem in faſtis reliquit.

Inediâ preſſis proprium cedit in via equum pro fame ſedanda.

Sororis illius Chriſtinæ ſanctitas.

Imperator, morte Præſulis cognita, Eberhardum Wormatienſis Eccleſiæ Præpoſitum, ex Ezelino Comite Palatino Alemanniæ & Mathilde Theophaniæ Ottonis III conjugis genitū, nec virtute quàm genere minorem ſubmiſit, Clero populóque ad hoc munus acceptum; quòd quo eminentiorem quemque profanis hoc ferè utiliorem ſibi hactenus experti fuiſſent, & Imperatori gratum eſſe reip. Antiſtitem, id non levis momenti eſſe ducerent.

Eberhardus illuſtri genere Trev. Archiep.

An. Chr. 1048

Secutus in morte Popponem, ſanctus Poppo alter Sanctmaximini Abbas fuit, in Martiniano Belgarum Monaſterio dum iis locis diſciplinam curat, defunctus. Unde Leodium funus, atque inde à Wazzone Epiſcopo Stabuletum primam ſuæ religionis ſedem delatum eſt, iſtic celebri miraculorum gloriâ latè cognitus.

S. Poppo Abbas Maximinianus mortuus

Que

Quem ceu prodromum sui funeris, Wazzo eodem anno morte pressit, hoc suorum notus elogio:

Ante ruet mundus, quàm surget Wuzzo secundus.

Wazzo Leodius Episcopus secutus.

Nec mors tam illustribus sanctisque placata hostiis, Damasum Romanorum Pontificem à summa sede avulsit. Henricóque curæ fuit, ut Bruno Tullensium Episcopus, omni laude cumulatissimus in Synodo Wormatiensi à se suisque electus sufficeretur. Qui nequicquam obnisus, ac denique induci se passus, quando, cum Eberhardo Trevirorum, Adelberone Mediomatricum, & Theodorico Virdunensium recèns delectis Episcopis, Romam iter legebat, fortè Cluniaci in Hildebrandum, è Tuscia magnæ existimationis Monachum, & postea Gregorii VII nomine Papam incidit: cujus consilio, sine pontificio Romam habitu ingressus, istius sese Cleri votis suffragiisque permisit; ne à profanâ manu sacrum munus iniqua usurpatione accepisse videretur. Nec Clerus ab Imperatoris judicio discessit, Brunonis etiam demissione ad suffragandum invitatus, quòd mereri videretur, qui tot nominibus dignus non refugeret abjici. Leonis placuit electo nuncupatio, eratque jam diu à Superis ad hoc munus destinatus, cùm per somnum sibi visus esset à D. Petro Apostolo pontificali in habitu ad aram deduci, ac postea ingenti populo S. Synaxin distribuere, quinque calicibus de manu Apostoli sumptis; cum illi qui ponè sequebatur tres, denique tertio unus solum daretur. qui, ut deinde agnitum est, pontificii annos signarent. Nam ipse Leo quinque, Victor tres, Stephanus unum præfuisse compertus est. Vidit & Ecclesiam sibi deformis horridæque anus specie objectari, quam dum vitabundus, monstri improbitate territus, declinaret, crucisque eidem signum objiceret, in terram prolapsa, repentè, abstersa omni turpitudine, amabilem venustissimæ Virginis formam induit, quæ honesto illum amore provocaret. Nimirum, incontinentiæ ac Simoniæ labe infectam, Leo ad cultiorem imaginem reducturus quondam erat. Quæ

1049 Bruno Tullensis Episcopus in Synodo Wormatiensi ab Henrico Papa dictus, Romæ tamen cum Eberhardo novæ se electioni sistit, & Leo IX dicitur.

Electio Brunonis à Deo præsignata.

Ut & Ecclesiæ in Simonia & incontinentia reformatio.

prima electi deinde cura fuit, Synodis per Germaniam Galliamque hac de causa, ut videbimus, institutis.

Eberhardus privilegiorũ & primatus inprimis cõfirmationem obtinet. quẽ Hildebrandus postea Gregorius VII. Pap. sustulit, colonienſi Archiepiscopo prælato.

Et Romæ quidem Eberhardo Trevirensium Archiepiscopo, antiqua primatus excellentia novo diplomate, uti & possessionis Romanæ quatuor coronatorum cellæ, confirmata est, stetisset que prior dignitas, nisi qui in comitatu nunc aderat Hildebrandus, legatus deinde ad Colonienſem Archiepiscopum Annonem missus, illius occupatus studiis, demum Pontifex, hunc nova dignitatis prærogatione antetulisset, vagabundo pro hominum affectibus ingeniisque faventium honore; ceteroquin non temere ab eo, cui prima ætas & Apostolicus favor dedisset transferendus. Petrus Eucharium Treviris submisit, Episcopum. Eucharius Maternum ex subdiacono à se formatum Episcopum Colonienſibus. Ut olim Eucharo ejusque successoribus, unâ præsertim lineâ subeuntibus, antiquitatis missionisque jure, velut hereditario, primatus cessus sit, quem denique Hildebrandus Colonienſi defert, *ob recordationem*, inquit, *disciplinæ, quâ tempore antecessoris nostri, in Ecclesia Colonienſi, enutriti sumus*, ut si ipsius bona enutritio Apostolicæ missioni præferenda esset.

Leo IX. In Germaniam ac Treviros appellit.

Leo verò Pontifex statim ad Ecclesiarum disciplinam instaurandum accinctus, post obitas Latii urbes, Alpibus superatis, in Germaniam & ad Henricum se transtulit, ac Godefridum Lotharingiæ Ducem, quem obsaepta profanáque magnis cladibus diruta, anathemate percusserat, pœnitentem, & publica etiam verberatione juxta canones perstrictum, cum Imperatore & Theodorico Episcopo in gratiam restituit, damna illata pro viribus reparaturum. Treviros subinde invisit, Ponte etiam Leonis, quem ingressuro super rivum Everhardus struvit, nomen ab eo ad nos transmittente. Hic omni honore cultus Paulinianam, recèns instauratam Ecclesiam in honorem S. Crucis, S. Paulini, & Trev. Martyrum Felicisque, Mari, ac Modoaldi (quorum hic quiescunt corpora) consecravit, larga peccatorum cum pœnis remissione

Pons Leonis ab ipso dictus, quem Eberhardus venienti strauit.

missione indultâ, qui certis hoc templum anni tempo- Dedicat Ecclesiam S. Paulini & arâ S. Simeonis.
ribus religiosâ pœnitudine subirent, aramque B. Clementis privilegiis ornatam, non nisi constitutis in dignitate, usque ad Decanum templi, personis ad sacrificium indulsit. Illam quoque dedicavit S. Simeonis aram. quam dæmonem, frustra evertere conatum fuisse, impactis ad latus ungvium, ut apparebat, vestigiis fabulantur. Quod ob operis raram solidamque compagem, ejus Diabolum autorem velint; indignatum denique, cùm sacris illa aptari cerneret, quæ profanis ipse voluerat usibus destinari. At Leonem hunc Romanum signa consecrationis suæ veriora reliquisse, etiam superiori ævo, cum, revulsâ ad refectionem arâ, ejus insignia, in erutâ Reliquiarum thecâ, conspecta sunt, pro comperto recitamus.

Hinc, cum Eberhardo, Pontifex Tullos ingressus, to- Pontifex Eberhardo cõmite Rhemis concilium indicit, ubi diversi Simoniæ, nec sine prodigio cõvicti punitique sunt.
tius Galliæ Episcoporum indixit concilium, simul ejusdem loci basilicam, novo eductam opere, solenni cæremonia sacraturus. At Henricum Regem ut obsisteret, pœnè induxerant Episcoporum nonnulli, causæ istic dicendæ formidantes. Perficit tamen cum Pontifice æquitas, indictáque synodo ad Simoniæ quæstiones deventũ, ubi cum Eberhardus Trev. Archiepiscopus liberè pronuntiasset, neq; datã, neq; acceptam à se sacrorũ ordinum, aut dignitatis gratia pecuniam, Rhemensis violatæ religionis postulatus hæsitare, moraque nectere, ideóque nec criminis suspicionem evitare est visus. Lingonensis verò, cùm purgandi sui gratia Hugonis Vesontini Archiepiscopi patrocinium exorasset, huic propugnaturo lingva obriguit; ut nec deinde, nisi Pontifice cum ceteris ad intercessionem S. Remigii versis, sermo redierit. ac Lingonensis divino peristrictus judicio, publica delictorum confessione, Romanum iter nudipes susceperit, ut istic ad Apostolorum limina posset expiari. Quod tanta jejuniorum, & castigati corporis severitate instituit, ut redux in via pœnitentiæ victima succumberet: periturus forsitan, nisi sic periisset. Defensor iniquus elinguis redditur.

Metenſi & Moguntinâ Synodo Eccleſiam purgat.

Hinc Metas reverſus, poſt dedicatam S. Arnulphi baſilicam, Moguntinenſem ad Synodum tranſiit, Eberhardo comitante, ubi Henrico, & quadraginta facilè Epiſcopis præſentibus, Simoniaca impuritatiſque Clero adhæreſcens labes dignis vindicata pœnis, legibuſque ſeveris proſcripta eſt, & Sibecho Nemetum Epiſcopus, cùm adulterii objectum crimen S. Synaxeos ſumptione purgare nititur, diſtorto ore maxillaque cælitus punitus, temeritatem perpetuâ deformitate luit, ſolo deinde ſilentio flagitium confeſſus.

Leo ſigno Crucis dæmoniacum liberat.

Leo hinc Augiam inſulam conſecrandæ Eccleſiæ gratiâ adiit, atque inter ſacra officia obſtrepentem turbantemque omnia dæmoniacum S. Crucis ſigno, non modò domuit, ſed à maligno etiam obſeſſore vendicavit. Inde, per Bavariam, Italiam reviſens, poſtquam Vercellenſi in ſynodo errorem Berengarii, Chriſti in Euchariſtia præſentiâ inficiantis, damnaſſet, Germaniæ ſeſe ac Lotharingiæ anno proximo reddidit, Tullenſis ſuæ Eccleſiæ, quam nec Pontifex quidem deſerere ſuſtinuit, curam habiturus. ubi diverſorũ locorum ſacra moreſq; inſtauraſſe, baſilicaſque Deo Sanctiſq; dicaſſe, ac denique S. Gerardi corpus in æde Tullenſi honoratiorem in ſedem tranſtuliſſe memoratur, ſuæ poſtea Italiæ redditus. Theodoricus quoque ad S. Maximinum, à Poppone deceſſore ſuo præfectus, Antiſtes, à Leone hoc anno diploma confirmatorum privilegiorum Dagoberti, Pipini, Caroli, Ludovici, & Arnulphi Regum, Henriciquæ, Conradi, & Ottonum Imperatorum obtinuit. Bona, verò Monaſterii in alios quàm hoſpitum ac cœnobitarum uſus erogari vetat, & ſub anathemate cavet, ne quis illa depeculetur: Henricumque Imperatorem ad quaſdam poſſeſſiones reddendas juxta Loganam, invitis Monachis occupatas, inducit, cautelâ in futurum ab Imperatore ſcriptis tabulis præſtitâ. Quòd metuendum eſſet, ne Henrici Sancti exemplum plures in hujus Monaſterii bonis ſubtrahendis, quàm propriis facultatibus largiendi

An. Chr. 1050 1051

Tullis apud Leucos diverſas Eccleſias conſecrat, & B. Gerardi corpus levat.

Sanctmaximinianis antiqua privilegia confirmat.

dis imitarentur, *cum ad accipiendum plerumque etiam Principum aperta manus sint, ad dandum contracta.*

Eberhardi verò Trevirorum Præsulis solertiâ res quoque diœcesanæ locupletiores effectæ sunt, quando Imperatoris & Procerum consensu, Walramus Arlunæ Comes Ecclesiæ Trevericæ beneficiarius, aliis quibusdam à B. Petro acceptis prædiis, se aliosque vicissim ad præstanda militiç, eis & trans Alpes, onera obligat, cessurumque omnibus etiam propriis in Meinfeldico tractu bonis denuntiat Ecclesiæ, si liberi, aut nepotes, sine heredibus decesserint: interea precariâ lege omnibus potiturum. Quæ solenni firmata diplomate Marchionatum Arlunensem Metropolitanæ Trev. Ecclesiæ anno MLII devinxerunt. Tabulas hujus transactionis apud Brovverum reperies. 1052 Eberhardus diœcesin Trev. amplificat, & Arnlunensem illi comitatum devincit.

Romæ Pontifex, cum solenni in Synodo B. Gerardum, Leucorum quintum ante se Præsulem, ob eximiam vitæ morumque præstantiam, sanctitatis titulo honorasset, in Germaniâ ad Henricum se transtulit, & Hungariæ Principes, tributorum onera detrectantes, cum Germanis conciliare conatus, Imperatoris aures animumque aversum quorundam artibus reperit. ut proinde Hungari, qui indulgentiâ retineri in obsequio poterant, asperitate ad cædes populationesque fuerint concitati. Obtinuit tamen contrà Nortmannos, Pontificiæ ex Apulia ditioni infestos, auxiliaria Germanorum arma, quibus strenuum Lotharingiæ Ducem Godefridum præfecit, ac cum Friderico ejus fratre, purpuratis deinde Patribus adscripto, Nortmannis cohibendis objecit. Gerardus Tullensis Episcopus, sanctus pronuntiatur. An. Chr. 1053 Godefridus Loth. Dux contra Nortmannos in Italiam ductus.

Subhæc Imperator Goslarienſi, in Saxonia inferiore, basilicæ exornandæ intentus, repertum nuper apud Treviros S. Valerii, Divi Materni antecessoris, corpus, sibi suorumque pietati excitandæ petiit indulgeri. Cúmque impetrasset, Vilmariam, haud ignobile ad Loganam municipium, S. Eucharii apud Treviros Monasterio largiius est. donationis tabulis hac super re anno MLII Cæsar impetrato pro Goslaria S. Valerii corpore, Monasterio S. Matthiæ largitur Vilmariam.

confectis. Desiderabat impensè idem Henricus Cæsar sibi quæpiam ex ossibus S. Matthiæ Apostoli communicari. Sed cum hæc apud S. Eucharium recondita hominum observantiam fugerent, Eberhardus Romæ versatus (ut solenne tunc Præsulibus hanc sæpius invisenti) in librum incidit, qui hunc Apostolum, à D. Helena Constantini Matre, Romam, hinc per Agritium Treviros, ad S. Eucharium, translatum memorabat. ubi juxta Divorum Eucharii, Valerii, & Materni corpora, Austrum inter & Aquilonem, sinistro in latere depositus, quiesceret. Antistes igitur paucis secum assumptis, in quibus Adelbero Metensium, & Theodoricus Virdunensium Episcopi, istic cœpit humum scrutari. cum hâc egestâ, cælestis odor, latentem thesaurum prodere, & circumfundi qui aderant certatim præsentes; ut visu tactuve experirentur, fortè etiam quippiam subtraherent, in quod dū vehementius incumbit Theodoricus, divinitus conterritus tantâ retro vehementia fertur, ut pars vestis in sacrophagum propendens, istic avulsa relinqueretur. Unico tantū cœnobitæ impunè fuit admovere manus, ac sacra ossa tripartitim digerere, cujus deinde in vita reliqua medii digiti, cum de S. Matthia sermo esset, oleo distillare visi sunt. An igitur hinc quippiam Henrico Imperatori cesserit, incertum mansit. Romæ porrò de quid etiam ex sacris ossibus relictum fuisse, inscriptas, quæ in S. Maria Majore visitur, probabile nobis facit. Caput tamen, præcipuáque ossa attineri Treviris, Pontificum Rom. diplomata, atque indulgentiæ; tum celebratæ totâ Europâ ad ejus sepulchrum, remotissimis locis jam olim peregrinationes, & innumera tot seculis patrata, ad ejus monumentum, sanitatum miracula, mortuique ad vitam revocati sat manifesta testificatione promunt; ut Romanis titulum Treviri, his tam luculentis freti possessionis testimoniis, non invideant doni etiam præstantiam gratis animis venerentur.

Eberhardus S. Matthiæ corpus indagat.

Et reperit cœlesti odore proditum, sed tangi impatiens, præterquam ab uno Religiosorum. cui dein digiti sæpe oleo stillant.

Godefridus Lotharingus in Italia per conjugium

Godefridus interea Lotharingiæ Dux benè auspicatus in Italia bello nuptias junxit auspicatiores, fretus Bonifacii potentissimi Italorum Marchionis Beatrice

dua. cum quâ Parmæ, Mantuæ, Ferrariæ ac Tusciæ amplissimas possessiones adiit, jam ipsi Imperatori metuendus. fit Mantuæ & Tusciæ Dux.

Fridericus verò frater, cum Petro Amalphitano Archiepiscopo, & Humberto, ex Tullensi Monacho, Cardinali, Episcopo Silvæ candidæ, viris ejus seculi doctissimis, & hoc non Græcè minùs, quàm latine facundissimo, in orientem, conciliandæ ejus gratiâ Ecclesiæ, profecti, atque in certamen de primatu, azymis, aliisque controversis progressi, adeò manifestam retulêre palmam, ut Niceta Pectoratus, disertissimus adversæ partis Monachus, palam Romanis accesserit, & Imperatore Constantino Monomacho indulgente, Michael Patriarcha, cum Leone Bulgarorum Episcopo, in S. Sophiæ templo, magnâ populi frequentiâ damnati sint, execrationis formulâ super aram relictâ. Legati mox egressi, post ritè compositas Latinorum Ecclesias, excusso pedum pulvere, non sine Imperatoris applausu muneribusque Italiam revisêre; sed Leonem, insigni sanctimoniæ famâ immortalibus junctum repêrere. Tullensibus ad XIX Aprilis ejus memoriam perennantibus. An. Chr. 1054. Fridericus ejus frater splendidæ legationi in orientem pro illius Ecclesiæ reconciliatione præest. Patriarcha cum suis excommunicatur.

Aquâ expeditione Fridericus Cassinum adiisse Montem fertur, atque istic in legatorum Cæsaris præsentia, damnatâ mundi vanitate religiosum sumpsisse habitum, simulque renuntiasse Imperatori, cujus premebatur invidiâ, sperare se hoc inhabitu extra jactum livoris futurum, quo mundi totius facultatibus abscederet: nihil enim habenti, nihil invidendum. Fridericus sit Monachus.

Henricus verò Imperator Episcopis Principibusque Germaniæ Aquas evocatis, Henricum filium, licet puerum, Hermanno Colonienſium Archiepiscopo, non sine Lupoldi Moguntinensis obnisu, Germaniæ Regem consecrandum obtulit: ac deinde Comitiis Moguntiam traductis, Gerardum Eistatensium Episcopum, usurpato magis, quam laudato jure Romanum Pontificem edidit. Insigni tamen prudentia hac sede dignum, quem Roma Victoris II. nomine excepit. Henricus verò cum exercitu Cæsar Henricum filium puerum Aquis ad coronam offert. Alium edit Pontificem Victorem II: An. Chr. 1055

Godefridum Tusciæ Ducem in Italia subigit.

citu secutus est, ad Godefridi Lotharingi, jam Tusciæ Ducis, insolentiam frangendam. Sed ubi Beatrix uxor obvia virum carceribus inclusum Imperatori ad pœnam offerret, Godefrido delictum, Beatrici virum donavit, reversusque in Germaniam eodem post se Victorem

1056 Moritur Goslariæ.

traxit, ac regiâ planè magnificentiâ Goslariæ habuit. Ultimum tamen in hac tragœdia actum suâ Henricus morte nonis Octobris concluſit, quinquenni post sere-

1057 Victor Coloniæ synodū instituit. & firmat Eberhardo privilegia.

licto ejusdem nominis, diversæ sortis filio. Victor hinc ab exequiis Coloniam profectus, institutâ Synodo cui præter Annonem, Colonienſium nuper creatum Antistitem, celeberrimæ existimationis virum, etiam Eberhardus noster interfuisse visus. certè veterum privilegiorum, pari quâ superius sententia confirmationem sed non diu valituram est assecutus, Regisque pueri latus cum Annone Andernaci stipavit, cum Henrico Palatino Comite Ecclesiæ Trajectensis Ministeriali. Qui cum pro more huic Ecclesiæ Advocatum dedisset, pro tutore raptorem; atque iccirco Gulziani clientes ad Regem querelas Andernacum deferrent; hic in equo superbè phalerato consecutus, ubi in conspectum Principum venisset, ab ursa, quæ haud procul, aderat, ruptis catenis in hominem provolante, repentè confectus est, nullâ alterius præsentis offensione, & nec degustata quidem præda, ad suam sedem fera digrediente: ut pro Sancto hæc Servatio, omnibus ad ultionem perfidi hominis prodiisse videretur. Nec dissimilis alterum, tam in rapinas, quàm officium Advocati successorem mors excepit, quando succussator cui insidebat equus, elisō calcibusque attrito infelicem animam extorsit.

Palatini Advocatus in S. Servatium injurius ab ursa occiditur.

Alius ab equo conteritur.

Inter hæc Victor Pontifex prosperiore exitu vitam clausit, moxque consentientibus Romanorum suffragiis Fridericus Gozelonis Ducis Lotharingiæ filius, nuper ex Monacho Abbas, ex Abbate Cardinalis, ex hoc Stephanus Pontifex, nemine præter ipsum dissentiente, creatus est. Sed optimum Ecclesiæ Principem mors pro-

Fridericus Loth. ex Monacho Abbas, ex hoc Papa moritur.

proximo incumbens anno invidere est visa, quando post Benedictum, vitio præpositum depositumque justioribus comitiis, Gerardus Burgundio Florentinus Nicolai secundi nomine successit. An. Chr. 1058

Sub quo Henricus IV. Rex, Augustâ Matre Agnete incitante, Ecclesiam Limburgensem * S. Georgii Martyris ad Loganam, rarâ munificentiâ centum octoginta facilè jugerum, per diversa loca ambitu, locupletavit; ut donationis tabulæ Goslariæ confectæ anno MLIX testantur. 1059

* *alii Limburgum vocant.*

Henricus Rex agente Matre Limburgensem Ecclesiam donis auget.

Idem quoque Pontifex anathematis sententiâ percussum Conradum Lutzelburgicum, Giselberti Comitis filium, Eberhardi Archiepiscopi liberæ correctioni pœnæque subjecit, ob violentas manus immani temeritate eidem adhibitas, dum suam diœcesin visitator obiret. Etenim Comes ille (ut potentium, cum opibus cupiditas, audaciaque, & arrogantia solet crescere) ob commixtam limitum jurisdictionem fortè irritatus, suo in obvium Archiepiscopum comitatu invectus hostiliter, vestibus spoliatum, Sacerdotalibus, ipsoque quod gerebat pontificali divulso pallio, ac sacro Chrismate, quo diœcesanos passim muniebat, in terram effuso, ad carceres quoque captivum abripuit. Quâ injuriâ gravissimè ut par erat, Clerus populusque Trevericus, tum ipse Romanus Pontifex concitatus, abstentum sacris, ac fidelium communione excluſum pronuntiavit Comitem; nec aliter, nisi ad pœnam Eberhardi arbitrariam, hoc execrationis vinculo exsolvendum. Quo judicio Conradus vehementer perculsus, non solum Archiepiscopum primæ libertati; sed eidem sese ad pœnam qualemcunque piacularem subjecit. Quem cum mœrentem supplicemque Eberhardus conspiceret, nihil pro se ad damni contumeliæque reparationem postulat; sed, animæ illius saluti consulturus, usitatam id temporis Solymæam peregrinationem imposuit. atque ea lege in gratiam communionemque Ecclesiæ recepit. Conradus tamen facinoris sui gravitate expensâ, ad certionem

Giselbertus Comes Lutzelburgicus ob Eberhardum Archiep. captum, graviter à Pontifice & ipso Archiepiscopo punitur.

delicti

Inchoat Monasterium S. Petri Lutzelburgense.

delicti expiationem, Monasterium S. Petri sub arce Lutzelburgica auspicatus, Hierosolymam iter, raris pœnitentiæ argumentis ingressus, in via moriens succubuit heredibusque Monasterii cœpti absolutionem reliquit quò ille de Palæstina, post biennũ, revectus, Sigefridi, et Friderico & Giselberto, pronepos, conditus quievit.

Moritur pœnitens in peregrinatione.

An. Chr. 1061 Henricus Comes Palatinus vitæ ad bonum malumque inconstantis, in Treviros & Annonem Colon. injurius, conjuge propter quam Monasterium deseruit interfectâ, insanit, & Epternaco includitur.

Non minori hoc ævo confusione in sacra profanaque se infudit Henricus, Comes Palatinus, non exillis qui hodiedum Boio-palatini supersunt, at Ripuariis inferioris Rheni accolis. quorum deinde stirps exaruit, à Lotharingis, ut videtur, derivata. Hic insana animi mobilitate, nunc extremè pius, nunc impius in diversa rapiebatur. Gorziam ille, ceu fastidiens terrenarum, Monasterium Lotharingiæ posito militiæ baltheo subierat, admirante Germaniâ, belluam magis, quàm hominem, ita repente ad Christi obsequium mansuescere. Cum non multò post mulieris Adelheidis amore captus, tantò in religionem odio ferri cœpit, ut ejus passim cultores fortunasque ferro, quà posset, flammâque subverteret. Atque Annoni inprimis Colonienſium Archiepiscopo, à quo arcem juxta Sigam (quam Sigebergum nunc dicimus) aliàs cessam, vi militiáque, ipsi etiam Ubiorum Coloniæ circumfusâ, repetebat. Quare Anno ad vim imparatus, cœlesti sese panoplia defensurus, ad Deum preceſque confugit primùm, tum quotquot civium aderant, improvisò effudit in propulsandum hostem, et consternatus trepidusque fuga in Cochimam sese arcem reciperet. ubi collecto velut animo ac furore, dum gravem Annoni plagam minatur, hic inter preces plagmi 34. illo sæpius ingeminato versu: *veniat illi laqueus quem ignorat*: fiducia plenus, milite rursum educto vestat: cum intelligit: hostilem jam militem positis signis barbari Ducis imperium declinare, postquam illum, rapta securi Adelheidi conjugi caput à cervicibus resecuisse cognosceret, & cruenta etiam num bipenni, faciore hoc tanquam glorioso palam se oblectare. Unde vi-

cul

culis injectis onustum, raptumque in Treviros, Epternacensis denique Monasterii clausstris, ceu sua inter repagula feram, coërcent. ubi adempta libertate, & imperata jam rerum indigentia circumscriptus, vel invitus sapere, & mitiora consilia amplecti coactus est.

Et aliunde quoque, ex turbato Agnetis, quamvis piæ feminæ, moderatione imperio, Rhenicolæ quatiebantur. Consilium illi visque animi ad tam grandia deerant. Hinc Anno Colonienſium Archiepiscopus, multis magnisque officiis par unus, Othone Bavariæ Duce & Comite Egberto adjutoribus, Henricum puerum cum imperii insignibus Matri subducunt, & Agrippinæ mœnibus, quamvis renitentem continent, resque imperii meliori successu, velut tutores, administrant, Moguntino in eandem curam adscito, Eberhardo Trevirorum non inconsultè ab his muniis divertente. Anno tamen comitiorum gratiâ Treviros subiens, ad S. Maximinum exceptus hospitio, jam tum occultè moliri cœpit (quod deniq; impetratum est) ut Malmundarienſem Abbatiam, à Stabulensi avulsam, sui juris efficeret, adeóque & hoc qualecunque imperium suis emolumentis fecit idoneum.

1062 Anno Arch. Col. exclusa Agnete imperii & Regis administrationem, cum aliis principibus capessit.

Irrepsit verò in aulam sacros inter homines Adelbertus quoque Bremensis Archiepiscopus, qui ad fas nefasque prompti ac sagacis ingenii solertiæque, id brevi efficit, ut possesso Regis animo, autoritate ejusdem prævaleret ceteris, resque non minus sacras, quàm profanas verſaret ad arbitrium & quæstum captaret ex omnibus; ut non jam ex virtutis merito, sed oblati æris pretio Ecclesiasticæ ad quoslibet dignitates transirent; qua levitate Regis adolescentis fama integritasque, velut inter crepundia, profundi cœpit. Porrò Italiam hoc tempore, instituto Mantuæ concilio, Anno ipse præsens tumultantem ex Pontificum schismate composuit, & Cadaloum Parmensem Episcopum Simoniacum, contrá-que Alexandrum II sese ingerentem, sua aliorumque sententia proscripsit. Sed reversus ad Regem, cùm

An. Chr. 1063 Adelbertus Bremensis Archiep. in aulâ admissus, denique occupatâ Regis gratia, intolerabilis evadit.

1064

1065

hic

hic sibi liberioris vitæ habenas, à Bremensi indultas, adstringi ab Annone impatienter fremeret, vix à gladio (quo ex Bremensis consilio jam quartodecennis accingebatur) manum continuit, ostendens, quid olim in Ecclesiasticos ausurus esset, qui nec à tali Magistro quidem se contineret.

Ob testamẽtum Richaredæ benefactricis nata Annoni cum Wolphelmo Abbate lis denique huic adjudicatur.

Per id tempus Anno quoque ædem Coloniæ ad Gradus, ut vocant, Metropolitanæ basilicæ struere aggressus est, Clerumque ejus servitio adsociare. Cui operi postquam beneficia sua Richareda præpotens à Palatinorum sangvine Domina, & magna in summam ædem liberalitate cognita, subveniisset, cum excellentis doctrinæ ac sanctitatis viro Wolphelmo ex S. Maximino Trevirorum, ad Brauvvileranum Colonienſis agri Monasterium regendum postulato, nata illi controversia est, de Clotteno ad Mosellam pago; quòd Monasterium hoc à Majoribus fundatum Richareda locupletare, seque inibi sepeliri voluisset. Verùm Anno id cum reliqua hereditate, & defunctæ corpore sibi vendicatum ibat: donec, per varias litium ambages, Wolphelmo & Brauvvileranis adjudicata causa cum pago fuit. *Ita nec ab errore affectuque proprio probatis cetera viris, hac in mortalitate, satis cautum est, ubi solennis illa de MEO & TVO quæstio ventilatur, pronis omnibus ad sui favorem.*

An. Chr. 1066 Adelbertus corruptor Henrici Imp. per vim aulâ ejicitur.

Jam Henricus Imperator adolescebat, sub pessimi adulatoris Adelberti Bremensis institutione, parum vulgo Proceribusque grata, qui cum suis Henricum cupiditibus non frenaret, sed aleret; indicto à Moguntino & Colonienſi Triburiam concilio, aula & Imperatore indignus judicatus est; &, aut ipse, aut Henricus sua potestate dimovendus. advolavit Henricus hoc decretum interpellaturus; at steterunt immoti proceres, & nisi cedere imperio voluisset Adelbertus relegandus erat, qui ad suam remissus Ecclesiam oneri huic magis, quàm honori fuit. In Archiepiscoporum verò ad Rhenum tutelam receptus Imperator rerum gerendarum arbitrium penes eosdem reliquit,

Eber-

Eberhardus hinc ad suos reversus, consilium de Hebræorum gente, quæ Trevirim magnâ frequentiâ incolebat, vel abigenda, vel ad orthodoxam fidem transferenda, & animo concepit, & opere ipso est prosecutus, mandato edito, ut nisi ante paschalia festa Christiana sacra amplecterentur, urbe excederent. Pupugit decretum, atq; ad necem prius, quàm cogitata expleret, conscisscendam impulit. Ad funestum hoc propositum, cum vis impar supperetet, stygiâ arte, & pretio usi, S. Paulini clericum, nomine magis quàm re *Christianum*, induxêre, ut ceream, quam confecerant Episcopi specie ablueret sacro fonte imaginem. Hanc dum Eberhardus hebdomadis sanctæ die ultimo sacrosanctum lavacrum adit, mysteriaq; ejus temporis divina, pontificali in habitu, peragit, succendunt insertis lychnis igne lento consumendam, cum qua Pontifex, dimidiâ ex parte consumptâ, linqui animo, & digressus in sacrarium inclinato in Archidiaconi sinum capite, ante Crucifixi effigiem pronus extingvitur. Ceterùm vir immortalitate, cultæ religionis pacisq; amore, dignus fuit: qui Episcopatum tranquillis rebus florentissimum habuit, reductisq; ad S. Petri patrimonium, S. Maximini, & Servatii, abstractis quondam, Abbatiis, reddidit locupletiorem. Tumulum in D. Paulini æde, quod non nisi sanctis indultum hactenus, media in templi area, sortitus est, hac inscriptione, post compertum flagitium, à posteris (sed calculi errore) adjectâ.

Eberhardus Judæos, ni converterentur, urbe expulsurus ab eisdem magicè in cerea ejus effigie consumpta tollitur.

Egregius princeps religione inprimis fuit, sepultus in D. Paulino.

Pausat hic Eberhardus Trevirorum Archiepiscopus, qui in vigilia paschæ sacris instans officiis, ex cereâ imagine per Iudæos accensâ, ad sacrarium ductus, ibidem flexis genibus orans, in sacris vestibus exspiravit, Anno Dni. MLXVI. * *XVII. cal. Maji* Veneficii hoc genus jam olim Ethnicis cognitum fuit usurpatumq; Hinc Ovidius de Medea in Epistolis.

* *MLX. VIII. cal. Maji mendosè*

Devovet absentes, simulacraq; cerea fingit,
Et miserum tenues in jecur urget acus,

LIBER XII.

Alexander II. Pap. Henricus IV. Imp.

Henrici IV. infelix schisma imperium & Ecclesiam mirè afflixit.

INfelix hæc Ecclesiæ imperioq; ætas, Henrici IV. Imperatoris scelere extitit, qui, ut suæ contumaciæ, quâ in sacris etiam rebus dictaturam affectabat, fautores oppugnatoresq; ex omni hominum ordine nactus est; ita fœdo inter se schismate proceres Rom. Imperii, sacros juxta profanosq;, collisit. Ipse, pro ingenii pertinacia à teneris alita, Dux atq; antesignanus certaminum: hoc uno fortis felixq; visus, quod nec victus quidem succumberet; sed ad alias aliasq; de hostibus victorias assurgeret. Trium nihil veritus Pontificum fulmina, totidemq; contra se electorum Cæsarum exercitus, eluſit conatus omnium, dum à filiis deniq; propriis desertus oppugnatusq;, miseram vitam, miseranda in morte, communę mortalium odium, deponeret. Trevirorum quoq; sub ipso divisa studia, nunc regiis consiliis obstante, nunc favente principe. Nam penes hunc, per baculum & annulum ab Imperatoribus investiri id temporis solitum, rerum summa erat. Jamq; usurpatâ Regum potestate tales in Episcopis censebantur. Ut illius honoris candidati in aulis ferè Principum versarentur, neglectis cleri Romani; curiæ suffragiis. Visaq; sensim fuerit Ecclesiastica potestas secularі, ceu inferior, subjici; cum religioni tamen in Deum primæ in quâvis rep. partes debeantur. Ceterùm prisco more regalia ab Imperatore jura, Episcopalia à Romano Pontifice fuisse petenda, quis historiarum sciens, ignoret? Et vi illorum Trevirii Archiepiscopos per Vicedominum, seu Comitem Majorem Domus, ac Præsidem, temporalia administrasse, cui Prætor Scabiniq; adessent, compertum est, quando ad Archiepiscopi mandatum templa excitata, Aquæductus pontesq; structi, Judæi proscripti, telonia ces-

Trevirorum Archiepiscopi, nunc aversi, nunc faventes schismati, tam secularі, quàm Ecclesiastica potestate præerant.

Illam per Vicedominum ferè administrabant.

censusq; imperati, feuda distributa, clientes admissi, aliaq; id genus constituta sunt, quæ seculari potestate agerentur. Porrò Trevirensibus cum suus decesset Archiepiscopus, Anno Colonienſis, qui regiam moderabatur aulam, Conradum * nationc Suevum è Comitibus de Phulinga, sibi junctum sangvine, ex Præposito Agrippinatum Præsulem futurum submisit; Sed refragante Clero, liberamq; sibi electionem vendicante, repudiatum; captumq; Theodoricus Comes Vicedominus Bietburgo Vrtzigium abstraxit; ubi, post fœdum quatuordecim dierum carcerem, innoxium Præsulem calendis Junii ferociſſimo quaternioni militum conficiendum tradit. Quibus mors ipsa nimium in pœnas vilis, nisi probrosis ludibriis cumulata, fuit. Nam in vicini montis præcipitium educto manus post tergum, ceu malefico, revincunt, &, ceterà nudo, caput obnubunt. Et *nunc* aiunt, *experiemur*: *Deusne te nobis Episcopum dederit: credemusq; si incolumis ab hoc casu resurgas.* Quo dicto ex edita rupe præcipitant. Mirum dictu, excussus à tanta ruina illæsus ad radicem montis consistere visus est. Exhorruêre illi primùm; sed cura exequendi mandati, quàm reverentiâ Sancti Præsulis major, belluas has ad iterandum ex alto præcipitium incitavit, quo cum iterum stetisset innoxius, tertiò majori immanitate deturbant. Quo lapsu, cùm luxato tantùm brachio integer adhuc persisteret, vnus militum in terram pronus, veniam injuriæ obnixè rogat, obtinétq; ; alii imperatam sibi necem strictis in Conradum gladiis exequuntur, capite miserè dissecto, ac reversi ad Theodoricum, cum, quid factum, sciscitaretur, per ludibrium: *pontificalem sese illi mitram imposuisse*, asserunt. Verum brevi adfuit à tergo vindex scelerum Dei manus. Percussorum duo, furiis perciti, semetipsos fœdo dentium laniatu confecêre, tertius, fibrâ faucibus hærente, præfocatus infelicem animam efflavit. Nec Theodorico impune fuit facinus imperasse. Postquam enim Martyris cadaver Theoliæ Mona-

Anno Christi 1066.

* *vel Cunonem*

Trevirensis Vicedominus Episcopum Conradum sibi obtrusum malè trucidat.

Divina in sacrilegos parricidas ultio.

Anno Christi 1067.

Vicedomini pœna, à morte Conradi miraculis glorioſa.

ſterio, per Abbonem loci Præſulem ex agro illatum, miraculis inclareſceret; ipſe, tardus fidei, accedere, experimentoq; diſcere voluit. Cumq; arroganti gradu jam templi limen attingeret, occulta vi fixus, promovere intrò pedem ſæpius conatus, totiesq; rejectus, retrò, vnde venerat, abiit. Nec multò poſt ab Henrico Imper. proſcriptus, Conradum jam à morte ultorem imminere ſenſit. Ideoq;, factorum perſtrictus pœnitudine, Solymæam ultro ſibi profectionem indixit, qua

Theodorici & Trevirenſium plurium naufragium.

terra mariq; jactatus, ipsâ deniq; navi fluctibus hauſtâ, cum ſociis centum quindecim, plerisq; Treverici, ut apparet, generis, interiit. Habiturus in pœna comites, quos in conſilio ſceleris habuerat. Quæ altero poſt flagitium anno eveniſſe accepimus.

1068.

Libera electione Treviri Vdonem ſive Adonem eligunt Archiep.

Pervicere tamen Treviri, quæſitâ electionis libertate, & *Vdonem*, ſive, ut vulgus, *Adonem* ex Nellenburgenſium familia Comitem, Eberhardo & Ida parentibus, ad dignam hac infula indolem, educatum præciunt. Ut Henrico vindictam in Treviros meditanti, hic deniq; etiam animus exciderit. Cum neq; vindictæ, neq; electioni Dei Numen defuiſſe videretur.

At Henrici Imperatoris indoles, jam amplius frenis impatiens, peſſimo per vulgus exemplo in ſacris profanisq; miſcendis exorbitabat. Cui accedebat fastidium cum Bertha, Othonis Marchionis Itali filia, connubium, quod divortio abrumpere meditatus, Mogun-

Henricus fruſtra conatur Bertham conjugem repudiare.

tiæ Synodum indixerat. Verùm perplexa in re Sigifridus Archiepiſcopus Romanam operiebatur ſententiam. Cùm maneret incertum, quod Henricus jactabat, inhabilem thoro feminam eſſe, cui jam biennio aſsueverat. Legatus igitur Alexandri, Petrus Damiani Oſtienſis Epiſcopus, veniens Synodi conſilium diſcit, Henricoq; denuntiavit, niſi reſipiſceret, anathema. Quo territus, abjectam jam vxorem tam facilè recipit, quam citò rurſum aſpernatus eſt. *Quod diſſi-*

odiorum remedium ſit amor imperatus, præcipuè in h-

gibus, qui in nullâ re minus, quàm in amore ſibi im-

rari patiuntur.

Nec multò post labi Simoniacæ, quæ Henrici aulam corruperat, Pontifex obicem positurus, Moguntinum, Colonienſem, & Bambergenſem, quibus aula patebat, Epiſcopos, Romam evocavit, corruptionis omnes, & hunc inprimis accuſatum. Sed purgati ſunt, poſtquam eodem, ut perhibent, collyrio Romanorum nonnullis oculos inunxiſsent: ut videre jam alia, quàm prius viderentur. Ita *peſtilentiæ ſævientis contagio facilius contrahitur, quàm ſanatur.* Anno Chriſti 1070. Simonici Romæ Epiſcopi corripiuntur.

Godefridi quoq; Lotharingiæ & Tuſciæ Ducis fatum, in hæc tempora ſe infert. Hic dum per ſomnum ſibi D. Servatium objici, cum miniſtro puero gladium ferente; & hunc, ex ſancti mandato, in ſe verti, ob ſacra Eccleſiasq; invaſas, vidiſset, expergefactus, & ſangvinem profluere, & inteſtinis ventrem, quem fixerat, diſcruciari ſenſit. Illacrymante igitur Beatrice conjuge, Lotharingiam reviſit, monaſticamq; etiam veſtem pœnitentiæ gratiâ induit; ut ubi potiſſimum deliquiſſet, iſtic ſcelus expiaret. Sed brevi laboris doloriſq; periodo vitam clauſit: iccirco felicior; quòd ita caſtigatus, minus felix in afflicto corpore, moreretur. Quo etiam tempore Gerardus de Alſatia, cui Moſellano-Lotharingicus ducatus ceſſerat, Theodorico poſt ſe relicto filio, ſupremum diem vixit. Godefridus Lotharingiæ Dux ob ſacrilegia cælitus vulneratur. Moritur pœnitens.

Beatrix verò Godefridi conjux virum comitata Benedictinis quibusdam Religioſis ſecum ex Calabria traductis, locum illis ſupra Lutzelburgum in Arduenna obtulit. Ubi hodie Aurea vallis, à Ciſtercienſis familiæ Patribus obtinetur. Mathilde Beatricis filia, atq; Arnulpho Chiniacenſi Comite opes operamq; huc ſuam conferentibus. Vxor Beatrix aureæ vallis Monaſterium cepit.

Sed & S. Florini apud Confluentes Collegium, ac Dei genitricis Eccleſia, liberalitate illuſtris illic viri Cunonis non mediocriter crevit, Bubenheimio, Wiſsa, Aſca, Buncha, & Camethes trans Moſellam villis, agris, vineisq; donatione oblatis. Quam Egelbertus poſtea diplomate confirmans, ſub Vdone anno MLXX, factam exponit. Collegium S. Florini Confluentiæ dotatur.

Trevirensis porrò Cleri studium ingens exarsit, conditas tempore Nortmannorum Reliquias Sanctorum rursum eruendi, suaq; in luce & observatione locandi. Cumq; latebræ ignorarentur, indictæ preces, Folbertus verò cœcus, post ardentem supplicationem, haustum cœlitus lumen, de crypta Martyrum in S. Paulino, sed per nebulas, aperit: donec Fridiburga Sanctimonialis Horrei jussa per visum excutere scrinii literas, conscriptum olim hymnum de S. Paulini laudibus reperit, ex quo illius aliorumq; Martyrum tumulus cognitus, viam aperuit inquirentibus. Quare Vdonis Archiepiscopi potestate, semotis quibusdam aris, refossaq; humo tredecim primo in crypta Martyrum corpora, deinde & S. Paulini corpus cum tabula expositoria repertum est. Ex qua cognitum, quod Palmachius Consul & Martyr, sub Rictiovaro Trevirorum ad latus S. Paulini dextrum, Tyrsus Dux militum ad sinistrum: ad caput septem urbis Senatores, dextrorsum tres, Constantius, Maxentius, Justinus; sinistrorsum quatuor, Maxentius, Leander, Alexander, & Soter; ad pedes Athletæ quatuor fortissimè Rictiovaro obnisi, versus Austrum Hormisda & Papyrius, versus Aquilonem Constans & Jovinianus quiescerent. Quæ cum, ut in varia animi fit multitudine, prosperis suspicionisq; opinionibus jactarentur: evenit, ut in egesta ante Clerici domum humo, os ab eo conspectum, ipse religione tactus colligeret, feminæq; domesticæ asservandum exhiberet. Quod cum illa per ludibrium acciperet, nimiumq; superstitiosum rideret, in arcula tamen, ut jussa, deponit. Verùm cardiaco repentè morbo tam vexari cœpit atrociter; ut extremam sibi crederet horam imminere. Inter quos dolores os reconditum jussa expromere, dum arculam aperit, plurimo inde exundante sanguine vestes ipsa manusq; perfusa est, ac sine mora evanescere morbum sentiens, contemptum in venerationem convertit, totamq; confestim urbem miraculi novitate raptam excivit. Cui obsecuti arcam, San-

Reliquiæ Martyrum Trev. cum S. Paulino repertæ.

Anno Christi 1071.

Os factum contemptricem perfundit sanguine, quem per triduum in conspectu populi fundit.

sanguine adhuc manantem, sacra in æde proposuêre. Ubi triduo integro satiari populus admiratione & veneratione defixus non poterat, sangvine etiamnum à quinto Nonarum Martii, usq; ad tertium, sicco ex osse, ceu venâ, ebulliente, Quæ tot oculorum testimoniis probata, & per vulgus accolarum latè sparsa, dici nequit, quantam hominum multitudinem traxerint, diversis postea apud Martyrum sepulchra prodigiis, majori fide, roboratam. Cum, siquam os illud attigisset aquam, hæc pota præsentem ægris medicinam faceret. Quo tempore Aquitanus ferrea non levi ponderis vinctus manica, (quæ tunc quorundam pœna erat, ut hanc circumferrent, dum cœlitus pœnitenti, ceterà insolubilis, solveretur) adeso jam & putrescente ex vulneribus corpore, hæc monumenta supplex obibat, quando ipso Archiepiscopo aliisq; præsentibus, ferrum cum tinnitu diffractum absiliit brachio, hominemq; attonitum afflictumq; solo, corpore, & conscientiâ reatus solutum, reliquit. Ipsa etiam Palmarum festivitate, mulier lingvæ atq; aurium destituta usu, utrumq;, præsente clero, officium exultabunda recepit: & mox quinto cal. Maji puer mutus, elingvisq;, ac brachii impotens, à parentibus supplex jussus Martyrum sepulchris osculum figere, inusitato mox sermone acclamare patri, manumq; ad cereum, quem pro more supplitabundi ad monumenta deponunt, cœpit explicare, hoc sibi postulaturus officium. Hæc nimirum prodigia, uti elingvium tunc ora fecêre diserta; ita & quorundam obtrectantium reddidêre elingvia. Ut Germaniam hodie nostram illis præsentem extitisse optem: pauciores utiq; hæc tanquam vana exploderent, quæ tot experimentis Treviri vera esse didicere.

Sanitatum miracula diversa.

Muti, surdi, manci, captî restituuntur.

Miserabilis tamen hac ætate imperii prorsus ac religionis, ab unius potissimum Henrici Regis dissoluta indole, facies. Passim sacræ profanæq; dignitates venales, ad pecunioso, quamvis sceleratos, transibant. Hinc in rapinam versa Monasteriorum & rerump. bona; disci-

Anno Christi 1072.

Henricus ob dissolutum cum vita imperium, peridiclitatur.

disciplina verò per inopiam soluta est. Henricus invisus omnibus, & nisi Adalbertum Bremensem seductorem pristinum mors sustulisset, imminebat à conjuratis principibus depositio. Anno tamen Colonienſi rursum ad moderationem admissus, utcunq; animos mitigabat; quamvis illius senium has ægrè curas pateretur, & difficilius illi esset Regem unum, quam imperium sustinere universum.

5. Anno sustentat.

Nec prætereundum nobis, quod Walachri, Zelandicæ cujusdam insulæ populi, Sancto nostro, apud Epternacenses, Willibrodo devoti, & ob excultam illic primitus ab eodem religionem, clientelâ obnoxii, hoc tempore ejus ope perpetrarunt. Robertus Flandriæ Comes, Balduini Pii filius, hos improvisâ multorum millium classe adortus: cum longè se numero viderent impares, humanâ vi deficiente, D. Willibrodo annuo se obstringunt censu, in basilica Sancti ante aram, ejus quondam irrigatam cruore, supplices, moxq; suspensis ex vexillo Reliquiis, post expiatas confessione animas, sacraq; Eucharistiæ synaxi refectas, adversus hostem tantis animis succesuq; pugnæ tendunt, ut pauci triginta hominum millibus ferro, aut fuga, sublatis, insulam expurgarint. Tribus ex numero suorum tantùm desideratis, Consilium pugnaturis hoc Deus injecerat, ne adverso sole inirent prælium, quo incommodo perstricti hostium oculi animos quoq; hebetarunt. Sed aliâ, haud multò, post cæcitate invidiæ furorisq; perculsi Walachri in se mutuò civilia arma convertêre, tam pertinaci voluntate nocendi, ut nec sacra quidem hebdomas, ac lux Parasceves, ad ponendos tantisper, cum odiis, gladios sufficeret: donec funeribus suorum & pudore facinorum victi, Thiofridum Epternacensem Abbatem hujus quoq; scriptorem historiæ accerserent, qui autoritate D. Willibrodi, ut fectum interpositâ, rebellium animos religione cœreret. Et cessit ex voto res; nam pleriq; factionis accidium rei familiis læsis in clientelam dediti, obsequi-

1073. Walachri ope S. Willebrodi in pugna victores pauci multorum.

Qui hostes vicerant, à seipsis victi seditione occubuerunt.

Mutuo tamē obsequio conciliantur.

seditionem expiarunt. Tanta id temporis erat in S. Willibrodum reverentia: quam nunc amissam, cum religione erga Sanctum, his locis desideramus. Meminisse oporteret pœnæ, quâ illius castigatur hominis posteritas (aliquo semper vel manca membro, vel morbo vitiata) qui divo quondam Willibrodo vulnus inflixit, ex quo altaris, cui aderat crepidinem sangvis fusus decoloravit. Ut promptum à Superis in obsequentes auxilium, ita & vindicta est in obluctantes. *Securè pugnant, qui suos ita adversarios feriunt, ut ipsi nunquam tangantur.*

Pœna æterna Walachrorum, quam S. Willibrodi violatores pendunt.

Anno inter hæc Agrippinatum Præsul aulicæ perversitatis & negotiorum tædio, missionem à Rege petit, ac facilè ab illo, qui hujus observationem fastidiret jam dudum, assequitur. Tum Henricus ad ingenium subitò reversus, Saxones Thuringosq;, quos profuso in luxum sumptu exhauserat, oneris deniq; impatientes vi frangere, Suevisq;, quos unicè complectebatur, in sedes traductis, subjicere conatus est. Unde castellis præsidiisq; quaquaversum, ceu feras septis, includere exorsus est, utq; pecuniam hanc in rem cogeret, Ecclesiarum ad se decimas, coactâ Erfordiæ Synodo, & Moguntino ad hanc operam traducto Archiepiscopo, per fas nefasq; attrahere conniśus. Et ne ad Romanæ sedis judicium quisquam à decretis hujus Synodi provocaret, capitali pœnâ sanxit. Sed Alexandro jam Pontifice defuncto, Hildebrandus, qui Gregorii VII. nomine successerat, his aliisq; Regis & Episcoporum Germaniæ, palam in simoniam & luxuriam, cum suo capite, proruentium, excessibus offensus, Lateranensi coactâ Synodo quosdam Præsulum aulæ Regiæ interdicto subjicit, Clero usum concubinarum, Episcopis simoniam, Regi decimas vetat. Et cum Agnete Regis matre, ab ipsius impietate aversa (quam tamen in puero minus severè correxerat) Episcopos in Germaniam quatuor, Ostiensem, Prænestinum, Curiensem, & Comensem ablegat, qui illic in Synodo, & decreta

Anno Colon. Archiepisc. ab aula rursum discedit. Henricus verò in Saxones armatus decimas Ecclesiæ invadit.

Lateranensis Synodus contra Episcopos Germaniæ & Henricum.

Anno Christi 1074.

Legati Pontificis à Ger-

manis rejiciuntur.

Romana exponerent, & obstinatos anathemate percellerent; sed cum nec Rex, quamvis Noribergæ obvium, nec pleriq; Episcoporum mutuâ consensione freti, ut acquiescerent, aut cuiquam se in Synodo, præterquam Pontifici Romano, parituros negarent; Bambergensi Episcopo præcipuo consiliorum autori, cum aliis quibusdam damnato, re infectâ discesserunt. Udo Trevirorum Archiepisc. Schismaticorum ad partes inclinari visus, tamen à Romano Pontifice, qui multum ei deferebat, commonitus, se subduxit. Sigefridus verò, Moguntinensium Præsul, regiis contra Pontificem addictus conatibus, Romanâ in Synodo, ceu Episcoporum seductor, conflatorq; schismatis, damnatus, atq; ab Ecclesiæ communione proscriptus est. Quo tempore Anno Colonienſium Archiepiscopus ætatis meritorumq; plenus, cum illustri sanctæ vitæ præconio, ex hujus vitæ fluctibus ad cœlestem portum, diu multumq; jactatus, appulit. Udoni verò judicium in Theodoricum Virdunensem primùm, deinde & Popponem Tullensem Episcopum, utrumq; Henrici fautorem committit, & hunc quidem, nisi obsequatur, anathemate ferire præcipit.

Trevirensis pro Pontifice, Moguntinus pro Rege damnatur.

1075.

Anno Colon. sanctè moritur.

Interea Henricus Saxones in arma coortos, & destructis limitaneis plerisq; munimentis jam securius agentes, repentè aggressus, Theodorico Mosellaniæ, & Godefrido Gibbero * Lotharingiæ Ducibus, ingenti clade cecidit. Quâ sorte cum adversus pontificias minas audentior incederet, Gregorius illum per legatum, Goslariam missum, ad dicendam Romæ causam in Synodo, alterâ quadragesimæ hebdomade instituendâ, postulat. Quam denuntiationem adeò Henricus acerbè accepit; ut ipse anticipato in Septuagesimæ Wormatiæ Episcoporum quatuor & viginti, præter Abbates, Synedrio, Hugone Cardinale Blanco suffragante, Gregorium vitiosè electum, istâq; indignum & inhabilem sede, fecerit pronuntiari, jusseritq; abire loco, & infectum denuntiari siquid deinde constituisset.

Saxones cæduntur.

*seu Gibboso.

1076.

Henricus à Greg. Papa ad causam dicendam citatus, illum in Wormatiensi Synodo vitiosè electum pronuntiat.

Adel

Adelberone Episcopo Herbipolensi, & Hermanno Metensi nequicquam tam iniquæ subditorum adversus caput sententiæ refragantibus; cùm vi magis, quàm consilio res ageretur.

Gregorius nihil hac Germanorum fractus insolentiâ, Synodum Romæ cogit, quâ & Udonem Trev. Archiepiscopum hoc in schismate ad Italos transgressum, excepisse creditur, Henricumq; ac Wormatiensis Societatis Episcopos excommunicationis omnes fulmine perstringit. Illum avitis Italiæ Germaniæq; regnis excidisse pronuntiat, atq; omni populorum obsequio spoliatum. Quo edicto in Germaniam perlato, ut multi procerum à Regis impietate aversi; ita Romanæ Ecclesiæ veneratione & sententiæ æquitate flexi, ab Henrico discessêre. Cumq; hic Proceres Moguntiam ad comitia evocaret, nudari suorum se præsidio dolenter animadvertit. Tum fremere cum Rege schismatici, atq; Udonem etiam Româ revertentem, Moguntiniq; ac Colonienses vitantem consortia, detestari, probrisq; ac fictis criminationibus gravare cum suis adhærentibus Pontificem. Ille contra literis ad Regem Schismaticosq; Præsules humanitate, & paterno amore plenis, omnes à perfidia ad unionem remissionemq; paratam invitat: aliis tamen ad Germaniæ Principes literis, facultatem eis offert, nisi Henricus resipiscat, novi Regis suo ex corpore eligendi. Hi igitur communibus Triburiæ Comitiis XVII. cal. Nov. institutis collecti sunt Rege ex oppositio Rheni litore Oppenheimii operiente exitum, perq; suos legatos extremam depositionis ignominiam deprecante. Qui cum ad omnia sese obsecuturum consiliis eorum promitteret, inducias obtulerunt, dum Romanus Pontifex, quem Augustam ad res Germaniæ componendas invitandum statuerant, coram adesset, præsensq; afflicto imperio consuleret. Interea Rex jussus Spiræ dimissâ militiâ, privatim cum Theodorico Virdunensi Præsule subsistere, ibidemq; Pontificis adventum, consiliorumq; eventum præstolari.

Gregorius contra Romana in Synodo, præsente Vdone Henricum & Episcopos anathemate ferit.

Germaniæ Principes Romanæ sedi adhærentes Henricum potestate imperandi suspendunt.

lari. Ni verò illud agat, ut intra anni unius curriculum, anathemate ſolvatur, & in Eccleſiæ gratiam redeat, re giâ dignitate, alio in locum ſurrogato, cariturum. Hi legibus obſtrictus, cum jam Udo Trevirorum Archi piſcopus ad evocandum deducendumq; Pontificem Ro mam adjiſset, Henricus hujus adventum in Germa am præoccupandam ſubmiſſione ſua, ratus, ſpecie m gis peregrinantis, quàm Principis, cum uxore & filiol Chriſti natalitiis, duriſſimo anni tempore Alpes ſupe rat, & ad Canuſium Italiæ caſtrum ubi Pontifex ſubſi ſtebat, per Malthildim conſobrinam, & Hugonem Clu niacenſem Abbatem gratiam, acceſsumq; ac veniam factorum abſolutionemq; obnixè precatur, deniq; ea lege admiſsus, ut (cum triplici murorum ambitu cin gatur) primo vallo receptus, in ſecundo ad portam ma pœnitentis, citra comitatum ſubſiſteret. Adfuit gelida hieme ſub lucem, nudis pedibus, laneis indutus, jeju nusq; ac multo cum fletu ad veſperam usq; perſtit. Neq; ullo tum reſponſo dimiſſus, altero, ac tertio etiam reverſus die miſerationem præſtolabatur. Quartâ de mum admiſſus luce, poſt ancipitem jactationem cau his legibus communioni reſtitutus eſt: ut amoris pe ſimæ adminiſtrationis conſultoribus, Principum Ger maniæ, de regno, aut continuando, aut deponendo c ſpectaret ſententiam, privati interim conditione viti rus. Ni faceret, anathematis pœna ſtaret, Principes Germaniæ ejus obſequio non tenerentur. His acc ptis, Henricus abſolvitur, non ſine admiratione exem pli, quo & ſedis Apoſtolicæ rigor, & imperatoris fervo pœnitentia ad poſteritatem transmiſsa eſt. At ma Guiberto Ravennarum Archiepiſcopo faces adver Gregorium ſubjiciente, cum Italiæ proceribus, poſtu acerbas pœnitentiæ leges, ad idem ſchiſma revolvi Ut Pontifex Germaniæ Principibus, quos occluſis convenire non poterat, quidvis in Henricum ſtatue poteſtatem fecerit. Qui Forchemii collecti, Hen imperium abrogant, ac Rudolphum Sueviæ Du

Udo Romam ad evocandum in Germaniam Pontificem tendit.

Anno Chriſti 1077.

Henricus ſupplex Pontifici, certis legibus veniam impetrat.

Henricus in ipſa Italia ad ſchiſma relapſus, in Germania, Rudolpho Sueviæ in regnum ſubſtitutó, deponitur.

electum Moguntiæ, Sigifrido inaugurante, substituunt. Nec mora Henricus Italicis fretus copiis, auctusq; suæ factionis Germanicis Rudolphum minus adhuc paratum prælio fundit fugatq; , Sueviamq; ferro passim incendiisq; deformat.

Sed Henricus prælio Rudolphum vincit.

Pontifex communi bono consulturus Udonem, quem adhuc secum habebat, Trev. Archiepiscopum, cum Bernardis duobus, Cardinali, & Massilienſi Abbate, ad conciliandum cum Henrico Rudolphum ablegat. Sed Henricus jam victor intractabilis visus est. Udo autem dum in re difficili omnem navat operam, morte interceptus in Suevia, hinc Treviros mortuus subiit. Qua occasione Henricus abusus Trevirim venit, ne quem alium nisi suæ factionis Episcopum eligerent. Quod, licet obnitente Clero, Theodorico tamen Virdunensi Episcopo, populoq; suffragante evicit, atq; Egelbertum Boicæ nobilitatis hominem anathemati innodatum sedi imponit; sed cum & Pontifex, & Hermannus Metensis, Poppóq; Tullensis reclamarent, defuit consecrator, quamvis Henricus regalia conferret.

Udo pro conciliatione à Papa legatus moritur. An. Ch. 1078.

Egelbertus Schismaticus ab Henrico Treviris Archiep. imponitur.

Mox inter Reges ad arma rursus perventum, & primò quidem in Saxonia certamine victor Rudolphus ingenti Henricum strage in fugam conjecit; sed is, reparatis altero post anno copiis, non minorem Rudolpho inflixit, qui & suæ posteà sortis instaurandæ avidus, fatali post annum prælio apud Ellestram flumen concurrit: ubi multò vulnere saucius, cum amisisset dexteram, dicere auditus est: *hæc fuit, quâ Henrico fidem dederam*, piè tamen pro Ecclesiæ imperiiq; libertate certans, cum maximo, totius populi inprimisq; Saxonum luctu occubuit. Egelbertus Trevirorum pseudoepiscopus huic pro Henrico certamini cum Colonienſi aliisq; fautoribus adfuisse memoratur, quod suam ex Henrico sortem pendere non ignoraret.

1079.

1080. Rudolphus, post diversa prælia, victus cadit.

Hac porrò Rex curâ defunctus proximo vere ingentem trans Alpes Italiæ exercitum intulit, Gregorium Pontificem amoturus, quem ante annum, in Synedrio

An. Ch. 1081.

Brixi-

Henricus Romam profectus Clementem pseudopapam instituit, quem Egelbertus cum aliis consecrat.

Brixinensi apud Bojos, sede indignum, Guiberto Ravennate maculoso & schismatico Clementis III. nomine surrogato, pronuntiârat. Egelbertus hærebat literi, spe consecrationis à Clemente obtinendæ. Sed Romanæ urbis lenta oppugnatio Henricum tenebat, quam nisi plebe denique in sui favorem traducta, obtinere non poterat. Ultrò igitur ab illa exceptus in schismaticorum Episcoporum Synodo Gregorium damnat, Clementemque in sedem introducit. Quem, cum nemo Cardinalium Episcoporum Romanæ urbis sacrare vellet, Bononiensis, Trevirensis, & Mutinensis, pseudo-Episcopi, velut in scena, Pontificiis ceremoniis vestibusque excoluerunt. Qui deinde, ne ingratus esset, solenni quoque Henricum ritu augustali diademate ornavit. Gregorio hæc ex Hadriani melo, quam Castellum S. Angeli vocant, tuto satis asylo, contemplante.

1083.

Germani Principes novum Regem Hermannum Henrico opponunt.

Quæ dum agerentur Germanorum Principes novum sibi Regem Hermannum Conradi Lutzelburgensis Comitis filium cooptarunt, qui apud Hermannum Metensem Episcopum educatus, contra fratrem Conradum Henrico Regi devotum, in officio perstabat, & nobili adversus rebelles victoria regni sui primordia apud Alemannos, seu Suevos, illustraverat. Quâ Bojos Saxonésque cum haberet in obsequio, Festo D. Stephani Gotlariæ anno superiori coronam sumpserat. Henricus

1084.

igitur neglecto Romæ Gregorio, cui Robertus Normannius Apuliæ Rex suppetias ducebat, hunc fugiens, Hermanno occurrendum ratus, per Germaniam Moguntiam contendit, ubi à Wicelone Sigefridi defuncti successore amicè exceptus, Egelbertum Trev. Præsulem à schismaticis Episcopis consecrari voluit. Interea Hermannus, in addicta sibi Saxonia, Quindelburgi celebrimâ Episcoporum Synodo, Ottone Gregorii Legato

1085.

Synodus ab Hermanno, & Henrico reduce oppositæ habentur.

præside, Clementi & Wiceloni Moguntino, aliisque, cum Henrico schismaticis, renuntiat. Quibus mox aliam Moguntiæ Synodum, Egelberto ibidem præsente, Henricus opponit, Gregoriumque cum adhærentibus

bus Episcopis damnat, sacrorumque eis usu & Ecclesiâ interdicit Egelbertus inde Treviros reversus, dum sacros ordines diœcesanis impendere molitur, clerum populumque obnitentem habuit, quod Pallii usu, à legitimo capite indulto, destitueretur. Quare Theodoricum Monachum, eruditione quàm moribus conspectiorem, qui Gregorii Pontificis acta virulento calamo prosciderat, Romam destinat, & hic pallium quidem, sed à pseudopontifice Clemente impetravit, Gregorio sub idem pæne tempus Salerni extincto. Utroque Egelbertus eventu lætus, Theodorico reduci in navatæ pretium operæ, locupletem id temporis D. Martini Abbatiam consignavit, quam ipse luxui, & ut creditur necromantiæ etiam vitio deditus, brevi adeò attenuavit; ut locum deinde aliorum luxui non relinqueret, laude, quam decoctoribus non invidemus.

Treviri recusant ordines abEgelberto.

Egelbertus pallium Româ allatum S. Martini Abbatia compensat.

Egelbertus subinde in Bohemiam ab Henrico Rege missus, Vratislaum Ducem primum ejus loci Regem Pragæ consecravit: Postquam Moguntinensibus comitiis Rex fuisset pronuntiatus, Moravorum regno nuper extincto. Qui nunc cum Silesiis, Lusatiisque Bohemiæ accesserunt; Sed Regis titulus, à fratre & filiis successoribus neglectus; donec Vratislaus quarto loco natus, illum à Friderico I Imp. pro se heredibusque obtinuit, demum Archipincernæ imperialis dignitate, potiti. Quod illa adhuc ætate munus fuit ignoratum.

An. Ch. 1086

Regem primum Bohemiæ Egelbertus inaugurat.

Arcta hoc tempore obsidione ab Hermanno Rege Herbipolis Franconiæ caput premebatur: cum Henricus periclitanti subventurus viginti millium exercitu properabat; sed Hermannus venienti magnâ Cruce præfatâ obvius, ante hanc pugnaturus supplex procubuit, ac tanta deinde vi in hostem sese effudit, ut multorum Schismaticorum acervis campi latè strati, ægrè Henricus incolumis, amissis omnibus, evaserit: & hinc pacis consilia denique ad intractabilem ejus animum penetrarent. Interea tamen Hermanno Metensium Episcopo, ad electum recèns Victorem Romanum Pontifi-

Henricus magna clade ab Hermanno profligatur.

1087.

Hermannus Metensis Episcopus, ad Victorem Papam legatus, capitur. Victori Urbanus II. succedit. 1088.

tificem, Gregorii vestigiis, & anathematis decretis inhærentem, penetranti insidias struxit, Tusciæque carceribus clausum tenuit. At Victori post quadrimestre sublato, Otto, nuper ad Hermannum legatione functus egregia virtute ornatus Pontifex IV. idus Martii Urbani II. nomine successit. Metensis verò populus ejecto Brunone sedis invasore quantumvis nobili, gratiâque Henrici valido, nullum se præter legitimum pastorem admissurum jure jurando recepit.

Hermannus Rex ob æmulos, & Saxones infidos regnum abdicat.

Porrò Hermannus Rex Saxonum inconstantiâ & Eggeberti Marchionis æmulatione pressus, deposito sponte sceptro, Henrico probante, in Lotharingiam ad propria reversus est, ubi postea in castelli cujusdam oppugnatione, dum periculis sese animosius infert, mortem oppetiit, Metimque delatus, Ottonem palatinum Rinecci Comitem filium reliquit. At dum fide Saxonum Henricus securior militem infert, hi Eggeberto Duce ad arma versi, vi ac fraude cinctum regiis insignibus spoliant, atque ad confessionem anathematis, & conciliationis promissionem adigunt. Et sanè jam Germaniæ Principes huc animum inclinârant, ut Clementi ac schismati Rex obnuntiaret; cum illum Episcopi, quorum vacillabant ab hoc reditu sacerdotia, in perversum sensum reduxerunt, ut quibus propria communisque salus curæ esse potissimum debuit, his perire quàm cedere levius visum sit. Consultius à Clemente Antipapa factum, qui pontificiæ dignitati sibi indebitæ renuntiavit. Bruno etiam, Metensis Cathedræ obsessor, Hermanno ex Italia restituto, coactus cessit. Quanquam Moris locuta optimum, constantisque fidei Episcopum, bono subtraxerit.

An. Ch. 1089.

Henricus Rex schismati obnuntiaturus, ab Episcopis, suo muneri metuentibus retrahitur.

1090.

Ceterum Egelbertus non indignam sui muneris curam sustinebat. Restituerat annis superioribus ad Jerani montis pedem suburbanam B. Helenæ in pago Uhrano Ecclesiam; postea, ut honoratiori loco Martyrum Trevirensium ossa magnis acervis cumulata reperentur, in S. Paulini cœmiterio ædiculam instru-

Egelbertus Archiepisc. Ecclesiis quibusdam prospicit.

ad cujus ingressum cancellos inter magno numero collecta sunt. Quamvis in omnem latè Europam, imò ad Indos Chinasque hodiedum spargantur, celebratâ apud omnes nationes Martyrii fama. Denique anno MXCIII. 1093.
Arlunensem Marchionatum tuitus strenuè est contra Henricum Comitem Limburgensem: qui, quod neptem Adelheidis donatricis quondam duxisset, eum sibi adversus Trevirensem Ecclesiam vendicabat. Vim ille primum ad possessionem invadendam adhibebat. Quem Egelbertus, frustra monitum, anathemate demum perstrinxit; Sed cum Henricus fulmen illud ceu brutum, alio belli instructi fulmine repressum iret: nec hoc sibi deesse Egelbertus ostendit, & raptis obviam armis, magnâ Henricum strage, turpique retrò fuga actum, suis se continere coëgit finibus, anathemati donec Ecclesiæ damna rependeret innodatum. Illud tamen cum videret, evenit, ut alius iisdem diris obstrictus mensam adiret, dumque per jocum illum ut excommunicatum, & hic vicissim Comitem vitandum sibi asserit, cani Famelico, qui mensæ aderat Henricus adipatum bolum projicit: & *hanc*, inquit, *bucceam si canis respuat, certi erimus nos, ut communione fidelium excluſos, jure etiam vitandos esse.* Quam cum canis aversatus, nec tangeret quidem, uterque non dubiâ anxietate perfusus, urgente conscientia, de conciliatione secum agitare cœpit. Treviros igitur delati, erroremque suum confessi, obnixè execrationem hanc à se tolli, numeroque fidelium clientum adscribi postulavêre, Henrico Egelberti monitis jamque deinceps obnoxio. Unde Lutzelburgensibus deinde Comitibus feudi loco Marchionatus Arlunensis deferri ab Ecclesia Trevirensi consuevit.

Marchionatum Arlunensem Trevericis vendicat.

Henricum Comitem anathemate stringit, solvitq; supplicem.

Rex verò Henricus, cum non modò publici anathematis, sed & prostitutæ uxoris Adelheidis laboraret infamiâ, propriis demum liberis ad infanda scelera provocatis cœpit esse detestabilis. Quare Conradus filius ab illo aversus in Italiam divertit, ibique suadente Mathilde, & inaugurante Anselmo Mediolanensi Archiep.

Conradus Regis Henrici filius, à patre, ob impietatem, discedit, & Rex Italiæ creatur.

chiepiscopo regni Longobardici coronam sumpsit, Pontifici adversus schismaticos obsecutus, patrisque simul, quantum fas per religionem observans, omnium amorem merebatur; Sed, immaturo post octennium fato, sumpti per insidias veneni suspicionem non effugit.

S. Paulini Ecclesia igne consumpta.

Magna sub hoc tempus clades nobilissimam S. Paulini Ecclesiam, per fortuitum incendium, usq; ad consumpta marmora invalescens, unà cum Monasterio, in cineribus deposuit. Unde nunquam in pristinum deinde splendorem emersit. Quando & alia clade Egelbertus Trevir. Archiepiscopus perculsus est, tribus

Suffraganeæ Ecclesiæ ab Egelberto deficiunt.

suffraganeis Trevirorum Ecclesiis, Metensi, Tullensi, & Virdunensi ab illius, tanquam execrabilis, obedientiâ discedentibus. Et Metenses quidem, licet Poponem virum nobilitate & moribus spectatissimum, ex Metropolitana Trevirorum æde, Henrico frustra obnitente, eligerent, secluso tamen à consecratione Egelberto, Gebhardum Constantiensem Episcopum à

An. Ch. 1094.

schismate alienum eo muneri popposcerunt. Et Deus

Variæ calamitates Germaniam premunt.

ipse variis in Germaniam calamitatibus de cœlo iratus detonans, multos ad Romanæ Ecclesiæ gremium revocavit, quos & æther fredis in subjectos mortales tempestatibus sæviens, & feræ lupiq; de silvis funestis cladibus infectæ, & diris crebrisq; grassata funeribus pestilentia, adeoq; exspectatæ per horas singulas imminentis mortis terror ad meliorem animum sensumq; pœnitentiæ revocavit. Unde quæsiti ubiq; à schismate alieni Sacerdotes. Multi etiam non vulgaris

Multi, etiam Comitum Ducumq; de salute sollicitati Monasteriis excitatis se abdiderunt.

tantùm, sed præcipuæ dignitatis viri Comites Ducesq; à perturbatis imperii rebus ad solitudinem Monasteriorum, saluti suæ istic rectius consulturi, sese recipiebant. Suis quoque eodem abstractis facultatibus, illorum tam funesto tempore, auxerunt numerum. Adeò ut paucis hisce annis in Bavaria Sueviaq;, quibus tamen vis belli gravissima incubuerat, plusquam viginti novi Monasteria emerserint. Trevirensis diœcesis quoq;

Lacense in Trevirorum

Lacensi haud procul Andernaco, non vulgaris fama

cœnobio, per Henricum Palatinum Comitem, ejusq; conjugem Adelheidem, augeri cœpit. Deiparæ illi inprimis devoti, cùm ex opposito lacus quem accolebant, nocturnis sæpe colluſtrari prata ſilvasq; facibus cernerent, ſpectabile illic geminis turribus Magnæ Matri Templum erexerunt; &, ne miniſtri ſacrorum deeſsent, Benedictinæ eodem familiæ viros evocarunt. Quibus favente & adjutante Hedvvige Nickendichii Domina, ampliſſimas circum poſſeſſiones deſignarunt. Quæ tamen Sigefridus privignus, Henrico brevi extincto, tum operis perfectione, tum donationis complemento abſolvit. An. Ch. 1095.

finibus Monaſterium extollitur.

Tullis quoq; nobile Canonicorum Collegium, ſub B. Auguſtini & Abbatis imperio viventium, Lutolphus Brunonis, poſtea S. Leonis Pontificis, filius, ſed adoptivus erexit. Mathildis quoq;, Beatricis (quæ poſtea Godefridum Lotharingum duxit) ex Bonifacio filia nobilem Juveniaci Parthenonem S. Scholaſticæ Reliquiis ornatam, priſco decore lapſam, & opibus & diſciplinâ, Urbano Pontifice favente, inſtauravit.

Collegium Canonicorum S. Auguſtini Tullis erigitur.

Juveniacenſis Partheno inſtauratur.

Sed nullum hac tempeſtate opus illuſtrius, quàm memorabilis illa in orientem expeditio, & Dominici ſepulchri, cum Hieroſolyma recepta, à Saracenis, per Gallos Germanoſq;, vindicatio. Cujus autor promotorq; Urbanus II. Hic enim in Synodo Placentina, orientali legatione ad ferendam contra barbaros opem poſtulatus, Claromontum in Galliam profectus, caſtigatâ adſtrictaq; Philippi Regis luxuriâ, Galliæ procetibus ſacrum bellum perſuaſit. Quod non vulgari ardore à Lotharingis inprimis, Trevericæq; ditionis hominibus ſuſceptum, Gallos, Italos, Germanosq;, quin & Monachos feminasq; ad ſpem poſſeſſionis firmandæ traxit. Dux præcipuus Godefridus Bullionius, ex Henrici Regis militia multis victoriis celebratus, cum fratribus Balduino & Euſtachio, qui ex Ida Godefridi Gibberi ſorore & Euſtachio comite nati, Lotharingiæ hereditatem, Henrici beneficio adierant, Hugo Regis

Bellum ſacro Godefrido Bullionio præcipuo Duce ſuſceptum ſub Urbano II. 1096.

Galliæ frater, Robertus Flander, Raimondus Tullensis acceſsêre. E Trevirensibus verò Franco & Sigemarus

Trevirenſes in eo plures.

à Machra, ac Henricus ab Eſcha cui ſervatæ poſtea Antiochiæ decus manſit, nobilitate & bello clari intervenêre. Præter quos ſub Emichone collecti Duce

1097. Diſſoluti milites malè plexi.

Treviri, Vbii, Moguntiaci, Nemetes, dum ſolutâ diſciplinâ, in Judæos paſſim, ceu Mahumetanorum, quos petebant, conſortes, ſeſe ingenti per Germaniam Hungariamq; licentia effundunt, prædarum aviditate vitæq; licentiâ latè graſſati, à laceſſitis deniq; Hungaris Bulgarisq; oppreſſi, belli ſuſcepti gloriam ignominiâ abſolverunt. Et qui apud Treviros invaluerant Judæi,

Judæi ab hoc milite vexati, Treviris vel ſemetipſos interficiunt, vel ſimulatè fidem Chriſti profitentur.

hac clade tacti, cum ad Egelbertum in palatium ſupplices penetraſſens, isq; vitam incolumem, ſi baptiſmum Chriſtique legem accepiſſent, datâ fide offerret, magna pars detrectans mutuis intra palatii conclave, cædibus, ultroneaq; morte periit; alia verò, Michea quodam Duce, ſe ad baptiſmum obtulit; ſed ubi libertatem nacta eſt, ſolo Duce excepto, ad perfidiam jam geminatam deflexit. Adeò difficilis Judaicæ malignitati ad ſalutem regreſſus eſt. Henrico enim protegente, cui pecunia, quàm fides & religio carior, tuti ſunt in contumacia perſtitêre. Exemplo, quod hodiedum quoque ſolet ſpectari.

Ceteri Ducum, partim claſſe ex Italia, partim terreſtri per Hungariam itinere feliciter provecti, Niceam Bythiniæ, ac deinde Antiochiam comeatus inopiâ deſperatam occupavêre. Quam cum rurſus anno ſequenti Mahumetani obſiderent, nondum ſatis ab anno-

Niceæ & Antiochia bello ſacro occupatur.

An. Ch. 1098.

inſtructam, fortiſſimè inprimis Treverici illam defenderunt, Henrico ab Eſcha eosdem, ex occupata jam murorum turri, ingenti ſuo diſcrimine, ſed gloriosa victoria deturbante, crevitq; deinde obſeſſis animus ut eruptione in hoſtes factâ, ad centum millia Saracenorum internecione deleverint. Non tamen incruenta prorſus noſtris victoria, quam Franco & Sigemaro Treverici Duces amiſsâ vitâ cruentarunt. Sangui-

Treviri Antiochiam contra Turcas defendunt.

verè nobili, cum pro Christo funderetur. Proxima dein æstate, anni MXCIX Hierosolyma VII. Junii obsidione cincta IV. Nonarum Julii Godefrido Bullionio perlignei pontis, mœnibus instrati, machinam invadente, occupata est, ideoque ab universo exercitu Rex Hierosolymorum est salutatus; ad regium illa in urbe cultum ac diadema sumere detrectavit, ubi Christus spinis redimitus, & Rex per ludibrium pronuntiatus fuerat. 1099.

Hierosolymæ à se occupatæ Rex Bullionius salutatur.

Inter hæc recepta Treviris in Horreensi Parthenone Luicarda fuit, Egelberti ex fratre neptis, juvenili ætate & formâ, quàm virtute commendatior. Hanc post Jonzam loci Magistram, ante biennium piè defunctam, Egelbertus, quamvis invitis, imposuerat. Sed quæ erat Virginum sollicitudo, obnitebantur suis apud Deum impensè precibus, ne tali imperio adstringerentur: donec cuidam ardentius precanti Deipara adstitit, cum SS. Virginibus, Irmina, Modesta, & Anastasia, jussitque divino consilio acquiescere, quandoquidem & puniendis aliarum sceleribus, & quarundam virtuti exercendæ, hæc, ceu flagellum quoddam, illarum Monasterio destinata sit. Sub quâ, & præterita expiare delicta, & fastidio præsentium, ad cœlestia anhelare doceantur. Et verò respondit eventus, quando annorum quadraginta, quibus præfuit, servitute virgines subditas coërcuit, tam sibi facilis, quàm aliis severa.

Luicarda Egelberti neptis Parthenoni Horeensi in pœnam cœlitus destinatam præficitur.

EPITOMES ANNALIUM TREVIRENSIUM

LIBER XIII.

Paschalis II. Pap. *Henricus IV. Imp.*

An. Ch. 1100.

FOrtunata Lotharingorum in oriente regnantium auspicia, mors præstantissimi Ducis Godefridi excepit, lætiùs obita, quòd juxta morientis pro salute nostra Christi monumenta contingeret. Baldui-

Godefrido mortuo, Balduinus frater Rex Hieros. succedit.

nus frater locum communibus suffragiis tenuit, jussusque, ne autoritas imperanti deesset, Regis titulum munusq; capessere. Quod, cum seculi post Christum duodecimi anno primo, Dux idem superioris ad Mosellam Lotharingiæ & Solymorum, inchoavit. Et illius quidem administrationem in Wilhelmum fratrem Boloniæ Comitem transtulit; Lotha-

Inferior Lotharingia Limburgensi Comiti defertur.

ringiæ verò inferioris ducatum Henricus Limburgi Comes ab Imperatore est consecutus, donec, lapsus gratiâ Cæsaris eodem ad Brabantos delato, rursum excideret.

1101.

Sub hoc tempus Henricus Imperator gravi corporis afflictus molestiâ, nec ignarus S. Maximini possessiones in Suab - & Ebernsheim à se temerè abstractas, re-

Henricus pœnam Dei agnoscit, & S. Maximino ablata reddit.

stitutionem Deo Sanctoque Maximino pollicitus, sanitatem, ut publicis profitetur literis, recepit, simulque his ipsis Folemarum Abbatem in jus pristinum immunitatemque reduxit. Quâ æquitate par erat injuriam toti Ecclesiæ illatas sarcire. *Vt felix afflictio corporis est, quæ menti sanitatem restituit.*

Cæ-

Gravior morbus Egelbertum Trev. Archiepiscopum, anno schismatici regiminis quarto & vigesimo, Nonis Septembris oppressit: incertum, an conciliatum Ecclesiæ. Illud satis compertum, extremos vitæ annos singulari in egenos beneficentiâ, & laudatæ moderationis famâ ornasse, atq; in æde D. Petri maxima depositum esse, vacante per menses quatuor sede; donec Bruno ex Comitum Brettheimiorum ad Nicrum familia, Cleri populique Trevirensis delectus suffragiis, ab Henrico, ut schismatis consors erat, probatus, annuloque & pedo, uti ajunt, investitus est, à schismaticis quoque Episcopis Moguntiæ, Henrico præsente consecratus. Sed, admissa dignitate, haud leviter deinde animum pupugit infelix ab Apostolica Romanorum sede divulsio, quam iteratis in Henricum ejusque fautores diris Paschalis II. Pontifex in pertinaces haud ita pridem strinxerat. Igitur, quâ conciliari viâ posset, intentus animo, Romam ipse se, tam ad subjectionem profitendam, quàm impetrandum pallium conferre statuit. Utque Egelberti acta improbare se testaretur, ab officiis dimovit, quotquot sacros ab eo ordines percepissent, nisi qui summæ sedi obedientiam promitterent. Et Henricus Rex Romanorum constantiâ, in repetendo nuper anathemate, consternatus, fluctuabat animo, perque Einhardum Herbipolensem Episcopum Moguntiæ, post Christi Natalem, vulgari jusserat: Henrico se filio traditurum imperium, religionisq; causâ, peregrinationem ad sepulchrum Servatoris nostri susceperum. Quæ tamen ad populi procerumque captandam magis gratiam, quâ accepta fuêre, quàm ex animi sententia vulgasse eventus docuit.

Egelbertus moritur incerto exitu, cui Bruno ab Henrico substitutus est.

1102.

An. Ch. 1103.

Henricus terretur Romanorum in anathemate iterando constantiâ, & simulat pœnitentiam.

Interea Bruno, hac dissimulatione ad rem suam usus, Romam se contulit, primis salutationis honoribus à Paschali egregiè cultus; sed mox in concilio Episcoporum, ad dicendam causam adesse jussus. Ut, quâ lege fretus, annulum baculumq; cum amplissimi Sacerdotii juribus ex manu Laica Regis admittere non

1104.

Bruno Archiepisc. Romæ pœnitens conciliatur.

refugisset, ac subinde & clericos sacris initiare ordinibus? Ad quæ cum submissè reponeret; quod autoritati Romanæ sedis, ejusque arbitrio omnia deferret. Præteritorum graviter perstrictus, sacrisque abstinere jussus. Cum tridui piaculum subjisset, Episcopis intercedentibus, restitutus ea lege officio est: ut triennio deinceps, ad contestandam delicti pœnitudinem, sacris absque dalmatica veste operaretur. Quam ipse deinde legem, in magnâ sacrorum frequentia, religiosâ demissione atque erga Apostolicam sedem observantâ; executus est. Majori reparati dedecoris gloriâ, quàm admissi ignominiâ. Certè Treviros reversus, ornatusque concesso Romæ pallio, seduli Pastoris muneri accò naviter, partibusque omnibus, ad religionem, schismate lapsam, charitate rursus instaurandam se impendit: ut ipse populum non exemplo minus vitæ, quàm verbis pro concione, ad quam dicere solitus, ardentibus inflammaret. Unde, in Commentario Epitaphii sanctorum eidem inscripto, Theofridus, Epternacensis hoc tempore Abbas, sic in procœmio operis eundem affatur, seque eidem submittit: *Olivæ uberi, pulchræ, speciosæ, fructiferæ in domo Domini S. Trevirica sedis Archipræsuli Brunoni, oleaster aridus, Epternacensis cœnobii Hegumenus Theofridus*, quem deinde coronam totius Cleri, signaculum similitudinis Dei, sapientiâ & decore præstans, nuncupat; ut nisi eximium his laudibus extollere principem, vir adulationis expers, non posserit. Procul ab iis, *qui dum alios immerentes ornatum instructâ ornant, seipsos dedecorant.*

Laudes illius.

ἡγούμενος Ductor.

Diversus animi à laudato hoc Principe Imperator Henricus, cum pristina vitæ flagitia pertinaciâ schismatis cumularet, Proceres hanc, filio ejus Henrico in regnum substituto, quo levius Patrem ferirent, abrumpendam esse statuerunt. Quare filius per Gebhardum Constantiensem Episcopum legatumque Apostolicum Pontificiæ autoritati, Ecclesiæque communioni adjunctus. Ruthardo Moguntino Archiepiscopo suffraganeo

An. Ch. 1105. Germaniæ Principes Cæsari propter contumaciam abjecto Henricum fil. Ecclesiæ conciliatum substituunt.

remp. administrat, Bavariamque, Sueviam, Saxoniam, Franconiamque, adulterinis Episcopis submotis, aut conciliatis, obsequentem sibi, Romanæq; sedi habuit. At senior, collectis quantùm licuit copiis, filium in Noricum usq; secutus, cum ad Regini amnis ripam oppositum esset militem, eóque ad natum inclinato, se proditum animadverteret, aliquo suorum dilapsus comitatu, Confluentiam apud Treviros confugit. Natus armorum metu solutus Moguntiam descendit, Bingæque cum Patre amicè congressus, nihil aliud se à Patre postulare, quàm ut in gratiam cum Ecclesia redeat, submisse testatur, cetera se parenti obsecuturum pollicitus, in hoc Deum sibi ante parentem esse. Imperator, cum sine Principum conventu hac in re nihil constitui rectè posse affirmaret, filium facilè consentientem habuit, comitiaq; utriusq; voluntate indicta sunt.

Per Natalitios igitur Christi dies, celeberrimus post hominum memoriam Germaniæ Principum conventus, ingenti omnium exspectatione, Moguntiæ colligitur, novi anni auspicia, novis consiliis consignaturus. Ubi Seniori etiamnum inflexibili adversati omnes sunt: 1106
exaggeratâ, & damnatâ unius præcipuè capitis in schismate contumaciâ, nullis hactenus totius imperii detrimentis flexâ. Contra quæ dum irarum plenus Henricus fremeret, nullo argumento, aut spe pœnitendi Ingelheimii confistens, per submissos à Comitiis Principes Augustalia ornamenta, vel invitus, ponere, coronamque, sceptrum, crucem, lanceam, & gladium filio indulgere coactus est. Quibus Moguntiæ Henricus V. Junior, lætis omnium votis, promptisq; suffragiis inauguratus est, regnumq; à legatis Pontificiis assertum est. Sed & decreta ad Paschalem perquam honorifica legatio: cujus princeps Bruno Trevirorum Archiepiscopus, tum deinde ceterarum imperii regionum alii principes, qui ad res Ecclesiasticas per Germaniam sanctius ordinandas & consilium summi capitis, & præsentiam ejusdem trans Alpes requirerent. Quos ut

Comitiis Moguntinensibus Henricus V. inauguratur.

Bruno Arch. Romam legatur, cum aliis.

Insidiis ab Exrege Henrico Bruno cum reliquis legatis capitur, liberq; Trevirim redit.

Henricus Exrex averteret, per Adalbertum factiosum hominem Tridentinis præpositum effecit. Hic enim Tridentina in urbe captos, contra jus gentium carceribus ignominiosè concluſit, donec Welpho Bavariæ Dux, armatâ manu, Castellum urbis aggressus, expugnaret, interceptisq; libertatem redderet. Quorum cum pars evasisset, legatione jam mutila omissáq;, Bruno Trevirim ad suos revertit. Inter quæ Henricus Senior cœptam discordiarum telam pertexens, Henricum Limburgium Lotharingiæ inferioris à se beneficio ornatum, cum ingenti secum milite traxit Leodiensi Episcopo suffragante, Bonnam, Coloniam, ac Juliacum firmis munit præsidiis. Et impiger ad hæc filius trajecto Rheno, licet aliquam ad Viseti pontem accepisset à Patre cladem, cum tamen mox validum eidem exercitum opponeret, mœrore ac desperatione rerum ictus pater, infirmitatem ac brevi mortem Leodii VII. idus Augusti oppetiit. Unde cadaver Spiram deportatum, obscuroq;, sine exequiarum honore, loco conditum, illacrymabile jacuit. Spectaculum mortalibus, quàm *malè perituris inhiantes bonis, negligant immortalia, & dum honores immodicos sectantur, honorem sæpe omnem prodigant.*

Limburgensis Comes Exregi Henrico, adsistens, hoc mortuo, Lotharingiâ inferiori excidit.

Mors Henrici in gloriâ.

Limburgius, qui pertinaciam senis armis juverat auxiliaribus, gratiâ illius gratiam amisit ceterorum, procerumq; judicio reus majestatis declaratus, Lotharingiæ inferioris ducatu excidit, quo Godefridus Lovanienſis Comes donatus, Brabantinorum hunc Ducum posterirati transfudit.

Lotharingia inferior Brabantinis Ducibus constanter cedit.

Henricus V. exinde Imperator, ut ætate etiamnum magnarum rerum incapax, ita Brunoni Trevirensium Archiepiscopo, celebratæ prudentiæ religionisq; viro commissus est, ut sub hoc Rectore peritius regeret. Huic igitur velut Dictatori jus omne traditum, quod tamen in rebus arduis ex Principum consultis libratum erat. Et Bruno sanè fluxam adolescentis ætatem, maturâ prudentiâ, optimisq; sustentabat artibus, tam re-

Bruno Archiepisc. Henrici V. Junioris tutor & imperii administer.

gendo

gendo Cæsari, quàm imperio idoneus, ut hujus institutionis fructum Ecclesia & resp. speraret amplissimum.

Jam annus duodecimi seculi volvebatur septimus, quando ad propriam diœcesin ritè ordinandam conversus Bruno, Synodum Trevirim indixit. In qua frequens sacri profaniq; ordinis nobilitas, ac, præter Ecclesiasticos proceres comparuit, Sigefridus Comes Palatinus, Ecclesiæ Trevirensis Advocatus. Henricus Comes Limburgensis, Wilhelmus Comes Lutzelburgicus, Theodorus de Ara, Adelbertus de Dille, Emicho de Schmitburg, Ludovicus de Arnstein, Gerlacus de Romersdorff, Adelbero de Daun, Hermannus de Virnenburg, Simon & Adelbero de Mailberg, Hesso de Ruttig, Wiricus de Walecuort, omnes Metropolitanæ Trevirorum Ecclesiæ, fide stipendiisque, aut feudi titulo honoribusq; devincti. Quorum pleræque hoc tempore stirpes exaruêre. Ut non solùm homines, sed ipsæ etiam cum iisdem sublatæ progenies, arcesq;, & evanida marmora nos mortalitatis admoneant, qui *dum indies morimur, vivimus tanquam non morituri.* 1107.

Bruno comitia Treviris subjectorum cogit, pro Diœcesi rectè administranda.

In his comitiis Springirsbacense Monasterium B. Augustini Clericis à Benigna vidua recèns erectum, haud procul à Mosella ad salientem rivum, infra Clausam, Episcopali jurisdictioni subjectum est, eâ lege, ut cœnobitis potestas Abbatis legendi constaret, quem consecraret Episcopus. Quod benevola Procerum assensione anno salutis MCVII. firmatum, decimarumque tam in frugibus, quàm pecoribus onus, Brunone donante, remissum; fasq; Advocati, ex quavis familia sumendi datum est. Quem tum quidem cum Principis assensu Sigefridum Palatinum esse voluêre, pium simul potentemq; ad Lacum id ætatis Comitem. Benigna ipsa se juxta, in solitudinem ejus silvæ, à Religiosis viris instruenda, collocavit, geminosq; liberos Deo quoq; in holocaustum incruentum obtulit, filium Richardum Springirsbacensibus, postea loci Abbatem, Tenvvidem verò filiam Parthenoni Andernacensi, & ibidem (quæ erat

Springirsbacense Monasterium nobilium Canonicorum fundatur.

Benigna post impensas opes, se liberosq; religiosæ vitæ addicit.

erat nobilissimi generis virtus) gubernationi demum adhibitæ. Ex tam sanctis autoribus, & principiis hoc Monasterium nobilium Clericorum emersit, ut, nisi posteritas indigna degeneret, horum vitæ morumque vestigiis sit insistendum.

Sanctorum Reliquiæ Treviris in Saxoniam transferuntur.

Magna, liberalitate nescio, an profusione, Bruno Archiepiscopus hoc eodem tempore Sanctorum Reliquias Treviris in Saxoniam transferendas Theimaro Helmvvardeshusano Abbati indulsit. Episcopo Paderbornensi locus patebat, gratiamq; Brunonis Abbas illam occupârat, quâ honestius ille ad impetrandum, quàm Bruno ad largiendum usus est; quòd cum illius in Sanctos amore, hujus quidam neglectus jungi videretur. Nam *quo facilè caremus minus carum esse creditur.* Duorum verò Episcoporum sanctitate apud Treviros celebrium Modoaldi & Legontii, seu Leontii, corpora obtinuit, lingua tamen, & corde illius demptis, ut cum istis doctrinæ & amoris suis ovibus impensi signa, apud posteros servarentur. Accessit auctarii loco mandibula S. Apriunculi, tum geminum brachium, alterum S. Bonosi, alterum D. Autoris cum superiori capitis testa: denique dens & costa S. Beati. Quæ diversis temporibus data illataq; maximum excipientis ubique populi plausum gratulationemq; habuêre, præsertim Autoris; quòd unius hujus brachium, magnis par in præsidio exercitibus fore persuasum esset. Quo se non minus nudari Treviris dolebat, quàm firmari Saxonia lætabatur. Quod utinam gaudium apud hanc gentem perpetuum stetisset!

SS. Modoaldus & Legontius Archiepisc. cum aliis SS. Ossibus, translati.

An. Ch. 1108.

Revocati hoc tempore Aureæ vallis Benedictini in Calabriam sunt, unde Beatrix Tusca Godefridum maritum secuta, eos duxerat, basilicâ augusti operis, quàm & Beatrix & Mathildis filia cœperat, etiamnum imperfectâ. Quod dum Otho Comes Chiniacensis gravatè ferret, Archiepiscopo Trevirorum probante, Monasterium novis à se possessionibus auctum curavit, absolvitq; operibus, Brunoniq; ac D. Petro Tre-

Otho Comes Chiniacensis Auream vallem perficit, & Canonicis

virorum summo Patrono, Canonicis Regularibus in locum adscitis, subjecit. Donec hi regularum suarum obliti, ideóq; sede excluſi, sub Adelberone Cisterienſibus Religioſis aditum fecêre. Ut in aurea hac valle, multa quidem sterilia, mores tamen multorum pretioſi, ne solum ab auro nomen duceret, hucusq; provenerint. Regularibus tribuit.

Annus consequens, qui seculi hujus IX. est Adelbertum, Friderici Comitis Saræpontani fratrem, Henrici V. Cancellarium, Moguntinensem adire sedem, morte Rutgardi vacantem, conspexit. Qui, ut adolescentis tenebat animum, ita Brunone, nec invitè, excluso moderationem illius regniq; ad se traduxit. Verùm exiguâ tum suâ gloriâ, tum Romanæ Ecclesiæ imperiiq; emolumento.. Nam ut ipse per Henricum mitræ admotus est; ita hanc potestatem Apostolicæ sedi integrè deserendam cupido juveni non persuasit. 1109. Adelbertus Regis Cancellarius ab eo Archiepiscopus Moguntinensis instituitur. Qui Brunone excluso Regis & imperii regimen occupat.

Luctuosa sanè Henrici in Italiam mox susceptа expeditio, quis fructus novæ institutionis esset, demonstravit. Nam ingenti trans Alpes ducto exercitu, cúm rebellium aliquot urbes armorum potentiâ revocasset ad obsequium, lætus successibus, Romam imperialis coronæ gratiâ progressus, magna Paschalis populique gratulantis frequentiâ excipitur. Verùm, ut ipse Ecclesiarum præfecturas sui esse arbitrii, potestatisq; laicæ esse volebat, offensus illâ arrogantiâ Pontifex, liberè, & hanc spiritualem jurisdictionem, & coronam ei negavit. Tum ille & Paschalem, & Purpuratorum Clerum violentæ custodiæ mancipat, Romanosque, pro libertate obnitentes, magnâ strage profligat. Obtendebat, jus illud, Carolo Magno ejusq; posteris concessum, immeritò per Gregorium Imperatoribus Germanis eripi, adduxitq; blanda deniq; persuasione Paschalem, ut assentiretur, consecrandi tamen solos idoneos jure sibi Episcopisq; servato. Eáq; lege coronâ Augustali insignitus in Germaniam rediit, & Adelbertum Moguntiæ per annulum baculumq; dignitate Archiepiscopali ornavit. 1110. Henricus in Italiam profectus per vim à Paschali extorquet jus investituræ. Eóq; Adelbertum inaugurat.

Verum

1112.

Paschalis deniq; per concilium ad revocandam sententiam, & anathema Henrico infligendum adigitur.

Verùm à discessu Imperatoris, cum reliqui Cardinalium, qui fidem eidem non obligârant (quemadmodum Paschalis aliiq; captivorum) negarent, fas Pontifici aliisq; fuisse hæc indulgere Cæsari, quæ Clero Ecclesiæque, atq; etiam populo, idoneos Pastores eligendi facultatem, divino humanoq; jure concessam, eriperent, & turpissimum simoniæ in Ecclesia vitium stabilirent, Paschalis in Synodo CXXV. Episcoporum, ceu vi extortam potestatem abrogavit, ac suorum Antecessorum anathema dirasq; in caput Imperatoris retorsit. Unde novi in Germania motus ac Procerum Episcoporumq; secessio. In quibus Adelbertus ipse Moguntinus cum esset, is velut conjurationis reus in carcerem datus, incredibili famis tormentorumq; supplicio divexatus per quadriennium totum fuit. *Expertus, summum apud Principes favoris licentiaq; gradum præcipitio esse proximum.*

Germani posthæc ab Henrico rursus deficiunt in quibus ipse Adelbertus ad carceres rapitur.

Neq; id solus Adelbertus sustinuit. Comes quoq; Palatinus Sigefridus, Trevericæ Ecclesiæ Advocatus, custodiâ quâ tenebatur, superiori anno laxatus, à calumniæ suspicione ad insignem Henrici gratiam pertrârat; adeoque, ut erat religionis promovendæ cupidus, Lacensis Monasterii, Henrici Vitrici morte defecti, absolutionem urgebat. Ubi templum senis spectandum turribus perfecerat, arcem etiam habitationemq; ex opposito lacus propriam demolitus, ne quis ejus loci incola molestiam religiosis propinquis crearet. Lacum verò inter montes amplissimum, fecundam piscibus, & per subterraneos montis canales in vicinas sefe valles exonerantem, ut pleno semper margine incrementa, decrementaq; aquarum, naturæ artisq; beneficio, ignoret, cum vicinis possessionibus largitus, faventem in omnibus assentientemq; Cæsarem habuit, donec Vdalrici Saxoniæ consangvinei hereditatem aditurus, Henricum, imperatorio hanc fisco vendicantem, adversari sensit, ideoq; ceteris Ducibus schisma illius detestantibus accessit. Cum quibus haud multò post, magno

Sigefridus Comes Palatinus Monasterii Lacensis promotor. Henrici quoque offensionem incurrit.

magnis viribus incumbente Cæsare, in villa quadam per Hagerum Henrici strategum interfectus est. Vir origine Saxo atq; , ut loquitur Vrspergensis, nobilissimus, & nulli suo tempore in omni probitate secundus, hocq; exitu indignissimus. *Adeò inter potentes etiam una vox meum ad omnem amicitiam dissolvendam potens est.*

Ceterùm vix Treviris perfidiam schismatis excluserat, cum Berengarii sese error sacramentarius in hanc diœcesin infundebat. Duo presbyteri Fridericus & Dominicus Ivodii, ditionis Lutzelburgicæ oppido, virus hoc clandistinis sparserant conventibus. Unde mox à Brunone, cum Durando & Hamelrico plebejis ejusdem sectæ promotoribus Treviros ad examen traducti sunt; In quo dum Fridericus liberè præfractéq; errorem tueretur, atque ad publicam etiam disceptationem provocaret, hæc illi concessa, parum ex voto fluxit. Cumq; manifestis, ex D. Augustino, quo potissimum nitebatur, vinceretur sententiis, pertinaciterq; obnixus, multitudinis in se indignationem concitasset, vix fugâ locum reperit saluti. Quanquam *salus hominis existimari non potest in pertinacia flagitii effugium reperisse.*

Berengarii hæresi infecti à Brunone comprehenduntur, diverso eventu.

Dominicum attinuêre : non minori tamen illusione. Nam metu imminentis periculi consternatus, sese aversari atque ejurare hæresin professus est, ideoq; ad sacrificandum admissus, cum se Christi verum corpus sangvinemq; agnoscere sub symbolis, Brunoni adjuranti contestaretur, innoxiè discessit; sed liber ad hæreticos perfidiam rediit, utq; hæc cum aliis plerumque vitiis conciliatur, in adulterio haud multò post repertus, capitis supplicio vitam flagitiáq; abrupit. Uni Durando abjuratam hæresin constanter displicuisse animadversum est. Tantò *facilius est errorem discere, quàm dedoceri.*

Hic Zelus in Brunone laudem habuit, uti & illa munificentia, quâ basilicam Paulinianam nuper incendio hau- An. Ch. 1123.

Bruno Ecclesiis unâ manu largitur, alterâ aufert.

hausta, ingenti rursum sumptu eduxit; sed quod ejusdem quoque bonis Lesuram Macharamq; decerpserit, hoc reprehensionem non effugit. Par in Horrense cœnobium hinc ad opem præstandam liberalitas: inde ad opes decerpendas libertas fuit. An quod ex alieno promptius sit esse liberalem? an quod infra benefaciendi voluntatem facultas esset? certè pretiosa templorum ex auro argentoq; subduxisse vasa propriæq; impendisse dignitati sustinendæ memorant, atq; hanc posuisse sua in gloria maculam. Sed & Maximiniani illum cœnobii bonis, veterum Archiepiscoporum more, admovisse manus, satis ex literis Henrici V. liquet. Quibus, in compensationem ereptorum, Metensium Abbatiâ S. Arnulphi donatum Archimandritam, (qui tunc Berengosus, libro de S. Cruce edito memorandus, fuit) volebat investiri. Et alia rursum ejusdem beneficentia, in Sanctorum Reliquiis tradendis, censuram non effugit: Cum Gertrudi, illustri Saxonum feminæ, Henrici à Northeim Comitis viduæ, pietatem viri, Bursfeldensis Monasterii fundatoris, æmulanti, S. Autoris Trevirorum Episcopi corpus, unaque Thebæorum militum duorum ossa obtulerit: quæ ab illa Brunsvicum translata, cum ante urbem hæsissent immota, istic BB. Ægidio & Auctori Templum Monasteriumq; excitatum est: ubi magnam repentè loco conciliarunt religionem. S. Autore frequenter afflictis in rebus præsentem invocantibus opem præstante. Ut idcirco locus deniq; murorum ambitu à Brunsvicensibus urbi sociatus fuerit. Quam licet historiam Saxonicus scriptor, * cum visione Gertrudis per S. Autorem ad se auferendum Treviris invitatæ, & furto Reliquiarum ex basilica Benedictinorum conjungat; priori tamen expositioni verisimilius adhæsero. Nam, ut demus cœlitus Gertrudem commonitam; hanc tamen rem furtim expeditam non facilè credidero. Magnis honoribus Brunsvici exceptum, celebriq; basilicæ & concursu frequentatum, fidem omnem meretur.

S. Maximini prædiis manum admovit. S. Arnulphi Abbatia in vicem collatâ.

NB. Berengosum Abbatem malè ab aliis seculo 6. collocari.

S. Autoris Reliquias cum aliis Brunsvicensibus indulget.

* *Ludolphus Assis de Translatione S. Autoris*

Interea dum Henricus Moguntiæ solennibus nuptiarum cum Mathilde, Henrici Regis Anglorum filia, vacat, Fridericus Archiepiscopus Colonienſis aliis junctus Principibus, quibus tamen Bruno se subtraxit, consilia de Imperatore ad Romanæ sedis obsequium cogendo ineunt. Quo cognito Henricus raptis, quos in Frisios destinaverat, copiis Coloniam obsidione, verùm irritâ, oppugnat; Haanis interea Hassiæ seu Cattorum populis, Limburgenses ad Loganam fœdè depopulantibus; ut iccirco ejus loci Canonici ad Brunonis Archiepiscopi ut Domini sui præsidium confugerint. Et Saxonia, Henrici quoque contumaciæ indignata, militem scripsit, quam cum in primo armorum conatu oppressurus properat, à Ludero, seu Lothario, Saxonum Duce, postea Imperatore, non contemnenda clade, rejectus est, fortissimo milite Hagero Mansfeldio, Sigifridi Treverici interfectore, gladiis suorum Saxonum, quos ducatus obtinendi ab Henrico spe reliquerat, perempto.

An. Ch. 1114.

Colonia Henrico adversata frustra obsidetur.

Limburgenses ab Hassis vexati Brunonem implorant.

1115.

Henricus igitur deteriora veritus Moguntiam Comitia Procerum in cal. Novembr. indicit, quibus jus cuique suum prosequi fas esset. Sed cum Apostolicæ sedis hostem aversarentur, rari illorum definito tempore comparuêre. Moguntinensis etiam plebs raptis minax armis palatium circumstetit, suumq; sibi è vinculis reddi Archiepiscopum postulavit; ut perculsus Imperator, Adelberti libertatem pollicitus sit, ac Bruno Trevirorum istic præsens Archiepiscopus, obses fidei datæ interceſſerit, ne quid gravius in Henricum desiderare. Nec multò post Adelbertus, macie ac squalore propemodum confectus, luci cathedræq; suæ est redditus, postquam nuperæ adulationis vitium, tam severè expiasset. Imperator verò animadversis suorum odiis, cum Brunone in Italiam, specie conciliandi sese cum Ecclesia, transit, Friderico Sueviæ Duci summâ rerum per Germaniam commissâ; quæ hinc, Adelberto in oppositum cum Principibus plerisque ruente, magnis

Henrico Præceres Moguntiam convocati parere renuunt. Adelbertus à plebe è carceribus vendicatur Brunone intervenient.

An. Ch. 1115.

Cæsare in Italiam cum Brunone digresso, Germania tem-

pestatibus jactatur.

per hæc tempora motibus est concitata. Quibus insolitis cœlum tempestatibus, fulminibusque, atq; igni-

1117. bus mediâ hieme horrendum rutilantibus, adeò diri interluſit; ut velut ad extremum diem attoniti mortales hærerent.

Henricus inter agitata cum Paschali Pontifice de pace consilia, cum is negaret, citra Synodi consensum, perquam damnatus esset, restitui illum Ecclesiæ posse, deniq; hunc morte sua defunctum amisit, cui Romani Gelasium II. suffecêre, qui cum Henrici ambitionem, perinde ut decessores, non ferret, ille Burdinum Episcopum Braccarensem Gregorii nomine Antipapam constituit, Brunone Trevirensi non voto tantùm, sed & armis pessimo ausui suffragante. Cui cum Frangepanum familia Romæ adsisteret, bello in urbe contra Gelasium administrando Bruno præfuit, Henrico in aliis Italiæ partibus occupato; ita, ut septem urbis Romanæ portas, contra irrumpentem Robertum Principem Capuanum, tenuisse se constanter tuitumque, cum rei familiaris jactura, affirmet. Denique tamen Bruno, sive literis suorum qui revocabant, sive exiguâ factâ, quam speraret ab Imperatore gratiâ, offensione autem multorum certâ; sive denique conscientiâ fœdi scelematis, in Germaniam se recepit, ac Wormatiensi basilicæ idibus Junii consecratæ adstitit, ac Cunonis Praenestini Apostolici legati operâ Gelasio est conciliatus. Quanquam is jam Româ per Frangepanes ejectus, in Galliam ad Concilium Viennæ instituendum properaret. Ubi ad IV. cal. Febr. anno hujus seculi XIX, vitâ abiens, Calisto II, ex Widone Archiepiscopo Viennensi, locum aperuit. Sub quo cum Germaniæ Principes Herbipolim ad dicendam causam Henricum evocarent, regnum, nisi pareret, adempturi, territus ingenti celeritate ex Italia adfuit, seque Triburiæ eisdem congressatis stitit. Ubi, quòd spem pacis cum Ecclesia, Rhemensi Synodo ad hoc indicta per Pontificem, faceret, sibique priscos sustinendæ majestati reditus fisci posthaberet, utriusq; rei exspectatione discessum est. Ja-

Paschali Romæ mortuo Gelasius succedit, contra quem Bruno pro Cæsare fortiter sed improbè pugnat.

Brnuo in Germaniam se recipit & Gelasio conciliatur.

1119.

Henricus metu depositionis in Germaniam redit, & Triburiæ spem reconciliationis facit.

Jam ad Rhemense Concilium undique confluebant Episcopi, Brunone Trevirorum quoque cum suis suffraganeis præsente, quando Calistus XIII. cal. Novemb. cum CCCXXVI. Episcopis Synodum auspicatus, frustra Henrici obsequium præstolabatur. Igitur repetita decessorum suorum in perversum caput execratione, post XII. dies Concilium dimisit. Bruno tamen Pontificem Augustodunum ad celebrandum Christi Natalem, secutus, pro antiqua sedis suæ dignitate stabilienda contendit. Quam hinc Adelbertus Moguntinorum præsul, legati Apostolici titulo sese in jura Trevirensium inferens: inde Stephanus Barræ Comes Episcopusque Metensis, pallio & Cardinalitio honore, (ut Pontificis Nepos erat) fretus, negato obsequio, ibant imminutum. Bruno igitur hærens lateri, Cluniaci veterum privilegiorum vim potestatemque assertam; pontificio diplomate, III. Non. Janu. munitam accepit; his verbis: *Personam tuam à cujuslibet Legati potestate absolvimus nisi fortè à nostro latere dirigatur.* Et aliis literis: *Legitimum, perpetuumq; manere sancimus, ut videlicet Trevirensis Ecclesia super tres civitates Metim, Tullum, & Virdunum Metropolis habeatur; & ipsarum civitatum Episcopi eam matrem & magistram, salvâ in omnibus Romanæ Ecclesiæ autoritate, ac reverentia, recognoscant. Porrò tibi tuisq; legitimis successoribus, frater in Christo charissime, usum pallii confirmamus & ex Apostolicæ sedis libertate jumento purpura instrato * per constitutas Ecclesiastationes vehi, atque ante vos Crucem deferri, concedimus, sicut & prædecessores nostros tuis constat prædecessoribus concessisse.*

Henricus in Rhemensi Synodo frustra exspectatus rursum excommunicatur à Calisto.

1120.

Bruno adversus Prælationem Moguntini, & exemptionem Metensis Episcopi, diploma Papæ impetrat. Simulque purpuræ in equo usum.

* *quod alibi dictum, Nacco vehi* παρὰ τὸ νᾶκκ&

Hinc Romam lætis omnium votis Calistus subiit, Leone Frangepane cum tota gente, Petro Columna aliisque ex nobilitate obsequiis, impigraque parendi voluntate, ut ipse ad suum Treviros Legatum scribit, paratis. Burdino verò Antipapæ à Romanis intercepto, pro tiarâ cucullus monachalis, Cavensi in Monasterio, impositus est, opportunum superbiæ remedium.

Calistus Romæ admissus, & Burdinus Antipapa inclusus.

An. Ch. 1121.

Bruno Chorum S. Nicolai excitat.

Brunoni ad suos reverso curæ fuit, ut occidentalis, quæ ad atrium summæ ædis est, pars in chori speciem educta, D. Nicolao, arâ eidem positâ, cum ipsius aliisq; Sanctorum Reliquiis, solenni ritu, consecraretur. Quam, dum hæc scribo, Carolus Casparus à Petra Archiepiscopus Trev. instauratam, egregio intus, cùm figurati fornicis, tum lateralium sedium, marmoreique altaris opere illustravit, suóque ad pedem chori sepulchrali monumento concluſit, pretiosâ, etiam dum viveret, mortis memoriâ.

Henricus denique minis Dei hominumq; territus se Wormatiæ submittit legatis Pontificis.

Denique Henricus Imperator infelici rerum successu, Principum & populorum adversus se conjuratione, cœlestibusque prodigiis ac tempestatibus, quæ superiori anno, etiam glacie de cœlo tantâ mole fusâ, detonuêre, ut ædificia apud Treviros Junio mense ab imis fundamentis concussa sint, tandem consternatus, duráque contritus mente, Herbipoli in Comitiis Principum sele ac Pontificis arbitrio obtulit. Qui cum tres à latere legatos in Germaniam destinasset, coram his Wormatiæ an-

1122.

Anathemate cum schismaticis solvitur, postquam investituræ renuntiasset.

no salutis MCXXII. conciliatio instituta est, & ipse IX. cal. Octob. cum tota schismaticorum multitudine lustratus, vinculisque anathematis solutus est, postquam investituræ per annulum baculumque renuntiasset, liberâ electione & consecratione Ecclesiis relictâ; indultumque viciſſim Cæsari esset, ut *saniori* eligentium *parti assensum & auxilium præbeat. Electus autem per sceptrum ab eo regalia accipiat, intra sex menses consecranda.* Ita populorum ingenti lætitia, post infelix quaginta annorum dissidium, pax denique tranquillitasque Ecclesiam inter imperiumque serenior affulsit, multísque fracta locis, velut post diuturnum morbum, religio vires reparavit.

Wilhelmus Comes Lu-

Sed apud Treviros hæc non parum insolentiâ Wilhelmi Lutzelburgii, qui ex Comite Conrado successerat, debilitata, jacebat, cum is, prædatoriâ hominum stipatus manu, sacra ac profana per diœcesin jura perfundaret, Brunonis ad hanc audaciam senio absentiaq; fre-

fretus. Ergo monitum hominem abstinere violentiâ aut justam ultionem exspectare jubet. Qui, cum ad imbelle hoc tonitru non moveretur, fulmen excommunicationis in illum adhærentesque publicè distringit. Quo ille ab Ecclesiæ, ceteri ab ipsius, ceu diris devoti, consortio arcebantur. Quod anathema dominicis quibusque diebus pro concione iterari recitando jussit. Quo tantopere, homo ceterà dissolutus, cohorruit, ut literis submissionis plenis, se ad omne Archiepiscopi obsequium, armis positis, demiserit.

Tzelburgius à Brunone per excommunicationem ad officium revocatur.

Bruno verò, hac defunctus curâ, se totum religionis addixit studiis, ut rependeret, siquid in eis, dum Henriciano favebat schismati, malè esset peccatum. Nocturno igitur silentio Sanctorum obire monumenta, eorumque se impensè intercessioni, tanquam Dei amicis, committere, quò brevi moriturus eorum possit consortio sociari. Quin & asceteria religiosarum obire domuum, earumque benefactis opem in supplicatione meteri. Ut indignitatem suam apud Deum aliorum dignitate suppleret. His & munificentiam in sacra loca addidit, Spirensem diœcesin, patrio in agro Brettheimiensium, nobili Monasterio Odenheimio, fundis villisque locupletissimo, exornavit. Cujus Abbatem cum Monachis ætate sua Tritheimius ad secularium Canonicorum transisse libertatem, Româ magis indulgente, quàm probante, conqueritur. Ludit de Abbate sic quidam Poëta:

An. Chr. 1123.

Bruno impensè pietate studet.

Monasterium Odenheimense apud Nemetes excitat.

Quod postea Canonicis cessit.

Deposui Benedicte tuam, rapuique Petrinam
Vestem, sic Ditem fallere posse ratus.
At mihi nil prodest vestis mutatio; nam me
Prodit calvities, & mea lingua levis.

Quæ tamen Brunonis, ut consiliis adversantur, ita beneficentiæ non derogant. Apud Treviros idem S. Eucharii, sive Matthiæ, cœnobium inter rudera pæne subsidens, à fundamentis lapideo & nobiliori opere excitare agressus est, Eberhardo Kambergensi, spectatæ religionis Abbati, id suo ex ære negotii committens.

S. Matthiæ cœnobium excitantem mors occupat.

1124.

At valetudo ingravescens, morte ad VII. cal. Maji anni MCXXIV. insecutâ, absolutionem operis ad posteros transtulit. Sed Paulinianæ ædis restitutio, jam ante liberali sumptu curatâ erat. Tum verò per eundem S. Florini apud Confluentes basilica, quadrato Saxo ad eam molem dignitatemque, quam vidimns nuper ante incendium emerserat: hospitalitatis sede juxta illam excitatâ, quâ multorum inopiæ ærumnisq; benignè cònsuluit. Ut qui tanta profusione sua in Dei honorem erogasset, hujus perquam honorifica inter homines, mors Spiræ Trevirisque celebrata fuerit, utrâque diœcesi pro mortui corpore piè decertante. Quod tamen Trevirica ædes haud procul ab Egelberto complexa est.

S. Florini Ecclesia & Hospitale ab eodem erecta.

Godefridus Decanus summa ædis Archiepisc. substituitur.

Bimestre octiduumque inde fluxerat, cum Godefridum majoris Ecclesiæ Decanum, & nobili apud Leodios ortu, & raris corporis animique commendatum dotibus, Antistitem Clerus elegit. Qui Wormatiensi dein, ut creditur, Episcoporum conventu solenni consecratione inauguratus est. Quo tempore & Aureæ vallis Ecclesia sacris ritibus, ad Godefridi mandatum, per Henricum Virdunensem Deiparæ est dedicata, & An. Ch. 1125. dnplici Schonaugrensi Monasterio, altero virorum, altero virginum, in Lurenburgensium Comitum agro, diœcesis ad religionem exculta est. Hilduini, primi istic Abbatis, auspiciis, per Ruberti Comitis auxilia promotis. Parthenonem S. Virgo Elisabetha Schonaugia, à loco dicta incoluit, quæ historiam S. Ursulæ, undecimque asseclarum virginum millia, objectis cœlitus visionibus, illustravit.

Schonaugiæ Monasterium virorum & virginum, instituitur.

Serena Godefridi exordia, nova repentè tempestas dissidentis Cleri excepit. Hic enim electionem ut vitiosam criminari, aliòq; sua vertere suffragia & consilia orsus, quò minus in gravi jam ætate obtrectantem Godefridum expertus est, tantò ad propositi executionem vehementius incubuit. Henricus tamen interea Rex Vltrajecti XII. cal. Junii mortalia reliquit, ac Gibe-

Godefridus à Clero oppugnatur.

lino

linorum familiæ stirpem, ex qua Conradus & tres Henrici, improbis abrupit. Cui Luderus, exin Lotharius dictus, è Saxonum gente Dux successit. Conradoq; & Friderico Sueciæ Ducibus Henrici Sororiis nequicquam obnitentibus, quod se, & propinquos sangvine, & insignium Imperii possessores esse, jactarent. Sed illum Principes, licet invitum, unctione & coronâ, per Fridericum Colonienſem impositâ, Aquisgrani donarunt.

Henricus Rex moritur. Lothario succedente.

Hinc profectus in rebelles Bohemos, minus felici expeditione, movit, Principum magis perfidiâ, quàm suâ virtute destitutus. Moguntiam subinde redux Gultzianam apud Confluentes Ecclesiam, D. Servatio sacram, Hersfeldensibus religioso hactenus jure subditam, permutatione bonorum institutâ, Trajectensi Clero consignavit. 1126.

Ecclesia S. Servatii Gulzæ Trajectensi Clero traditur.

Per idem tempus, cum Trevirensis Cleri factio Godefrido adversa, in Meginerum sui ordinis virum nobilem, & consiliorum fautorem tota propenderet, Godefridus rarâ modestiæ, & amatæ demissionis laude, affectanti splendidas hasce Archiepiscopalis dignitatis curas ultro cessit, majoremque in honore posito, quàm admisso Meginerus commendationem habuit. Licet suis hic moribus indignus minimè videretur. 1127.

Meginerus pro Godefrido eligitur.

Innovatis ergo Cleri suffragiis in sedem receptus, Wilhelmum Lutzelburgicum iteratis diœcesin Trevericam è castello Bunmageno excursionibus vastantem, cum robore lectæ militiæ aggreditur, utque inexspectatâ castrum vi adortus est, ita primo impetu tenuit, subinde graviora formidantem Comitem ad pacem habuit inclinatum: Sapientisque juxta ac fortis in bello Ducis partes explevit, qui celeritate sæpe conficit, quod longo ambiguoq; Marte vix esset exspectandum. *Nihil in bello felicius est victorioſa brevitate, quâ minimis impenſis damnisq pax læſa reparatur.*

Wilhelmum Lutzelburgicum celeri expeditione subigit.

Altera ejusdem Megineri Archiepiscopatus felicitate beatus fuit: Iteratâ videlicet S. Matthiæ inven-

Iterata S. Matthiæ inventio, multis prodigiis celebrata.

tione, maximis cœlestium operum prodigiis honorata. Etenim, ut præstantissimæ ferè Sanctorum Reliquiæ, ne furtim raptimve amittantur, in abstrusa, nec nisi pauciſſimis, juratoque silentio obstrictis, nota latibula reconduntur, parte aliqua ad venerationem publicam relicta; sic deniq; morte paucorum illarum quoque latebræ ignorantur, nec nisi inexspectata ac divina plerumque dispositione reteguntur. Idque eventu hoc tempore manifestò constitit: quando Eberhardus Abbas cœpto à Brunone insistens operi, ad dilatandos sufulciendosque templi fornices, sacram Dei Genitricis aram amolitur; illâ jam spe incitatus, quam hinc cœnobita fecerat, qui è mediis Monasterii septis novam raro fulgore emicare stellam conspexerat, alterque Divi venerationi deditissimus ab urbe civis, qui B. Apostolum pretiosa in chlamyde juxta aram cubare, subterq; limpidissimum prosilire ac latè sese effundere fontem per somnum viderat, unde quotquot hausissent infirmorum, repentè sospites existerent. Nec fefellit exitus. Nam dum interiora terræ viscera fossores subeunt, ecce loculum ex plumbo reconditum, cui palmari magnitudine marmoreus impositus, hac epigraphe, lapis: B. MATTHIAS APOSTOLUS. Tum enimverò exultare gaudio universi, & repentinâ, (ubi fama vulgaverat) convenarum, seu religionis, seu valetudinis gratiâ affluentium, multitudine locus frequentari; tam salutari patrocinio, ut quotquot pæne morbis incurabilibus afflicti supplices accederent, sanitate sperata freti redirent. Crevitque remediorum exemplis fiducia, ut jam non solum pro ægris salutem; sed pro mortuis etiam vitam exorarent. Ita Lambertus, aquariæ ad S. Martinum in urbe molæ curator, Wernerum filiolum undis haustum amiserat. Quem, cum voto ad

Plures mortui ad vitam revocati.

D. Matthiam facto precatur, ut si non vivum, mortuum saltem recipiat, scaphâ per Mosellam exploratoria circumlatus, denique fluitantem manu super aquas (qui bacillum comprehenderat) erectâ, sed jam aquis præ-

foca-

focatum, reperit. Hunc cum desperatâ vitâ ad funus pater componit, versâ tamen ad Apostolum mente pro salute obtestatur: apertis puer oculis videre ac vivere, parentesque inexspectato perfundere gaudio cœpit. Qui tamen non ingrati sic receptum Apostoli deinde obsequiis, in cœnobio, mancipârunt. Neque hoc D. Matthiæ in mortuos beneficium adeò singulare fuit, ut solum esset. Adolescens ex vico Temelza eodem Mosellæ raptus gurgite, jam biduo extinctus Matrem reliquerat viduam, orbitate ac senio afflictam. Quam dum Apostoli ope imploratâ vicini solantur, mox ipse præsentiori solatio vivens, progressusq; obviam, filius erexit. Sic apud Ubios in villa S. Severini puer lethali consumptus morbo, jamq; pro exequiis depositus, ad patrocinium S. Matthiæ invocatum, in pedes sese, territis ac fugientibus qui in pervigilio aderant, vegetus extulit, horrore mox in gaudium applausumq; verso. Hæc ex multis, cùm longum sit per omnia salutis beneficia, id temporis diversis impensa, progredi. Quæ, ut Lambertus ejus loci & temporis cœnobita præsens, chartâ complexus est; ita & in se expertus; cùm molestis acutisq; ab eodem se Apostolo febribus liberatum testetur; fidem historiæ non scripto tantùm, sed & exemplo facturus. Mireris, si præcipites etiam casus Apostoli invocatione innoxios fuisse memorem. Immo Punderchii pagi agricola, à Brunichone Lutzelburgico prædone captus, postquàm ad vota D. Matthiæ facta dissiliissent, quibus vinctus tenebatur, catenæ; se ejusdem fretus patrocinio, ex alto dedit murorum præcipitem, illæsusque decessit. Alter per virum nobilem, viribusque, ac mole membrorum ferocem, ipse longè impar, ad duellum impulsus; cum jam excusso ab hoste clypeo nudus staret desperatusque, implorato Apostoli auxilio, tam validè clavam hostili impegit capiti, ut ictu unico exanimaret; victorque, ceu David alter, à Goliatho, rediret. Nihil, quod difficile mortalibus est, cœlitibus arduum relinquitur, qui solo Dei præ-

In extremæ vitæ discrimine servati.

sentis nutu, terrena moderantur, suoq; arbitratu flectunt. *Invincibilis est, qui Deum habet adjutorem. Hunc ubi conciliaveris, nullum timebis.*

An. Ch. 1128.

Meginerus subinde Romam profectus, ab Honorio non solum pallii Archiepiscopalis honorem, sed & consecrationem adeptus, ad gravissimam muneris Apostolici procurationem adhibetur. Conradus enim Sueviæ Dux, cùm adversus Lotharium, quorundam Principum suffragatione, regis titulum officiumq; invaderet, Honorius Pontifex novis seditionibus interventurus, Meginero vices, viresque infligendi anathematis in Germania rebellibus commisit. Quæ reversus imperterritè executus Archiepiscopus, Conradum frustra admonitum, execrationis denique sententiâ perstrinxit. Quo ut apud Lotharium facto gratiam, ita apud æmulos summam capiti suo invidiam contraxit. Et Treviris, licet honore ac gratulatione totius populi lætissimâ exceptus: tamen ubi dissolutos Cleri mores, autoritate jam fretus, ad continentiæ leges revocare, laudatissimo religionis Zelo, aggreditur, benevolentiam illius brevi opere temporéq; profudit: & ad Godefridum jam rediissent vota animique, nisi humanis illum Deus rebus subtraxisset. Nimirum *facilè omnibus promptumq; obsequium est, cum alia, quam quæ lubent, non imperantur. Desideratus diu esse Rector non poterit, qui inordinata suorum desideria fortiter temperantiæ freno restringit.*

Meginerus Romæ pallio & consecratione acceptâ, ut legatus Pontificis in Germaniam redit, & Conradum Ducem excommunicat

Trevirensi Clero, ob reformationem morum ingratus.

Nobile Theodoricus Mosellanorum Dux contempti hac tempestate mundi spectaculum edidit. Quando ab aulæ familiæque illustrissimæ splendore, ad monachalem cucullum & obscuras Mediolacensis cœnobii latebras deflexit, filio Simone post se ultimo Mosellæ Duce relicto, ex quo Bertha filia Theodorico Lotharingiæ, stirpis Bullioniæ, Duci in thalamum tradita, fecunditate sua, patris sterilitatem reparavit, gloriam verò auxit, altero Simone filio in Lotharii Imperatoris agnationem transeunte.

Dux Mosellaniæ Theodoricus relicta familia Monachum induit.

Postà

Porrò Meginerus, cum legato Pontificio Matthæo Albanensi Episcopo, & D. Bernardo, Catalauni in Synodo, Episcoporum judicio, contra Henricum Virdunensem Præsulem instituto, adfuit. Quo is, licet regio Anglorum sangvine & virtute commendandus ex Cluniacensi disciplina prodiisset, Simoniæ tamen condemnatus, Episcopatu exclusus est, majoribus deinde in Anglia honoribus ornatus. Ut *felix hic ipsi casus visus fuerit, quo, tanquam excussa in terram pila, altiora est assecutus.* 1129.

A Meginero aliisq; Virdunensis Præsul ob Simoniam deponitur.

Reversus Trevirim Archiepiscopus sub Andernaci mœnibus Parthenonem, Ludolphi illustris viri donatione, instruxit, nobilibusque hunc virginibus sub Canonico D. Augustini instituto victuris, & Springirsbacensi Abbati parituris, commisit: ne consecratus olim religioni jam intermortuæ locus, in prosanos usus transiret. Cui Richardus id temporis Abbas præter Tenvviden sororem, Magistræ titulo præfectam, Isenbertum singularis innocentiæ cœnobiarcham dedit. Quorum sub auspiciis feliciter cœpta religio hodiedum persistit. In vestibulo templi utriusque extat memoria, ubi provoluti ante Deiparæ iconem cui Monasterium templumque sacratur, hinc Isibertus orat:

Nobile Partheneum, juxta Andernacum instituitur.

Isenbertus cœnobiarcha Tenvvidis Magistra.

Aspice me gratis, rogo te, flos virginitatis.

Inde Tenvvidis precatur:

Tenvvidis veniam, petit hic prostrata Mariam.

Meginerus postea Treviris receptus, tantis Clericorum offensionibus criminationibusque jactari cœpit, ut ad Honorium, expertæ benevolentiæ Pontificem, sibi recurrendum esse Romam duxerit, & ad curandam sui Cleri improbitatem quærendum remedium. Sed enim ad graviorum illum Deus malorum experientiam reservabat, expiaturum tolerantiâ quidquid ambitione dignitatis peccaverat: ut & posteri discerent cautius hos prensare honores, qui tantùm oneris periculorumq;

Meginerus à Trevirensi Clero jactatus dum Romam pergit, à Conrado captus, in carcere moritur, habitus ut Martyr.

rumq; secum traherent. Siquidem vix sese per Alpes Italiæ crediderat, cum Dux Sueviæ Conradus, qui suo cessu armorum fretus jam Longobardiæ, sumptâ Modoëtiæ coronâ, dominabatur, positis transiturum insidiis occupavit, Parmensibusque in servitutem ac pignus sexcentarum, quas debebat librarum æris, renovotâ decemviralis legis sævitiâ, tradidit. Ubi decem prope mensium ærumnis ac carceris squalore confectus, oculorum lumine, ac deinde cal. Octobr. vita excidit, Martyrum à prisci gloriâ etiam donatus. Cum susceptas in causa religionis inimicitias captivitate, ac morte immeritâ luerit; honorifico per Episcopum Parmensem funere depositus.

An. Ch. 1130.

Templariorum apud Treviros honoratorum principium

Honorius verò Pontifex hoc eodem anno decessit, postquam superiori Templariorum probasset ordinem. Primo Magistro militiæ, Hugone de Paganis, Træcensi Galliarum in Synodo candidis vestito. Quibus ampla deinde Trevirorum in urbe ac diœcesi patrimonia domiciliáq; cessêre.

Romæ pro Pontificatu contentio, Treviris fuga.

Contentio interea de utroque Pontificatu non levis fuit, Romæ ambitione plurium, Treviris subterfugio. Et illic quidem Innocentio II. legitimè electo sese oppositi Petrus Leonis, cui ille seditionis vitandæ gratiâ cessit in Franciam. Hîc Bruno Adolphi Comitis de Monte nepos superioris Brunonis Trev. Archiepiscopi, Præpositus Coloniæ S. Gereonis, & Confluentiæ S. Florini, omnium suffragiis electus, constanter in turbatum seditione ac moribus, exhaustumque Ludovici Comitis Palatini Advocati immodicâ potestate atque avaritiâ Episcopatum, venire recusavit, & ne cogeretur Pontificis sibi adjunxerat sententiam. Jam enim Innocentius apud Eburones, cum Lothario Episcopisque magno numero collectis, versabatur, Synodoque Leodii institutâ, Petri Leonis sub Anacleti nomine sese ingerentis acta damnavit, Clerique conjugia severo anathemate prohibuit, Regem verò ad Romanæ Ecclesiæ defensionem accendit. Unde cum Lothario

Bruno Comes de Monte Archiepiscopatum Trev. fugit. An. Ch. 1131.

Leodiensi Synodo Petrus Leonis Antipapa damnatus.

rius Matthæo Albanensi legato Pontificio stipatus Trevirim ante Paschalia festa subjisset, dum istic subsisteret, novâq; electione hinc Clerus suos, inde nobilitas populusque diversos produceret, itum ad Imperatorem est, qui celebratæ prudentiæ usuque rerum peritissimum Alberonem Metensis Ecclesiæ Primicerium edidit. Quare, dum Clerus ad sententiam Lotharii sua electione firmandam colligitur, Ludovicus Alberonis ingenium veritus, ut qui Godefridi & Megineri lenitate ac indulgentiâ, ad nimiam rerum administrandarum licentiam, abusus fuerat, rem cum nobilitate ac popularibus subvertit, ac Lotharium Moguntiam digressum eandem secum in mentem per legatos adduxit. Clerum verò obsistentem, cum urbem Vicedomini potestate teneret, vi spoliisque ad obsequium compulit; ut nec ipse jam Albero seditiosæ gentis & reip. curam suscipere dignaretur. Ad Pontificem igitur oppressus sese Clerus vertit, qui Alberoni per legatum suum Rhemos evocato, publicè in concilio, quantumvis deprecanti & obluctanti, Archiepiscopalem habitum induit, suumque inter Synodi proceres occupare locum præcepit, & hinc Viennam abducto sacræ consecrationis cæremonias adhibuit. Ludovico, inter hæc, atrocia quæque in venturum per se suosq; machinanti.

Treviris Albero Metensis Primicerius designatur, Ludovico Vicedomino obnitente.

Albero invitus licet à Pontifice consecratur.

Quo tempore Albertus Chiniacensis Comes, paternæ vestigia pietatis secutus, Cisterciensis familiæ religiosos septem, D. Bernardo autore, ex Trium Fontium Monasterio in Auream vallem traduxit, primos hujus diœcesis, ex sacra hac familia, incolas. Quibus Agnete Conjuge probante, vicina agrorum cum silvis pascuisque attribuit. Liberalitatem hanc tamen post annum vicit Bolso vir nobilis Trev. Ecclesiæ Archidiaconus qui non tantum sua, sed & seipsum huic valli largitus est.

Ad auream vallem Cistercienses traducuntur.

At parum secundus hic annus D. Matthiæ apud Treviros cœnobio illuxit. Quando ex Monachis advena, S. Agritii Reliquiis quibusdam istic repertis, furtim

S. Matthiæ cœnobium incendio correptum.

tim transferendis intentus, dum eas scrinio abdit, incendii quoque fomitem imprudens reliquit. Quod cùm hinc demum emersisset, sacrilegus advolvans emptus reliquias, erumpente in vultum ex scrinio flamma, ceu exanimis, vultu ambusto, prosternitur, luitque infelicem conatum. Reliqua verò Monasterii recèns erecti tecta ignium quaquaversum effusorum vis depasta est. Memorant, in hac confusione rerum hominumque non defuisse, qui S. Matthiæ loculum arreptum transferre conati sint, at hæsisse ignota mole immobilem, nec flammis circum grassantibus quicquam passum.

Fur Reliquiarum punitur.

S. Matthiæ loculus immotus & incombustus.

Lotharius subhæc Coloniam Ubiorum, ad Natalium Christi solennitatem, descenderat, ubi, cum pio Friderico recèns defuncto Godefridum Sanctensem Præpositum elegissent, intervenit Rex, Brunonemque ex aula Pontificis advolantem, antiquatâ prioris electione, minimè hìc obnitentem, suffecit. Nimirum *ad lautiorem mensam, fames aliàs sedata, acuitur*, Gloriam tamen, quàm fugiendo honores quæsiverat, amisit quærendo.

Bruno Comes Archiepiscatum Colonienſem cupidè acceptat.

Lotharius hinc Aquisgranum ad Principum discedit comitia. Ubi cum Albero, regalium petendorum gratiâ, convenisset Cæsarem, negavit ille, ni juramenti fide adhibitâ docuisset, coactum se à Pontifice pedum, accepisse, nullâ regii juris fraude. Cúmque fidenter Albero Sacramentum Regi offerret, fiducia & virtute viri motus, non annulo baculoque, ut olim, sed admoto leniter sceptro jus regalium impertiit.

Albero regalia, licet ægrè impetrat.

Albero verò quis jam olim futurus esset, istic luculento in Comitiis exemplo docuit. Cum enim affinis Lotharii Simon Lotharingiæ Dux Trevirensem nuper, sede vacante, Ecclesiam gravibus divexasset injuriis, inflicto illum anathemate, ipsis Paschalibus festis

Excommunicat Simonem Lotha-

palam

palam sacris excluſit, neque illi, aut præſentia tot Principum, aut Imperatoris affinitas ad liberationem profuit; Sed Romam profectus ipſi ſe Pontifici ad dicendam cauſam, abſolutionemq; impetrandam ſiſtere coactus eſt. His præludiis Albero ſuum muniebat ad Treviros ingreſſum, Ludovico adverſario terrorem allaturus prius, quàm vultum conſpiceret.

ringiæ Ducem, in præſentia affinis Imperatoris.

Magna pars victoria eſt, hoſtem perterruiſſe.

LIBER

LIBER XIV.

Innocentius II. Pap. *Lotharius II. Imp*

An. Ch. 1132.

ALbero, sine, ut alii, Adelbero ex Montreuli Leucorum stirpe nobili ortus, atque ad Ecclesiæ disciplinam egregiâ indole moribusque formatus, post regalium jus Aquisgrani adeptum, numeroso instructus comitatu, Trevirim subiit,

Albero Treviris honorificè excipitur.

Ludovico urbis Præfecto, seu timore, seu officii simulatione obviam, ad manuum usque osculum demisse effuso. Magna Cleri populique gratulatione exceptus, albâ, victoriosis olim patente, urbis portâ bene ingressum auspicatus est, ut jam tum Adversarium, quem non solum honori, sed & vitæ insidiatum esse noverat, in triumphum adduxisse videretur.

Palatium sibi in urbe Ludovicus vendicarat, quo Præfecti ac Provisoris titulo annonam commeatumq; Episcopalem abstrahebat, illum Godefrido ac Meginero partiri ex arbitrio solitus. Quare Albero Palatiolum extra urbem progressus, mœnibus illud atque oppidi specie complexus, Episcopali illic in domo substitit, omnemque totâ diœcesi huc annonam Antistiti debitam transdari præcepit, ipse suarum rerum arbitrarius dispensator futurus. Unde intra triennium brevi ad Ludovicum in urbe indigentia, ad Præsulem rerum omnium copia transiit, quæque Godefridus & Meginerus per illum auriſugam prædia obærarant, repenso per Alberonem ære, redempta sunt. Ludovicus ubi sese hac arte enervatum, rebusque florentibus exutum conspicit, laneâ in veste, squalore obsitus Regue habitu discalceatus, ut Baldericus ejus temporis scriptor testatur, sese pronum supplicemque ad pedes Archiepiscopi abjicit, ac præteritorum impetratâ venia urbanum palatium, libertatemque gubernandi pri-

Defectit Palatiolum, & Ludovico in urbe commeatum subtrahit.

1133.

Qui supplex reusque se Alberoni submittit.

tur

nam suo Domino restituit, ac pristino clientis officio acquievit. Ne dum aliena invaderet, propriis etiam deturbaretur.

Lotharius, Innocentio in urbem reducto, coronatur.

Lotharius interea Romam profectus, Innocentium secum Pisis assumptum aditu in urbem patefacto introduxit; sed cum Petri Leonis præsidio Vaticanum palatium teneretur, in Laterana basilica augustali diademate à Pontifice, pridie Nonas Junias anno seculi XII. tertio & trigesimo, est redimitus, ac rebus deinde urgentibus in Germaniam revertit, brevi instructiori adversus hostes exercitu Italiam repetiturus, postquam Danos cum Pomeranis Rugiisque ad obsequium inflexit. Rege Danorum in Ensiferi servitium adscito.

An. Ch. 1134.

Albero D. Bernardo autore Cistercienses recipit.

Alberoni subinde curæ fuit, ut D. Bernardo suffragante laudatissimæ Cisterciensium familiæ Religiosos, in Aurea jam valle receptos, propius Trevirim quoq; constitueret. Novem igitur ex Claravalle, sub Randulpho * Abbate, & Helia Priore missi, Winterbachii primùm, deinde commodiorem Himmerodii sedem fixêre. Alberonem verò pro suo in religionem Zelo Innocentius Legatum sedis Apostolicæ per universam constituit Germaniam literisque ad Archiepiscopos reliquosq; Præsules datis imperat: ut *obedientiam, & reverentiam illi deferant, pro celebrandis conventibus Synodalibus, & ad ejus*, ut loquitur, *convocationem conveniri non graventur, quò, fretus omnium consilio & auxilio, corrigenda corrigere, & quæ recta sunt, adjuvante Domino, valeat stabilire.* Quo tempore religioni quoque propagandæ Gizela, Friderici Saræponti Comitis uxor, cum Simone filio, prædium Wadtgassense ad Saræ flumen Alberoni obtulit. Quod deinde, ex S. Norberti, superiori anno defuncti, disciplinâ regulares Canonici occupârunt, hodiedum à vicina hæresi suis admodum censibus hominibusque attenuatum, quando posteri carpunt, quæ Majores donârunt. Ut si hos liberalitatis erga Deum præstitæ pœniteat. Wilhelmus etiam Palatinus, ex Lothariorum heredibus

* *Ranulpho infra* 1135.

Albero legatus Apostolicus per Germaniam.

Wadtgassense Præmonstratensium Monasterium instituitur.

1136. Wilhelmus Palatinus Springirsbacensibus benefacit.

postremus, qui latè in Ripuariis potiebatur rerum, Cochimamq; arcem vicario imperii jure tenebat, pietate nihilò quàm genere inferior, multa Springirsbacensibus beneficia impendit, quando Contelii nemoris agrorumque spatia largitione suâ amplificavit, prædia verò Advocatorum exemit imperiis, & Cochimensis portorii onera remisit. Quo tempore Albero ejus loci Ecclesiam solenni ritu, in SS. Triadis, Deiparæ, & S. Crucis honorem consecravit.

Albero cum Lothario in Italiam profectus.

Interea Lotharius, instructissimis Italiam copiis aditurus, Alberonem validâ equitum turmâ cinctum adjunxit lateri, quibus Conradus Sueviæ Dux, cum Friderico germano, Divi Bernardi eloquentiâ conciliatus, obviam factus, Longobardiæ coronam detulit, & Alberoni præcipuo Consiliorum Cæsaris administro, omni se humanitatis genere adjunxit. Cujus haud multò post fructum eximium retulit, coronam imperialem.

1137. Rogerius Siciliæ Rex devictus, & Innocentius sedi redditus.

Porrò Lotharius, propinquo jam vere, terrâ marique Rogerium Siciliæ Apuliæque Regem, Anacleti pseudopontificis partes Romæ & in Italia latè tuentem, tam secunda expeditione aggressus est, ut non solùm Campaniâ illum Romáq;, Innocentio in sedem reducto, excluserit, verùm etiam Apulia dejecerit, Calabriâ pariter Siciliáq; exturbaturus, nisi Germani mortalitatis invalescentis metu, & patriæ conjugumq; amore in contrariam Lotharium sententiam deflexissent.

An. Ch. 1138. Apulia Germanis data, & copiæ ob morbum reductæ, Lotharius in via mortuus,

Bruno certè Colonienſis in Apulia morbo consumptus est, & Hugo Agrippinensium Decanus, pallio & consecratione, jam datus successor, Italiâ vivus non abiit. Lotharius etiam Reginaldo Germano in Apulia Ducis titulo præfecto, ac constitutis Romæ cum Pontifice rebus in reditu juxta Tridentum lue contracta, Breduani humili in vico, Oenum inter Lycumque flumina, ingenti totius exercitui, imperiique dolore, occubuit. Immortalitate, nisi omnibus moriendum, dignissimus. Apud Saxones in Monasterio Lutræ à se con-

dito

dito depositus, ignarus, quàm dispares suæ religionis, devotionisque in sedem Apostolicam, posteros esset habiturus.

Albero Megineri decessoris sui corpore à Parmensibus sublato, cum Alpes superasset, intellexit Nantersburgios fratres, Guarnerum & Joannem, stimulante Othone Rineci Comite, Castellum Arras Mosellam inter Albulamque, confragoso in loco situm, per insidias occupasse. Qua re indignatum juravisse per sacerdotalem coronam ferunt, barbam se, jam tum per iter silvescentem, non ante positurum, quàm & Arrasium recepisset, & Nantersburgum, fratrum arcem, solo exæquasset. Nec fefellit eventus rapto enim per viam à Metensibus Leucisque milite, tum deinde & Trevirorum junctis copiis, vix urbem subiit, quando consiliis media hieme invadendi explicatis, properat, atq; utrumque simul locum circumsidet, improvisus. Et Nantersburgum, facilè dejecto præsidio, nec multò post etiam Arrasium tenuit. Quorum illud, haud procul Lutzeradio situm, solo æquavit, altero fratrum sagittâ confixo: hoc prisco sibi jure vendicavit, ac subinde Trevirim lætus ovansque revisit, metumque sui hostibus, fiduciam amicis, tam prompta consiliorum expeditione injecit; ceteros deinde, etiam sine armis, in obsequio habiturus.

Albero cum Megineri reversus corpore, subitis copiis castrum Arras. sibi ademptum recipit, & Nantersburgum solo æquat.

Lubens deinde Egelolphi nobilis locupletisque viri proposito obsecutus est. Is ad Mosellam haud procul Breimptâ vico Stubam pene insulam possidebat, quam Giselæ filiæ, institutione Richardi Abbatis Springirsbacensis præstantis sapientiæ religionisque viri, ad consecrandam Deo virginitatem inflammatæ, pro instituendo Parthenone pater indulserat. Datis ad perficiendum tabulis, ratam esse jussit donationem propositumque Albero, & Richardi collectas illic sub D. Augustini regula Virgines directioni subjecit. Quæ etiamnum hoc loco sub tutela D. Nicolai sociantur, ratóque fruuntur, ex oriente allatæ S. Crucis, ut infra memorabimus, cimelio.

Parthenonis Stubæ ad Mosellam initia.

An. Ch. 1139. Jam Germania ad novum aspirabat Regem. Et Henricus quidem superbus Bavariæ Dux, cui Saxonia cum filia Lotharii accesserat, votum defuncti Cæsaris cum insignibus imperii, quæ expeditionis socius tulerat, possidere videbatur. Sed cùm arrogantia hominis Alberoni ceterisque ingrata principibus esset, illo autore, Confluentiam evocati plures, cum Theodovino Cardinale, Conradum Sueviæ Ducem habuere dignio-

Conradus Sueviæ Dux Alberonis favore Rex contra Henricum superbum eligitur, & coronatur.

rem. Quem proinde, salutatum istic Regem, Aquisgrani Theodovinus cum Alberone inunctum coronarunt. Arnoldo Agrippinensi, pallii nondum honore ad hoc munus idoneo. Id verò cum periniquè Henricus ferret, vitióq; à paucis electionem factam criminaretur, frequentiori Principum comitio stabilitum Conrado imperium, insigniáq; ab Henrico extorta sunt. Cumque palam inimicitias Cæsari denuntiaret, alis Goslariæ comitiis Bavariæ ducatu spoliatus imperioq; proscriptus est. Quem tamen cum Saxones vindicarent, jamque ad arma utrimq; ventum esset, Alberonis, qui cum quingentis militum & ingenti vini commeatu accesserat, interventu, belli periculum federe discussum est, vinumque honoris causa in Saxonum proceres distributum, animis placandis valuit. Et Henrico pax ad brevi insecutam mortem profuisse est visa.

Pacem inter utrosq; idem conciliat.

Adjecit posthæc Albero animum ad jus advocationis, & tutelæ in Abbatiam Maximiniam, (quod Reges usurpabant) occupandam: geminam ad hoc opportunitatem nactus, Regis Conradi favorem, & Gerardi Abbatis pluriumque Religiosorum dissolutam vitam. Ille enim aulæ mores luxumque secutus, cum & abesset domo, & bona cœnobii dilapidaret, Monachos à communi victu ad partiendam annonam dilabi passus est. Quanquam septem, religiosioris instituti tenaces, Romam ad Pontificem pro ope remedioque confugerent. Qui cum Alberoni causæ examen mandelamque, Abbate ad disciplinam revocato, committeret, Gerardus anathemate perstrictus, vitâ haud mul-

Jus regium tutelæ & advocationis in S. Maximini Abbatiam Alberoni Conradus Imp. defert.

po-

post abiit. Et Albero, hic rem suam agi ratus, à Conrado diploma obtinet, quo is jus tutelæ imperialis abdicatum Trevirorum Archiepiscopo transcribit. Cœnobitis interea, & aliunde sibi Abbatem invito Alberone adsciscentibus, & ad Innocentii Pontificis, tum etiam Advocati sui Henrici Comitis Namurcensis auxilia contra Alberonem confugientibus. Hic enim cum Ermisinde filia Conradi Lutzelburgici, hunc quoque ad se comitatum, indulgente Alberone, sub cujus clientela erat, traduxerat. Unde supplicum causam strenuè hi propugnarunt; ille decretis, hic armis, eventu tamen Maximinianis minus secundo. Quando D. Bernardus, cujus tum summa per Ecclesiam, cum sanctitate vitæ, juncta auctoritas, pro Alberone apud Pontificem acerrimis sese literis opposuit; Albero verò correptis pro defensione armis Henricum Comitem, Trevirenses (Witlichio etiam oppido flammis consumpto) invadentem; non modò alienis possessionibus depulit, verùm etiam propriis latè exuit, triginta facilè arcibus expugnatis, nec paucis à fundamento dirutis. Quæ apud Brovverum prolixius expensa reperies.

Innocentius Papa cum Henrico Comite Lutzel. Maximinianos tuentur. Epist. 179.

Albero Henricum profligatum multis arcibus exuit.

Nec ceterarum interea rerum Albero negligens, retinendi in officio Cleri Ecclesiarumque suffraganearum, in quibus Episcopi cum Clero Monachisq; dissolutioribus collidebantur, causæq; litium ad Romanam sedem, præterito Metropolita, deferebantur, anxiè satagebat. Et S. Bernardus quidem, pro jure Archiepiscopali à Pontificibus non occupando seriis pugnabat apud Innocentium literis. Ipse verò indicta generali Synodo, iisdem, ut potuit, cavere malis conatus est. Ad quam exemplum illud religionis eximium pertinet, quod Ludovicus Comes Arensteinius, diversis, non Germaniæ modò, sed & Belgicæ principibus sangvine junctus, cum Guida, ex Bönneburgiis Comitibus, conjuge præstitit. Hic enim arce ad Loganam supra Confluentes, juxtaque Durstæ rivi ostium munitissimâ,

Jus suum in suffraganeas Ecclesias S. Bernardo favente propugnat. Epist. 177. & 178.

Ludovicus Comes Arensteinius cum Guida conjuge se suáq; religiosæ

Præmonstratenſium familiæ conſecrant.

Præmonſtratenſibus vitæ regularis Canonicis tradità, ſe ſuáque omnia in Godefridi, Abbatis illic primi, poteſtatem transferre coram in his Comitiis profeſſus eſt. Et, collaudantibus factum Proceribus, Albero quidem Godefridum ſacravit Abbatem; Comes verò cum Sacellano ſuo Marquardo, Suikero Dapifero, aliisq; quinque viris illuſtribus, habitum inſigniáq; ordinis ſumpſit, Laicorum deinde in numero fratrum ſerviturus reliquis. Guida conjux, licet juventâ florens, pietatis tamen æmulatrix, domicilio in læva montis facie conſtituto includi, ſociatisq; ad idem conſilium Virginibus, Deo perpetuâ caſtimoniæ obligatione adſtringi voluit. Tam raris ſeculum illud pietatis exemplis floreba. Norberto & Bernardo, quorum ille Præmonſtratenſium, hic Ciſtertienſium Dux caputque, ſanctâ quadam æmulatione concertantibus. Et hic quidem apud Treviros, nuper adductos religionis Colonos ab Alberone ad opportuniorem traduci vallem fecit, ubi clauſtri tectis operibusque ad finem perductis, diplomate ampliſſimam poſſeſſionem Ranulpho Abbati anno ſeculi XXXIX. firmavit, hodiedum religioſis ibidem mediis inter ſilvas Dei ſervitio vigilantibus.

Himmerodienſe clauſtrum ſub Ranulpho Abbate cœptum. An. Ch. 1140.

At Maximiniana nondum lis compoſita. Sigenus ejus loci Abbas vir induſtrius, ſolersque monaſticæ libertatis propugnator, tantùm apud Innocentium valuit, ut inſpectis ille Gregorii, Agapiti, Joannis & Leonis IX. Rom. Pontificum diplomatis, conceſſa ab iisdem immunitatis privilegia rata eſſe juſſerit, nulliq; Abbatem cum ſuis, præterquam ſolius Imperatoris tutelæ ſubeſſe, graviſſimis mandatis ſtabilierit, S. Bernardo nequicquam expoſtulatoriâ Epiſtolâ pro Alberone obnixo. Diſtinebat inter hæc Namurcenſis infeſtis Alberonem copiis: donec hic ingenio viribusque potior, arcibus præſidiisque exutum Neuerburgico etiam in conſpectu Wilhaci, ubi gravior imminebat, caſtro extructo, hoſtem fregiſſe atque avertiſſe pro victoria habuit, poſtquam acie victum in fugam abjeciſſet, nusquam deinde palam comparere auſum.

Innocentius Papa Maximinianos ab Archiepiſcopi jurisdictione eximit.

Contra Henricum munit ſe Albero.

Illu-

Illusit tamen huic mortalium vanitati, quâ propter opes honoresque mutuæ vitæ inhiant, Eremicola saltus Lutzelburgensis Schetzelo, tantus rerum humanarum spretor, ut grosso pane gelidáque, quam ex fonte, ab ejus hodiéque dicto nomine, hauriebat, ad vitam alendam usus, neque domum ad habitandum, neq; vestem ad tegendum, nisi quantum honestas vetaret, quæreret; sed media hieme inter ipsas se nives nudo corpore abderet, solo quandoque ad ducendum anhelitum meatu relicto. Interea tamen, ubi convenissent homines, frons hilaris, & amœnus frequénsq; de rebus divinis sermo, quibus toto pectoris ardore precibusq; intentus vivebat. D. Bernardus cum homini per Athardum sui ordinis virum submisisset, tegendi consilio, vestem, assumpsit quidem, sed, ut David Saulis arma, expertusque, in his negavit se posse incedere. Nec multò post extremæ commonitus horæ, ubi in propinquo se pago divinis muniisset sacramentis ad mortem se composuit, maximáq; hominum frequentiâ, in sacra æde excitata depositus, Lutzelburgum postremò ad basilicam D. Virginis delatus, miraculorum non vulgari famâ celebratus est. 1141.

Schetzelo admirabilis rigoris Eremicola, sine veste sub nivibus cubare solitus.

Et alterius Davidis apud Himmerodios haut multò dispar existimatio ex primitiis Cistertiensium de Claravalle à Bernardo Trevirim avocatis. Himmerodium sanctitatis latè fama illustravit, ut ad illum, ceterà parum literis instructum, undequaq; afflicti mortales, vel consilii, vel sanitatis gratiâ affluerent, quæ illi in omnes prompta. Animum tamen à rebus terrenis avulsum, ita Deo divinisq; affixerat, ut hinc ægrè illum, vel ad cibum, vel ad iter capiendum transferret, rarò siccis à lacrymarum profluvio oculis; ut videre præter cœlestia nihil videretur.

David Religiosus Himmerodius sanctitate excellens.

Alberonem longè alia diœcesis administrandæ cura distinebat, ac quidam implicabat, turbatis in rebus, controversiarum labyrinthus. S. Maximini nondum causâ expeditâ, quamvis averso jam hoste, erat; An. Ch. 1142.

Albero Confluentinis Præpositum eligentibus se opponit, sed inconsultò Papæ literas discerpens excommunicatur.

cum alia simultate Confluentinæ ædis Canonicis alliditur. Hi enim, ubi Præpositus vivis abiisset, Ludovicum Isenburgicum, inconsultò Alberone, suffecerunt, illumq; Romam usque prosecuti, literas à Pontifice confirmatæ dignitatis obtinuêre. Quas dum fortè illi in Synodo præsidenti offerunt, argumenti injuriâ tam graviter exarsit, ut palam discerptas abjiceret. Quâ re cognitâ Pontifex diem illi ad dicendam Romæ causam dixit, cunctantemque anathematis etiam sententiâ ab officio dimovit. Ergo, ad gravius discrimen avertendum, Romam iter arripit, tamque apud Innocentium graviter sapienterque causam suam egit; ut non solum hanc abstergeret delicti maculam, electionemq; Præpositi sibi vendicaret; sed latam à Pontifice in lite Maximianâ sententiam everteret, suamque faceret, ac Sigerum Abbatem ad subjectionem sibi jurandam adderet. Perstat adhuc in Metropolitana Bibliotheca Evangeliorum codex sacramento obstringendis ab Archiepiscopo exhibitus. In quo & Sigeri * S. Maximini Abbatis obedientiam promittentis nomen, & Bertolphi, quamvis non eodem tempore, Antistitis S. Eucharii, & Constantini Aureæ vallis, Ranulphi de Clastro, Richardi Springirsbachensis, Wolframni Wadegozensis, Theodorici Theologensis, Godefridi Arensteinensis, ac Folrami Rutilensis.

Purgat se Romæ, & ab Innocentio jus in S. Maximinum recuperat. Sigero Abbate obedientiam jurante.

* *Seyberi*

Palatinorum inferioris Rheni comitum familia extingvitur. Cæsari bona addicuntur.

Excessit hoc tempore ad immortales Wilhelmus, Palatinæ ad Mosellam Rhenumq; inferiorem gentis ultimus, Springirsbacensi in æde tumulatus. Unde Cochimæ castellum, aliæq; ejusdem possessiones ad Imperatorem reciderunt. Uti diplomate Conradus anno 1144. hæc sibi palam vendicavit. Cui ejusdem tituli, sed non stirpis, Hermannus Comes Palatinus, Adelbertus Marchio Saxoniæ, aliique Principes subscripsêre. Nihil igitur Palatinis Rheni superioris cum hac prosapia commune est. Ab hoc Wilhelmo Keimpta Alberoni, & per hunc Richardo Springirbacensi tradita. Qui de suis etiam Cœnobitis, indulgente Archiepisco-

po,

po, Coloniam ad pedem Montis S. Petri, juxta Cellarum oppidum, traduxit, Curionum istic atque in vicinia munus obituris. Quæ ut in generali Trevirorum Synodo concessit Albero: ita & Augustinianæ quoque familiæ Patribus, ut sub Folmanno Abbate, ex pago Lonichio in Valendræ propinquam opportunamq; magis sedem, à Reinbaldo & Sigefrido Isenburgicis comitibus oblatam, transirent. Quâ post Lutheri hæresin, & ipsi de fide suspecti, exciderunt.

Augustinianum institutum diversis locis promotum.

Sub hæc Albero refractarios sibi atque Abbati Sigero Maximinianos cœnobitas, favente Cœlestino Pontifice, Innocentii successore, loco movit, aliisq; in sedem sub disciplinam Sigeri introductis, quietem cum religione instauravit. Quamvis Namurcensis nondum Comitis odia viresque fregisset; quòd pingviores hoc tempore Advocatorum offæ essent, quàm quas sibi facilè eripi paterentur.

An. Ch. 1143.

Albero Maximinianos sibi oblectantes loco submovet, aliis sub Sigero introductis.

Conradus interea cum Henrici Superbi fratre Guelphone, Bavariam sibi vendicante, civilibus armis implicitus diu hæsit. Quod Rogerius Siciliæ Rex Apuliâ, Reginaldo mortuo, rursum, Capuâque potitus, ab Innocentio, cui se ut cliens submiserat, his donatus regionibus, Guelphoni omni ope, ad distinendum in Germania Conradum, subveniret, quò imminens suo capiti periculum averteret. Unde Guelphi qui cum Rogerio aliisq; adversarentur Cæsari, qui verò faverent Gibellini, à Geblinga natali Conradi solo dicti sunt; manseruntq; hæc factionum apud posteros vocabula. Victus tamen Guelpho deniq; succubuit. Ac memoria digniſſimum est, quod Conrado Vinsbergum deditione accepturo evenit. Postquam enim ex pacto solis mulieribus, cum onere quod ferre humeris possent, indultus fuisset exitus, singulæ, maritis ex humeris pendentibus, inexspectato spectaculo prodiêre. Et Cæsar ingenio ac fide mulierum delectatus, viros juxta opesque impartitus est.

Conradus Imp. cum Guelphone Bavaro bellum susçipit, qui Rogerii auxiliis fretus, impar tamen succumbit.

Hinc Guelphorum & Gibellinorum manavit factio.

Uxores virorum amantes.

Hinc verò deflexo ad Rhenum itinere, cum An- 1145.

dernaci subſtitiſſet, quosdam iſtic rebelles, quibus Henricum Namurcenſem jure accenſeas, ad obſequium reduxit. Certè is ſe (D. Bernardo, miro animorum Rege, pacem conciliante) Alberoni Eccleſiæque, à cujus ejectus communione per Pontificem erat, ad omne obſequium ſubmiſit. Ac Spirenſi in Comitio coram Imperatore jurejurando teſtatus eſt: Nunquam ſe pro jure Maximinianorum vindicando arma adverſus Trevirenſem Eccleſiam ſumpturum, neque Rudolphi montem, ab Alberone deſtructum, inſtauraturum, nec Manderſcheitium vi doloque unquam repeturum. Albero viciſſim Epternacum illi, cum aliis quibusdam munitionibus, tum deinde feudi beneficiis, quæ complura ab Archiepiſcopo poſſidebat, ultrò reſtituit, obnoxiumq; deinde ſibi cum Maximinianis habuit. Quæ Conradus, Cæſar, juri ſuo renuntians, & ad Hildulphi Trevirorum Præſulis Cœnobiique collapſi inſtauratoris, mentem, ſuum quoq; conſilium revocans, novo diplomate, anno regni ſui IX. rata haberi præcepit. Alberoni, ubi hanc litem, hoſtemq; compoſuiſſet, repentè per abſentiam novus ex amico emerſit adverſarius Fridericus Viennæ Comes, ante Namurcenſis conſilia averſatus. Huic ex Arraſii, celeberrimo id ætatis, caſtro, unum tantummodo caſtelli propugnaculum ſeorſim à ceteris indulſerat Antiſtes. Sed is reliquis vi atteq; invaſis, ſævâ depopulatione Moſellæ limites infeſtabat, ratus eo ſe non facilè præſidio exuendum. Verùm Alberoni promptior feliciorq; armorum expeditio fuit, quàm Friderici exſpectatio defenſioque ferebat. Potitus arce, procul jam omni poſſeſſione ejecto Comitem, eamque ſuæ virtutis æſtimationem latè ſparſit, quâ metum reverentiamq; ſui ingereret omnibus bellique contra illum aleam periculumq; vix deinde quisquam ſubiret.

1146. Henricus Lutzelb. Comes cum Alberone coram Imperatore per D. Bernardum conciliatur.

An. Ch. 1147. Fridericus Viennæ Comes ab Alberone laceſſito expugnatur.

Quo tempore Ludovicus Comes Arenſteinius ſacerdotii ermi religionis propagandæ, per Trevericam & Moguntinenſem diœceſin ſtudio diſtringebatur, aliis ali-

Ludovicus Arenſteinius diverſa trans

que cœnobiis excitandis opem opesque suppeditans, unde Munster, lapsum instituto proventibusq; incisis Monasterium, trans Rhenum ad Prumiam rivulum Friderici, Conradi Cæsaris fratris, adminiculo luculentis fundis disciplinâq; Præmonstratensium, sub Marquardi Sacellani sui auspiciis introductâ, stabilivit. Sanctimoniales quoque ex Bethlenrode in vallem S. Mariæ traduxit, unde Dominarum in Enkenbach cœnobium propagavit. Atq; in Moguntiorum deinde agros, suâ industria ac munificentia effusus, Gummersheimensem super Selsam rivulum Parthenonem, cum basilica in Deiparæ & S. Joannis Evangelistæ honorem excitavit. Quæ per Lutheri Calviniq; assecias, nunc ad vastitatem, & ferarum cubilia, solenni hæreticorum religione, sunt reducta.

Rhenum Monasteria excitat.

Aliud hoc ævo pro Ecclesia Dei, & orientis Christi regno, post Edessæ per Turcas occupationem periclitante, D. Bernardus, nomine Eugenii tunc Romani Pontificis ardenter, ingentique, quà quà incedebat, miraculorum gratiâ, urgebat. Ut, nisi Deo impellente, illud agere nequaquam videretur. Ludovicum Galliarum Regem jam ante annum induxerat, nec aversos Germanorum cum suo Cæsare animos esse intellexerat, ubi Rudolphus quidam Monachus inflammato concionum ardore, ex Agrippinatum, Moguntinorum, Nemetum, Vangionumq; finibus ingentem secum trahebat, pro sacro bello, hominum vim, quam ad Hebræorum passim necem, velut hujus militiæ præludia incitabat, sed illius Zelum discretiori D. Bernardus interveniens ardore moderatus est, persuasitque homini togatæ potius in templis monasticis, quàm armatæ in campis eloquentiæ operam daret. Judæos ferro exscindendos non esse, quos sparsos toto Deus orbe voluisset. Ipse verò ad Conradum Imperatorem ceterosque imperii Principes sacræ militiæ auctorandos eloquentiam omnem vertit, obtinuitque à non invitis; ut se Imperator cum nobilitate præcipua ad hoc bellum

D. Bernardus post Ludovicum Galliæ Regem etiam Conradum Imp. ad bellum orientale diversis miraculis impellit.

Judæorum cædem latè exercitam dissuadet.

lum conferret. Unde institutâ Francofurti, quò & Bernardus advenerat, diætâ, convenit de Henrico Conradi filio ad imperium admittendo, priusquam in orientem abiret, quod ejusdem principio anni Aquisgrani solenni inauguratione est præstitum. Sancto viro utrique locum, totumq; iter medium innumeris sanitatum prodigiis nobilitante. Albero Francofurtum adierat instructissimo per Rhenum Mœnumque comitatu, in quo præter Matthæum Lotharingiæ, & Henricum Limburgi Duces, octo genere Comites, & quadraginta cameratæ, pluresque liburnicæ atq; onerariæ naves, ut Moguntiæ, amica minus urbe, trepidatum ejus adventu fuerit. Hic redux post se Bernardum traxit. Qui Bopardiæ, regia adhuc urbe oblatum paralyticum in pedes repentè erexit, Treviris in ipso urbis vestibulo, soro-res duas luminibus orbatas, solo Crucis signo luci restituit: in basilica Principis Apostolorum, post incruentæ hostiæ ad aram oblationem, & visum cœco, & claudo gressum, surdæq; mox etiam eodem adductæ auditum reddidit. Quâ prodigiorum beneficentiâ, Confluentes, Ubios, Aquasque, quàquà iter esset, illustrabat.

Alberonis ad Comitia proficiscentis magnificentia & apparatus navalis.

S. Bernardi Treviros subeuntis mira virtus sanitatum.

Albero interea ad Eugenium Pontificem in Galliam profectus, insignique ab illo humanitate cultus Parisiis, sua, & primatus, & Maximinianæ præfecturæ privilegia, rata habuit. Discedentem Ludovicus regus muneribus est prosecutus, speque Eugenius cumulârat, Treviros invisendi. Abduxit hinc secum Baldericum literis egregiè cultum juvenem, qui Gymnasiarcha creatus, ipsius deinde res gestas posteritatis memoriæ consecravit.

Albero ab Eugenio Pont. Parisiis confirmationem privilegiorum obtinet.

Instructissimos jam Conradus exercitus, navalem unum per Hispaniam, alterum terrestrem per Hungeriam contra Saracenos legerat. Ille Flandrica Angliaque auctus classe Olyssiponem tenuit, jámque occupatam Saracenis urbem felicibus auspiciis extorsit, into, quàm completo marte glorioſior. Altero en-

Conradus Imp. navali & terrestri exercitu orientem petit.

per Hungariam in Syros ducto ducentorum & septuaginta millium exercitu, Manuelis Græci Imperatoris fraude, nihil præter vastitatem, militisq; proprii exitium Orienti intulit. Ludovico Francorum Rege eâdem pene viâ, eodemq; eventu subsequente, quòd Græcorum, specie solâ tenus faventium, perfidiâ, & commeatus, & viæ Duces corrupti in medias solitudines abductos destituerent, ubi fame hostiumque insidiis pressi interirent. Reliquiæ tam Germanorum, quàm Francorum Solymæis juncti copiis, nec unicæ quidem Urbi Damasco intercipiendæ suffecerunt. Quæ res cum D. Bernardum præcipuum incentorem invidiâ convitiisque multorum onerarent; apologetico Europæorum hæc peccatis, non suo imputanda consilio docebat, & militum gloriosâ pro Christo Ecclesiáq; occumbentium morte bellum hoc coronatum asserebat. Cetèrùm occulta divinorum judiciorum mortalibus impervia haberi.

Infelix Græcorum perfidiâ successus.

D. Bernardus autor immeritò vapulat.

Hæc inter Eugenius, è Gallia Alberonem secutus, magnâ purpuratorum Patrum Episcoporumq; coronâ, Trevirim ipsâ Adventus Servatoris nostri Dominicâ primâ, cum priđiano vespere in S. Matthia divertisset, admirabili totius populi applausu ingressus est. Cardinalium tres & viginti: Episcopi, ex his duo, Presbyteri novem, Diaconi septem, Subdiaconi quinque, præter alios magno numero Præsules, in quibus & D. Bernardus fuit, tum verò etiam Henricus Moguntinorum, & Arnoldus Colonienſium Archiepiscopi, unà urbem subibant, excipientibus deducentibusque Pontificem, hinc à læva Colonienſi, inde à dextera Trevirenſi Antistite. Trimestri integro hos liberali splendidóque hospitio non solum Albero tenuit, sed magnificis etiam largitionibus omniq; officiorum genere coluit: ut hinc facilè æstimes ad quantam brevi dignitatem Archiepiscopatum hunc, è sordidis Administratorum manibus ereptum, traduxerit. Natalitia Christi festa solennibus ipse Pontifex sacrorum ceremoniis in Metro-

Eugenius Papa cum ingenti comitatu Treviris ab Adelberone magnificè exceptus, & per trimestre habitus.

An. Ch. 1148. tropolitana æde transegit. Pridie cal. Februarii Pa-

Diversas Ecclesias Trevitis consecrat. linianam Ecclesiam, à superiori sub Egelberto incendio renatam, in Dei Genitricis honorem sacravit. Idibus deinde Februarii, pari casu inflammatam, instauratamque recens S. Matthiæ basilicam, Apostoli patrocinio sacris ritibus asseruit. Synodus denique instituta, in qua Henricus Fuldensis Abbas, ceu indignus hoc munere, sede motus est, ac Marquardus, immortalis memoriæ vir, impositus. De Hildegarde quoque Sanctimoniali juxta Bingam, multis nominibus scriptisque,

Hildegardis Sanctimonialis Bingensis scriptis & vaticiniis mirabilis ab Eugenio probatur. etiam Latii sermonis, quem nunquam didicerat, celebrata, inquisitum, per submissos ab Eugenio peritissimos arbitros, ad S. Ruberti Montem fuit; neque deprehensum quicquam, nisi quod sanctum, divinitusq; haustum appareret. Scripta etiam ad Pontificem allata, nihil aliud præ se tulêre. Ut iccirco datis Eugenius ad illam literis copiam fecerit, à Deo sibi suggesta, calamóq; signata plurium bono publicandi, ut ipsa in Epistola quadam his latinè verbis testatur. *Scripta*, ait, *mea. Eugenio Papæ, cum Treberi esset, allata sunt, quæ ea gratanter coram pluribus legi fecit, ac perseipsum legit, multumq; de gratia Dei confidens, benedictionemq; cum literis mihi mittens, præcepit ut ea, quæ visione viderem, vel audirem, scriptis attentius commendarem.*

His peractis, propiore jam quadragesima Rhemos ad generale totius Galliæ Germaniæque Episcoporum Concilium sese transtulit, quem insecutus Albero, primum ab Eugenio jussus locum tenuit, primatus sui dignitate fretus. Quanquam dum illius confirmationem peteret, Rhemensis Ministri indignati, impetúq; in Trevirenses collisi sunt, qui ad pœnam postulati, sub interminatione belli ad Adelberone, atque etiam dediti fuerunt. Hac in Synodo Eudo, seu Eunus, pseudoprophetes è Britonibus, qui se ultimum mundi Judicem venisse asserebat, tum deinde Gilberti Pictavienſis Episcopi dialecticæ, de uno trinoque Deo, subtilitates proscriptæ sunt. Sanctus verò Bernardus hoc itinere Gallias re-

Rhemensi in Concilio Albero veteri jure, ut Primas, proximum ab Eugenio locum tenet, unde nata cum Rhemensibus discordia.

viser

visens, Rutilæ in Monasterii B. Xisti, cùm sacris operatus esset, triste mulieris, ob pedes emortuos, reptantis in manuum fulcris, spectaculum miseratus, illam longius in media remotam turba, solisque ad sanctum votis penetrantem, cum aliter non posset, virtute tamen divinâ erexit, parque aliud claudicantium, & aliud quoque cœcorum, eodem die locoque, sanitati restituit. Quâ gratiâ cum hos Trevirorum fines ornasset, in Galliam transiit, Synodo memoratæ adfuturus. In qua Arnoldo Colonienſi, quod vocatus abfuisset, sacris functionibus interdictum est.

S. Bernardus Rutilæ reptantem pedum vitio mulierem curat, præter alios claudos cœcosque.

Porrò Albero ad suos reversus, turbatam ab Hermanno Palatino Comite, quem nuper Advocatum juratumque defensorem Ecclesiæ suæ delegerat, remp. invenit. Cum hic Ottoni Comiti Rineco, Lutzelburgica ex Hermanno Rege stirpe nato, Trisium in Mosellæ ripa castrum eripuisset. Quare Otto, ceu imbellior, Ecclesiæ illud Trevericæ consignavit. Nec moratus Albero cum verbis frustra admitti postulasset, admovit arma loco quamvis prærupto, & solo à flumine aditu penetrabili. Nec segnis in discrimine Palatinus, lectas contra ferebat in aciem copias. Jamque in æqvum se campum ad pugnam utrimque extulerat. Cum Albero licet senio jam fractus, rapta ante milites Cruce: hæc, inquit, illa Crux est, super quam Palatinus mihi obsequii fidem juravit, hanc tutò in hostem sequimini, cui Deus vindex non est defuturus, simulq; in Comitem ducit. Qui repentè animo causæq; defisus, submissis vexillis per caduceatores sese ad pacem obsequiumque supplex inclinavit, castrumque Alberoni, deducto præsidio, cessit. Nimirum illam virtutis felicitatisque in bello famam occuparat Albero, ut sine pugna jam posset hostes prosternere.

Alberoni Trisium castrum datur, quod bello vendicat.

Albero senex animosus Palatinum consternatum supplicem habet.

Illustrius tamen victoriæ, de se mundóq; reportatæ, exemplum Clementia Adolphi Comitis Hohenbergensis filia reliquit. Quando nobilissimo juveni Craffloni Spanheimensi, Meginardi Comitis filio de-

An. Chr. 1142.

Clementia illustris

spon- Sponsa,

Crafftone Sponso inducto, religionem cum illo amplectitur, & sanctè uterq; Deo servit.

sponsata (cum Deo, insciis parentibus, illibatum ja ante pudicitiæ florem devoviſſet) Sponso non ſolu ut ſibi parceret; ſed etiam ut generoſum imitaretur cinus perſuaſit. Cui indignum viſum fuit, ſi virtute femina vinceretur. Illa igitur ad Horreenſem Parthe nem abeunte, hic ad Spanheimenſe, fundatum à Ma ribus ad Navam flumen, Monaſterium diſceſſit; tant cultæ religionis pietatisque laude, ut Everhelmo Abbe te defuncto, nemo dignior hoc munere Craffione re pertus ſit.

Conradus ex oriente redux, Henricum filium morte amiſit.

Redierat jam anno ſuperiore Manuelis Græci Impe ratoris vectus navibus Conradus Imp. pace cum illo ad verſus Rogerium Siciliæ Regem, ipſi etiam Orientis feſtum, initâ. Cui, quod Ludovicus Rex Galliarum fa veret, Græcorum jam claſſe captus, libertatem ſuam de buit. Ut duo Regum diviſis revertiſſe ſtudiis viſi ſint, qui conjunctis abierant.

1150. Sed Conradum alia clades excepit reverſum, Henric filii, jam creati ſucceſſoris mors. Poſt hanc, Spira Pop pardiam ad Rhenum deflexit, audiitque haud ingratum

Arnoldo ejus Cancellario Archiepiſcopatus Col. defertur.

ſibi nuntium Arnoldum Cancellarium ſuum ab Agrip pinatibus delectum Archiepiſcopum, cui propemodum obnitenti regalia impendit. Priusquam tamen Treve ricâ diœceſi abiret; Cochimam arcem, eo tempore na turâ atque arte munitiſſimam, obſequiū detrectantem vi ad officium reduxit, infraque Andernacum progreſſus

Rinecum evertit.

Rinecum nuper Ottonis Comitis domicilium, valida inprimis, machinis admotis expugnavit, & flammis ja jectis funditus evertit. Ut rebellionis impoſterum cu arce conſilium eriperet.

An. Chr. 1151. Albero etiam ſopiendo bellorum, qui in propinqu gliſcebat, ſomiti intentus, Comites Seinæ & Molb

Reperta inter Seinæ & Molbachii Comites pace, Albero moritur.

chii, qui pro Bonnenſi Comitatu, jam arma conju tosque cogebant, cum reliqua nobilitate, Confluen am evocârat, adeòq; prudenter excuſſerat contro ſiam, ut armis poſitis, fide induciarum pars utraq; ju geretur; cum feſſus jam annis curisq;, febri ac p

ritide invadente se ad mortem trahi sensit. Quare Richardo Springirbacensi & Bertulpho S. Matthiæ Præsulibus extrema Christianę mortis mysteria sufficientibus, suam in præsentem sub Eucharistico pane Christum fidem fiduciamque contestatus, pio fine ad XVIII. cal. Febr. quievit. Confluentiâ funus, Hermanno Palatino cum præcipua nobilitate prosequente, Treviros est delatum. Ubi Stephano Metensium, Henrico Tullensium, & Adelberone Virdunensium Episcopis adsistentibus, juxta aram D. Stephani ad plagam australem, quam ingrediens templum adire supplex consueverat; depositum hac inscriptione appensæ istic laminæ servatur.

1152.

Confluentiâ Treviros delatus magnificè sepelitur. Corde & extis Himmerodium delatis.

„*Albero, maxime vir, flet Roma, flet undiq; Trevir,*
„*Tanto, tam miro, te moriente viro.*
„*Trevir Pastorem flet, Roma ruisse vigorem,*
„*Dogmaq; justitiæ, lumen & Ecclesiæ.*
„*Magnus eras Magnis, par parvis, meta Tyrannis,*
„*Gloria divitibus, portio pauperibus.* &c.

Cor & exta ad Himmerodense Monasterium, cujus fundator erat, translata fuêre. Ut ad locum quem affectu vivens, spectarat, rediret moriens. Vir erat præclarissimis illius ævi viris accensendus, domi forisque, bello ac pace ad omnia expeditus. Publica regni comitia eâ magnificentiæ ac liberalitatis specie, adire solitus, quâ plurimum dignitatis suæ Ecclesiæ conciliaret. Ad inveniendum acer, ad dicendam sententiam gravis & sapientum dictis mirè abundans, auditoresq; admiratione sui detinens. Et, quamvis in verbis Germanicóque sermone cunctantior, pro concione tamen divina tradendi avidus subtilisque. Pietatis in illo eximius ardor sensusque; ut in sacris ad aram pertractandis mysteriis lacrymarum copiâ diffluëret, duasque res inter se sociaret rarissimas, solertissimam reip. curam, & affluentem pietatis dulcedinem; ut totus utrobiq;, nunc in negotiorum cura, nunc in orationis sensu esse vide-

Principales in eo virtutes, gravitas & comitas.

Prudentia & pietas.

Doctorum æstimatio.

videretur. In viros doctos Proceresque adeò propensus, ut frequentissimè illos secum, præsertim in consiliis, esse cuperet, & illos officio ac benevolentia, in amorem sui abriperet, atque æstimaretur, dum æstimaret.

Liberalitas in egenos & Religiosos.

Liberalitas illius in egenos incircumscripta, nullos ex his passus suæ expertes benevolentiæ discedere. Impensa Religiosis diversis beneficia multis magnisq; argumentis testata reliquit. Quæ Divum illi Bernardum raro amoris observantiæque affectu conjunxêre, felici consortio, quo non tantùm doctior, sed & sanctior evaderet.

Conradus moriens Friderico nepoti insignia tradit, probantibus Electoribus.

Mortem Alberonis haud multis post diebus Conradi Regis excepit. Qui dubium, naturæ vitio, an veneni per Rogerium instructi perierit, cùm adversus hunc expeditionem in Italiam instrueret. Moriens Friderico ex fratre Nepoti regni insignia tradidit, Friderico ei filiolo nondum sceptris maturo, in tutelam commendato. Et is deinde Francofurti Electorum Principum suffragio probatus imperavit.

Hillinus Trev. Archiepiscopus legatione pro Friderico Romam functus, præter pallium & vetera privilegia, novum obtinet in bona cleri morientis.

Hillinum summæ ædis Decanum, virtute atque eruditione in reliquis eminentem, Treviri quoque aræ impositum Archiepiscopum renuntiarant. Qui cum & Francofurti electioni, & coronationi Friderici Aquis adstitissset, cum Eberhardo Bambergensi Episcopo maximè idoneus visus est, qui legationi ad sedem Apostolicam præficeretur, & ad Eugenium de Regis nova electione referret. Quâ ita perfunctus est, ut insigni apud Pontificem gratiâ initâ, præter Archiepiscopale pallium, veterum privilegiorum non solum confirmationem; sed immissionem quoque in totius Cleri, à morte, hereditatem, prærogativâ hactenus incognitâ, obtinuerit: ne, opinor, seculares alii bonis Ecclesiæ manus admoverent. Hoc tamen, ut grave Cleri onus, Wernerus denique Archiepiscopus remisit. Hillinus ubi ad Treviros revisisset, Henricum Namurcensem, & Sigefridum Viennæ Comites, morte Alberonis mox solutos, rursus, illum pro Manderschetio, hunc pro Al-

ral

ratio recuperando, causáq; Maximiniana subvertenda, conjurasse in arma comperit. Quare liberalitate, quàm bello concertare malens, Namurcensem, oblatâ ad tempus sui regiminis Macherâ, reliquosque cum illo in officio continuit: & hoc suæ Ecclesiæ detrimentum, Seinæ Castro infra Confluentes cum agris subjectis diœcesi adjuncto, instaurare visus est.

Bellum largitione redimit.

Quo tempore novum sidus in Trevericæ Ecclesiæ finibus oriri visum, Elisabetha virgo in Schonaugiæ Parthenone ultra Rhenum Deo sacrata. Hæc enim Hildegardis sanctissimis incensa studiis, dum in unius cœlestis Sponsi amoribus deliciatur, rerum mortalibus incognitarum cœlesti eruditione imbuta, verbis illas scriptisque tanquam è cœlo haustas vulgare cœpit. Ut de S. Ursula Virginumque Britannicarum sodalitio ac profectione haud pauca disseruisse infra cognoscemus. Hildegardem cum Hillinus salutasset literis, & ab illa instructionem aliquam ex divinis haustam fontibus postulasset. Inter cetera his latinè verbis rescripsit: *O Pastor audi, Iustitiam Dei contine: cum bona opera facis, citò fatigaris; cum verò ad Symphoniam vocaris, ita ut ad orationem consistas, illicò arescis. He, he, qui in vice Christi es, iterum audi. Quidam Rex urbem quandam in magnis honoribus habuit, quam tribus viris, de suis hominibus, commendavit, ita ut in custodia haberent. Primo autem turrim, secundo planiciem urbis, tertio murum ipsius cum propugnaculis commisit. Tu in turri positus es, populus tuus in planicie urbis, Clerus tuus super murum ejus & in propugnaculis. Quod si murus urbis impugnabitur, & planicies ejus depredabitur, tu turrim ejus custodi, & talis esto, ne tota urbs destruatur: & non dissipabitur.* Hæc erudita cœlitus virgo, dignâ quæ ab omnibus Præsulibus audiatur epistolâ, quam Hillinus ipso sectari opere conatus est.

Elisabetha Schonaugia & Hildegardis sanctitate clarent.

Pacis inprimis tenebatur studio, quam ut domi nuper, cedendo aliquantum hosti, ita foris Metenses inter ac Virdunenses, ob castri Muzonii possessionem, An. Ch. 1153.

Hillinus ope D. Bernardi inter Metenſes & Virdunenſes mirabiliter pacem conciliat.

quam utraque partium aſſectabatur, bello colliſa atroci, quo plura cecidêre Metenſium, in Frigidi montis anguſtiis, millia. Hillinus igitur obſtinatos ab armis revocaturus, Claræ vallem ad D. Bernardi opem confugit, quem vix á morbo reſpirantem ſecum traxit; at cum illo adverſas conciliaturus partes, Virdunenſium pertinacia expugnari ratione non potuit. Donec ad D. Bernardi præſentiam magna affluëret cœcorum, claudorumq; ac miſerabilium multitudo, quam ubi ille verbo atque oratione, cum ſtupore omnium, curaret in oculis diſſidentium: Ergòne, inquiunt, hunc pacis autorem audire recuſabimus, quem ipſa natura, facilisque de cœlo Deus audit? Erubuêre videlicet, & parituros ſe Bernardo Hillinoque monentibus profeſſi, in præſcriptas ab illis pacis leges dexteras conjunxêre.

D. Bernardus ſanctè mortuus.

Bernardus domum, ſuamque ad ægritudinem, quam deſeruiſſe tantisper pro hoc pacis negotio viſus erat, revertit, brevi poſt XIII. cal. Sept. ad æternæ pacis ſedem tranſiturus.

Hillini pacificationem inter Magdeburgicos non probat Eugenius.

Hillinus porrò minus felicem operam ſedandæ Magdeburgenſi liti, ob electionem Wichmanni Neunburgenſis Epiſcopi, & regalia illi, in diſſidio, à Friderico Rege collata, navabat. Siquidem literis ipſius ad Pontificem pro Wichmanno datis reſpondit Eugenius: Fridericum commonefaceret, ſui muneris eſſe, ut regni negotiis acquieſceret, ſacra verò aliis pertractanda relinqueret. Magdeburgenſis Eccleſiæ gubernationem ſibi curæ futuram. Quæ ultima ferè Pontificis mandata mors excepit, Anaſtaſiusque in ſedem eſt ſubſtitutus.

Dickircana Eccleſia ad Loganam Trevirenſi Epiſcopo ſubjicitur.

Dickircana id temporis Eccleſia ſtudio Godefridi Sacerdotis erecta, & Ludovici Arenſteinii Comitis opibus locupletata, Cattimeliboci Comitibus jus advocationis remittentibus, in Patrocinium Hillini Archiepiſcopi tranſiit; Arenſteinianis verò Cœnobitis (inter quos Ludovicus, jus patronatus conceſſum, qui Parthenonem in vicino monte Beslichio excitarunt.

Quem

Quem Lutherana demum hæresis sua libertate distraxit.

Multorum sub Hillino Præsulum institutio fidesq; juramento depositæ chirographis asservatur. In quibus (quod mireris, nosque admoneat, in tot mutatis capitibus, mortalitatis) legitur Macharius Romersdorpius, Eustachius Arensteinensis, Godefridus Lutzelburgensis, Gerardus Epternacensis, Arnoldus S. Maximini, Oliverius S. Martini, Reinbaldus S. Mariæ, & Arnfridus Mediolacensis: primis duobus, qui Præmonstratensium sunt, demptis, Benedictini omnes. Quamque eis benevolus Hillinus fuerit, ostendunt decimæ Vilmarienses, Bertulpho S. Matthiæ Abbati cessæ. Cujus oppidi Ecclesiæq; tutela, à sequioris fidei Comitibus de Wieda, hodie ad Archiepiscopum translata est. An. Ch. 1154. Varii Abbates sub Hillino instituti. Decimæ Vilmarienses S. Matthiæ Abbati cessæ.

Interea Fridericus Rex Italiam superiori ingressus anno, hoc seculi quinto & quinquagesimo, multis rebellium, ipsâque etiam Romanâ urbe, Pontificibus infestâ pluribus, ad officium revocatâ, in Vaticano ab Adriano IV. Anastasii successore coronatus est. Veronenses, cum venientem, nisi certâ promissione pecuniæ admittere noluissent; illamque pactus, nobiliores eorum tredecim, (quos, ceu numeraturus pecuniam, secum duxerat) laqueo suspendisset; revertentem ex montis insidiis oppressuri erant; nisi ipse his cognitis prævertisset immissis percussoribus, sexcentosq; illorum in captivitatem abstraxisset. Quibus aliisque flagitiosis Italis sui timorem discedens reliquit. Germaniæ Rhenóque redditus, postquam Hermannum Palatinum Trev. Ecclesiæ advocatum cum Arnoldo Moguntinensi violatæ pacis, & provinciæ cædibus incendiisque vastatæ reos deprendisset, atque institutis Wormatiæ Comitiis ad ferendum canem (ignominiosæ id temporis pœnæ genus) damnasset; hunc quidem, reverentia seni sacerdotique habitâ, absolvit; illum verò dictum canem, cum aliquot Trevericæ nobilitatis pro- 1155. Fridericus ab Adriano Pap. Romæ coronatur. Veronenses infidos multat, Italis metuendus. Hermannum Comitem Pal. Ecclesiæ Trev. advocatum ob pacem læsam ad canem ferendum adigit.

proceribus, Godefrido Spanheimio, Henrico Cattimelibocensi, Conrado Dietzio, aliisque per quatuor passuum millia probrosè deportare coëgit. Et hic actus

An. Ch. 1156.

Moriens Hermannus benefacit Ecclesiæ Trev.

Hermanni ultimus, post quem brevi improlis decessit, ac Patronatum Ecclesiæ Lohnstenianæ Hillino, cum tertia decimarum parte Archiepiscopali mensæ transcriptâ, reliquit. Palatinatus ex Friderici Cæsaris donatione Conrado Imperatoris fratri, Saræpontanis Comitibus, ex quibus Mater erat, affini, collatus est. Fridericus verò Herbipoli in magna Principum frequentia Beatricem Reginaldi Burgundionum Comitis filiam thalamo associavit.

Palatinatum ejus accipit Conradus Cæsaris frater.

Hac verò ætate, cum Gerlacus Tuitiensis Abbas aperta Coloniæ viseret S. Ursulæ sociarumq; Virginum sepulchra, ac multi præstantium virorum tituli inscriptionesq; miscerentur, ad B. Elisabethæ Schonaugiensis, vaticiniis claræ, expositionem recurrit. Quæ plura de iisdem vaticinata, dubium tamen perspicacioribus reliquit: an non humanæ relationes divinis miscerentur. Certè obscura claris, familiari prophetarum usu, confudit. Translata ex eadem sodalitate trium corpora Schonaviam unum fuisse tradidit regii pueri Adriani, alia duo Albinæ & Emerentianæ sororum Aureliani Comitis.

B. Elisabetha Schonaugiensis consulitur à Gerlaco Abbate de Reliquiis SS. Ursulæ & sociarum.

Prætereundum hoc loco non est, quod Comes Sigefridus Meinfeldiæ Trevirensis diœcesis accola, ad bellum nuper sacrum profecturus, Genovefam conjugem Ducis Brabantini filiam, Goloni viro cognitæ nobilitatis in arce custodiendam, ut erat spectatissimæ formæ, commisit; sed ovem lupo. Hic enim illecebra amoris cœcus omni ipsius pudicitiam arte oppugnare aggressus est, fictâ etiam, ut persuaderet, Sigefridi morte. Ut cum, anceps de integritate feminæ, nullum reperiret in humanis effugium, ad Deiparæ præsidium versa, perstiterit intacta, dum Comes redux accederet. Tum verò perfidus Minister Golo, ut formidatam accusationem à se in caput innocentis averte-

Genovefa Sigefridi Meinfeldiæ Comitis uxor innocens à Golone adulterii accusata & damnata.

ret, violati thori ream agit, testimoniumque infantis in absentia nati, quem abs discedente conceperat, in adulterii suspicionem detorquet; ut credulus Maritus illam cum infante interficiendam, proximis in silvis, defodiendamque, aliis Ministris tradiderit. Quibus, cùm Golonis magis, quàm Dominæ fides suspecta esset, suffecit cani apprehenso præsecuisse lingvam, quam in testimonium patratæ necis referre jussi fuerant, & Genovefam cum infante dimisêre. Quæ antro istic reperto inclusa, agrestibus herbis, Patrocinio Deiparæ freta, & cervæ, lac infanti præbentis, ministerio, sexennium duravit integrum, dum Sigefridus venatione ad locum delatus cervæque vestigiis insistens, conjugem puerumque attonitus offendit. Quam licet nuditate ac specie longè disparem, agnovit tamen, Deique providentiam, ac facinus Golonis, suumque errorem deprehendit. Nec diu cunctatus perfidum sceleratumq; hominem bubus alligatum discerpsit. Ecclesiam verò Dei Genitrici in loco servatæ conjugis excitari voluit, quam Hillinus Trevirorum Pontifex hoc tempore consecrandam suscepit. Quæ, licet dedicatæ basilicæ titulo, ad hunc locum referantur, facti tamen historiâ ad principium hujus seculi, ejusque temporis Solymæam expeditionem, cui Sigefridus interfuit, Brovvero etiam observante, remittenda erunt.

Servatur & alitur cum infante divinitus.

Re manifestata Golo bobus discerpitur.

Ecclesia in loco excitatur & ab Hillino consecratur Deiparæ.

Post hæc legimus Fridericum Imperatorem ingressum Treviros, magnoque ab Hillino honore cultum, veterum privilegia confirmasse, omnique, quà advocationis quà proprietatis summo jure habendam possidendamque S. Maximini Abbatiam juxtà Conradi Regis decretum, indulsit. Trisiique etiam castri nuper acquisiti possessionem literis eisdem ratam habuit. Testes huic diplomati, multi gravissimique, cum ex Treverica, tum ex vicinis diœcesibus, tam sacri, quàm prosani, fuêre adhibiti; ut Henricus Tullensis, & Albertus Virdunensis Episcopi, Rotgerus Prumiæ, Gerardus Epternaci, Bertulphus S. Eucharii, Ludovicus Mar-

An. Ch. 1157.

Fridericus Treviris Hillino vetera privilegia & jus in S. Maximini Abbatiam confirmat.

tyrum, Godefridus Martini, Gregorius Theologii, Adelhelmus Mediolaci, Folmarus Rutilæ, Richardus Springirsbaci Abbates. Deinde inter Præpositos Ecclesiarum subjicitur: Sigeherus S. Maximini Præpositus. (An quod ob jus translatum Abbatis titulum posuerat?) Adjungitur postea, inter seculares, Henricus Namuri Comes, quondam Abbatiæ Advocatus, variisque è comitibus ac nobilitate, in quibus Matfridus & Eberhardus à Neumagen, Cuno Mailbergius, Winicus Bettingen, Wolfframus à Petra, Rudolphus Eltze alique apud Brovverum recensiti.

Parthenon Mariæburgi excitatus, & consecrata ab Hillino Ecclesia.

Inde postquam Wormatiensibus Comitiis Hillinus cum Imperatore, bellum hic Italicum decernente, interfuisset, Mariæburgum ad Parthenonem, sub disciplina Richardi Springirsbacensis recens excitatum, Wigando quodam summæ ædis presbytero opus promovente, ad Mosellam oppido Cellæ vicinum deflexit, ibique in honorem SS. Triados, & B. Virginis Mariæ Ecclesiam consecravit, donoque aliquot vicinarum ædium cumulavit. Sed ut sub Richardo incomparabilis Abbatis Zelo, ardor illic religiosarum Virginum mire accensus est, ita labente tempore studioq; pietatis sub Richardo Trev. Archiepiscopo refrixit, ac denique locus in solitudinem horroremque anno salutis MDXV. versus est. Arx etiam quæ instar speculæ super omnem Mosellæ illic sinuosum flexum, montiumque vertices eminebat, spectari, nisi in turri ex rupe cæsa rudèribusque suis, desiit, solâ æde sacrâ ad memoriam superstite.

Nunc evanuit.

An. Ch. 1158.

Nassovica arx ditioque Trevirorum diœcesi permutatione accessit.

Nec parvo Archidiœcesis emolumento Nassoviacam ad se traduxit cum arce ditionem, quæ à Rheno per Loganam ad orientem decem ferme passuum excurrit millibus, vitiferis ad flumen collibus pascuisque fertilis. Quam ex hac gente Azecho quondam Wormatiensi, cui Episcopus præerat, Ecclesiæ contulerat. Sed longius sitam Conradus, Episcopus Hillino pro curia Partentheimia, sibi suisque, ut vicina, sic longè oppor-

opportuniore detulit. Acceptaque utrimque permutationis conditio, à Friderico Imper. & Victore Pontifice datis literis est confirmata. Quam deinde arcem regionemque propinquis Lurenburgii Comitibus feudi beneficiiq; gratuiti titulo, eâ lege, concessit; ut antè, omni juri, quòd natalium titulo prætenderant, ultrò renuntiarent. Adjecit Hillino Fridericus, cum ad Rhenum versaretur, jus argentariæ fodinæ, juxta vicum Ulmezam, secúmque instructo illum milite ad Italicam expeditionem deduxit. Quo & plerosque imperii Principes, cum Rege Bohemiæ, pertraxit. Quam tamen multitudinem armatam Mediolanenses, desperatione veniæ sortes, totâ æstate sustinuére, triplici postremum telo pestis, famis, bellique ad jugum suscipiendum coacti. Modoëtiæ dein, quamvis jam Imperator, ferro coronatus, Longobardici regni potestatem capessivit. A qua victoria, cum Hillinus aliique revissent patriam, metu rursum frenoque excusso, Mediolanenses priorem libertatem arripuére, nixi Cremonensibus. At utrosque ita repentè omni vi armorum concluſit Imperator, ut inutilis plerorumque virtus futura videretur.

Adjecit Cæsar jus argentariæ fodinæ apud Ulmezam.

Mediolanum Cæsar occupat, & ferro coronatur.

1159.

Reverso Cæsare urbs rursum deficit, & denuo occupatur.

Inter hæc defuncto Pontifice Adriano, cum divisis Cardinalium studiis suffragiisque, alii Rolandum Senensem sub Alexandri III. nomine, alii Octavianum Romanum sub Victoris IV. titulo elegissent, & is plurium suffragiis legitimè consecratus, sua niteretur dignitate; hic prior habitu pontificio indutus ad Imperatoris judicium confugeret, illo detrectante profani hominis arbitrium, Fridericus, quò majori autoritate adsisteret, ad Synodum Episcoporum, totâ etiam Germaniâ Papiam, domitis jam Mediolanensibus, evocatorum, rejecit judicium. Hillino cum suffraganeis Episcopis iter ingresso, profuit afflicta vel ficta valetudo, cui ad suos curandæ reversus est, subtractus per morbum asserendo schismati. Quem, Eberhardo Saltzburgensi scribens Bambergensis, negat, etiam per nuntios,

1160.

Schisma Ecclesiæ, Papiæque Synodus pro Victore Antipapa, cui se Hillinus subduxit.

Arnoldus Mogunt. Præsul ab illo reversus occiditur.

tios, consensisse. Arnoldi Moguntinensis infelicioris schismate probato reditus fuit. Qui jam antè suis invisus, cum plebeio furore in monasterio S. Jacobi injectis flammis peteretur, has fugiens innumeris vulneribus confectus est: Hillini æmulus; quòd hunc legatione Apostolica fungentem, suo nollet Archiepiscopatu, exceptione fretus, admittere. Consultius forte victurus moriturusque, si admisisset. Sed impium subditorum facinus Fridericus ex Italia redux subversione munitissimæ urbis, muris propugnaculisque diru-tis, & incolarum parte maxima exilio proscripta, ultus est, uniusque interitum capitis, multorum supplicio expiavit. Nempe, *subditorum in legitimum caput rebellio, rarò manet impunita.*

Hildegardis virgo Trevirenses animosè, non tamen sigillatim perstringit.

Hildegardis quoque hac tempestate Virgo, dissolutiori Trevirensium Clero, ipsa Trevirim excurrendo, animoséque ac severè pro concione disserendo, parum grata denuntiabat: neglectæ justitiæ pietatisque illum arguens. *Vocem*, ait in ceteris, de cœlo audivi: *Osculia Sion, corona de capite tuo inclinabitur, & pallium dilatationis divitiarum tibi imminuetur, & in parvum numerum constringetur.* His aliisque cum universe tantùm urbem perstringeret: fuit qui sigillatim delicta posceret exponi. Cui cum illa respondisset *Spiritus S. non confundit*, altioribus multorum pectus aculeis ad pœnitentiam confodit.

An. Ch. 1161.

Et sanè Conradi Palatini, imperatoriâ fratris potentiâ subnixi, advocatio Trevirensi id temporis Ecclesiæ gravis esse cœpit: quando is minimè proventibus, beneficii jure assignatis, contentus, ad sacras possessiones, fœdo potentium Advocatorum more, manum admovebat, quæque Hermannus Palatinus nuper cesserat, suo rursum juri deputabat: donec Fridericus a Hillino imploratus, æquitati magis, quàm sanguini favere visus, Lohnsteinianæ Ecclesiæ Keimptæque patronatus, pro quibus certatum est, Hillino addixit, visumque Ehrenbergum castrum beneficii nomine Co-

Conradum fratrem Ecclesiæ Trev. advocatum iniquum Fridericus constringit.

tado statuit esse deferendum. Usurpatam verò ab urbe, sub Comitis patrocinio, creandarum Tribuum, munerumq; partiendorum facultatem, penes Archiepiscopum esse voluit, quem suis ipse Conradus literis Dominum, cui ista debeantur, agnoscit. Muzonia quoq; arx Lothariensis agri caduco hoc tempore jure ad Archiepiscopum revoluta, Alberto, Virdunensi Præsuli beneficii titulo obvenit, ut datæ ab Hillino tabulæ testantur.

Ludovicus Rex Franc. & Henricus Angliæ Alexandro Pontifici adhærent.

Ceterùm Fridericus stabiliendo Victori, contra Alexandrum Pontificem, intentus, frustra Ludovicum Franciæ Henricumque Angliæ Reges ad Victorem probandum sollicitat: hi enim ex Episcoporum in Synodis collectorum sententiis illo damnato Alexandrum complexi sunt. Hinc Pontifex delatus in Galliam ab utroq; Regum perquam honorificè exceptus, concilio istic habendo adjecit animum, Fridericus ex Italia secutus hoc beneficium Rheno inferiori Ubiisque impendit, quod

1162.

Trium Regum corpora Coloniam delata.

Trium Regum corpora, Mediolanum ex oriente delata, Reginaldo Colonienſi Archiepiscopo Imperatoris partes studiosè complexo transportanda concesserit, thesaurum quem hodiedum Colonienſibus Italia invidet.

An. Ch. 1163.

Alexander in Synodo Gall. Victorem & Fridericum damnat.

Porrò Alexander concilio Turonibus indicto, acta Papiensis Synodi, nuper Friderico cogente habitæ, non rescidit solum, verùm eundem cum Victore anathematis Ecclesiastici damnatione proscripsit. Unde Italiæ totius defectio ab Imperatore secuta, eodem Fridericum suarum rerum satagentem pertraxit, ubi Conradum Moguntinensem Antistitem studiis Alexandri deditum, Christiano suæ curiæ Cancellario instituto, sede dimovit. Cautiore adhæc, quàm animosiore Hillino, qui Alexandro favere, quàm favorem maluit profiteri. Deus tamen singulari providentia Conciliationem partibus suadere visus est, quando Victorem morte sustulit, nisi discordiarum pertinaces factiones Paschalem suffecissent. *Noluerunt* enim *pudore erroris se errasse profi-*

1164.

Fridericus Præsulem Moguntinum sede movet.

Victori mortuo Paschalis sufficitur.

profiteri. Quod est sceleris opinionem velle fugere, enormius scelus amplecti, infamiamque vitando augere.

Mortuæ anno insequenti est Elisabetha Schonavia anno ætatis 36. jam cœlo sanctitate excellentis vitæ matura. Quam virginis frater Egbertus Abbas Sancti Schonavienſis Monasterii sepeliri apud se in S. Florini Ecclesia voluit. Quod ab illa ex Bonnensi Canonico ad sanctioris vitæ institutum traductus, salutem illi potissimùm suam deberet. Ipse verò sororis vitam, aliáque Ecclesiastico scriptore digna chartis complexus est, ingenio facundiâque apud Tritthemium celebratus.

1165. Elisabetha Schonavia sanctè moritur.

Alexander Pontifex Italiâ, post Victoris mortem, ad se conversâ. Huc ex Gallia Francorum triremibus advectus est, Romæq; perquam amanter honorificè exceptus: dum Fridericus Germaniæ Principes Comitiis Goslarienſibus collectos Paschali juratâ fide adjungit. Hillinusne eorum suffragiis accesserit, incertum. Albertus Frisingensis accensit: Epistolæ deschismate vulgatæ, Hillinum, ut ajunt, in unitate stantem, eximunt. Is certè hoc tempore Ehrenbreitsteiniam apud Confluentes arci, quæ ex adverso urbi littoreæ opponitur, contra vim omnem muniendæ supra rupem intentus, turri illam, amplificatisque ædificiis firmavit. Ne verò aqua deficeret, altissima rupe usque ad fluminis profunditatem excisa cavataque, putealibus locum aquis instruxit, tam longo difficilique labore, quàm necessario ac utili. Ita & Trisensem ad Mosellam arcem, & Manderscheidtum in Arduenna suis turribus propugnaculis instruxit, præcipuis, olim ante repertis ignivomos pulveres, locorum munimentis.

Alexander Romæ exceptus, contra Paschalem.

1166.

Hillinus Confluentinam arcem aliasq; munit, & illam puteo instruit.

An. Ch. 1167. Properabat subhæc in Italiam Fridericus, Reginaldo Colonienſium Archiepiscopo, ab Adriano ob intrusionem reprobato, Paschalis institutionem urgens. Et lætis quidem principiis res cœpta, Roma occupata, Alexander sede pulsus, Paschalis impositus. Sed non perinde felix exitus, Deo pro Italis sparsa in Germa-

Fridericus expeditione Italica Paschalem sedi imponit, sed

peste depugnante. Quæ per exercitum vulgata, cum Reginaldum, Fridericumque Regis nepotem, ac præcipuos Ducum sustulisset, Longobardique insuper jam fractis insultarent reliquiis, vix incolumem Imperatorem tot malis fuga subduxit, servili demum habitu in Burgundiam elabentem. Nec Paschali malè quæsitus honor diuturnus in vita fuit. Quandoquidem annus hunc insequens ad alias immortalium sedes avocavit, suâ morte, quàm vitâ Ecclesiæ utiliorem. Nondum tamen correcta schismaticorum Cardinalium obstinatio est, Friderici viribus ad durandum freta, sed per eosdem Joannes Tusculanus Episcopus Calisti III. nomine surrogatur. Quem ut legitimum agnoscerent, cum ad omnes etiam Religiosorum hominum, atque inprimis Cistercienſium schismati obnitentium, familias, legatos sacramenti fidem exacturos destinasset, & apud Treviros Himmerodensis Claustri incolæ constanter obluctarentur, proscripti Monasterio, jam cessuri vasis collectis erant, cum David ex primis ejus loci Patribus, vir Deo conjunctissimus: Itáne, inquit, abibitis? Quin causſam, hanc divinæ potestati, cui nos servare promptum est, vespertinis antè precibus obnixè committimus? aderit indubiè præsidium. Secuti ad oratorium Religiosi vix preces exsolverant, cum revocatoriæ decreti impii literæ adfuerunt, Davidisque vaticinium, & præsens Dei ad obsecrationes mortalium animus, auxiliumque probatum est.

peste & ferro rursum pellitur. 1168.

Servili vix habitu elabitur. 1169.

Paschali mortuo factiosi Calistum III. surrogant.

Himmerodenses schisma exosi, in periculo sunt

Hillinus interea à profanis ædificiis ad sacra instauranda versus, dum summæ ædi novis ad orientem substructionibus amplificandæ se impendit, mors operi viroque ad X. cal. Nov. manum injecit. Egregiis Trevirorum Pontificibus ille accensendus, pacis, quàm armorum studiosior, hoc à quibusdam perstrictus nomine, quod illam ab hoste, cessione Macheræ, licet temporaria, redemerit. Sed ab aliis hoc in laudis parte habitum, quod levi damno periculoque, graviora bellorum detrimenta sapienter averterit. Et sanè aliis

Hillnus moritur pacificus diœcesis amplificator.

possess-

possessionibus diœcesi quæsitis hoc qualecunque damnum abundè pensavit. Nam, præter supra recensita Brochiam arcem à Theodorico, Billichiam à Fidelone viris nobilitate claris obtinuit. Scheuram etiam castrum Neverburgico juxta Witliacum monti adsitum, cum subjectis latè agris, à Matthæo Lotharingiæ Duce interversum, diœcesi reddidit. Ut qui bello nihil intulit mali, pace multum attulerit commodi. In senio tamen *deterius res per Consiliarios administrat ostendit: sapientiam æquitatemq; plerumq; in membris, sopito capite, nullam reperiri.*

Senio Præsulis consiliarii abusi.

Fridericus, ut erat haud procul in Alsatia, morte ejus per Legatos Trevirorum cognitâ, laudavit illius Arnoldum S. Andreæ apud Ubios præpositum, virum genere opibusque ac virtute florentem, quem & Treviri suis suffragiis probârunt; sed ipse suspensâ admodum voluntate admisit. Nam ad Hildegardem, ejus ætatis oraculum plusquam Sibyllinum, scribens, inter cætera, inquit: *quia nescimus cujus vocatione simus ad tale ministerium accersiti, id vel in primis nobis anxietatem infligit. Si ex Deo esse sciremus; crederemus utique quod qui cœpisset idem in nobis bonum opus perficeret; cùm necessitate magis, quàm virtute ad sacerdotium hoc promoveamur.* Unde liquet & Ecclesiæ schisma, & Friderici hac in electione autoritatem ingratam ipsi fuisse. Cui tam obniti, quàm obsequi res erat plena discriminis. Suasisse tamen Hildegardem persistendum ei in munere, & schismatis brevi tollendi spem fecisse, non ambigam. Siquidem eodem penè tempore Richardus, laudatissimus Springirsbacensium Abbas, jam senio deficiens, ubi per literas Hildegardem orasset, ut consulto Domino significaret: cessandumne sibi, an persistendum in officio? respondit: onus à Domino impositum, ferendum esse, donec Deus statione dimoveat, atque hæc verba subjecit. *Os tuum cœleste cum mens tua cum nube floret, unde radix tua ascendat Dominum Deum tuum adora, & indue loricam, atque*

Arnoldus ex Ubiis sufficitur postulante Friderico.

Qui anxius Hildegardem de voluntate Dei consulit.

An. Ch. 1170.

Richardo quoque Hildegardis Dei voluntatem exponit, de senili ipsius regimine.

milita contra bacchantia vitia, lasciviam fugiendo, & avaritiam non amplectendo. Deus autem, quem occultè invocas in amore suo suscipiet te. Duo hæc *vitia* inter Clericos *bacchantia*, pia Virgo devitanda omni studio Ecclesiasticis ad salutem connitentibus esse censuit, quamvis Richardi vita satis ab his remota omnium esse judicio putaretur. Nimirum *innocentibus quandoque præcipimus, ut nocentibus rectè consulamus*: ut hi correptionem non inviti sentiant, dum illi patienter audiunt.

Arnoldus donis mavult quàm armis hostes conciliare.

Arnoldo certè, post Trevirici pedi onus, curæ fuit, ut sæduli Pastoris munere fungeretur. Invaluerat per Hillini, ex senectute obrepentem, negligentiam libertas atque insolentia multorum, morte illius aucta. Quam cum literis donisque etiam ad præcipuos autores missis potiùs, quàm armorum vi maluisset componere, hocq; ejus consilium, velut imbellis animi, nonnulli improbarent: respondit: *Malle se opes perdere sine hominibus inquirenda pace; quàm cum hominibus opes in bello.* Quod sapientissimum responsum Principis, utinam animis multorum vindictæ cupidorum altius insideret, aut etiam comprehenderetur: non tot bellis respublicæ, &, quod mireris Christianorum Pacis disciplinam profitentium, scinderentur, hostibus Christi spolium, suæ religionis ludibrium.

Henricus Friderici filius quinquennis coronatur.

Tentata hoc tempore schismatis à Friderico, per Cistertienses præcipuè, conciliatio, ubi successum non habuisset, Henricum Filium quinquennem in Regem Rom. electum Aquisgrani coronari fecit: ne, ut nuper propemodum, in periculosis Italiæ expeditionibus vita simul imperioque apud posteros destitueretur.

An. Chr. 1171.

B. Thomæ Cantuariensi Episcopo in Eiffliа Parthenon excita-

Nobile hoc tempore Parthenæum B. Thomæ Cantuariensi ad Gelbin, in Eifliaco tractu, à nobili ac locuplete viro Ludovico Dudelsfeltio excitatum est, in quo sororem cum filia, sub Cistertiensium instituto Deo servituras, collocavit. Quod hodiedum suo in vigore consistit. Occasionem titulo dedit recens ab Henrico II.

An-

tur. Ob celeberrima occisi miracula.

Anglorum Tyranno Thomas Cantuariensis Archiepiscopus, ante templi aram ab immissis percussoribus, ob perstricta Regis vitia, & Ecclesiasticam libertatem propugnatam, interfectus. Cujus repentè Mors innumeris miraculis illustrata, totam latè Europam in admirationem venerationemque tanti viri accendit. Quamquam illius recordatio Henricum VIII. paribus inflammatum vitiis à simili pœnè crudelitatis exemplo superiori ævo non deterruit; sed ad praviora etiam impulit, ut præter cetera flagitia, hujus etiam S. Viri memoriam, ossibus è sepulchro erutis, publicoque judicio condemnatis, abolere conatus sit. At nequicquam; cum S. Thomæ honor, & Henricorum ignominia; tantòque hæc turpior, quantò illustrior ille, perennatura sint. Et ad hunc quidem Trevirorum Parthenonem, cujus nomine simul trans mare vis illa prodigiorum commigrasse visa. Cùm sanitatis hìc multis beneficium ejus invocatione collatum sit, claudis incessus, mutis sermo, energumenis libertas concessa fuerit, ideóque magnâ locus frequentiâ hominum cœperit possideri.

Nec hoc loco sine prodigiis cultus.

1172.

Interea cum Friderico Imp. in Geldriam Arnoldus Trev. Archiepiscopus descenderat, ubi Bertholdum Zeringiæ Ducem, ex Brisgoiæ Comitum antiquissima stirpe surgentem, sibi fideli arctóque obsequio, Macherii cum Witliaci advocatione delata, Marcis 350. argenti vicissim depositis, obligavit. Quando haud multò post Fridericus ac Simon ex Bertha Cæsaris sorore fratres, Lotharingiæ ducatu feroces, arma in Arnoldum strinxere, ac vicina quæque carpere aggressi. Cum Arnoldi precibus flecti ad pacem non potuissent, beneficiariis ad arma vocatis, tanto brevi affluxit milite, ut eductis contra Fridericum copiis, angustiisque ineluctabilibus clausum, pacem consilio non admissam, vi suaserit, Sirsbergo, juribusque mancipi, quæ in Neuerburgo possidebat, ad pensanda belli damna abire coëgerit. Illius in Nassovio Comite stringendo felicitas, quando is sibi antiquatæ jam possessionis Argentifodinam jure

Zeringiæ Dux cliens Trevirensis.

Lotharingiæ Duces ab Arnoldo victi ad pacem compelluntur.

Et Nassovium Comitem vi stringit.

thermas Emtzianas ad Loganam immeritò vendicarat, commodi magis, quàm amissi juris rationibus inductus.

Bello igitur non feliciter minus, quàm celeriter defunctus, ad levandum Ecclesiarum, ex contracto sub Alberonis expeditionibus ære, debitorum onus, omni se industriâ convertit, eximiáque liberalitate ac beneficentia id brevi assecutus est, ut opum vectigaliumque reditus in usum pristinum revocârit. An. Ch. 1173. Obæratam diœcesin alieno ære liberat.

Mox veterum Episcoporum more, qui Imperatoribus ad bella euntibus adesse per se militemque obligati erant, Fridericum in Italiam lectis copiis secutus, Alpes, inclinato jam in autumnum anno, superavit, hæsit in Alexandriæ cum Friderico obsidione usque ad annum sequentem, turpi morâ, exituque turpiori, quo obsessi Cæsareanis potiti castris, obsessores expugnarunt. Unde Henrico Catulo Superbi filio, Saxoniæ & Bavariæ Duce, à Friderico, injusti belli obtentu, digrediente, & ipse redire coactus, irritam irrisamque expeditionem reddidit. Henricus verò Bavariâ Saxoniâque, in seditionis pœnam, dejectus, solo denique Brunsuicensi Ducatu acquiescere debuit; Bavaria autem Ottoni Witelsbachio Palatino donata cessit, unde hodiedum Boici Duces Palatinique in propinquo Comites. Otto ille ex domo Scyrensi, & antiqua Boicorum Ducum stirpe satus, virtute suâ magnus, ad Majorum sedem hac opportunitate reductus est. Ita *volvuntur in orbem, non tantùm sol & luna, sed etiam principatus ac regna: ne quicquam mortales credamus in mundo esse perpetuum.* 1174. 1175. Fridericus irritâ obsidione Alexandriæ, Bavarum à se discedentem ducatu spoliat, Witelsbachio Palatino substituto.

At Fridericus hoc dedecus alio belli facinore expungendum esse ratus, instructiori se rursum exercitu cum Arnoldo infudit Italiæ, & contra Longobardos intrepidè obviam progressos, eo pugnavit eventu; ut cæso non tantùm exercitu, sed raptâ Aquilâ, suffossoque, cui insidebat, equo, vix salvam è prælio vitam subtraxerit. Felix tamen hæc ipsi fuit pugnandi infelicitas, quâ sensim menti æquitatique restitutus, cœleste adversari sibi Numen, ob pertinaciam summo Ec- 1176. Iteratâ in Italiam expeditione frustratus, Alexandro Pontifici se submittit.

cleſiæ capiti repugnandi, ſenſit. Quocirca Chriſtianum Archiepiſcopum Moguntinenſem, ſuo deſtinavit ad Alexandrum Pontif. nomine ſupplicem, veniamque factorum ac pacem rogavit, obtinuitque eâ lege, ut Guilielmo Siciliæ Regi annis XV, Longobardis ſexennio inducias addiceret, ſequenti verò anno apud Venetos de totius Eccleſiæ imperiique bono conſultaturi mutuò convenirent. Ut & factum peramicè, non calcatâ, ut nonnulli commentantur, Imperatoris cervice, cum dicto: *ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulabis.* Neque enim aut tanta Alexandri fuit arrogantia, aut Imperatoris demiſſio, ut vel ille auderet, vel hic tale ludibrium ſuſtineret. Hoc commentum Poëtæ, aut pictoris ſymbolizantis, non Pontificis inſultantis fuit.

An. Ch. 1177.

Apud Venetos à Pontifice amicè ſuſcipitur.

Arnoldus, ejus utique conſilii non ultimus Fridérico autor, interea ad ſuos reverſus Himmerodenſi ſe monaſterio, acturus pro felici conciliatione Deo gratias, animumq; Deo arctius in hoc receſſu devincturus, abdiderat: quando David celebratæ illic ſanctitatis Religioſus, á D. Bernardo in hunc locum ſubmiſſus, ad extremam vitæ lineam decurrebat. Quam poſt acre, adverſus Dæmonis inſultus, carnisque illecebrarum, certamen, multorum jam in vita prodigiorum patrator, anno proximo aſſecutus eſt, ac trigintâ Monachorum poſt ſe alios, ejusdem curſores ſtadii, ad metam anhelantes, brevi tempore pertraxit. Zona illius hodiéque in veneratione puerperarum labores contuſos mitigat, partumque facilitat. Ut quam depoſito cingulo pœnam contrahunt, hoc reſumpto expeditius perſolvant.

Arnoldus Archiepiſc. Himmerodium divertit.

1178.

David Himmerodenſis vir ſanctus moritur.

1179.

Zona illius puerperis ſalutaris.

Hildegardis, poſt ſolem anno hujus ſeculi octogeſimo eclipſin paſſum, & ipſa velut luna, deliquium in morte ſuſtinuit, Chriſtum ſponſum, quem ardentiſſimo zelo coluerat, in cœlo amplexura. Illuſtribus in hac vita prophetiæ donis ornata, jam tum divinitatis ſecreta, mente perſpicaci penetrabat. Morem illa apud Bingenſes ſanctimoniales, aut introduxerat, aut certè

1180.

Hildegardis virgo ſancta moritur.

certè probabat. Quo dominicis festisque diebus prodibant candidatæ, licet ex ordine S. Benedicti, coronasque ferebant in vertice, angelorum hinc inde iconibus insignes, & figurâ Agni in frontem propendulâ, tanquam in vita angelica hujus sponsæ, quem vultu ostenderent. Tenvvidis igitur, Andernacensium Virginum Magistra, Richardi soror, hujus ab Hildegarde mysterii expositionem, cùm petiisset, hanc accepit; at salubri monitu, tanquam sale, conditam: *feminarum præcipuam esse dotem, fugere publicum, neque curiosius alienа scrutari.* Fecerat illud Treviris Clementia Hohenbergica, præ Craftone Spanheimensi, Christum sponsum in Parthenone Horreensi secuta, quæ non ita pridem anno salutis 1177. ad XII. cal. April. cum insigni sanctitatis opinione Hildegardem moriens præverterat. Singulari hujus ævi ex virtute prærogativa, quâ Virgines apud Treviros supra viros excelluisse compertum est. Languente jam sensim per ætatem Arnoldo, Trevericus ager Prædonum injuriis liberius patebat. Unde Arnolphus Walecourius Marcetanæ curiæ per Archiepiscopum præpositus, Monclerium ad Saram arcem, à Poppone quondam ob Adelberti Tyranni insolentiam destructum rursum, indulgente Arnoldo, eâ lege excitavit, ut feudi illam titulo possideret, simulque ex illa diœcesin tueretur, nullo tamen, aut navigantium portorio, aut subditorum tributo frueretur, præterquam ex subjectis vallis Sargoviæ villis. Quo tempore Fridericus Imperator celeberrimo apud Moguntinenses Principum conventu, Henricum & Fridericum filios more prisco Regum accinxit gladio, Virginesque utrique clarissimas despondit, ac magnificentissimo, sub dio, epulo præsentes excepit.

Cui candidatæ & coronatæ Virgines.

Clementia Crafftonis sponsa in Horreo sancte defuncta.

Monclerium ad Saram instauratur, pro defensione diœcesis.

An. Ch. 1181.

Fridericus utrumq; filium solenniter gladio accingit.

Nec multò post Alexander Pontifex, defunctus, Lucium III. in sedem admisit. Arnoldus hunc Archiepiscopus proximè insecutus VIII. cal. Junii diem extremum, ritè sacris munitus, concluſit, pacifico clemente- que defunctus regimine, nullis subditos tributorum oneri-

1182.

1183.

Post Alexandrum Pont. Arnoldus ex-

tingvitur, subditis nullo tributi onere gravis.

oneribus gravari unquam passus. Ratus boni Pastoris esse, tondere oves, non deglubere. E testamento quod condiderat, post mille marcas Ecclesiis erogatas, nihil ad heredes successoresque pervenit; sed fiscus Cæsaris, vulgatâ tunc in Ecclesiasticorum opes licentiâ, sustulit universa. Propter quæ haud multò post ab Urbano Pont. Fridericus graviter perstrictus est. Sepultus Arnoldus antè SS. Trinit. aram in æde primaria, Quanquam Himmerodio quidam illum vendicent, quod fortè corde & intestinis, ut Alberonem possident, factum est.

Fiscus Cæsaris illius & universè cleri, hereditatem rapit.

Graviſſima subhæc seditione, divisis eligentium suffragiis turbata resp. est: dum hinc Rudolphus Præpositus, maximâ fretus Cleri parte; inde Folmarus Archidiaconus, ambitionis contra incitatus œstro, populi nisus ope, in sedem sese ingerunt. Hic Henrico Limburgi Duce fautore, nobilitatis & populi studiis, in aram levatus, prior salutatur: quamvis Cæsarei legati intercederent, remque Imperatoris judicio decidi postularent. Fridericus igitur utrumque citat, cumque Folmarus detrectaret, & ad judicium provocaret Pontificis, Cæsar Rudolphum, ut à meliori parte Cleri electum, regalibus donat. Cúmque uterque Romam ad causam dirimendam vocaretur, quatuor Cæsar Rudolpho legatos addit, duos ut suam, alios ut Rudolphi causam tuerentur. Verùm, quod quisque ad se confugientem præferret, nec Legati, nec deinde Cæsar ipse Veronæ cum Pontifice satis conveniebat. Rudolphus merito causæ, quod citra ambitum factionemque omnium votis, (nisi Folmarus sese ingessisset) jam ante suffragia, animo designatus esset; sed Folmarus provocatione à profano ad sacrum Judicem potior; ideóq; ambiguâ disceptatione, usque ad Lucii Pont. mortem, protracta lis, donec Urbanus III. ex Mediolanensi nobilitate successor Friderico ob nupera belli damna infestior, in Folmarum propenderet; neque schismatis imminentis timore, neque concilio Episcoporum, antiquandam

Schisma grave eligentium Treviris, dum Clerici Rudolphum, & Laici Folmarum sequuntur.

1184.

1185.

An. Ch. 1186.

utriusque electionem suadentium, aut certè differendum judicium retardatus, Folmarum primò quidem Cardinalem, deinde & Archiepiscopum consecrat, dimittitque ad capiendam possessionem; sed Henricus Rex Friderici filius, post Trevirim, Folmari studiosam, gravi devastatione afflictam, ita transitum Alpium ubiq; interceperat; ut Folmarus, cum penetrare non posset, vulgaris se viatoris habitu in Galliam transstulerit, ibique à Rhemensi amicè habitus, legatus Apostolicus ab Urbano sit declaratus & Synodo Morsonii collectâ, Rudolphum à Cæsare Treviros introductum, cum omnibus ejus partes tuentibus, excommunicationis fulmine perstrinxerit. Quo, religiosus ceterà, Trevirorum populus magnopere est consternatus; quod autoritate Apostolica nixum existimarent. Fridericus tamen, federe cum Rege Galliarum Ludovico inito, effecit, ut Gallia exturbatus, in Angliam se receperit. Bertramus etiam Metensis Episcopus, Folmari adjutor, Episcopatu omnibusque bonis exutus est. Quem Philippus Colonienſiũ Archiepiscopus receptum in S. Gereonem, unde aliàs discesserat, miseratus sortem, recepit. Tam *grave, ex temerè jacta ambitionis scintillâ non rarò emergit incendium, quod unius ferè natum cupiditate, multos trahit in ruinam.*

Urbanus Pontifex contra Fridericum pro Folmaro pronuntiat. Sed is inita cum Ludovico Gall. Rege pace, Folmarum sub hujus umbra latentem, in Angliam fugat.

Mortua hoc tempore est Hildegundis Novesiana virgo, juvenem mentita, & Schonaugiensi in Monasterio sub Josephi nomine recepta, nec fraudis nisi à morte deprehensa. Hæc ut erat sub specie adolescentis virago, & rebus agendis idonea, ante biennium in caussa dissidii Trevirensis Romam cum literis à Colonienſibus ad aulam Pontificis destinata ibat, nec procul Augusta, ob recens furtum suspecta, ad supplicium insons rapitur, laqueoque damnatur, ac biduo post à pecorum curatoribus ex arbore præcisa vivere deprehenditur: moxque ab Angelo Custode Veronam ad Pontificem ducta, monetur solum sibi restare vitæ biennium. Ergo avida id tempus sanctè Deo divinisque

Hildegundis virago, post mirabilem pro Ecclesia Trev. expeditionem in Monasterio virorum sub specie viri recepta sanctè moritur.

impendendi Schonaugiensi cœnobio & admitti petit, & recipitur, sanctéque clauso fine, salutaris doli mysteria aperit, admirando magis, quàm suadendo feminis exemplo, quæ Evà non sunt innocentiores. Ubique serpentis astutia vigilat. Si quas tamen ita Deus vocet, Deus tuetur. Tumulo inscriptum:

Hæc cujus fossa cineres includit & ossa,
Mas vivens paret, moriens sed femina claret.

An. Ch. 1187. Folmari inflictum Anathema Pontifex irritum sentit.

Nunc ad Trevirensis Ecclesiæ schisma revertamur. Petrus Tullensis Episcopus religione tactus, quod à Folmaro anathemate percussus, ut Rudolphi fautor esset Romam pro sententiæ examine ingreditur; cùm, Urbano mortuo, Gregorium VIII. ex Cancellario ejus surrogatum cognoscit. Is ut adesse Petrum cognovit, suæ illum consecrationi jussit adsistere, cùmque nonnulli monerent, solvendum ante vinculis execrationis esse. Quid, inquit, in eo solvam, qui non ligatus. Nullius, ante quam stringeretur, criminis convictus, innodari ob hoc non potuit. Ita absolutus etiam Cardinalium sententia est priusquam ad judicium vocaretur: discimusque, *anathematis, sine delicto, fulmen neminem tangere, nisi immeritò ferientem.*

Hierosolymâ ejecti à Saladino occidentales.

Triste, per illos dies, ex oriente allatum Terræ sanctæ sub Saladini jugum missæ, Guidonisq; Regis cum Dominica Cruce interceptæ, nuntium Gregorium, totamque Christi Ecclesiam gravissimo doloris sensu implerit; ut iccirco Fridericum sibi ceterosque Europæ Reges conciliare, pro nova expeditione persuadenda, enixè Pontifex conaretur. Verùm annui cursus pontificatum mors rescidit: idem tamen consilium ad Clementem III. transmissum est, quod omni conatu perursit, utque promptiorem haberet Cæsarem, Trevirensis dissidii controversiam, ex illius voluntate, diremit.

1188.

Imperator igitur Moguntiæ conventum imperii

Prin-

Principum celeberrimum, quem Curiam Dei, seu Christi dixêre, instituit, persuasitque ut assumpta sacræ Crucis militari tesserâ, orientali sese bello accingerent, pactionisque à Pontifice oblatam formulam secum admitterent. Ex archidiœcesi Treverica profecti sunt, Petrus Tullensis Episcopus Buxeiâ gente, & Gosbertus de Asperomonte, Metensium ductor, Henricus Comes Salmensis. Trans Rhenum adscripti Robertus Comes Nassovius, Henricus senior, juniórque Comitum Dietziorum, exploratæ plerique virtutis. Horum postremus & Nassovius Comes, legati ad Isaacium Angelum Græcorum Imp. missi, græca excepti sunt fide, ac dein carceribus traditi, nec gentium quidem jure inviolato; quod Latinos Turcis posthaberet. Fridericus tamen profectus Regem Francorum Philippum, Richardum Angliæ, & Guilielmum Siciliæ post se traxit, Henrico filio ad imperii clavum relicto. Cui inprimis curæ fuit, ut Trevirensis Ecclesia sub incertis jactata Episcopis, Pastorem tranquillitatemque suam possideret, obtinuit à Pontifice, ut ultimo lis judicio absolveretur. Missus igitur Legatus à latere Godefridus, è purpuratorum Senatu, qui Treviris Procerum Sacerdotumque coactâ Synodo, Henrico præsente Rudolphum & Folmarum omnis potestatis expertes pronuntiat, subditosque à fide præstita declarat liberos, anathematisque vinculis absolutos, ac novi Antistitis legendi facultatem defert. Ita post tempestatem, ab Hildegarde prædictam, optata rursum pacis serenitas lætanti reip. affulsit,

Fridericus Imp. cum magno Trevirensium numero expeditionem in orientem suscipit.

Isaaci Græci Imper. perfidia in occidentales.

1189.

Henricus Imp. filius à Clemente Pontifice sententiam novæ electionis apud Trevirenses impetrat.

LIBER XV.

Clemens III. Pap. Henricus VI. Imp.

VErsabatur apud Treviros etiamnum Henricus Rex cum Godefrido legato Pontificio tranquillandæ reip. intentus, ut nuper inflictum à se vulnus, remediis opportunis leniret: obtulitq; Joannem illis, exploratæ apud se prudentiæ religionisque virum, Cancellarii functum munere, legato Apostolico, & electoribus Trevericis repentè probatum. Romam destinatus Himmerodensium Antistes Hermannus, quæ erat industriâ, Pallium, privilegiorumque omnium, sigillatimque Lohnsteinianæ, Treisensis, & Monclerat Ecclesiarum, diœcesi stabiliendarum, confirmationem, sine mora à Clemente III. obtinuit. Ad quarum arcium instaurationem cum Joannes vertisset operam, de urbe Trevirorum hactenus magnâ sui parte absq; muris patente, & solâ virtute civium, ut Sparta quondam, munitâ, septis arctioribus murorum includendâ, curam suscepit, jugóque Advocatorum exemptam, Pastoris tantùm sui tutelæ subjacere voluit. Quin tota sub eodem sensim diœcesis, castellis propugnaculisque diversis firmata, vectigalibus agrisque locupletata, robore opibusque magnopere profecit. Templis etiam instaurandis dedicandísque inter primos labores vacasse, Noviomagensis ad Mosellam basilica, in limite castrorum Magni Constantini excitata, &, juxta Lapidis epigraphen, hoc anno MCXC. SS. Trinitati, Deiparæ, & Cruci Christi ab eo dicata, ostendit.

Joannes Cancellarius Friderici Imp. Archiepisc. Trev. eligitur.

Qui muris urbem Trev. clausit, & totam diœcesin castellis munivit.

At infelix ex oriente nuntius occidentalem hoc anno Ecclesiam perculit, quando Fridericus Imp. multis adversus Turcas præclarè fortiterque gestis, post subactam Armeniam, felix victoriarum principium repentinâ

Fridericus Imp. in oriente hausus

tinâ morte, dum in Cydno lavat flumine, undis haustus, abrupit: fortè delicti adhuc veteris, temporalis Deo hostia, ut ultimi fructum laboris jucundiorem in cœlo decerperet. Fridericum à se in oriente reliquit filium; sed, cum maxima copiarum parte, altero post anno, pestilenti lue absumptum. Henricus verò in occidente ægrè suum, adversus repugnantes Vbios Burgundionesque, locum tenuit, Trevirensibus jam nuperâ conciliatione acceptior.

aquis perit, cujus filius postero anno lue moritur.

Henricus in occidente præest.

Floruit eo tempore in Prumia Gerardus, eximii nominis Antistes, qui, ex consangvinea sibi nobilitate, Sophiam raræ virtutis feminam, cum illustri Virginum collegio, in quo & Adelheidis Gerardi soror, Morlebachii in loco haud procul dissito, quem inferiorem Prumiam dicimus, Deo monasticè servituras, collocavit. Ubi collatis opibus basilica Deiparæ sacrata, Sanctisq; Gordiani & Epimachi Martyrum corporibus per Gerardum ditata, surrexit, Joanne Archiepiscopo institutum hoc, etiamnum consistens, diplomate amplissimo comprobante. Idem Gerardus possessionum latè per Belgium, Franciam, Germaniamque sparsorum magnitudine, cùm haud paucos suæ clientelæ, etiam Comites, adscisceret, S. Goaris oppidum Hoinsteiniis ac Cattimelibocensibus Comitibus, ceu Advocatis, beneficii titulo, cum prædio Coniglenbacho, recenti donatione acepto, transcripsit. Unde, post alterum denique seculum, ad Hassiæ Landgravios, Astræâ licet invitâ, transiit. Cum Advocatorum hoc quorundam ingenium fuerit, ut ex rebus alienis denique facerent suas. Quorum Prumia non paucos olim censuit. Et Henricus Limburgi Dux, Ambeleno in se collato prædio, tum verò Henricus Seinæ Comes Kentenâ munitione, haud procul Vbiis, ad se per Gerardum translatâ, clientelam libens Prumiensium adiit. Ita Monasterium hoc pluribus olim Comitibus, quàm nunc Monachis alendis, suffecit, ex Gigante Pygmæus.

Parthenonis Prumiensis origo.

Gerardus Prumiensis Abbas amplissimas in Advocatos & Clientes, etiam Comites, distribuit.

Ex oriente sublatis Fridericis, Philippus Rex Fran- An. Ch. 1191.

Philippus Franciæ, & Richardus Angliæ Rex, ex oriente reversi, hic ab Austriacis capitur.

ciæ per Mediterraneum mare, Richardus Angliæ, in Illyricum ejectus, per Austriam rediit; sed hic à Leopoldo Austriæ, quem parum hospitaliter apud Tyrum peregrinantem exceperat, pœnâ talionis detentus, Henricoque traditus, captivitatem ducentis argenti pondo millibus redemit.

Teutonici ordinis origo, primusq; ex Treverica nobilitate præfectus Walpotus.

Teutonici hoc anno ordinis militare corpus, ex Xenodochio à Germanis jam ante Ptolomaide, sive Anconæ, pro excipiendis tuendisque peregrinantibus (quorum ingens ea ætate frequentia) instituto, coalitum, à Clemente III. primùm, nunc vero à Cœlestino Pontifice, sub votis regulâque D. Augustini firmatum. Qui candida in chlamyde crucem nigram tulêre, Henrico à Walpot Trevericæ nobilitatis viro, in primum hujus ordinis Magistrum delecto. Qui deinde totâ propagatus Germaniâ est in militiæ orientalis præsidium. Diœcesin hanc primò apud Confluentes, deinde & Trevirorum urbem subiit utrobique ipsis mœnibus imminente domicilio, receptus, ut si ad custodiam quoque urbium transisset.

1192.

Epternacensis subinde Abbatia Joanni Archiepiscopo digna visa est, cujus ipse supremum jus ab Imperatore obtentum possideret. Henrico igitur Nassovviam arcem detulit, hoc viciſſim jure ad se recepto, cujus dum possessionem captat, & Godefridum Abbatem omni studio, cum Theodorico Epternacensi ea-

Epternacensis Abbatiæ supremum jus fruſtra Joannes ambit.

ditionis famâ scriptisque noto, obnitentem patronum illum quidem ad S. Matthiæ cœnobium, cujus eum Præsul erat, ejecit; sed hic constanti propugnatione libertatis, priscis diplomatibus firmatæ, Henricum denique ad palinodiam, præsertim querelis exprobratæ abs Joanne inconstantiæ exasperatum, impulit, verumque etiam privilegiorum cum Godefrido confirmationem exoravit. Feliciori Joannes certamine jus patrocinandi Ecclesiæ Leymene, Cardonensi quondam ereptum Canonicorum Collegio, pristinis suis possessoribus, approbante nobilitate, restituit.

Jus Patronatus in Ecclesia Leymene, Cardona recipit.

Dum porrò in ceteris diœcesis commodis asse- An. Ch. 1193.
rendis versatur, Fridericus Viennæ Comes ex insidiis occupatum in captivitatem abstraxit. Verùm Henrici Palatini Comitis ea fides virtusque fuit, ut armis ad expugnationem Friderici raptis, terrorem huic minus instructo, libertatem Joanni conciliârit.

Joannes capitur, & à Palatino liberatur.

Sed haud multò post in atrocius Fridericus certamen cum aliis Trevirorum clientibus abstractus est. 1194.
Henricus Namurcensis, heredis sine prole incertus, connatum suum Waleramo Lutzelburgensi sororis natu minoris filio destinabat; sed Balduinus Flandriæ Comes, ex majore natu sorore nepos, id sibi juris vendicabat. Illi Henricus Lovanienſis, & Gerardus Juliacensis Comes, cum Friderico, tum denique & Henricus Limburgensis cum filio, junctis copiis hærebant. At, ubi ad Sabin fluvium cruento atrocique prælio decertatum est, Lutzelburgici, magnâ utriusque partis nobilium cæde, & Limburgici Ducis captivitate inferiores fuêre, jusque in armis Balduino cum Namurco cessit.

Pro Namurcensi comitatu atrox Lutzelburgensium prælium, quo ad Flandros delatum jus illius est.

Henricus interea Italiam subiit, à Cœlestino Pont. 1195.
novo istic ritu coronatus, quod immissâ capiti, moxq; ademptâ rursum coronâ, testatus sit, utrumque pontificiæ esse potestatis, quam denique impositam cum augustalibus insignibus reliquit. Unde Cæsar digressus, Apuliam Siciliamque, illegitimis ex Guilielmo Rogerii filio heredibus sublatis aut cœcatis, in quibus Tancredus, filiiq;, jure armisque tenuit: quód regnum ad Constantiam uxorem suam Guilielmi sororem illius morte devolutum esset. Sed hanc ejus felicitatem excita in suspectam nobilitatem crudelitas maculavit, adeò *nihil pœne in hoc mundo integrum ab ambitione relictum est, aut corrumpit, aut corrumpitur.*

Henricus Imp. novo ritu à Pontifice coronatur.

Siciliam ab uxore ad se translatam, occupat.

Joannes verò in Gerlacum Isenburgicum Comitem liberalis, utramque illi Covernæ arcem feudi titulo contulit. Quarum una Meinfeldensi præfecturæ attributa etiamnum supereſt, altera olim in Templatiorum,

Isenburgicus Comes Ecclesiæ Trev. cliens.

rum, ut ajunt, sedem versa, cum eisdem eversa inter cidit.

An. Ch. 1196.

Toga inconsutilis Christi magna Trev. lætitiâ, ex latebris ignoratis eruitur, ostenditurque.

Dum subinde in exornanda Metropolitana ad versantur Treviri, & D. Nicolai ara panditur, Toga inconsutilis Servatoris nostri latebræ diu ignoratæ in credibili omnium gaudio patuêre. Huc enim penitus olim abdendi curam injecisse videtur castigata hominis cœnobitæ curiositas, qui ad Tunicæ sacræ inspectionem admissus, dum arcana vestimenti rimatur, utroque lumine privatus est. Textura certè illius admirabilis, & subtegmen stamini tantâ fili subtilitate, iisque intercurrit ductibus, ut nescias, textumne, an acu factum opus videas? latioribus ad pedis mensuram manicis, qualemque sub Agritio descripsimus, diabus tribusve, velut ex attritione, maculis distincta, colore à puniceo in niveum declinante, ita tamen, ut perstricta sole rutilet. Euthymius ex Majorum traditione Deiparæ contexam puero manibus, deinde cum ipso accrevisse, sentit. Rarum opus, quod sine pietatis lacrymis vix contempleris. Producta verò à Joanne in conspectum populi quaquaversum affluentis fuit calendis Maji, Apostolis Sanctis Philippo & Jacobo sacris, ac deinde in ara D. Petro Tutelari recondita. Cum qua alterum Deiparæ, alterum B. Helenæ altare, eádem in æde, consecravit.

Nova Germanorum in Palæstinam expeditio.

Novo inter hæc ardore Palæstinam armis repetendi Germaniæ proceres inflammati, in expeditionem quintam Wormatiensibus comitiis conspirant; Crucemque omnes à legato Pontificio donati. Henricum tamen Imp. eodem anhelantem detinuêre, ne imperium Romanum sine capite fluctuaret. Conradus Moguntinus Archiep. Austriæ, Saxoniæ, Brabantiæque Principes eodem se intulêre. Henricus quoque Palatinus Comes, Ecclesiæ Trev. Advocatus in hoc se bellum armavit, utque impensis par esset, literis quibusdam Comitatum Meinfeldiæ Henrico, Alberto, & Godefrido Comitibus in Spanheim, pro 650. marcis (quarum singulæ, ut ferunt

1197.

Henricus Palatinus Trev. Advocatus Meinfeldiæ

qua

quatuor fecêre aureos) transtuliſſe, redimendi tamen à poſteris, ſi vellent, lege, memoratur. Quanquam literæ, cum Henricum Ducem appellent, & damni cautionem Eccleſiæ non præſtent, à Palatinis etiam ſolis producantur, meritò ſuſpectæ maneant. Comitatum vendit.

Fames id temporis exitialis incumbebat Treviris, quam cùm multi ſuâ in pauperes liberalitate ſublevarent, tum inprimis Himmerodenſis Clauſtri cœnobitæ, quorum Deus cum fœnore donationes penſavit, quando Gerardus ad D. Simeonem Præpoſitus moriens legato ſexcentarum librarum argenti eosdem proſecutus eſt. Quorum centum ante fores in miſeros erogatæ. Himmerodenſis Clauſtri in pauperes liberalitas munerata.

Et ſanè egregio, cúm nobilitatis, tum diſciplinæ flore, latè clauſtrum inclaruit. Mors illud duorum recèns illuſtrium virorum exornarat. Unus Gualterus de Birbeck, Henrici Lovanienſis Ducis conſangvineus, qui adhuc ſecularis vitæ, Deiparæ cultor, haſtiludiis imperii publicis in arena decurſurus, cum præmitteret ad felicem ludorum ſucceſſum ſacrificii divini præſens oblationem, primique interea equeſtri certamine congrederentur, ipſius perſonâ concurrens Angelus, palmam facilè obtinuit; ut Gualterus ſuperveniens pro victore ſalutatus ſit. Religioſorum ſanctitas.

Quin & aquam, in potum hauſtam, vini naturam ſaporemque induiſſe ſenſit, & Crux illi de cœlo aurea per ſacrificantis manus exhibita eſt, ut tot privilegiis Deo Deiparæque obnoxius, ſagum denique togamque vili Ciſtercienſium Himmerodii cucullo permutârit. Gvvalteri de Birbeck & Cunonis Mailbergici memorabilis vita.

Cuno deinde, Mailbergenſis caſtri Dominus, ſolutioris in ſeculo vitæ, poſt militiæ ſacræ diſcrimina, de ſalute anxius, ſub monaſtico habitu, dextram cædibus aſſuetam ultimo hoſpitum miniſterio aptavit. Et poſtquam Henricum Iſenburgicum Comitem, ob abſtractum ab armento ſibi commiſſo equum, ejusque reſtitutionem denegatam, ad Dei tribunal provocaſſet, domum reverſus, ſextâ ſibi feriâ eſſe moriendum Abbati ſignificavit: *Sexta* ait, *feria Crucem accepi, ſexta feria transfretavi, ſexta feria in ſacello meo vobis me tradi-*

tradidi, sexta feria habitum indui regularem, quid fe-
peresset, nisi ut eadem, tam secundâ mihi luce, beata vita
præmiis afficiar? triduoque post extinctus. Henburgi cum ita terruit, ut cum reducta præda, nudipes sup-plexque ad Cunonis sepulchrum accurrerit. Mira tum erat religiosorum ejus loci sanctitas, & quos langui occuparat, hi cœlestibus etiam minis spectrisque ad vigorem revocati sunt. Fuerunt ex iis, qui ad corpo-ra reversi, æternorum apud inferos suppliciorum gra-vitatem, & immensa cœlorum præmia, graphicè ad umbrarent oculis; animisque, cum terrore aspe in-genti audientium, subjicerent. Quorum è sepulchris viva oratio, utinam ad plurium aures penetraret!

Concionatores ab infe-xis excitati.

Henricus Imp. in Sici-lia moritur.

Henricus interea Imperator Messanæ in Sicilia, ex venatione domum redux, morbo lethali correptus occubuit, Philippoque, qui secum erat, fratri, filii tute-lam cum regni insignibus commisit; sed reversus in Germaniam acerbitate morum, ob quos & Henricus *asper* dictus erat, tum & inflicta à Cœlestino illi, ob vexatum D. Petri patrimonium, anathematis nota, paucorum gratiâ valuit.

Philippus ejus frater Romanæ se-dis hostis.

An. Ch. 1198.

Quocirca Arnoldus Vbiorum, & Joannes Trevi-rorum, aliique Principum, Andernaci primum, ac deinde Coloniæ Bertholdum Zeringiæ Ducem sceptro de-stinant; sed hic impar opibus, pecuniâ à Philippo, de Sueviæ ducatu oblato, cessit. Unde pluribus jam con-ciliatis Principibus Erfurti Rex eligitur; utque valeret suffragia, à legatis Pontificis Innocentii, qui succes-rat, anathematis solutionem blandimento extorquen-

A quibus-dam electus, ab aliis reji-citur, & Otto frater Henri-ci Palatini eligitur, ac coronatur.

Interea, Beryto & Joppe recuperatis, adsunt ex oriente Conradus Moguntinus, & Henricus Rheni Palatinus, qui cum Vbiorum Trevirorumque Episcopis Ottonem Palatini hujus fratrem, Henrici Leonis filium, Richar-di Anglorum Regis nepotem, qui Colonienſibus de-lectus Comitiis Aquisgrani, ejecto Philippi præſidio, coronatus est, inferioresque ad Rhenum Mosellamque

ditiones adversus illum, Henrici fratris ope potissimùm, defendit. Qui etiam, ad facilius tolerandos sumptus, cùm improlis esset: *resignavit*, ut loquitur diploma, *B. Petro & Venerabili Trevirorum Archiepiscopo Ioanni, die Paschæ in curiâ episcopali apud Trevirim, Advocatiam ejusdem, cum omnibus appendiciis* &c. Cui Antistites ordinum diversorum, & plurima nobilitas, in eisque, Henricus Dux Limburgi, Simon Comes de Saræponte, Henricus de Zueenbrucken, alterque Spanheimius, Everhardus & Wernerus de Petra, Hugo Hunolsteinius, Wiricus Noviomagensis, Godefridus Waldorffius, aliique subscripsêre. At invaluit subinde Philippus, occupatâ Alsatiâ, Moguntiæque demum, regium diadema manu Tarentini Præsulis, cum alii defugerent, novo ritu admisit. Adhæsisse tamen Joannem Trevirorum Archiepiscopum cum Waleramo Lutzelburgensium Comite seu validioris metu, sive etiam, ut ferunt, auri fulgore captum, satis ex memorabili Brunsvvici obsidione compertum est: ubi Joanni cum Philippo in castris versanti S. Autor, Trevirorum quondam Episcopus, Urbis Patronus, per somnum apparuit, monens; ut Regi suaderet ab Urbe, quam ipse tueretur, discessum; aliàs totius exercitus interitu moram luiturum. Solenne enim tum civibus erat, in quacunque necessitate, hunc publica supplicatione elatum, apud Deum intercessorem implorare, ejusque ope frui. Philippus re cognitâ, abitum honestâ conditione pactus, ipse etiam, ceu voti reus, lineo amictu posito, ac discalceatus, Divi sepulchrum, veniam suppex rogaturus, accessit. Verùm res ipsius, inclinari rursum cœptæ, fautores cœlites vix habuisse sunt visæ.

Henricus Palat. Advocationem Trev. Ecclesiæ in Archiepiscopum transfert.

1199.

Ludolphus Assis. M. S. & Cranzius l. 7. c. 26. Saxon.

Philippi primum se junxit partibus Joannes.

Etenim Waleramus Lutzelburgensium Comes, qui eidem constanter faverat, ad Ottonem deflexit, secumque Trevirorum, quâ erat in armis felicitate, traxit Antistitem. Quanquam hunc fulmen à Romanis jam tum Philippo imminens, magis, quàm armorum terror, avertisse creditur. Scriptâ enim Innocentius ad Ber-

An. Ch. 1208.

Ad Ottonis deinde partes defectit.

thol-

Extrav. C. Venerabilem de electione.

tholdum Zeringiæ Ducem epistolâ, docuit, penes Electores quidem Principes, ex facultate Apostolica olim tradita, jus potestatemque eligendi Regis manere: a Romani Pontificis esse examinatum, si indignus, aut sacrilegus sit, repudiare; si idoneus capaxque, ad coronam, ceu Ecclesiæ Advocatum ac defensorem, admittere. Hoc enim nomine atque autoritate à Græcis ad Carolum Germanosque transisse imperium. Per Guidonem igitur Cardinalem Episcopum Prænestinum ad Germanos missum docuit: Philippum variis facinoribus obnoxium, ut imperio indignum, à se repudiari.

Martyrum Poppardiensium, sub Antonino Imp. passorum, inventio.

Treverica diœcesis hoc tempore apud Bodagridam, seu Poppardiam, in suburbana ædicula D. Martini, nova Martyrum inventione exhilarata est. Præmonuerat eâ de re cœlitus instructa, non ita pridem B. Elisabetha de Schonaugia, cum Poppardienses in fines Hassorum, Wetzlariam & Marpurgum, ad veneranda Divorum ossa sese efferre videret, postquam Aldenburgensi in parthenone salutatum illam adiissent: *Vt quid*, ait, *fessi tanto itinerum ambitu sectamini, quod domi juxta mœnia possidetis?* Quod vaticinium, nunc sua veritate patuit, quando ædiculam hanc sacram, in casum inclinatam, corrogato per viciniam ære, aliâ paulò illustriore mutare decretum est. Ubi enim eruendo profundamentis solo opera impenditur, latè sarcophagi in ordinem digesti, cum gladio martyrii (ut olim consuerant) signo, apparuêre, passosq; sub annum Christi 184, sub Antonino, lapidis juncti inscriptio testata est. Unde basilicæ honor id temporis frequentiáque crevit. Quamquam lapsu, ut solet, annorum hæc rursum pietas refrixerit, novâ, opinor, inventione excitanda. Habet enim alternata hæc cum oblivione inventio aliquid Nili inundatione simile, quâ steriles Ecclesiæ agri fecundantur.

1201.

Non impari felicitate Seynenses infra Confluentiam hoc seculo gavisi sunt, quando Armenus ex oriental Episcopus ad trium Regum monumentum Coloniæ ve-

nera-

nerandum, secundo Rheno descendens, à Prædatoria militum turmâ spoliatus, multisque plagis saucius, ad Brunonem Seynæ Comitem, Bonnensis Ecclesiæ Præpositum, divertit, ibique benignè liberaliterque curatus, brachium S. Simeonis Apostoli, ex oriente allatum, Brunoni id enixè flagitanti, reliquit; equis vicissim, veste, viaticoque lautè ad iter absolvendum instructus. Porrò cum fratres Seynæ Comites Henricus & Everhardus, sua in ditione, recentem cum Monasterio Præmonstratensium basilicam excitassent, Guidone Apostolico Legato & Joanne Archiepiscopo donationem laudante ac confirmante, sacrum hoc illis Abbatique Hermanno donum inferendum templo submisit, quod religiosissimè exceptum cultumque, prodigiosa multorum sanitate repentè innotescere, piaque hominum veneratione cœpit frequentari. Quamvis verò ætate superiori incumbens hæresis, Martisque, ab eadem nati, violentia solitudinem huic cœnobio vastitatemque induxerint, rursùm tamen hoc seculo per sedulos cultores emergit, salvo adhuc Apostoli protectoris brachio, cui & sua post fata virtus inesse sentitur. Henrici etiam Seynæ Comitis fundatoris ossa ingentia, medio templi sepulchro condita, immanis proceræque staturæ virum fuisse testantur.

Quâ ratione ab Armeno Episcopo S. Simeonis Apost. brachium Seynensi Monasterio obvenerit.

Henricus Seynæ Comes Giganteæ staturæ.

Collidebatur etiamnum Germania duorum, Philippi & Ottonis, Regum armis, seculi XIII. principio. Quamvis enim anno I. Comitiis apud Vbios Principum habitis, Philippum Apostolica sententia regno declarasset inhabilem, & sub anathematis comminatione vetuisset illi quenquam contra Ottonem adsistere; Adolphus tamen Colonienſium Archiepiscopus, res Philippi jam inclinatas, probroso ab Ottone transitu, rursum erexit. Ut iccirco publicâ Innocentii sententiâ proscriptus sacris, temeritatis ac perfidiæ haud levem notam contraxerit. Ejus verò arte blanditiisque atque auro Joannes quoque implicitus hæsit, cum Brabantino & Lotharienſi principi, qui Confluentino in ejus

An. Ch. 1204.

Philippum ab imperio proscriptum, tuetur Adolphus Col. princeps, favente iterum Joanne.

in ejus verba conventu jurarunt, adeò variis favoris odiorumque fluctibus, tantáque procerum inconstantiâ, hæc causa ultro citróque jactata est. Urbs tamen Trevirorum (uti & Vbiorum) Ottoni, cui fidem dederat, constanter hæsit, anathematis interea fulmine caput sui Archiepiscopi vibrato. Quod tamen haud multò post, eadem, quâ acceſſerat, levitate se subtrahens, declinasse videtur.

1205. Nobilior hoc tempore Francorum præcipuè occidentalium expeditio cum Venetis Flandris & Germanis in orientem susceptа est, Alexio Isaaci Angeli Imperatoris Græcorum filio invitante. Hic enim ab Alexio patruo occupato imperio patrem excœcante, ad sororem Irenem, Philippi Regis Germanorum conjugem, profugus, opem poposcit; sed cum hunc discordia pro occidentali sceptro susceptа detineret, Joannes Trev. Archiepiscopus in Galliam Italiamque profectus Innocentii Pontificis, expeditionem urgentis, consiliá promovit; felicique armorum successu Constantinopoli occupatâ, patruóque ejecto, Alexius Junior surrogatus est. Quem cum septimo mense Murzuflus perfidus minister laqueo præfocasset, hic cum urbe à Francis sociisque interceptus, variisque cruciatibus enectus est; atque ex diversis nationibus Dux fortissimus Balduinus Flandriæ Comes Byzantino imperio præfectus. Quo tamen Latini, post annos 58. Græcorum rursus perfidiâ exciderunt.

Nova in orientem expeditione Constantinopolis occupatur.

Balduinus Flandriæ Comes primus Imperator.

Ceterùm ingentibus ex direpta urbe prædis locupletati, plures è Trevirensi nobilitate redierunt, Cumq; sacra quorundam spolia fuerint, quæ nostris etiamnum in templis supersunt, illorum hic parcè juverit meminisse, quæ Brovverus explicatius describit, atque ipse mecum fide oculata hausit. Henricus ab Vlmena Trevericæ nobilitatis homo ex spoliis, opulentissimo Sophiæ Constantinopolis templo detractis, huc ad conversas nostræ diœcesis basilicas locupletandas trans-

lit, portiones ex ligno S. Crucis haud modicas, pretiosissimis quasque ex argento, auróque ac gemmis thecis inclusas. Quarum una integro par thesauro, Virginum Nobilium parthenoni Stubæ ad Mosellam collata est, quæ sacrum lignum in crucis figuram duorum pene digitorum crassitie complexa, ad quatuor in longitudine palmos, duos & semis, in transversis excurrit brachiis. Græcis inscripta versibus est, quibus testatur, Proelpum Basilium suis hanc thecam impensis, ad S. Crucis custodiam instruxisse. Inter aurum verò maximique pretii gemmas, Christi sanctorumque effigies variæ spectantur. Forinsecus in tabulæ valvis diversæ ex sindone, corona spinea, purpureo vestimento, Spongia, cunabulis Christi, Zona Deiparæ, Reliquiæ includuntur: elegantissimo omnia, & vix imitabili occidentalibus opere concinnata. Hæc in templum S. Nicolai illata, transferri è loco se minimè passa est, licet novum pro ipsius honore Sacellum S. Crucis excitassent. Huic enim quoties intulissent, toties in vetus sacrarium rediisse comperta est. Ejusdem Henrici dono obtinent argenteam lipsanothecam S. Demetrii Martyris Thessalonicensis: Myroblytæ & Thaumaturgi dicti; quòd oleo ejus corpus stillaret, variisque sanitatum clareret miraculis. Tertiam item, Theotoco, seu Deiparæ inscriptam ex argento gemmisque radiantem possident. Adeò in nobiles hujus Parthenonis incolas, utique quasdam sangvine junctas, munificentiam suam illustris heros profudit. Aliam tamen ab eodem sacræ Crucis thecam, operis quidem elegantiâ minorem, majori tamen portione dominicæ crucis, quæ ad octo digitorum excurrat longitudinem, geminoque decussatim ligno Caravacensis instar efformatur, S. Matthiæ apud Treviros Abbatia, ejusdem liberalitate custodit. Inscriptione tamen Latinâ, Græci operis, licet ad imitationem ducti, esse non videtur. At geminæ præterea aliæ ejusdem Henrici donatione habentur tabulæ, altera Meinfeldiæ in basilica S. Severi, Græco

Nobilissima Templi Constantinopolitani spolia Trevirim per Henricum ab Ulmena strategum delata.

Crux in æstimabilis pretii aliaque donaria ad Parthenonem Stubæ pervenerunt.

Alias tres Cruces pretiosas Henricus diversis locis donavit.

etiam opere scitissimè, ex argento auro gemmisque elaborata; altera Lacensi in Monasterio Latina rursum ad imitationem manu & inscriptione ducta. Utraque insignem ejusdem ligni partem in Crucis formam complicatam comprehendit. Monumenta orientalis victoriæ prædæque spectatissima. Quæ Deus Christianorum, quàm Saracenorum manibus occupari maluit, qui perfidæ toties in suæ religionis consortes, & ad omne delicias solutæ genti hanc pœnam destinârat, ab amicis, quos sæpe prodiderant, infligendam.

Henricus dente S. Joannis salutem obtinet.

Servarat sibi Henricus dentem S. Joannis Baptistæ, ejusque honori sua in arce sacellum erexerat; sed a Wernero de Bulandia bello petitus captusque, cœlestus intellexit, liberandum se, ubi Heisterbacensi Cisterciensium cœnobio hunc dentem obtulisset, vix obsecutus erat, cum divina sese ope manibus vinculisque sui hostis elapsum vidit. Cujus mox dentis beneficio, vir ex Seynensium Comitum familia nobilis mente captus, simul atque eodem signatus contactusque est, integritati pristinæ est restitutus. Wernerus verò Prumiensis Abbatiæ cliens, cum in illo Philippi Ottonisque dissidio S. Goaris oppidum ferocius premeret, objectam ipsius militibus ex fenestra Christi in Cruce pendentis imago, ceu propugnantium clypeus, fuisset, vulnerata telo imago copioso mox sanguine profluxit, quo obsessor Wernerus consternatus, ne in Christum pugnare videretur, oppido recedens libertatem concessit. Fuitque multo tempore sanguinolenta hæc, cum sagitta cruentata, imago conservata. Wernerus verò Crucem sumpta, laudabiliori marte arma in orientem transtulit.

Wernerus ejus hostis miraculo ad militiam sacram traducitur.

Et Joanni adversus Fridericum Viennensem Comitem superat.

Joannes Archiep. strategemate Viennensem Comitem superat.

mitem copiæ fuêre educendæ, quibus arcem castrumque, Treverico in agro ad Milonis fontem, haud cul Erangio per absentiam Principis excitatum, deliretur. Quod cum Longioris futurum operæ ob

munitionem crederet, aliam ex opposito arcem, quâ evagantes contineret, objecit, cui suum imposuit militem, tum verò opportunè aliquot vini generosi vasa prætervehi haud longè passus, cùm ad ea conspecta sese effunderent milites, fractisque doliis vino sese ingurgitarent, his demum somno inclinatis, vi in castrum penetravit, illudque funditus evertit: sua etiam arce, velut jam inutili, eodem præcipitio diruta. Quod pugnandi genus majori sumptu, quàm emolumento institutum est.

Philippus Rex interea, suis firmatus partibus, Aquisgranensibus Comitiis, ne vitium coronationis nuperæ obesset, ab Adolpho Colonienſi Archiepisc. itera- to Caroli Magni diademate ornatus est. Quo & Joannes avocatus, in viâ, confractæ tibiæ simulatione, aliorum exspectationem delusit, Adolphus verò, per submissum Sigefridum Moguntinensem Præsulem, exe- crabilis Innocentii mandato pronuntiatus, sede suâ de- turbatur, & Bruno Seynensium Comes supra laudatus præficitur. Quem cum frustra oppugnata Colonia sede Philippus movere conatus esset, Adolphum tamen Noviesio & Landskronensi arce intercepta tuitus est. An. Ch. 1206.

Philippo coronationem Aquisgrani capranti, Joannes ficto morbo se subtrahit. Adolphus ei hærens excommunicatur, & deponitur.

At Joannes Archiepiscopus, jam solutus anathemate, cum Sigefrido Moguntinensi Coloniam anno insequenti descenderunt, ibique solenni Brunonem ritu consecrarunt. Ubi Seynense castrum rursus Comites à Joanne stipulati sunt, prisco jure possessuri. 1207.

Bruno Seynæ Comes in Archiepisc. Colon. substituitur.

Quo tempore Waldensium hæresis grassari Metis ex Lugduno Galliarum illata cœpit. Qui Pontificis Romani Episcoporumque ac Sacerdotum contemptores, verbo Dei, quod suopte ex S. Bibliis promebant sensu, tantum esse nitendum asserebant, Lutheri Calvinique institutis præluturi. Verùm diversi ab his, quòd, spretis opibus, nudum se cum Apostolis Christum sectari profiterentur. Unde & pauperes de Lugduno vocati sunt, Waldenses ab autore Waldo dicti. Quibus licet Bertrannus loci Episcopus, præstantis doctrinæ

Waldensium hæresis Metis invalescit.

ac pietatis vir, publicis etiam cohortationibus se opponeret; tamen, plebis favore nixi, palam quoque obstrepere non verebantur; quòd severioris vitæ specie & divini verbi spiritusque umbraculo nefariam hæresin occultarent: ut *fraudulentis semper mercibus optimi coloris species obtenditur.*

Philippus cum Ottone pugnâ, proditione Limburgi Ducis vincit, & imperium obtinet.

Posthæc Philippus instauratis viribus in agrum Colonienſem se rursum intulit, cui ad Aquas Otto instructo sese objecit exercitu. Cum Henricus Limburgi Dux, ab eo ad hostem transgressus, insperatò illum destituit, Ottonique vix incolumis fugiendo vita fuit, plerisque ceterorum cæsis captisve. Inter quos, cum & Bruno Colonienſis vinctus teneretur; ipsa quoque urbs Colonia Philippo patuit. Otto in Saxoniam, atque inde in Angliam elapsus est. Philippus igitur, conciliatis sibi principibus, atque ipsi etiam Innocentio, Northusano in Saxonia procerum & legatorum Pontificis conventu, Ottoni filiam & spem successionis obtulit, si regnum cessisset. Verùm Otto non minora pollicitus, vitâ se quam honoribus prius abiturum denunciavit. Unde inclinatis in Philippum Procerum studiis discessum est. Bruno etiam, neglecto Adolphio, missus carcere, Romam pro impetrando pallio discessit: omniaque jam Philippo ad quietè regnandum vidébantur secunda, & quiescens in uno capite imperium. At multos triste solis cal. Martii in ipso meridie deficientis spectaculum conterruit, non vano omine Imperatoris exitio præludentis.

An. Ch. 1208.

Philippus interfectus Ottoni imperium relinquit, qui rursum coronatur.

Philippus Bambergam cum exercitu appulerat, Ottonianæ factionis reliquias persecuturus, ubi dum valetudinis gratiâ, inter amicos, venam misso lanæ sanguine, Otto Palatinus Wetelinsbacensis parricida illum ferro confodit, mox & ipse ultrici manu confectus. Ita momentò tot annorum ambitio morte soluta, Ottoni amissam spem restituit, qui Francofurti in Comitiis Principum, à Conrado Spirensi ac deinde

tensi Episcopo, novo coronantis ac bis coronati exemplo, augustalia rursum insignia sumpsit. Utque Philippi fautores conciliaret, Beatricem ejus filiam, Leopoldo Austriæ & Ludovico Bavariæ Ducibus conciliantibus, Herbipoli sponsam admisit. Moxque traducto in Italiam exercitu, ab Innocentio Pontifice quamvis non paucis, & Philippo quoque Francorum Rege, obnitentibus, imperatorio diademate ornatus est. Sed vix à coronatione digressus, cùm Romanis nescio quid juris poscentibus Germani cruenta seditione colliduntur, 1209.
& Otto indignatus, Tuscos Pontificis agros hostiliter diripit, sacramento licet de tuendo D. Petri patrimonio obstrictus: contraque, ab offenso tantâ levitate Innocentio, Ecclesiæ communione proscribitur, imperiique proceres obsequendi fide absolvuntur. Unde cum Sigefrido Moguntinensi, Joannes Trev. Princeps, Dux Leopoldus, Rex Bohemiæ, aliique eundem aversati sunt. Otto verò dum per Apuliam, Calabriam, Campaniamque arma circumferens Fridericum Henrici filium Siciliæ Regem affligit, spretâ Pontificis commina- 1210.
tione; advocato hic concilio, potestatem contumaci adimit, mittitque in Germaniam, qui Fridericum persuadeant exautorato substituendum.

Romæ etiam coronatus, moxque rebellis anathemate feritur.

Albigensium inter hæc furor hæreticorum, Gallicam Narbonensem, non errore solùm, à Manichæis hausto, de Christo verè nunquam passo, mortuóque ac resurgente, animarumque metempsychosi; sed & ferro ac seditionibus conturbabat: quando adversus hos tenebriones, clarissima duo Ecclesiæ sidera Franciscus Assisias ab Italia, & Dominicus ab Hispana Gusmanorum gente, orbi illuxêre. Ex quibus hic in Galliam delatus, apud Aquitanos & Tolosates, hos lucifugas ac errones egregiè, vel confudit, vel reduxit. Ut veritatem inter & mendacium, ceu diem noctemque, quid interesset, mortalibus innotesceret.

Albigenses in Gallia hæretici proficiunt.

SS. Franciscus & Dominicus contra in Ecclesia orti.

Porrò Germani Proceres Confluentiam collecti ex voluntate Pontificis Ottonem rejiciunt, & Fridericum An. Ch. 1211.

Fridericus Henrici VI. filius pro Ottone Confluentiæ eligitur, Henrico Palatino fratrem frustra propugnante.

pro Imperatore assumunt, quâ fratris ignominiâ Henricus Palatinus vehementer acerbatus, rapto, quem pro fratre regebat, milite Sigefridum Moguntinensem, ut præcipuum autorem flammâ ferróque diœcesi tota, nec sacris quidem abstinens locis, persequitur. Dum interea, pontificio & Genuensium fretus præsidio Fridericus ex Italia in Germaniam penetravit, Constantiæque tantisper rebus suis firmandis substitit. Consecutus hunc Otto Hagenoam usque concessit, utergi Principum populorumque studiis sibi comparandis intentus. Quando Otto, ut Trevirim Henrico fratri, sibique contra Episcopum privilegio immunitatis magis devinctam teneret: publico diplomate exemptam cum nobilitate aliorum servitio, Imperatori illam soli addicit: *tam Milites*, inquid, *quam Burgenses ejusdem civitatis, sub protectione nostra recipimus, & quocunq; per totum imperium nostrum iverint, sub patrocinio nostro, salvis rebus & personis, eos ire & redire volumus &c. Hagenoa 14. cal. Maji.* Quâ libertatis specie urbs deinde subnixa & ab antiquis temporibus repetita, Archiepiscoporum sensim imperium detrectare, multisq; cum iisdem contentionibus decertare comperta est. Quia tamen cives verebantur, ne deserti ab Ottone, offensioni deinde Pontificis, suique Principis manerent obnoxii, alio diplomate, post iteratam privilegiorum confirmationem, promittit, nullam se cum Papa, aliove homine concordiam, nisi Treviris inclusis, admissurum.

Privilegium immunitatis ab Ottone exautorato Trevirensi urbi oblatum.

Joannes Archiepiscopus in Religiosos liberalis.

At Trevirorum Antistes egregiâ liberalitate Religiosorum hominum inopiæ, rebusque consulebat. Himerodensibus adminiculo novi ædificii suburbanis vineis admovendi, veteris amphitheatri ruinas, haud procul á porta alba, indulsit. Quas in suos ipsi usus liberaliter transtulerunt. Ut jam, præter subterraneas ferarum caveas, uniusque & alterius turris fundamenta, nihil ex memorabili hoc opere relictum sit. Schönaugiensis quoque Monasterii cœnobitis, in magnis

rei

rei familiaris angustiis, Liepporni & Waltrodi Ecclesiarum donatione consuluit: preces eorum, uti & Virginum in Parthenone vicino, vigiliasqve & anniversaria sacrificia in vicem pactus. Et sanè proximus, qui eidem fatalis annus fuit; hanc curam non frustra susceptam fuisse, ostendit. Siquidem, vitâ ad mortem piè dispositâ, ad 14. cal. Augusti, decessit. *Sepultus, quod de se constituerat,* ut vitæ ejus autor loquitur, *non in civitate sua præclara. Verùm in cœnobitarum Himmerodensium claustro. Ibiq; humari voluit, non pontificali, ut assolet amictu; sed in obsoleto ac vili indumento, non in oratorio, sed in capitulo, seu religiosa disciplina Gymnasio, anno postquam pontificatum cœpisset* XXIII. Hâc Monumenti sepulchralis inscriptione consignatus. *Hic humatus jacet venerabilis Dominus Ioannes Trev. Archiepiscopus per quem deletum est chirographum maledictionis terræ hujus.** *Qui etiam muro Trevericam circumcinxit civitatem. Mortuus anno MCCXII. 14. cal. Aug.*

An. Ch. 1212.

Piè mortuus Himmerodii in capitulari domo sepelitur.

* *ab Hildegarde prædicta, ex schismate Ecclesiæ inter Rudolphum & Folmarum.*

Ceterùm Joannes quanto totius diœcesis bono incrementoque tam in profanis, quàm sacris præfuerit, vix paucis exposueris. Arcibus illam prædiisque comparatis, ac beneficiario jure in clientes tributis, plurimum auxit. Starckenburgum, Hammum, Uhrena, Claravallis, pars agrorum Lonenbachii ab Henrico Comite Spanheimensi accepta: Virnenburgum à Comitibus Godefrido & Friderico: arces Dudelendorffi geminæ, & tertia Garlantia, à Friderico Viennensi: Entzenburgum apud Nemetes à Comite Calevvio, Castrum Lejanum apud Mosellam, ab Eberhardo & Wernero de Petra fratribus, ad se proprietario jure transtulit, & clientelari iisdem possidendum reddidit. Præter quæ varia ad suam Ecclesiam prædia, villas, pagosque emptione adjunxit. Jus etiam patronatos Andernacensis Ecclesiæ curiamque ibidem, cum universo agrorum, vinearum, decimarumque fructu reduxit. Niderenbergi quoque curiam unà cum reditibus, & Wie-

Variorum clientelis Episcopatum munit.

Jus patronatus Ecclesiæ Andernacensis recuperat.

teliaci decimis, aliisque possessionibus adjecit. Oppida passim, arcesque bello dirutas refecit. Grimburgense castrum, versus austrum metropolis, armentis ferisqve alendis opportunum, amœno in colle, Wadrielam inter & Gottam amnes, excitavit. Immunem quoque Clero suo à vectigalibus Mosellæ Rhenique navigationem præstitit.

Diversis Ecclesiis & Monasteriis beneficia largitur.

Jam verò admirandum quantum unus in diversas Ecclesias beneficiorum contulerit. Metropolitanæ ædis Canonicis jus patronatus Ecclesiæ Perlensis, decimasque ejus loci attribuit. S. Matthiæ Monasterio Pellingensem, S. Medardi, & Hentrensem parœcias; Martyrum Cœnobio Erangiam, Lacensi Crufftiam, cum opimis prædiis, Ecclesiam: Springirsbacensi census Huntemianos: Horreensi Parthenoni Hemelstalium: Lutzelburgensi B. Virginis Santvveilerium tradidit, annuâ omnibus refectione in triclinio ad gratam beneficii memoriam imperatâ. Tribus verò junctim Canonicarum Collegiis, summæ ædis, S. Paulini, ac D. Simeonis, Ochtendunckensis Ecclesiæ census & vectigalia, eâ lege, tribuit; ut veteri instituto Purificationis festo die cum cereis luminibusque: tum verò calendis Maji, templi dedicationi & Tunicæ dominicæ inventioni consecratis, unà trium Collegiorum Canonici, sacra in principe æde officia religiosè persolverent. Porrò lampadis in diversis basilicis, ut SS. Matthiæ, Maximini, Martyrum, aliorumque in diœcesi locorum, perpetuò arsuræ alimenta providit; ut suus divinis sacramentis officiisque honor ac veneratio constaret. Sub eodem Clavus Domini ad dæmoniaci curationem productus, ex quo Cacodæmon coactè professus, hunc esse dexteri pedis clavum, variis aliarum prodigiis sanitatum illustratus est. Adeóque principatus Joannis I. multarum in hac diœcesi rerum novitate memorabilis extitit. Successit illi, consPirantibus suffraganTis Cleri populique calculis, Theodoricus ex Comitibus de Wieda Archidiaconus, & ædis Paulinianæ Præposi-

Trium Collegiorum Canonici sacris communiter officiis addicti.

Lampadum ignis perpetuus in templis.

Theodoricus à Wieda electus.

positus. Vir, qui & laude pietatis, & consilio atque autoritate publicis in negotiis emineret.

Interea cum Otto Trevirorum, aliorumque ad Rhenum nisus ope, Brisaci copiis adversùs Fridericum legendis dat operam, impar denique desertusque, vix fugâ cum paucis evasit in Saxoniam, Fridericus verò Comitiis Moguntiæ institutis, regni curam assumit, ac Theodorico regalia solenni ritu impertitur. Qui reversus, ab Ottonianæ, ut videtur, factionis hominibus, per Nassovios Comites, impetitus, in captivitatem abstractus est. Vitâ vix incolumi; cum ad intentatum ipsi ictum, nobilitatis Confluentinæ miles, raro fidei exemplo, corporis sui oppositione, lethale ferrum exceperit, ac morte sua Domini vitam redemerit.

Regalibus acceptis pœnè interficitur, ni alter excepisset ictum mortemque, captus tamen.

Vigebat etiamnum per Europam orientalis belli, feliciter rursum cœpti, promovendi ardor; cum adolescentes primæ ætatis, puerosque, velut per ludum coactos, denique magno invalescentes per Rhenum inferiorem numero, Nicolaus quidam adolescens Agrippinas, crudeli sangvinarioque natus patre, raptâ, quam humeris ferebat, cruce, omnes latè pueros adolescentesque provocaret, ad redimendam à Saracenis terram sanctam. Qui cum utriusque sexus, parentibus amicisque neglectis, in magni exercitus speciem concurrerent: religiosâ homines credulitate persuasi, Deum Palæstinam, per hanc innocentium multitudinem restitutam velle, commeatum reliquaque ad profectionem necessaria suppeditarunt. At perspicacioribus res illa, vel temeritatem, vel fraudem vita regere, quod ejusmodi ætas, sine viribus, sine sufficienti consilio, sine explorata Dei ope, cum periculo pudoris vitæque, per ignotas sese regiones effunderet. Pars enim per Galliam Massiliam versus, pars Genuam, pars Brundusium ad portus se maritimos conferebat. Cumq; iccirco in rem suspectam diligentius Brundusinus inquisisset Episcopus, didicit à Nicolai Ductoris parente, omnes in servitutem Saracenis venditos. Quare, &

Exercitus puerorum terræ sive recuperandæ specie coit, & dissipatur.

hoc,

hoc, & parente, publico apud Vbios supplicio, sceleratæ proditionis pœnas exsolvente, totâ expeditio, dissipato puerili exercitu, & multorum exspectatione delusa, evanuit, *documentumq; posteris relictum est: facilè decipi, qui stultis ac pueris fidem, in re magna, impendit.*

An. Ch. 1213. Summâ verò ac meliore curâ Palæstinæ recuperationem Innocentius Pontifex animo complexus, legatos in Germaniam, tum instaurandis Ecclesiæ moribus, tum expeditioni urgendæ, denique & generalis Concilii Romæ post biennium celebrandi gratiâ, destinavit. Neque irritus eorum labor cecidit, multorum ad tam præclara consilia inclinatis animis.

Fridericus Imp. Treviris occupatis Theodoricum liberat.

Et Friderico res ex voto adversùs Ottonem fluebant: is enim occupata Trevirorum urbe, & Theodorico in libertatem asserto, hunc sibi unà cum populo facilè adjunxit. Tum verò, cùm Ottonem Flandrorum Anglorumque ope, quorum etiam Principes execratione Romanâ tenebantur, niti potissimum animadverteret Philippum Francorum Regem in armorum societatem pertraxit. Qui exercitu, quanto poterat, collecto in Nervios contra Ottonem profectus, illumque ad Bovinarum pontem obvium nactus, ubi lectissimis illum Ducibus copiisque fretum, ad prælium anhelare cognovit, anxius dubiusque animi, aleamne tam periculosæ dimicationis subiret, hac cogitatione stimulatus denique, contra rebelles Ecclesiæ hostes, ejusque benedictione excluſos, arma se ferre, jamque auspicatum ab Ottonianis certamen intelligeret, galea ac thorace rapto, vicinam D. Petri ædem supplex adit, Deiq; Deiparæ, atque ejus Apostoli ope imploratâ, prælium ingreditur atrocissimum, quod utraque gente, pro gloria, salute ac vita, pertinacissimè, aut stante, aut cadente, Ottoni denique, plerisque Ducum, vel captis, vel interfectis, victoriam, & tantùm non vitam gravi vulnere, certè spem omnem regnandi ademit. Celebri apud posteros Bovinensis juxta Tornacum pugnæ exitu,

1214. Philippus Francorum Rex Friderico confederatus Ottonem Bovinensi pugnâ vincit.

ad

ad quam Otto Johannes Angliæ Rex, & Ferdinandus Comes tantâ triumphandi fiduciâ profecti sunt, ut vinciendis hostibus ingenti numero catenas secum ferreas deferrent; sed quibus ipsi denique victi vinctique colla manusque subdere cogerentur. Tantùm divinæ sæpe providentiæ consilia ab humanis separantur. Ottoni hoc congressu magis viribus, quàm pertinacia resistendi fracto, adhuc temere Theodoricus Colonienſium Antistes cum urbe adhærens, à Sigefrido Moguntinensi anathematis execratione perstringitur. Fridericus verò Imperator Aquisgranum profectus coronam illic à Sigefrido impositam accepit, simulque pro sacra militia crucem sumpsit; sed professam citius, quàm executioni mandatam. Theodoricus Trev. Archiepiscopus cum Henrico Brabantiæ Duce Coloniam Friderico conciliatam aperuit, ubi admisso solenni cives juramento fidem addixêre. Henrico deinde, Ottonis fratri, ademptus à Friderico palatinatus Ludovico Bavariæ Duci collatus est. Cujus tamen filius Otto Agnetem, quæ unica erat Palatini filia, unà cum ditione sibi copulavit. Unde utriusque familiæ stirpisque nata societas est. Et, ut cum Gevvoldo plerique sentiunt, electoralis dignitas non à Palatinis ad Bavaros; sed ab his cum Ottone ad illos transfusa est.

An. Ch. 1215.

Theodoricus Colon. Antistes Ottoni hærens excommunicatur.

Fridericus coronatur, & Coloniæ recipitur.

Palatinus Henrico ademptus Bavariæ Duci confertur.

Clarus hoc tempore, humanæ divinæque sapientiæ existimatione, Absalon Springirsbacensis Præsul apud Treviros eminebat, qui nuper Lutetiâ Parisiorum è S. Victoris Canonicis ad hujus Monasterii præfecturam evocatus, majorem vitæ rigidioris disciplinam induxit, obtinuitque, ut tam hujus Collegii fratres, quàm horum institutioni subjectæ Mariæburgi, & in S. Nicolai Stubæ Insulæ Virgines, carnium usu abstinerent. Eloquentiæ vir hic sacræ monumenta sanè egregia reliquit in quinquaginta facilè sermonibus per solennia anni tempora distributis.

Absalon Springirsbacensis Abbas rigidiorem disciplinam inducit.

Aderat jam tempus indicti Romæ ab Innocentio III. Lateranensis concilii, quo & Theodoricus profectus,

Concilium Lateranense IV. Romæ præsentibus orientalibus celebratum.

fectus, duos ex oriente Patriarchas Constantinopolitanum & Hierosolymæum præsentes reperit, cum Antiocheni & Alexandrini legatis. Episcoporum universè ad 470. Præsulum, ceterorum ad 800. censuêre. Hic adversus diversas hæreses, contráque depravatos Cleri mores, multa consultò sapienterq; decreta fuere. Eucharistiæ & pœnitentiæ usus paschalibus minimum festis imperatus; constitutumque ut triennio quolibet Episcopi, sua in diœceesi, ad disciplinæ instaurationem, provinciale celebrarent concilium, postremò ut prohibita hactenus in sexto consangvinitatis & affinitatis gradu matrimonia, quarto saltem coërceantur. Consultatum deinde de auxiliis orientali Ecclesiæ adversus Saracenos suppeditandis.

An. Ch. 1216.

Fridericus Comitia Noribergæ celebrat. & Engelbertum Colonienſibus firmat Episcopum.

Fridericus etiam Comitiis Noribergæ habitis de imperii tranquillitate, judicorumque publicorum æquitate, bellis turbata, in pristinum statum erigenda deliberavit: tum verò Engelbertum Comitis Montensis filium, nuper Colonienſibus in Theodorici locum præpositum, jure Cæsareo stabilivit: virum integerrimum, & Theodorico Trev. affectu consiliisque junctissimum, illius Ecclesiæ gentisque ac totius decus columenque imperii.

Innocentium subhæc Pontificem vita destituit. Cujus tamen, ut muneris, sic propositi in urgenda orientali expeditione Honorius III. prosecutor fuit. Theodoricus ad eandem ipse socius aspirans, perinquietum bello Henricum Nassovium adhuc tenebatur. Quare adhunc validius suos intra fines continendum, supra Confluentes trans Rhenum horis aliquot in orientem validum in monte, suis circum vallibus munito, castrum excitat (quod postea, ex oriente reversus, *Montem Thaboris* dictum voluit) eóque, velut freno, Nassoviorum licentiam longius sese efferendi continuit. Quin etiam beneficiis devinctos, cum vicina nobilitate, propugnatores hujus sedis admisit, hinc suæ quoque securitati adversus externum hostem consulturos. Ita quod re-

1217.

Theodoricus Montem Thaboris ædificat.

belli-

bellibus terrori obsequentibus præsidio futurum erat. Hospitalem verò Confluentiæ mœnibus urbis, ad Rhenum, imminentem, domum, S. Florini Canonicis debitam, eâ lege Teutonici ordinis militibus cessit; ut hi recepti, & egentioribus Confluentiæ civibus hospitalitatis lege subvenirent, & S. Florini Canonicos, peregrinationis (quæ tum frequens) studio orientem visentes, liberalitate istic suâ foverent. Quod à Conrado S. Florini Præposito, & Wolframo Decano, Archiepiscopo & Pontifice Rom. literis firmatum est.

Teutonicis domum hospitalem Confluentiæ attribuit.

Otto subhæc Imperator vita semel, omnique imperandi spe dejectus est, ob quam imperii hucusq; insignia, Romanæ nondum Ecclesiæ conciliatus, tenuerat, magnâ tamen pœnitudinis significatione, à Siffrido Hildenesheimensi Episcopo absolutionem meritus. Ferturque in diuturno langvore flagellis sese indies, piaculi causâ præbuisse cædendum, ne contractam pertinaciæ labem à morte purgatoriis expiare ignibus atrocius cogeretur. Honorium Pontificem re ac morte cognita illacrymasse sorti ejusdem memorant, humanasque in eo rerum vices miserando persensisse. Henrico tamen fratri, haud levius afflicto (cum nec Ottonis eum casus pœnitentiaque satis fregisset) ægrè Honorius, censuris interpositis, relicta imperii insignia, in quibus diadema & lancea, in Friderici demum gratiam, extorsit.

1218.

Otto quondam Imperator pœnitens moritur. Insignia Imperii Henricus frater ægrè cedit.

Bertholdi Zeringiæ Ducis Trevirensium beneficiarii, & imperii sibi quondam oblati contemptoris, mors hoc tempore infelicior fuit: postquam crudelis & avara, perque omnem rapinam exercita vita fuisset. Qui cum prolis & religionis expers, illâ abiisset, ingentem auri argentique massam, heredum disceptationi rixisq; materiem futuram, reliquit. Ipse, siqua fides spectaculo, ad æthnam in Sicilia montem ignivomum, triumphali à Dæmonibus specie exceptus est. Ita sub mortem ejus nuntiantibus, quos istic Fridericus Imperator ex ministris habebat. Frequens interim etiam per Trevirqs collecta multitudo ad Palæstinæ recuperationem pro-

Bertholdus Zeringiæ Dux, avaritia & rapinis infamis, sine herede infelix moritur.

Ex nobilitate Trev. in Palestinam profecti.

properabat, in quibus Georgius Wiedæ Comes Gerlacus Limburgi Dominus, &, cujus nuper opulentissimus ex præda reditus, Henricus ab Ulmena fuit. Georgius cum Henrico Hollandiæ Comite, per Britanniam in Lusitaniam delatus, cum parte exercitus olyssiponem tenuit, ibique sociata ope, quatuor Saracenorum exercitibus profligandis laudatissimam operam, Aschario etiam castro expugnato, impendit, ac subinde Acconem applicuit: pars Mediterraneum emensa mare Damiatæ obsidioni juncta est.

An. Ch. 1219. At cum Hierosolymorum occupata anno postero, à Saracenis urbs funditus, templo sepulchroque Domini intacto, eversa esset, Fridericus ad expeditionem simulque coronam ab Honorio invitatus, priusquam illa se specie in Italiam transferret, ut Henricus filius etiamnum puer Rex Germaniæ eligeretur obtinuit, quem in Engelberti Colonienſis Præsulis institutione reliquit. Collectisq; sequenti vere Francofurti in Comitiis Ecclesiasticis principibus, ob promptum in sui filiique inaugurationem animum, haud vulgaria privilegia indulsit. Videlicet, ut relictæ Præsulum vitâ functorum opes, in quas imperatorii manus injecerant, successoribus manerent. Telonia, portoria, & monetæ deinceps eisdem inviolata starent, nulla à Cæsaribus novitate dimenanda. Fugitivis, qui Ecclesiæ servitiis obstricti tenerentur, nullus in imperio receptus esset. Spiritualem anathematis gladium, seculari tueri juvaréque gladio fas sit. Nulli Advocatorum Ecclesiæ liceat, invito Antistite, in ejus fundo ædificia, castra, oppidáve statuere. Id sicubi factum, subruantur. Ministris Imperatoris, ullibi in urbe Episcopali jus dicere, vectigaliáque imperare vetitum sit, nisi fortè Comitiorum in urbe habendorum gratiâ Cæsar, octiduo ante & post conventum id exigat. Quæ solenni diplomate firmata & à Sigefrido Moguntino Archiepiscopo imperii Archicancellario per Conradum Metensem ac Spirensem in vicem subscribente, signata fuêre.

1220. *Robertus de Monte ad Sigeb. Chron. & Tabular. Trev.*

Aurea

Autumno deinde Italiam subiit, ab Hugone Ostiensi Episcopo Augustus in D. Petri basilica consecratus, quam thesauro non contemnendo locupletavit; monitusque, illic rursum Crucem sacræ expeditionis tesseram admisit. Sed dum Italiæ primùm, ac deinde Longobardiæ, Apuliæ, Siciliæque, vel armis, vel legibus ad obsequium componendæ sese impendit, neglecta expeditio, multorumque, ac Pontificis denique offensio collecta fuit.

Fridericus Imp. assumta Cruce, Italiæ immoratur. Theodorico in orientem præmisso.

Interea Theodoricus Trev. Archiepiscopus, ceu prodromus imperatoriæ profectionis ex Italia in orientem prævertit, ut exercitui Romano spe venturi Cæsaris animos viresque contra hostes sufficeret. At Friderico, ut Henricus filius, se licet absente, coronam Aquisgrani regalem acciperet, curæ fuit: ipse transalpinis regionibus subigendis intentus, his præ Germania delectatus inhæsit. Diversâ tamen identidem rebellione deficientium jactatus, & ab Honorio excommunicatus, quòd Pontificias ditiones, ob negatam in Sicilia Præsulum electionem, morarum pertinax, non desereret. Ut ambiguum fuerit, promissæne expeditionis in orientem odio, an amore colendæ defendendæque Italiæ teneretur?

An. Ch. 1221.

1222.

Henricus filius Aquis coronatur. Ipse excommunicatur.

Theodoricus redux, post consecratam S. Thomæ Cantuariensis in Eifflia basilicam, recens Virginum Cistertiensium Collegium Affolterbachi à Ruperto Nassoviæ Comite excitatum, suo firmavit diplomate, cavitque sub pœnâ anathematis, ne quis dictis Religiosibus violentas manus admoveret. Quo tempore per Italiam Germaniamque usque ad Rheni ostia, adeò terribili concussæ regiones terræ motu fuêre, ut ædificiorum hominumque stragibus latè omnia squalerent, Romamque velut mutatis elementis sanguinolenta etiam terreret pluvia. Quod terriculamentum, ingens anno proximo grassata per pecudes & armenta contagio, est consecuta, quæ tertiam facilè eorum partem consumpsit. Quando alia major animorum lues

Parthenon Affolterbachensis.

Terræmotus & lues pecorum ingens.

1223.

ex hæresi invaluit, præsertim Albigensium, quorum ducenta in campis Tolosanis millia, unus heros Montfortius, vix duobus fretus millibus, confecit. Quibus tamen aliæ duæ Religiosorum oppositæ acies, hodiedum, illis jacentibus, consistunt. Hi sua in Germaniam quoque hoc tempore vexilla explicarunt, ut quo jam hæreseon tabes penetrarat, sequerentur & Medici. Ex his Dominicani fixa jam Coloniæ Vbiorum sede, Treviri deinde Canonicalem, indulgentibus Metropolitanis, domum juxta orientalem urbis murum reperêre. Siquidem Ernestus summæ ædis Canonicus, Zelique divini vir, & spatiosam illis habitationem, & necessarias cùm basilicæ suscitandæ, tùm alendæ familiæ moriens opes reliquit. Quibus usi, magnâ repentè eruditionis sanctitatisque famâ, Conradus & Joannes illius ordinis viri, & iste Prioris, hìc functus munere, inclaruêre. Ut proindè, qui in reliquo Canonicorum cœtu eminebat, eximiæ indolis spei que adolescens Walterus à Brandeburg Meiseburgi Dominus, laura Cathedralis Ecclesiæ possessione relictâ, arctis sese hujus instituti legibus adstrinxerit, tantumque religione brevi scientiáque profecerit, ut reliquorum in Scholis Doctor, in Domibus caput Priorque delectus sit.

Albigenses magno in Galliis cæsi numero.

Dominicani & Franciscani in Trevirensem diœcesin admissi, egregiis viris excellunt.

Walterus ex Metropolitano Canonico Dominicanus.

Franciscani verò, diversâ licet instituti ratione, ejusdem tamen sanctitatis æmuli, hac quoque tempestate in Lutzelburgicam atque ultra Rhenum in Limburgicam quoque ditionem penetrarunt istuc à Waleramo evocati Comite, huc à Gerlaco Dynasta à sacra expeditione reverso traducti, qui S. Francisci adhuc superstitis contubernalem ex Italia assumpsit. Sedemque eis Limburgi, cujus dominium beneficio Cæsaris occupârat, sua liberalitate fixit.

An. Ch. 1224.

Portuensis inter hæc Episcopus Conradus Egnonis, Germaniam subiit orientalis subsidii promovendi gratiâ, ubi Damiata à nostris vix obtenta inundatione aquarum per hostes immissarum rursum amissa erat, & Hierosolymâ ab hostibus destructa Joannes Re-

Joannes Hierosolymæ

Rex in Italiam ad Pontificis Imperatorisque, cui filiam suam, cum regni titulo, Honorio probante, deferebat, supplex confugit, ac Fridericum Ecclesiæ conciliatum in assensum profectionis impulit. Verùm stantem in procinctu, nova Longobardorum conspiratio metuentem rebus suis detinebat. Portuensis tamen Theodorici Trev. Archiepiscopi familiaritate atque ope fretus, Ecclesiasticæ disciplinæ rationibus, habitis synodis, opportunè consuluit.

Rex Friderico cum filio orientalem coronam offert.

Quando atrocissimum à Friderico Isenburgi Comite, Trevirorum cliente, facinus in Engelbertum Agrippinatum Præsulem perpetratum est. Is quondam Cathedralis illic Ecclesiæ Canonicus, fratre sine herede mortuo, secularis se vitæ reddidit, factusq; Parthenonis Essendiensis in Westphalia ad Rhenum inferiorem Advocatus, opulentas loci facultates iniquè superbéque distrahebat. Cui Engelbertus, supremum ejus Ecclesiæ caput, nequicquam monito, exauctorationem comminatus est. Unde in hunc non levi conceptâ indignatione necem illi cum juratis sibi amicis molitus est, quam Susato ad Svvelmensis Ecclesiæ dedicationem proficiscenti, sicariorum truculenta manu, intulit, ut septem & quadraginta plagis interemptus crudelissimè ceciderit. Monitus Susati de periculo imminente Engelbertus, cum armatos majori posset numero objicere, securus conscientiâ suâ Antistes, Confessione generali noxarum prævia, mortem exspectare, quàm impurare tantùm æmulo flagitium maluerat, pro quo etiam extremâ horæ luctâ, Deum fertur deprecatus. Corpus interfecti Himmerodensis Claustri, qui aderat, cœnobita, cum aliis in Montense delatum cœnobium, aromatibus conditum hinc transtulit Coloniam. Quo Theodoricus Trev. Archiepiscopus accedens turbatam morte remp. tantisper moderatus est, dum Henricus Bonnensis Ecclesiæ Præpositus cal. Decembris in solio est collocatus, qui indictis ab Henrico Rege Francofurtum Comitiis, cum eodem occisi corpus translatum esset,

1225.

Isenburgicus Comes B. Engelbertum Colon. Archiepiscopum occidit.

Plagis 47. confici-tur.

Theodoricus funeri præsens novam electionem urget, & Henricum promovet.

esset, sententiam in percussores talem obtinuit, ut non solùm morti addictus ipse cum complicibus sed bonis exutus omnibus, libera quidem prædia ad propinquos, clientelæ obnoxia ad Dominos devolverentur. Subinde Dei hominumque vindicta in autores conscios que versa est. Waleramus Senior Limburgi Dux & Lutzelburgi Comes, cum Waleramo filio, filiaque Isenburgo nupta, tum Gerardo fratre, qui à morte Engelberti nondum offensione posita, castrum Valentinianum agri Colonienſis occupatum everterant, intra annum omnes sublati sunt, & filiæ quidem cor mœrore extabescens in fabæ modum contractum emarcuerat. Percussores omnes diversis suppliciis capti interiêre. Osnabrugensis & Monasterienſis Episcopi fratres gradu dejecti sint. Ipse Fridericus Romam frustra veniæ gratiâ confugiens redux, ex Leodiensi protractus latebrâ, extra portam S. Severini Coloniæ ipso post annum, patratæ necis die magnis pœnitentiæ argumentis in rotam actus est, pœnas omnes, ut sedecim securis in dorsum ictus, reliquorumque membrorum confractionem, provocatâ etiam tortoris manu, infractâ mente sustinuit, ut tam tetram flagitii labem quoquo modo suppliciis expiaret. S. Martyr Engelbertus, prodigiis ad sepulchrum in æde Metropolitana Coloniensium diversis, felicem vitæ suæ exitum testatus est.

Cædis patratores & conscii à Deo puniti.

An. Ch. 1226.

Isenburgicus atroci supplicio pœnitens interit.

1227.

Henricus Rex pro expeditione Italica militem cogit.

Henricus postea Rex, jussu Patris, institutis Aquisgrani Comitiis, Theodorico præcipuo de orientis, quem lustraverat, rebus consultore, auxilia istic pro Italica & transmarina expeditione decrevit, conjuge etiam Agnete, quæ Leopoldi Austriæ Ducis erat filia, in Reginam consecrata. Quando subtractus vitæ Honorius, Gregorio IX. sedem aperuit.

Quo tempore familiæ Cistercienſis Patres, admirabili D. Virginis ductu Marienstadense Monasterium, ex Veteri Claustro Kirbergensi, ubi stationem, at minus alimentis cœperant commodam, translati occupârunt,

runt. Everhardo Arbergi Castri Comite, & Adelheide Molsbergia fundatoribus, laudante pietatem liberali diplomate Theodorico, Kirbergense claustrum, jam ante, traductis ex Heisterbacensi cœnobio, sub Hermanno Abbate, illius quoque claustri metatore, obtinebant. At loci sterilitate, & rerum necessitate coacti dum vel avitas sedes repetendas, vel transferendam habitationem censent, & pro more ad Deiparæ patrocinium confugiunt; nocte illa, per somnum augustâ specie Abbati oblatâ, florentis spineti ramum manu prætulit, jussitque istic ad amnem Nistriam, locum capere, ubi gelidâ jam brumâ compertus florens ejusmodi, ramus fuisset. Hermannus tantâ ductrice illoq; signo fretus, manè egressus, post aliquot viarum ambages, ramum istic foliis ac flore, inter Februarii algores vernantem reperit, ubi, in Henrici Seynensis Comitis ditione, ad Nistriam oratorium hodiedum in memoriam à Guida Greiffensteinia erectum visitur. Hic igitur Henrico favente, ac Theodorico probante, nova Mariæstadani claustri fabrica, cum eximia basilicæ specie ædificata Religiosis incolis habitationem præbuit, inter circumpositas hæreticorum insidias insultusque hactenus consistentem. Quibus verò ex propinquis Helffensteiniis Molsbergiisque curæ non fuit lacessere innoxios, his rarò audacia impunis mansit, tutante suos illâ clientes, quæ eódem reduxit.

Marienstadensis Monasterii ad Nistriam initia, ex Veteri Claustro translatis Cistertiensibus.

Fridericus porrò Imperator, postquam scripto per Germaniam milite Italiam potius, quàm Saracenos oppressurus intelligeretur, Pontifex illum anathemate rursum perstringit, non ante solvendum, quàm in orientem appulisset, exercitum verò Germanorum clausis Alpibus Italiâ prohibuit. Ergo Fridericus tandem cum præsenti milite, expeditionem est aggressus, Rainaldóque interea Siciliæ Proregi agros Pontificios vexandos reliquit. Ipse cum Sultano pactus decennale fœdus Hierosolymam pæne dirutam subiit, ibique Rex Solymorum coronatus est, templo in Saracenorum ma-

An. Ch. 1228. Fridericus à Gregorio rursum anathemate territus in orientem proficiscitur, & fœdere cum Sultano inito, Hierosolymis Rex coronatur.

nibus relicto. Quibus cognitis Gregorius orientalibus nuntiat, Fridericum non pro amico, sed hoste habendum, & Joanni Solymorum Regi ope consilióque in Sicilia occupanda adest. Sed Fridericus haud multò post reversus, regnum absque armis felici se expeditione tenuisse jactabat, Siciliamque facilè revocavit ad obsequium. Unde, pacem conciliante Leopoldo Austriaco, Gregorius Romæ invisus Fridericum execrationibus liberat, & per illum muneribus exultus, Romanis, jugum detrectantibus, rursum imponitur. Tam ingens *solæ utilitatis ratio, ad remp. vel turbandam, vel pacandam adfert momentum.*

1229.

1230.

Inimicitiæ rursum, & mox pax cum Pontifice, quem urbi rebelli restituit.

Eadem tempestate diœcesis Trevirorum gemino malo, hinc bellorum, inde hæresûm jactata fuit. Illa ferox armis juvenis Waleramus Lutzelburgicus, Seynensi Comite in societatem pertracto, concitabat, in vicinorum etiam agros terrore damnisque transfusis. Has fex hæreticorum ex Galliis aliisque locis emergens, & multis locis magna sectarum diversitate invalescens intulit. Luxuriæ, potenti hominum illecebræ, omnem, in cujuslibet etiam ordinis consangvineos, libertatem faciebant, ut nec frater à sororibus, nec pater à filiabus arceretur. Baptismum alii pro libitu iterabant. Eucharistiam cuivis conficiendam alii credebant: alii improbis Sacerdotibus hanc potestatem negabant: alii Deum non minus peccare, quam hominem, & illum quidem gravissimâ, cum Luciferum damnâsset, injuriâ deliquisse sentiebant. Treviris mulier Lucardis medias inter rogi flammas (quas pertinaces subibant) Deum injustitiæ, ob pulcherrimos spiritus æternum damnatos, arguebat. Urbem, jam ritibus in ea scholis, ad pervertendam juventutem occupatis, invaserant: ut Theodoricum haud levis ad occurrendum nascenti malo cura tenuerit, quam Conradi Marburgii, è Dominicana familia, legati Apostolici solertiâ ac doctrinâ sublevabat, quâ errores non solùm detegere, verùm & confutare aggressus est. Vix tamen

Treviri bello & hæresi turpissima infestantur.

1231.

Dominicani Patres per Conradum Marburgium legatum Apost. hæresin premunt.

men in viri sapientiam integritatemque cadit, quod memorant, abolitum jam ferri candentis, ad explorationem innocentiæ, contrectandi usum, ab eodem reductum. Magistratus hunc fortè imperitior morem alicubi revocavit. Ipso in tanta errorum segete, leviora hæc lolia prætergresso. Cum & Cameraci, & Argentinæ, idem à Cæsario hæresis experimentum adhibitum esse tradatur.

Henricus Germaniæ Rex postquam Comitiis Wormatiæ habitis de rebus imperii, ac præcipuè democratiâ Episcopalium urbium adstringendâ, statuissèt, à Friderico Patre in Italiam avocatus abiit, quòd illi, in omnem jam licentiam, præsertim libidinis, ab Engelberti, & Ludovici Bavariæ Ducis, per sicarios sublatorum morte, effuso minus fideret; quanquam suo adhæc vitæ exemplo calcar adderet. Ut verò antè ab Henrico cum Proceribus Germaniæ deliberata robur obtinerent; hæc adversus urbium Episcopalium libertatem invalescentem decrevit: *Revocamus in irritum, & cassamus in omni civitate & oppido Alemanniæ, communia consilia, Magistros civium, seu Rectores, vel alios quoslibet officiales, qui ab universitate civium, sine Archiepiscoporum, & Episcoporum beneplacito, statuuntur, quocunque per diversitatem locorum nomine censeantur. Irritamus etiam cujuslibet artificii confraternitates, seu societates. Monetâ quoq; suis in locis cusâ comparentur omnia venalia, ut antiquitus fieri consuevit. Anno Dominicæ Inc.* 1232. *datum apud Aquilejam.* An. Ch. 1232. Democratiam urbium Episcopalium Henricus Rex & Fridericus Imp. restringunt.

Dedit & mandata Gregorius Pontifex ad Episcopos, quibus Ecclesiasticæ & religiosæ disciplinæ sedulam eis curam imperat. Ad quam majori Theodoricus industriâ, quàm profectu, suum studium contulit. Joanni etiam Metensium Episcopo cum pertinaci civium contumacia luctanti adfuit, sacrisque abstentos frustra ad obsequium revocare conatus est; quòd armorum successu feroces, violentiâ consilium eliderent; donec mutuis cladibus damnisque fatigati, ad mentem pacem. Metenses suo Episcopo rebelles ægrè à Theodorico ad officium revocantur.

pacemque se reciperent. Theodoricus verò Ciſtertienſium piis conatibus favens illius ordinis Parthenonem, juxta auſtralem Trevirorum portam, ad pontem Leoninum, auſpiciis quondam Hillini Archiepiſcopi, & liberalitate familiæ Trevericæ de Schöler, anno ſalutis MCLVI. ſub Adriano Papa inſtitutum, majoribus proventibus locupletavit; ut nobilibus Virginibus quinquaginta ſub Himmerodenſium diſciplina victuris par eſſet, Gregorio IX. Papa anno VI. ſui pontificatus factum probante.

An. Ch. 1233.

Parthenonem Ciſtertienſium ad Pontem Leonis Treviris promovet.

Dominicani hoc etiam tempore Confluentiam habitare cœperunt, Monaſterio, ut videtur, ante biennium jam inchoato. Quando iſtic haud procul in magna vini annonæque penuria, à Jordano agricolâ perquam humaniter acceptos Cantipratanus memorat, præbito hoſpitibus ex lagena, ægræ conjugi deſtinatâ vino. Quam, ubi poſtridie digreſſi fuiſſent, plenam optimo rurſum liquore, ad curandam uxoris ægritudinem, reperit. Ita *pro Deo aliquid erogantibus, nihil ſolet deperire.* Ipſis verò Paſchalibus hoc anno feſtis prima ſuæ religionis exercitia palam aggreſſi, felix longæ poſteritati ſtatuêre principium.

Dominicani Confluentiæ recepti.

Hæreticæ pravitatis ex hoc ordine inquiſitor Conradus Marpurgius, ſtrenuè ſuo functus munere, Henricum Seynenſem Comitem, de fide ſuſpectum, ad Synodum Moguntinenſem, cum aliis ad dicendam cauſam evocârat. Qui cùm animo ingenioque egregiè inſtructus, objecta facundè dilueret; juſſus tamen iteratò ad audiendam ſententiam comparere. Cúmque indignantius id ferret, Theodoricus Trev. Archiepiſcopus interceſſit, monuitque Henricum ab omnibus pro innocente habendum; quòd nemo eum damnet; par tamen eſſe, ut, in re tam ardua ſalutis, non declinet ſtrictius examen & iterandum judicium. Innoxium nihil poſſe formidare.

Henricus Comes Seynenſis de hæreſi ſuſpectus, coram Inquiſitore Marpurgio Dominicano ſe gemino judicio purgat.

Francofurti igitur anno ſeculi XXXIV. inſtaurata lis, accuratiusque in omnem partem ventilata, Quæ

1234.

res

res quibusdam Procerum ex nobilitate visa indignior. Et quamvis Henricus, evictis calumniatoribus, pronunciaretur innocens; iis tamen, per sacra omnia rogatus impulsusque, cum lacrymis etiam, veniam gratiamq; obtulit; verùm Conradus, Quæsitor Judexque crucis, cum per Hassiam se reciperet, haud procul Marpurgo, ab infecta jam hæresi nobilitate, cum Gerardo socio, inimico ferro trucidatus est. Quem miraculorum deinde clarum gloriâ Albertus Leander in viris illustribus prædicavit.

Inquisitor per hæreticos interficitur cum socio, & miraculis claret.

Henricus porrò Rex ex Italia reversus Popardiam Germanorum Principum Comitium evocat; utque Patrem his invisum redderet, illius in Pontificem repetitam contumaciam exaggerat, suadetque cum Longobardis fœdus ineundum. Sed re Fridericus per exploratores cognitâ, literis fretus Pontificiis pro se adversus filium, subitò in Germaniam advolat, Principibusque faventibus insolentem suâ sorte filium, ablegat in Siciliam: ubi in exilio & carcere infelix, morbone an vi, ambiguum, vitam concluſit.

Henricus Rex rebellis Friderico patri, captus ex Germania in Siciliam mittitur, moriturque.

Theodoricus subinde Himmerodium, vetus decessorum suorum pro sacratioris vitæ instituto diversorium, ingressus, Joannem Antecessorem suum digniori, in Oratorio, tumulo collocavit. Hinc postea ad Imperatoris aulam, indéque cum eodem Marpurgum in Hassiam ad B. Elisabethæ Hassiæ Principis, & Andreæ Hungariæ Regis filiæ sepulchrum, miraculorum virtute celebratum. Ubi illius, jam nuper Beatis Apostolicâ sententiâ adscriptæ, ossa, Fridericus unà cum ceteris veneratus, honoratiori eadem monumento, aureâque coronâ donavit. Prodigiosa multorum sanitas, etiam Trevirensibus illic comperta fuit. Quando Mechtildis apud hos educata Virgo, oculis, lingva, auribusque simul orbata, integritatem Elisabethæ implorare debuit. Helvvigis verò femina oculorum destituta lumine, cœcitatem quoque Elizabethâ propitiâ reliquit. Toga illius, ut infecundis partum, ita parturientibus facilitatem adferre comperta est. Post-

An. Ch. 1236.

Theodoricus Antecessore Joanne honoratius sepulto, cum Friderico Imp. ad B. Elisabethæ Hassiæ ossa veneranda abit.

Miraculis illa claret.

1237.

Conradus IV. alter filiorum Friderici Rex Germaniæ eligitur.

Posthæc Friderico contra Ungaros in Austria pugnanti armatus quoque Theodoricus adfuit; ac rebus utcunque compositis, Viennensibus primò, ac deinde & Spirensibus Comitiis Conradum IV, alterum filiorum ex transmarina conjuge, eligendum Moguntino, Trevirensi, Bohemo, Bavaroque istic præsentibus proposuit, hìc obtinuit.

Traducto in Italiam milite Longobardos & pontificias urbes subigens, rursum excommunicatur.

Mox copiis instauratis auctusque, cùm in Italiam sese Longobardis opprimendis infunderet, resque Ecclesiæ Rom. perturbaret, diras illi per legatos minatur Gregorius, quibus neglectis Longobardiam sibi rursum parere cogit, & Viterbium, Faventiam, Brixiam, Cremonam Ecclesiæ subtrahit. Tum Gregorius, Venetis ac Genuensibus sibi adjunctis, Fridericum proscribit sacris, fideque ejus subditos eximit. At Fridericum Pontifici nuntiasse ferunt:

Roma diu titubans longis erroribus acta,
Corruet, ac mundi desinet esse caput.

Respondisse verò Gregorium:

Niteris incassum navem submergere Petri:
Fluctuat, at nunquam mergitur illa ratis.

Gibelina & Guelfica factio per Italiam exurgit.

Hetruria factionibus scissa, hinc Gibelinos Imperatori, inde Guelfos Pontifici faventes habuit. Quæ pestis tam postea Italiam sparsæ ipsos inter se urbium incolas armis odiisque pertinacissimis colliserunt.

1238.

Synodus Trev. provincialis, quâ Lutzelburgicus Comes excommunicatur.

Theodorico apud Treviros curæ fuit, ut, quà moribus pravis, quà bellis iniquis turbatæ reip. subveniret. Et utriusque quidem curandis provinciali concilio indicto dedit operam, cui, septembri mense, Joannes quoque Metensis, Rogerus Tullensis, & Rudolphus Virdunensis Episcopi suffraganei adfuere. Cumque Waleramus Comes Lutzelburgicus ferox juvenis, cum Rudolpho Mailbergio ob castrum hoc morte Agnetis, sine herede defunctæ, ad Treviros Dominos relapsum) quod sibi vendicatum cupiebat, ferro latè omnia flammisque everteret, neque sacris locis violentas abstineret manus, decreta in publicos incendiarios

diarios sacrilegosque vastatores excommunicatio est, quot dominicis ex cathedra in templis denuncianda. Tum verò Clericis suus præscriptus est habitus, vestis exterior talaris & clausa. In templis verò nec ædituo quidem, nisi lineâ tuncicellâ candidato, incedere permissum. Intonsi, habituque dispari incedentes Clerici, ab omni judicio causæque dictione excluſi sunt. Aleæ, globorumque, & quivis alius indecorus lusus, iisdem interdictus est. Assidua templi psalmodiæque frequentatio, sub pœnâ beneficii amittendi, præcepta. Omnibus denique subditis gravissimè imperatum; ut siquem aliena tradere à prisca fide deprehenderent, ejus quamprimum nomen deferrent. Hæresis verò comperti, quot dominicis festisque, unà cum fautoribus proscripti in templis denuntiarentur.

Statuta illius saluberrima.

1239.

Waleramus ergo, sive his territus, sive aliis in Colonienſem inimicitiis bellisque avocatus, pacem Trevirensibus obtulit, passusque est Kilburgum ad Kilam, seu Gelbin, amnem adversus Mailbergum castrum ex parte cessum, excitari, in clientelâ Trevirensis Ecclesiæ pro ejusdem defensione futurus, Bietburgum quoque Theodorico contra quoscunque hostes aperturus. Vicissim indultum Waleramo, ut Arlunensia & Lutzelburgica feuda ad Irmengardem posterosque transirent.

Waleramus conciliatur Theodorico, datis receptisque beneficiis.

1240.

Interea Gregorii Pontificis in Fridericum anathemata, contráque hujus in Ecclesiam contumacia, haud leves in ea concivêre motus. Plerique etiam Episcoporum ad concilium generale Romam evocati paruêre, Theodorico jam per senium excusato legatos substituente. Quamvis Fridericus quotquot pro Gregorio facerent, beneficiis possessionibusque per Satellites vi deturbaret, Pisanorum etiam navibus Episcopos Genuensium classe deductos, superior virtute, intercepit, ac diversis in Italia carceribus, indignâ captivitate, mancipârit. Theodorico ad calamitatem evitandam profuit, Trevirensium legatos, aliâ officii specie, hostem

Fridericus Episcopos Germaniæ ad concilium à Gregorio evocatos, intercipit, carceribusq; mancipat.

Theodoricus senio impeditus substitit.

ſtem fefelliſſe, ac tranſiſſe innoxios. Unde ſacris ille ſe rebus promovendis impenſius addixit. Memoriam S. Agritii, ut apud Maximinianos honoratiorem efficeret, tam Majoris Eccleſiæ, quàm S. Paulini, ac Simeonis Clerum induxit, ut laudibus iſtic divinis junctâ pietate adeſſent, tum omnibus, feſtâ hac die, Eccleſiam ſub precandi gratia ſubeuntibus XL. dierum remiſſionem in pœnis ſceleri debitis impertitus eſt. Gregorio Papa id factum diplomate publico laudante; ſed hæc ante annum conſtituta infelix hoc anno totius Monaſterii conflagratio excepit, quà recens excitatum ab Abbate, Henrico Broichio ampliſſimum S. Elizabethæ hoſpitale ſimul involutum eſt, fortuitâ incendii fatalis origine. Ità lætis triſtia Deo miſcere uſitatum eſt.

S. Agritii cultum promovet.

Monaſterium S. Maximini cum recenti hoſpitali conflagrat.

In S. Matthia ejusdem ordinis Monaſterio res eodem tempore ſecundioris diſciplinæ ſortisque proventu florebant. Prioris illic munere Otto vir inprimis ſanctæ ſeveræque erga ſe, in alios perquam humanæ, correctionis præerat. Qui cum alienæ valetudinis ſemper ſtudioſiſſimus, tum ſibi in morbo ex Medici voluntate appoſitum pullum averſatus, quòd conſtanter hactenus carnium uſu temperâſſet, ubi converſo ad Deum animo, mortem cibo præoptare viſus; *Domini voluntas fiat*, liberâ voce pronuntiaret, ſublatis in cœlum oculis manibusq; vivere deſiit, omnesq; religione tam ſanctæ obſervationis, morte ipſa probatæ, attonitos reliquit.

S. Matthiæ Monaſterium floret, ſub eximiæ ſanctitatis viro Ottone Prioie.

Quo tempore Dominicani in Treviris ſingulari theſauro ditati ſunt. Demoliebantur cives quadripartitam illam veteris Eccleſiæ molem, quæ ad portam albam ſurgebat, ne fortè hoſti aliquando ad expugnandam urbem facilis eſſet, ideóque ſibi ad propugnandam ſervire cupiebant. Hic in oratorio S. Crucis, S. Theodulphi Rhemenſis Abbatis corpus, Thoma Cantipratano ex S. Dominici familia præſente repertum & ab Archiepiſcopo baſilicæ Dominicanorum inferendum munificè conceſſum eſt. Quod hodiedum, cum hæc ſcribo, tabis expers, ſuâ veſtitum pelle, magnâ ſpectan-

S. Theodulphi Rhemenſis Abbatis incorruptum corpus ex veteri SS. Trinitatis Eccleſia ad Patres Dominicanos translatum.

spectantium religione & admiratione, in elato sacelli tumulo, conspicitur. Arnoldi apud eosdem sancti ex eodem ordine viri memoria est, qui dum Jordanum sui ordinis Magistrum cœlum gloriosè Apostolico septum choro subire vidisset, de sua ipse salute anxius, impensè Deum pro eadem rogabat, cum vitæ ipsi librum, in sinum Christus exporrigere visus, exaratum in eo nomen ostendit. Quanto legentis gaudio, nemo facilè, nisi dignus illius gloriæ æstimator concipiet.

Arnoldus apud eosdem vir sanctus.

Fridericus inter hæc Cæsar Italiam per se, & Entium filium Nothum impositum Siculis Regem, Germaniam verò per Conradum filium infestis armis premebat, cùm Moguntinus & Colonienſis Archiepiscopi ejus fautores, ut detestabiles, armis prosequerentur, ipsique rursum bellis ac vastitate, præsertim à Waleramo Lutzelburgensi premerentur: cujus tamen mors brevi abrupit insolentiam, comitatu penes fratrem Henricum relicto. Theodoricus senectute jam gravis, eis se controversiis, ceu medium tenuit. Vix tamen se tempestati subduxit, quando Conradus Rex Trevirim splendido comitatu ingressus, quosdam istic Sigifridi Moguntini clientes ad pœnam quæsivit; ni suâ Theodoricus autoritate ac prudentiâ Conradi offensionibus interveniſſet. Hinc verò cum aquas Conradus deflecteret, Archiepiscopus secuturus apud Confluentes morbo incumbente substitit, qui illum V. cal. April, ad immortales à morte transmisit. Funus illi Treviris, in æde maximâ, apparatum, corpusque ante D. Martini aram depositum est. Liberalitatem illius in Religiosos, multorum anniversariæ testantur memoriæ. Sanctorum Dominici ac Francisci familiæ per illum primò in diœcesin admissæ. Cuno illius Sacellanus nobilissimam Trevirorum basilicam juxta ædem summam, ipsius favore auspicatus, illustriori hanc firmiorique, quàm tota diœcesi reperias, ex quadrato lapide, eduxit specie, Deiparæque consecratam, & Metropolitanæ ædis Decano subjectam esse voluit, S. Cathari-

1241.

Fridericus in Germania per suos, alios premit, & ipse premitur.

An. Ch. 1242.

Theodoricus Conradum Regem Treviris infestum componit, & Confluentiæ moritur.

Religiosis benevolus.

Cuno ejus Sacellanus nobilissimi templi D. Virginis autor.

tharinæ Virgini Martyrique glorioſæ impensè deditus feſtum illius, feriatumque totâ diœceſi diem, promulgavit. Monclerium, extinctis Dominis caducum, Eccleſiæ patrimonio, & munimentis diæceſanis adjunxit.

Trev. Eccleſiam opibus promovet.

Monaſterii Meinfeldenſem Advocationem ab Henrico Covernæ Domino ære traduxit. Curiam Elrenſem, & jus patronatus Eccleſiarum Edegere, & Lutzeradii, quingentis libris denariorum Metenſium à Spirenſi collegio S. Germani occupavit. Magnâ apud ſummos imosque autoritate Præſul; pacisque, quàm belli amantior, tolerare quandoque injurias, quàm inferre maluit. Eo ſucceſſu, ut levi malorum patientiâ, graviorum plerumque incommodorum ictum declinârit. Suffraganeum ſibi primus, Epiſcopi titulo ac munere creatum, Henricum dictum Oſilienſem Epiſcopum, ſubſtituit; ut ſenectute jam impar officii ſui munus plenius exequendum, in alterius ſimul humeros inclinaret. Quod deinde exemplum Archiepiſcopi plures, ad partitionem Epiſcopalis oneris, imitati ſunt. Conſultius quàm illi, qui ſuſtinere illud impares, quàm in alienos ſimul humeros derivare maluerunt.

Pacis ſtudioſus.

Suffraganeos Epiſcopos titulares primus adhibet.



LIBER

LIBER XVI.

Sedes vacat. Fridericus II. Imp.

IMportuno Ecclesiæ Theodoricus tempore subtractus erat, quando Romana sedes, Gregorio, ac mox Cœlestino Pontificibus, anno hujus seculi primo & quadragesimo, sublatis, duorum principum furori Friderici patris, & Conradi filii exposita, malè jactabatur. Romani Episcopi partim vinculis, partim viis intercepti ad electionem coire, nisi ex Friderici voluntate, non poterant, Trevericus verò Clerus dissentientis nobilitatis, quam populus sequebatur, studia veritus, suo usus jure, Arnoldum summæ ædis Præpositum, Theodorici, ex sorore & Isenburgico nepotem, ut hac dignissimum infulâ, cooptavit. Quod cum Nobilitas non probaret, Rudolphum à Ponte nobilem Treviris incolam S. Paulini Præpositum, Seynæ & Lutzelburgorum Comitum, tum etiam Lotharingiæ Ducum patrocinio freti, eligunt, atque à Conrado Rege, qui Confluentiæ, relictas Theodorici opes, tanquam fisco imperiali debitas, colligebat, facilè regaliâ præoccupant. Tum verò, ex summa basilica, in munimenti speciem aptata, & turre Dominorum de Ponte, Clero magna parte in captivitatem abstracto, palatium, quod Arnoldus occupârat, cum aliis fautorum ejus domibus oppugnant. Ut desperatæ hujus videri res possent: nisi fide constanti, qui per diœcesin arces obtinebant munitionesque (præter Sarburgense castrum, à Rudolpho invasum) Clero Ecclesiæque adhæsissent. Palatium quoque Arnoldus invicta defensorum manu, & submissis per vicinam portam subsidiis, non solùm tuebatur, sed & effecerat metuendum: ut, post datas acceptasque clades invicem, denique agitatum de concordia sit, Rodulphusque, præter omnium exspectationem, Saræburgi castro sibi relicto, Arnoldo Episcopatum

An. Ch. 1242.

Romæ per Fridericum Imp. impeditâ Pontificis electione sedes vacat.

Treviris Arnoldus à Clericis Rudolphus à Laicis electus.

Bellum civile.

Rudolphus ultro cedit, ac moritur.

patum detulerit, ac velut mortis, paucis diebus post obitæ, præsagus, schismate priùs, quàm vitâ abscesserit. Urbs verò hoc civilis belli intervallo ad rem suam usa, à Conrado Rege, præstitæ fidei commemoratione, obtentæ nuper ab Ottone immunitatis confirmationem obtinuit: *Cives*, inquit, *cum personis, & omnibus bonis suis, sub imperii, & nostram protectionem recipimus specialem; per obtentum gratiæ Domini & genitoris nostri, & nostræ; firmiter præcipientes, ne quis eos contra præsentis protectionis nostræ tenorem ausu temerario molestare præsumat. Datum Hagenovv XIIII. Julii.* Quibus, licet, à proscripto damnatoque ab Ecclesia Principe datis, innixi deinde cives literis, immunitatis concessæ libertate frui pro viribus cœpêre, ratipoliticam Cæsaris potestatem, quamvis execrati, constitisse.

Cives à Conrado Rege ab Archiepiscopi jurisdictione exempti.

Sed & Conradus priscâ libertate magis, quam potestate Arnoldum Epternacensibus Abbatem dedit, sacrorum munerum profanus arbiter. Quando apud Treviros suâ jam perfectione, & structuræ, tum nobilitate, tum sublimitate, juxta ædem Metropolitanam sese extulerat basilica Deiparæ, majori quadratorum lapidum forma ab imis fundamentis ad rectum usque emergens, opere prorsus spectabili, & quod miretis unius Sacellani corrogato latè, etiam per diœcesin Colonienſem ære ut literæ à Conrado illius Archiepiscopo testantur. Tectum excelso fastigio in altum assurgebat, quod à me adhuc spectatum, tempestate hujus ævi, formidabili magis vicinis quam noxio casu, dejectum est. Molem totam à plano ad apicem Brovverus *sexcentarum* nonaginta septem ulnarum fuisse scribit: ego verò mendum hoc loco irrepsisse, ac *trecentarum* substituendum esse censeo vel certè pedum, non ulnarum, (inusitatam operum mensuram) adhibendam. Interiori facie egregio columnarum plurium, quas uno stans in aditu vestigio intuearis omnes, opere ordinéque, crucis figuram exprimit; fornicibus

Rex quoque Abbatem Epternaci statuit.

An. Ch. 1243.

Nobilissima D. Virginis juxta summam ædem basilica.

Altitudo eximia.

ex his decorè in altum exurgentibus, ambitumque sub se per totam templi peripheriam colligentibus. Ex hoc in summam ædem ad latus septentrionale, & inde huc transitus, more apud Vbios quoque Moguntiacosque & alios olim recepto, qui Deiparæ summis basilicis ædes associârunt, ut per illam salutem mundo partam, grati mortales hac imagine templorum, recolerent.

Fridericus interea Cardinales adhuc detinebat in carcere, quòd cum Gregorio Romanisque conjuratis adversus se, tanquam hostem Christi, assumpsissent Crucem. Unde quos ex armatis ceperat, his caput in formam Crucis truculenter dissecuit, reliquos vinculis manciparat. Balduinus verò Rex Constantinopolis interveniens, oransque subsidium Fridericum movit, ut libertate eligendi factâ, Ecclesiæ suum caput indulgeret. Electus igitur ex Friderici intimis Anagniæ VIII. cal. Julii Innocentius IV. Quod nuntium ubi Imperatori delatum est: *amicum*, inquit *perdidi, hostem novum acquisivi.* Et verò suâ minimè opinione falsus est.

Electione Cæsar concessâ, Innocentius Papa ex amico fit hostis acerrimus.

Arnoldus Archiepisc. Trev. re cognitâ, Henricum S. Maximini Abbatem Romam, pro Pontificis assensu, pallioque destinavit. Et hic quidem benevolentissimè non solum electionem ratam habuit; sed rarò liberalitatis Romanæ exemplo, pallium gratuitò etiam subnisit, indulsitque, ut obtentis antè beneficiis frueretur, ad dioecesis suamque necessitatem levandam, rebus per dissidium haud modicè attenuatis. Qua humanitate illius contra Fridericum gratiam aucupabatur; hujus exautorationem jam animo complexus, quam hac via executus est.

Pallium Arnoldo gratuitò concedit.

1244.

Ludovici Galliarum Regis sancti favore opibusq; fretus, repentè Genuensium classe delatus in Galliam Lugduni œcumenicum Concilium instituit, ad quod Episcopis totâ Europâ collectis, cum Fridericum ad dicendam caussam nequicquam invitasset, ratam Gregorii

An. Chr. 1245. Innocentius, ope Galli fretus Fridericum execra-

tur, eiq; imperium aufert.

rii sententiam habuit, omniq; imperio indignum exutumque pronuntiavit, ac fide absolutos subditos, etiam si deinde consilio auxilióve adhæsissent, anathemati obstrinxit. Illis verò Principibus ad quos spectabat electio, in quibus tres eminebant ad Rhenum Archiepiscopi, alterius eligendi Imperatoris potestatem fecit. Quorum Herbipoli convenientium suffragiis Henricus Thuringiæ Landgravius, Dux strenuus, electus est. Cui, ut adversus Conradum opes non deessent, XXV. marcarum argenti millia Pontifex submisit, rarâ in Germanos Romanorum liberalitate.

Henricus Thuringiæ Dux substituitur.

Arnoldus inter hæc à Sigifrido & Conrado, illo Moguntiaco, hoc Agrippinate Archiepiscopo Rogeroque Tullensi sacris initiatus, erectam recèns ab incendio D. Maximini basilicam solenni cæremoniâ consecravit, productis ex abdito S. Agricii Reliquiis, & ad venerationem, non sine indulgentiarum invitatione ac merito, Româ approbante, propositis.

Arnoldus S. Maximini ædem consecrat.

Fridericus porrò irarum plenus, dum pontificias ditiones invadit, ad Parmam egregiè munitam hærere coactus, aliam in loco castrorum urbem excitat Victoriam nuncupandam, in qua dum lautissimè omnia, ad delicias etiam voluptatemque, cui sese permitteba, Africanorum commercio fretus instrueret, Parmenses securum ex improviso obruunt, Victoriam occupant, exercitum fugant, immensáque prædâ ditantur, non diluenda Friderici ignominiâ, qui vitam incolumem in munere deputabat. Ita Parmæ palma, cum Victoriâ, obtigit, quam, ne Friderici dici posset, destruxerunt.

Fridericus à Parmæ obsidione, amissa urbe victoria repellitur.

1246. Nec felicius res acta à Conrado in Germania, qui postquam ad dissipanda Francofurtensium Comitia, ubi Arnoldus Archiepisc. aliique Principum ad res imperii constituendas versabantur, cum exercitu properasset, Henricus contra adfuit, fortissimèque pugnans, Conradum turpiter victum, cladis ignominiæque plenum

Conradus ab Henrico quoque profligatur. Sed victor Cæsar moritur.

in fugam avertit. Sed, quæ fuit Germaniæ infelicitas spes pacatioris imperii in herba succisa est, Henrico ex ventris profluvio Isenaci occidente.

Quo tempore & Henricus Seynæ Comes, prædandi licentiâ, latè cum multorum evagatus injuriâ, morte imminente futurique judicii terrore perstrictus, certa assignavit Mechtildi conjugi prædia, ex quorum proventibus omnibus injuriam passis satisfieri voluit, ac denique prædia ad Teutonicæ, apud Confluentes, domus possessionem transire. Ita *mors sæpe bonorum morum justitiæque magistra est, & tum demum rectè vivere incipimus, cum desinendum est.* Seynæ Comes malè parta restituit.

Jam Germania justo gubernatore destituta rursum fluctuabat, quando Petrus Caputius Cardinalis ab Innocentio legatus novæ electionis stimulator adfuit. Cumque plerique Procerum hanc tot periculis objectam dignitatem aversarentur, Henricus Brabantiæ Dux Wilhelmum nepotem Hollandiæ Ducem obtulit, qui Arnoldo, Sigefrido, Conradoque Archiepiscopis probantibus electus, & post Aquisgranum semestri obsidione, quod Friderico hæreret, expugnatum, illic à Guilielmo Cardinale S. Sabinæ coronatus est. Quem nim deinde Arnoldus, ad Trevirorum munimenta receptum, præcipuo studio auxiliisque foveret, haud leve i Palatinis, Conrado faventibus, damnum accepit, præcipuè ab arce Thuronum, quam Henricus Palatinus quondam, pro Ottonis fratris tutela, in Treverico ad Mosellam solo, juxta Alkenam excitârat. Unde Zorno loc tempore, truculenti homo ingenii, præfectus arıs, ingenti sævitiâ in diœcesin sese effundebat, captiıtate ac ferro, in Clerum etiam prægnantesque femiras, grassatus. Cumque expugnari vi locus non posset, lentâ illum biennii obsidione Arnoldus denique n potestatem redegit. Quando Galli sanctioris belli desiderio, cum Ludovico, præstantissimo ejus Gentis Regum, in orientem effusi, Peluſio, seu Damiatâ Ægypti, occupatâ, plerique interiêre, Rex captus ingentique pecu-

Ann. Chr. 1247

Wilhelmus Hollandiæ Dux Imperator legitur.

Quem, cum Arnoldus tuetur, à Palatinis, Conrado deditis, patitur.

1248.

Ludovici Regis S. infelix in terram sanctam expeditio.

pecunia, & Peluſio reddito exemptus, ſine victoria quidem, at non ſine gloria pietatis quâ ſacra loca inviſit, reverſus eſt.

S. Gertrudis, Eliſabethæ Haſſicæ filia Aldenbergenſi Parthenoni præficitur magno ejus bono.

Interea S. Gertrudis B. Eliſabethæ, Landgraviæ Haſſiæ ex Ludovico filia (ſoror Sophiæ Henrico II. Lotharingiæ & Brabantiæ Duci nuptæ, ex qua Landgravii Haſſiæ originem trahunt) à pia quondam Matre Deo in Aldenbergenſi, juxta Haſſiam, Parthenone oblata, & à Chriſtina, Magiſtra loci, ad omnem ſanctitatem formata, hujus morte omnium votis, idem munus adierat. Quod tanto, non ſacrarum modò rerum, ſed & temporalium profectu adminiſtravit; ut multorum freta liberalitate, templi cœnobiique ampliſicandi & illuſtrius extruendi curam ſuſceperit, opibusque ac perſonis auctum ad florentiſſimum ſtatum, undequinquaginta, quibus præfuit annis, eduxerit. Ex quo nondum hac ætate, quantumvis totam viciniam hæreſis pervaſerit, prorſus dejectum eſt, ſed velut roſa inter ſpinetum hodiéque, ſub cura Præmonſtratenſium Romersdorffiana in extremis diœceſis noſtræ finibus ſubſiſtit. Mons hic olim adverſus Hungarorum excurſiones juxta Wetzflariam propugnaculo munitus, litium materies vicinis Principibus, eam ſibi certatim vendicantibus, erat; cum vir Religioſus Godefridus interveniens arbiter, illum ſibi, Dei ſervitio aſſerendum, poſtulat, obtinetque. Atque in ea defixus cogitatione, dum objectum ſibi per ſomnum candidum vidiſſet agmen Virginum, Engelberti Romersdorffiani Abbatis conſilio, ſex ex Wulfersbergio Parthenone Virginum primò deducit coloniam, quorum demum Gertrudis, ut numerum ſanctimoniamque auxit, ita tenuitatem ſublevavit, rigidi iſtius cœli flos rariſſimus, dignaque ſanctæ matris planta: qualis hodie ab Haſſia non exſpectatur.

Parthenonis hujus origo.

Yolanthis Virginis, in ſpreta mundi vanitate, conſtantia.

Yolanthis huic Virgo accenſeri jure poteſt, quæ Viennenſis in Eifflia Comitis filia, & Balduini Imperatoris Conſtantinopolitani conſobrina, dum illuſtri-

bus

bus aptatur thalamis, à Waltero Meisenburgico Trevirensium, ex Dominicana familia, egregio oratore persuasa, sponsa Dei, quàm hominis esse maluit. Quare in vicinum Mariæ Vallis Parthenonem Matre Margareta comitante & piæ fraudis nescià, eâ mente digreditur, ut Virginibus istic sub Dominici disciplinæ sociaretur. Ergo Matre in cœnobii lustratione distenta, ipsa in choro, nuncupatis Deo votis habituque sumpto, læta concinit: *Regnum mundi, & omnem ornatum seculi contempsi.* Quod ubi interveniens Mater attonitaque conspicit, nullâ claustri reverentiâ, filiam per Ministros retrahit, arctæque domi custodiæ mancipat. Nihil toto ab illa triennio, neque blandimentis, neque terriculamentis, Episcopis etiam ad hoc consilium adhibitis, inconstantiæ potuit extorqueri. Ut denique propinqui parentesque invicti spiritum animi sustinere non ausi, ad pristinum illam religionis domicilium redire sint passi. Ubi hisce principiis non imparis gloriæ vitam exitumque, Virago nobilissima, virtute magis, quàm genere, est consecuta.

Monasterium SS. Trinitatis de redemptione captivorum.

Ex hac Comitum familia Henricus, cum Margareta conjuge, Yolæ sive Yolanthis parentes, ut videtur, excitârunt hoc tempore in subjecta Castro Valle, ad Ouram rivum, Monasterium Religiosis SS. Trinitatis de Redemptione captivorum, eò quod Henrici Comitis Pater in orientem profectus, belloque à Saracenis captus, ab illius Ordinis Magistro, suppeditato ad redimendum triste servitium lytro, in libertatem eundem asseruerit, qui testandæ gratitudinis causâ, non solum expensum æs refuderit, verùm & domicilium hoc censu non ignobili dotatum, monumentum alieni beneficii & proprii supereffe voluerit.

An. Chr. 1249 Thuronii arx deditione accepta.

Hæserat jam biennio prope ad Thuronii castrum obsidio, cum Palatinus ad liberandum arma expedit, contráque Arnoldus Colonienſem sibi ad arma Principem sociat. Unde, illo ad resistendum impari, pacta deditio. Utque tutior deinde illius esset adver-

sus Palatinos defensio, pars munimenti Colonienſi ad defenſionem junctim præſtandam ceſſa. Oratorium verò Deiparæ in vicino monte excitatum, tum ad gratam liberatæ patriæ memoriam, tum quòd miles ab hoſte Thuronenſi in arce interceptus, impoſitusque baliſtæ in aërem evibratus, imploratâ Dei parentis ope, iſtic innoxiè depoſitus fuerit. Monti verò Sacelloque Blidenbergi, ſive gaudioſi-montis, nomen relictum eſt. Inde, in fluctuantibus adhuc imperii rebus, Arnoldus urbibus arcibusque firmandis adjecit animum, & quia Dominorum de Ponte Treviris factio, turrisque inclusa mœnibus, haud leves nuper in electione turbas dederat, illam, arctius murorum urbis gyro verſus auſtrum collecto, excluſit, turrimque & portam ex adverſo objecit: Unde ab invidiâ & æmulatione *Niedport* hæc à vulgo dicta eſt, quæ hoc clauſa tempore, cum facti memoria, propemodum evanuit. Confluentiam quoque Advocationis jure exemptam, atque immunitam hactenus, muris turribusque ſepſit. Quibus hoc tempore anno 1672. dum hæc ſcribo dejectis, fortiſſimi munimenti, propugnaculis extra intraque foſſas murosque, certâ lege ac ordine ſurgentibus, ſub Carolo Caſparo Archiepiſc. ſpeciem induit. Et Monaſterium Meinfeldiæ ſuis ex parte mœnibus clauſum. Ita Hardinfelſium oppidum ſuo paratum ære Ecclesiæque Trev. donatum, vallis murisque cinctum; Stolsinfeldenſe municipium cum arce firmatum: Bilichium quaternis adverſus hoſtem inſtructum turribus; Arraſium ex alienatione ad diœceſin revocatum: Urticenſe caſtrum ab hoſtili manu vindicatum: Palatiolum elegantibus operoſisque ſtructuris communitum, ut cetera ſilentio præteream.

Oratorium Deiparæ in monte frequens, ad prodigii memoriam ſpectat.

Arnoldus mœnibus urbis contractis domum de Ponte excludit.

Porta invidiæ.

Confluentia muris turribusque munita, præter alia oppida.

Wilhelmus verò Rex, ubi Aquisgrani coronam accepiſſet, inter tres Archiepiſcopales Rheni Principes Sigefridum, Arnoldum, & Conradum, Leodium progreſſus, S. Lambertum iſtic in principis aræ conſecratione, per Innocentii legatum Caputium facta, ve-

Wilhelmus coronatus. 1250.

Nec-

neratus eſt.

Nec multò post nuntium adfuit Friderici in Apulia extincti, non tamen sine pœnitentis animi argumentis, ut multi in morte oculos, dum claudendi sunt, aperiunt. Ergo Conradus priusquam Italiam adiret, ultimam cum Wilhelmo pugnæ aleam subiturus, eidem haud procul Oppenheimio copias oppositit; sed, acerrimo licet prælio, inferior, terga vertit, Germaniæque possidendæ spem deserens, Italiæ Apuliæque sese intulit; ne dum plura simul regna captaret, excideret omnibus. At Germaniæ Principes, neque Wilhelmo satis virium ad imperii totius defensionem suppetere rati, ut factionum robur inciderent, mutuò ligati conservandæ reip. fedære, armis copiisque misêre instructos Duces, qui in rebelles factiososque ac prædatores, prompto ubique se milite inferrent, nascentesque seditiones in primo semine eliderent. Quæ res tutum diu omnibus, ac Wilhelmo facilè imperium præstitit, cum Principes Rheni omnes fidem operamque hoc in federe mutuam addixissent.

An. Chr. 1251. Fridericus pœnitens, ut creditum, moritur.

Conradus fil. prælio victus Italiam petit.

Germaniæ Principes fœderati invicem.

Arnoldus deinde sub vernum tempus, cum Wilhelmo Rege, avocatus à Pontifice Lugdunum in Galliam regifici apparatus Comes profectus est, magnáq; istic benevolentiâ ab Innocentio cultus, liberalitatis suæ in exulem id temporis Pontificem ejusque aulam egregia argumenta reliquit, Wilhelmo etiam à Pontifice reditum in Italiam meditante, corona imperialis, ut primùm transisset Alpes, promissa est; sed discrimen Germaniæ factionibus adhuc corruptæ Wilhelmum retinebat, ne, dum in Italia coronam quæreret, amitteret in Germania.

1252.

Innocentius Wilhelmum cum Arnoldo Lugduni excipit.

Et certè Arnoldus redux jam turbatam, juxta Loganam amnem, ab Everhardo de Lapide, remp. invenit. Is enim ante triennium arcem suam cum agris Ecclesiæ beneficium profiteri jussus, nunc palam obnisus, detrimenta non pauca intulerat, protervius etiam in Archiepiscopi nomen invectus. Unde re in judicium vocata, ducentarum librarum æris damnatus, pro bri

1253.

Everhardi Domini à Lapide rebellio contra Arnoldum castigata, exemplo raræ pœnitentiæ.

bri expiandi insuper gratiâ, à fori Trevirensis Cruce nudipes, cum quadraginta è nobilitate viris, eorumq; liberis, supplex metropolitanam adire ædem, pronusq; ad Archiepiscopi pedes accidere, veniamque delicti exorare jussus est. Exemplo pœnæ, in quo non tam pravitatis suæ, quàm demissionis obsequiique erga suum Antistitem Ecclesiamque documentum posteris admirandum exhibuit.

1254. Conradus Rex interfecto fratre, ab alio fratre Notho interficitur.

Sequens annus & Pontifici Innocentio, Alexandro IV. succedente, & Conrado Apuliæ Siciliæque Regi fatalis fuit. Hic enim, cum, Entio jam à Bononiensibus capto, ferreaque in cavea sublato, Henricus frater Siciliæ regnum obtineret, Apuliâ non contentus, hunc nefariè interemit, moxque ipse à Manfredo fratre Notho, pari exemplo, per venena sublatus est, relicto in Germania Conradino filiolo. Cujus vel infantiam vel mortem causatus, regnum Manfredus, Neapolitanis licet cum Pontifice repugnantibus, occupavit. Qui Gallos denique, Manfredo impares, ad regnum evocârunt.

An. Chr. 1255. Wilhelmus Cæsar in Frisios pugnans cadit.

Et Wilhelmum Germaniæ Regem, adversus Frisios Hollandiæ infestos brumali tempore pugnanti, cedens, quam equo pervolabat, glacies hausit, hostibusq; ex vicinia incumbentibus jugulandum obtulit. Unde rursum imperialis corona, hinc Germanis declinantibus, inde prensantibus exteris, velut pomum Eridis, objecta est, hæsitque diu anceps cui deberetur. Arnoldo Trevirensium Archiepiscopo cum quibusdam Principibus Alphonsum Arragoniæ Castellæque & Legionis, scientiarum gloriâ Regem clarissimum, nulla remunerationis spe, designante; contráque Agrippinatum Præsule Conrado, cum Gerardo Moguntinensi & Ludovico Palatino, auri fulgore captis, Richardum Joannis Anglorum Regis fratrem deposcentibus. Tam diversa hominum, ad capessendum imperium sententia fuit, ut quod alii, oblato etiam pretio, defugerent: alii, hujus profusione, captarent.

1257. Imperium diversis oblatum, Richardus Anglus pecuniâ emit

Richar-

Richardus, ut propior, ita ad capescendum imperium expeditior, Aquisgrani à Conrado coronatus postquam Arnoldum XV. marcarum millibus oblatis corrumpere non potuisset, armis & favore reliquorum Principum auro conciliatorum terruit: donec tandem cum pecunia exhaustus favor, ubi Germanis se viluisse conspiceret, in Angliam vacuus nummorum & honoris rediit, ubi bellorum fratris administer, ignobili fato in urbis obsidione jaculo confossus occidit. Alphonsus, licet imperii cupidus, periculum tamen capescendi, anxius de eventu, declinavit. Ita Germania deniq; electorum imperantiumque inconstantiâ, populorum verò libertate eò recidit, ut nemo illi imperare, vel posset cum desideraret; vel desideraret cum posset.

1258. Arnoldus recusat oblatum pretium & Richardus brevi spretus fugit ac perit, vacante imperio, quod nemo cupit.

Contra Orientis imperium, nimia imperantium copia studioque intercidit, Balduinus Junior, pronepos Balduini majoris, Flandriæ Comitis, Constantinopoli supererat; sed vilis Imperator, cum Saraceni maximam partem orientis tenerent, Græci & Latini facilè VI. regnis dividerentur, Peloponesi Rege Bonifacio Marchione Montferratensi; Athenarum Godefrido Trecensi; Niceæ Bithyniæ Theodoro Commeno; Trapezunti, in Ponto, Davide & Alexio fratribus Andronici; Thessalonicæ Theodoro Angelo. Qui, cum nullum quisque, præter se, imperare cuperent, nullique nisi sibi amici fidique viverent, rem totam brevi pessundedere, Michaele Palæologo denique per fraudem Constantinopoli egressu Balduinum excludente. Qui iccirco nudus, velut è naufragio, in occidentem anno seculi XIII. sexagesimo primo rejectus est.

Imperium orientis in plures divisum perit. Balduino ultimo à Palæologo per fraudem excluso.

Arnoldus interea undesexagesimo ejusdem seculi anno Idibus Nov. mortalis hujus vitæ metam Thabotina in arce attigit, Treviris, haud procul ab avunculo Theodorico ad sinistrum odei latus, depositus, geminum cum illo hujus Ecclesiæ sidus, post cujus occasum, nova rursum tempestas ambitionis eligentium studia dissipavit. Laudatum in Arnoldo pacis ac Religionis

An. Chr. 1259.

Arnoldus moritur.

Religionis studio laudatus.

studium, quo gratus omnibus, inprimisque, Clero dilectus fuit. Poppardiæ nobilem cætum Virginum, Montis S. Mariæ Nenningensis, Ecclesiæ divite censu locupletavit. Parthenonem D. Gervasii, qui nunc S. Agnetis nomen sustinet, primus instituit, suisque firmavit opibus, & legibus ad vitam religiosè traducendam præscriptis. Quibus tamen cum sensim abirent, ad D. Augustini regulam, & regularium Canonicorum curam, hactenus laudabiliter impensam, traductæ sunt.

Fundator Parthenonis S. Agnetis Treviris.

1260. Clerus deinde, turpi sententiarum dissidio, hinc Arnoldum de Scleida, inde Henricum Bolandinum, utrumque Archidiaconi functum munere, Præsulem constituunt. Qui dum Romæ causam agerent: ille per instructos procuratores, hic per se ac Theodoricum S. Matthiæ Abbatem, Henricus de Finstinga Metensium Decanus, Romanæ, & præsens, & gnarus curiæ, ubi familiari utriusque partis usu, quæ cuique obstacula ponerentur, didicisset, præcipuis, ex Cardinalium sibi faventium collegio, persuasit, & per hos Pontifici, vitio utriusque electionem nullam fuisse. Cumque ipse laudatus pro hoc munere Alexandro esset, hic palam in Senatu Cardinalium, utriusque electionem irritam, & Henricum Archiepiscopum, ceu devoluto jam ad se Cleri jure, pronuntiavit. Quod quâ admiratione quôque animo ab utraque partium exceptum sit, non facile dixeris. Sed Alexandro hoc judicium inter postrema fuit, Urbano IV. ab illius morte Cathedram adeunte. Tulit indignissimè repulsam Arnoldus, omnemque iccirco in Theodoricum S. Matthiæ Abbatem, quem obfuisse maximè suspicabatur, indignationem effudit; utque potentius ei noceret, Finstingii partes, ceu fautor, amplexus, obstitisse & huic maximè Theodorico, atque etiamnum adversari persuadet. Unde cum jam exceptus ille ab urbe Cleroque, quanquam pallio nondum habito, tanquam Archiepiscopus ac Princeps fuisset.

1261. Schismate electionis in Treverico Clero enato, Henricus Metensis Decanus, astu delusis ceteris, sedem occupat.

fuisset, rapto milite, quem pro Walteri Gerolseckii Argentinensis Episcopi præsidio legerat, repentè hunc in S. Matthiæ possessiones diripiendas vertit, adeò ut nec religiosis quidem tutam habitationem relinqueret; sed his Monasterio ejectis, quærendum in urbe esset diverticulum. Qua de re cùm Romam à Theodorico justæ querimoniæ emanassent, constituti primùm ex Patribus Franciscanis Quæsitores causæ fuêre, Quibus cum ad munus exequendum non liceret esse tutis, ad summæ ædis Præpositum Simonem Theodorici fratrem directæ Pontificis literæ, quibus in Cleri Synodo prælectis Henricus, tanquam Pallii expers, & variorum insimulatus facinorum, sacris per diœcesin muneribus abstinere jubebatur, dum Romanæ sedi se suaque probasset.

1262. Qui Theodoricum S. Matthiæ Abbatem immeritò cum Religiosis persequitur.

An. Chr. 1263. Theodoricus causam suam Romanis probat, & Henricus arcetur sacris.

Ad quam censuram usque adeò excanduit, ut per ministros violentas manus literarum prælectori injiceret, & non solùm Theodoricum, sed & Robertum ejus fratrem, SS. Martyrum Abbatem, officiis submoveret, aliis solutioris vitæ Monachis in locum surrogatis. Et D. Matthiæ quidem, reclamantibus cœnobitis, Wilhelmum Meisenburgium nobiliori genere, quàm virtute, inter Maximinianos Religiosos admissum, ferocem dissolutumque juvenem, præfecit. Qui plerisque incolarum profugis, paucos tantùm liberioris vitæ assecias secum traxit, brevique helluatione, ac pretiosissimarum quarumque rerum, etiam sacrilegè templo ereptarum traductione, locuples monasterium fœdâ paupertate mersit; ut raptorem decoctoremque, pro Antistite, accepisse videretur. Ægidius Manderscheitius interea ad SS. Martyres rerum potitus, majori tamen modestia præfuit. Theodoricus verò Lotharingiæ Ducis, & Lutzelburgici Comitis favore nixus, suam, cùm Romæ, tum apud Treviros causam probabat omnibus, jamque legatus Pontificius Joannes Glandarensis ex diœcesi Metensi Abbas, in Cleri Præsulumq; Synodo, autoritate pontificia, Henricum omni jurisdictione

Qui indignatus tam in S. Matthia, quàm ad S S. Martyres ubi Robertus Theodorici frater præerat, alios Abbates substituit, & illic quidem decoctorem rerum Meisenburgium.

dictione privatum Meisenburgium & Manderscheidtium muneris dignitatisque omnis inhabiles, Theodoricum & Arnoldum veros, restituendosque in locum, Præsules edixit. Cum Henricus denique, neque vires, neque autoritatem esse sibi, ad his omnibus resistendum, animadvertens; ne Archiepiscopatu excideret, vela vertit, ac dejecto per vim armatam, (neque enim consilio apud hominem locus) Meisenburgico, suumque in claustrum, ubi velut execrabile omnibus monstrum occurrit, retruso, Theodoricum redire jussit fratremque; ac cœnobitas reductos omni humanitate complecti, errorisque veniam poscere, & moliri omnia cœpit; ut Pontifici conciliatus, frui, per fraudem captatis, & malè hactenus usurpatis, honoribus posset. Quâ spe fretus ipse denique Henricus Romam sese, ad purgationem caussæ, palliumque cum anathematis absolutione consequendum, transtulit. Quando Urbanus hac mortalitate defunctus Clementem IV. successorem habuit. Qui cum amissis Romæ actorum tabulis, à Theodorico novam caussæ instructionem postulat. Dum ea in re distinetur, ab Henrici fautoribus Phaffendorffiis, in captivitatem abstractus, ferreis vinculis barbarè oneratur. Unde Clemens, facinore cognito, Henricum quoque sua in curia clausum tenuit, ac post ventilatam diu caussam, variis criminationibus obrutum, sede Treverica indignum pronuntiavit, ejusque in locum Bernardum de Castineto spectatæ prudentiæ industriæque virum Palatii sui Auditorem in administratione substituit.

1264. Henricus ad mitiora consilia versus, restituit Abbates.

An. Chr. 1265.

Theodoricus ab Henrici fautoribus, hic à Pontifice captus tenetur.

1267. De Castineto administrator Ecclesiæ Trev.

Hic, ad evitandas Henrici fautorum insidias, in Lutzelburgici sese Comitis fidem transtulit, Sigilloque ab Officiali Trevirensium postulato, diœcesin sub hujus tutela administravit. Cum verò inflictis Theodorici adversarios anathematis graviter premit, Clemens Romæ mortuus incepti muneris vim suspendit. Interea cum divisis etiam Roma studiis secum in electione dissidet, lapsus è custodia Henricus Trevirim evasit, atque

1268.

1269. Henricus fugâ evadens Theodori-

atque istic juxta Saravum flumen apud Consangvineos Finstingios substitit, dum Theodoricus è Thuroniæ arcis captivitate, dimissus libertatem obtineret. Tum verò, tanquam se invito id perpetratum esset, huic sese purgare, gratiam amplis etiam captare muneribus, inprimisque Theodorici fratrem, rerum capitalium apud Lotharingiæ Ducem præfectum, largitione profusâ demereri. Quo potissimùm agente, in gratiam pacemque, si tamen Romana probaret hanc curia, mutuò juravêre. Et hac arte Henricus res lapsas rursum erexit.

cum liberat, illiq; conciliatur, ac res suas instaurat.

Periit hoc anno, luctuosissimo in theatrum spectaculo productus, Conradinus Conradi Regis Germaniæ & Siciliæ filius, regni hujus verus heres, & Gibellinæ Suevorum familiæ ultimus. Causam fati paucis accipe. Manfredus ex Friderico Nothus, ut supra vidimus, occupatum regnum, contra Pontificem adversantem, tuebatur, armorum felicitate superior. Unde Clemens Carolum Andegavensem Ludovici Gall. Regis fratrem in auxilium evocatum, victoremque, Siciliæ Regem, sibique vectigalem, annuo 40. millium aureorum tributo, constituit. Quo etiam, Manfredo in pugna ad Beneventum cadente, potitus est. Sed haud multò post Conradinus, jam sceptro maturus, ex Germania cum ingenti exercitu avitam repetiturus coronam adfuit, tamen ex victore victus, in manus denique Caroli captivus venit. Qui regii generis æquitatisq; immemor, eum unâ cum Friderico Austriæ Duce consangvineo, publicè cervices ferro Carnificis subjicere coëgit, ac miseratione tam probrosi immerentium supplicii ingentem Francis indignationem concivit. Quæ & ipsis denique in Sicilia longè gravius vesperis, ut ferunt, siculis exitium peperit.

Carolus Ludovici S. Regis frater, regno Siciliæ à Pontifice donatus, Conradinum heredem victum interficit.

Tandem quoque Romanorum dissidia in Gregorii X. electione quievêre. Utque caput Ecclesiæ restitutum Theodoricus comperit, Romam de injuriis ex captivitate acceptis (quam ingenti pretio redemerat)

An. Chr. 1271.

rat) aliisque Monasterii damnis; quæstum abiit, Henricoque consequente, & in gratiam recepto, obtinuit, ut & lytrum à Præfecto arcis refunderetur, & Henricus sibi mille libras Trevericæ monetæ, damnorum levandorum causâ refunderet. Ita probante Gregorio pax utrimque & amicitia sacramento firmata est. Quæ tantis deinde amoris benevolentiæque mutuæ argumentis culta est, ut dubites; odiorúmne, an amicitiæ certamine vicerint. Henricus verò Pallii honore, sed pretioso & triginta trium marcarum (quæ solidos singulæ XII. facerent,) millibus parato, ad suos reversus reip. sese commodis seriò impendit. Meisenburgicus verò, domi forisque detestabilis, mœrore in primo ætatis flore contabuit. Nec ceteris fautoribus, iis præcipuè qui sacrilegas Ecclesiæ D. Matthiæ manus admoverant, divina vindicta defuisse visa est. In quibus Joannes de Ponte oculis captus, apertis nil deinde luminibus vidit. Et Joannes de Novo castro in ipsa D. Matthiæ prædiorum invasione excœcatus, ubi domum reductus esset, & uxorem, & utrosque filiorum, eâdem cœcitate percussos, lamentari sortem miseram audivit; ut omnes intolerabili mœrore nondum evoluto hoc anno consumpti sint. Qui quidem septuagesimus sextus hujus seculi fuisse videtur; quando monasterio Wadegacensi jus patronatus Ecclesiæ Beringanæ contulisse Joannes, pœnitentiæ, ut apparet, gratiâ, cognoscitur.

1273.

Theodoricus Romæ compensatione aliqua damnorum impetratâ, cum Henrico, depositis odiis, amore mutuò contendit.

Adversarii Theodorici, & cœnobii dissipatores à Deo puniti.

Henricus porrò, ut damna Episcopatui per dissensiones illata utcunque pensaret, Molsbergium trans Rhenum castrum cum peculio suo D. Petri opibus adjecit. Quod beneficiario deinde jure Diethero Molsbergio relictum est, cujus posteris extinctis ad Ecclesiam rediit. Epternacum verò profectus, delectatusque pathetica saltantium processione, quadraginta iidem dierum indulgentiam largitus est.

Et Gregorius denique turbatis Germaniæ rebus consulturus, electionem novi Regis suasit Principibus, qui

qui Francofurti collecti Wernero Moguntinensi, tam Henricum Trevirorum, quàm Sigefridum Agrippinatum impellente, fortem magis, quàm opulentum Comitem Rudolphum Habspurgum elegêre, ceteris etiam principibus spe nuptiarum, quas in filiabus laudatissimis ostentabat, facilè assentientibus. Henricum in hoc Comitio mille octingentis armatis spectabilem comparuisse ferunt.

Rudolphus Habspurgius Comes Austriacæ familiæ auctor, eligitur.

Aquisgranum subhæc, magnâ Principum coronâ septus, Rudolphus adiit, ibique à Sigefrido Vbiorum Antistite coronatus: cùm ceteros Principum, ad præstandam obsequii fidem, quorundam absentiam causantes, hærere vidisset, arrepto ex ara *Crucis signo*; *hoc igitur*, ait, *mihi pro Sceptro futurum est.* Quo ipsius Zelo moti, crucem exosculati, Sacramentum dixêre. Concesserat inter hæc Lugdunum in Galliam Pontifex, alterumque illic Concilium generale, pro terræ Sanctæ defensione suadendâ indixerat. Ubi firmatus quidem regius honor Rudolpho fuit, invitatusq; ad Romanum diadema est; sed neque pro Italia, neque pro Oriente, opes, Germanorumque concordia suppetebat. Et de ista quidem illud Vulpis in Apologo ad Leonem, invitantem suam in foveam, usurpare solitus:

An. Chr. 1274

Rudolphus coronatus, hærentes in obsequio præstando Principes, rapto Crucis signo, impulit.

Antrorsum video vestigia, nulla retrorsum.

Quòd Romanis Imperatoribus nunquam tutum fuisset Italicis turbis bellisque misceri. Orientem rebus imperii nondum compositis adire periculosum; cum gravis illi Ottocarus Bohemiæ Rex dignitatis æmulus immineret. Sed nec vires tantæ expeditioni suppetebant: cum interregni tempore quique Principum, ut supremus suarum ditionum gubernator, ita ad se publica imperii Vectigalia opesque, solis Imperatoribus ante debitas, pertraxerat, quibus omnibus singulos dimoveri perquam visum difficile.

In Orientem & Italiam invitatus detrectat, Ottocari in Germania metuens.

Deflexit haud multò post Boppardiam in Treviros Rudolphus, ubi cum Moguntino & Colonienſi Archiepiscopo Trevirico quoque adfuit, constitutumque de juri-

1276.

Rudolphus Boppardiæ cum Trevirico aliisque Principibus de clientela constituit.

juribus controversiisque diversis fuit. Atque in ceteris; ut si beneficio affectus cliens, intra annum feudi Dominum authorem non agnoscat, dum legitimo impedimento non tenetur, anno proximo censeatur privatus, quo nisi recuperare studuerit perpetuò exuatur. Quod decretum in tabulas relatum, exhibitumque postulanti Henrico fuit. A quo deinde tempore, adversus Ottocari Regis vim, Austriaci Rudolphus belli curas suscepit.

Kylburgense Canonicorum Collegium erigit Henricus, & post nimium vacat profanis.

Henricus verò postquam ad Gelbin, seu Kylam amnem, Kylburgense Canonicorum Collegium, excitato à fundamentis templo, constituisset, dicassétque Dei Parenti, Canonicis in hunc locum accersitis, totum sese ad diœceses suæ facultates amplificandas, clientelisque ac munitionibus firmandas convertit, tuendæque has curas ac propagandæ religioni præposuit: damnando sanè in Principe Ecclesiastico exemplo, qui propter Ecclesiarum magis, quàm arcium curam, nisi quantum ad necessariam suorum propugnationem facit, reip. impositus est. Berencastellum ad Mosellam muris concludere aggressus, in oppidi speciem eduxit, & firmissimi operis, ubi rupes assurgit, arce castroque, vel bello, vel antiquitate collapso, rursum munivit. Quod oppidum situ regionis opportunum, vitiferis juxta montibus, plumbique venis locuples, commerciorum usu celebratur. Templum, in fluminis conspectu situm structuræ apparatu extollit elegans, Sanctorum Martyrum Reliquiis nobilitatum. A Berone olim Castelli origo nomenque manavit. Cui alludens ex Germanismo posteritas, ursam insignibus urbis præfixit.

An. Chr. 1278. Ottocarus Bohemiæ Rex Austriæque Dux, à Rudolpho victus Austriam pactione cedit.

Rudolpho interea cum Ottocaro, seu, ut alii, Odoacro Bohemorum Rege, Austriæque Duce acre certamen erat. Quod is ministro, ut quondam Rudolphus fuit, clientis specie subesse tergiversaretur. At semel bello victum coëgit Austriam cedere, & feudis recognoscendis, ut Domino, se submittere. Quod dum privato in tentorio se facturum recepisset, demissis repentè

pentè velis, flexo ante Imperatorem poplite totius exercitus oculis objectus est. Quam confusionem superbus Rex adeò indignanter tulit, ut maximo rursum instructus exercitu Rudolpho se objecerit, iterato, non tantùm conflictu victus, sed oppressus etiam, Austriamque universam Rudolpho ejusque posteris, celeberrima Austriacorum hucusque ab illo deducta stirpe, reliquerit. Porrò Ottocari hujus uxor Margarita Austriaca, quæ has ipsi terras conciliaverat, tacenda nobis non est. Hæc enim Leopoldo Duce nata, Henrico VI. Friderici II. filio in thalamum splendidissimo nuptiarum apparatu Noribergæ tradita, à morte conjugis, & ipsa mundo mortua, Trevirim sese in B. Catharinæ, Dominicani instituti, Parthenonem, abdiderat, sub velo sanctimonialis Deo servitura. Verùm Romani Pontificis hortatu, & Ottocari desiderio, quo Austriam non minus, quàm ipsam prensabat, è monasterio ad matrimonium illius infelicibus auspiciis traducta, haud multò post fastidita, pellicem suo in thoro videre coacta est, nec monialis jam, nec vidua, sed, sine conjuge, maritata.

Rebellis dein in prælio occiditur.

Margarita Austriaca ex Moniali Trev. Ottocari rursum conjunx infelix.

Porrò, ut Trevericis alicubi Monialibus consultum de institutione ac disciplina esset, Henricus Archiepiscopus Seynensi Abbati Monasterium nobilium Virginum, quod Portæ Angelicæ dicunt: Himmerodensi verò aliud Wallersheimense moderandum commisit. Ac subinde Henrico Salmensi Comiti, post difficile, quod cum Wernero Moguntinensi Principe bellum gesserat, æris vacuo, trecentas libras pro fundis Berencastellanis & Montisvillanis obtulit; vicissimque à Hunolsteinianam arcem se clientelari ab Henrico jure possidere professus est, Meginense posthæc castrum, tractu Meinfeldico, ad fastigium eduxit, quod ævo paulatim, adjectis ædibus mœnibusque crescens, oppidi speciem induit.

Henricus Monialibus Moderatores providet.

An. Ch. 1279.

Clientes comparat, Castra extruit, urbes munit, Confluentiam subigit.

Subinde Confluentini municipes impositio urbi quod Henricus moliebatur Castro, suam sibi accidi li-

1280.

bertatem indignati, cum nobilitate, externisque federati, civibusque usurpato jure in urbem adscriptis, Antistitem novis operibus intentum prohibent. Quod Henricus vindicaturus armis, instructis ante urbem copiis adfuit, imparesque viribus, ad deditionem, 1281. Moguntino & Colonienſi Principibus intercedentibus, certa lege subjectionis, cessêre. Quâ Principi, ut supremo, tam in civilibus, quàm Ecclesiasticis domino sacramento fidem addicerent: ipsique urbis muros, Princeps cœptam arcem pro arbitratu absolverent. Hac perfectâ, obsequium deinde Archiepiscopo metus civium conciliavit: cujus timor moderatus esse custos certior, quàm amor inconstans subditorum solet. Suâ tamen etiam civibus privilegia, nobilitatique libertatem dedit. Quam & Stoltzenfelsii castri accolis parem Confluentinis, quorum municipes fecit, Princeps obtulit. Virneburgi quoque Comitem Henricum sibi ære demeritus, jus Advocationis in Monasterium Meinfeldiæ urbem, vicinosque agros ab illo ad se transtulit. Mailbergi castrum, cum Advocatione Witlichii, omnibusque rebus mancipi, clientibus fundisque ab Hugone Milite, & Joanne armigero Finstingæ Domino XX. mil. librarum pretio redemit. Nec pauca à Friderico Novi castri, aliisque ad suam Ecclesiam transtulit, diversisque nobilitatem clientelis adstrinxit.

Advocationis diversæ jura ad se transfert.

Rudolphus verò Austriam, masculo herede sublato, in Albertum filium transtulit, filiamque Wentzeslao Ottocari filio, heredique Regni Bohemici connubio sociavit, felicibus familiæ suæ auspiciis. Inde, Comitiis Noribergæ & Francofurti institutis, postquam de rebus imperii constituisset, in Burgundos movit, eorumque Comitem aliquot prœliis victum, imperio subjecit. Quâ in expeditione cum fortè commeatum deesse annonæ præfectus moneret: animosè Dux respondit: *victores, hostium commeatu vivemus; victi non indigebimus.* Nec sanè diu cunctatus ad pugnam est. Memorant decies quaterque cum Burgundis Helvetis-

Austriam Alberto fil. Rudolphus tradit.

Burgundos variis prœliis victos subigit.

verisque congressum, totiesque superiorem, victorioſi nomen obtinuisse. Alsatiâ deinde, quam latè patet, ad obsequium adductâ, in Treviros venit, ibique Spanheimensis belli cum Moguntino reliquias, potens in armis suasor, composuit, ac subinde castris, Mosellam inter Navamque collocatis, Schoneci & Reichensteinii munimentorum prædones adortus, utrumque demum castrum expugnavit, funditusque hæc receptacula perditorum diruit. Quo bello & Cuno Schonebergius Cochimæ arcis propugnator virtute Rudolphi expugnatus est.

Et Alsatas. 1282.

Et munita Trevirorum castra.

Inde Herbipolensibus Comitiis imperii Proceres, cum legato Martini Pontificis Episcopo Tusculano & Rudolpho Imp. convenere. Ubi cum legatus decimum quemque nummum ex bonis Ecclesiæ pro sacro bello, & Rudolphus tantundem ex vulgo ac nobilitate pro defensione imperii postulassent, Henrico Trevirorum & Sigefrido Colonienſi intercedentibus, insolentis utrimque tributi exactio discussa est.

An. Ch. 1283.

Herbipolensibus Comitiis tam Papæ quàm Cæsari insolens tributum negatur.

Henricus domum reversus & Confluentiæ & Trevitis res turbatas offendit. Illic proscripti ex nobilitate ad urbem reversi, castri nondum perfecti molitionem intercipere conati: hic Metropolitanæ Clerus junior, in suum Decanum edortus, vinculis eundem cum aliis amplissimi ordinis viris in captivitatem abstraxerant. Sed quæ erat Henrici vis autoritasque utrosque facilè compescuit, & Confluentes quidem novo sacramento nullos exulum recipiendi, Castrumque absolvendi, adstrinxit. Ita *sæpe qui luctantur in vinculis, arctius constringuntur.* Quod & adolescentiores Cleri expertos fuisse, non ambigam.

Henricus redux, & Confluentinos & Trevericos motus composuit.

Rudolphus deinde Elisabethæ Burgundionum Ducis filiæ sociatus, Martem Veneris societate placavit. Sed, quod mirere, Rusticum hominem senem, regni æmulum sortitus est. Is cum Friderici Imper. imaginem vultu totiusque corporis præ se ferret habitu, regnum ad Rhenum inferiorem affectat, jamque

1284. Rudolphus Elisabetham Burgundam ducit.

Coloniæ notatus ignominiâ, magnam tamen repentè Novesii turbam, novitatis cupidam, traxit, quibuscum ad Comitia Francofurtum iturus, Wetzflariæ in Trevirorum finibus interceptus, addictusque rogo, flammarum incendio colluſtratus est, habuitque illud pyræ beneficium vivus, quod Romani olim proceres mortui.

Rusticus Imperatoris Friderici personam affectans comburitur.

1285.

Sed Rudolpho Italiæ regnum viluerat. Unde libertatem Lucensibus XII. millibus aureorum, sex Florentinis vendidit. Romandiola & Ravennates in Pontificis Rom. jus transiere, magnaque pars regni Longobardici auro traducta. Reliquis locis legatum suo imperaturum nomine præfecit, maluitque quietam oblati æris, quam inquietam regni, possessionem.

Rudolphus pluribus Italis libertatem vendit.

Henricus interea tam cumulando, ex immodicis tributis, & exhaustis Religiosorum hominum possessionibus, ære; quam in nobilium feuda & clientelam rursus effundendo, occupatus; ut unam ditaret Ecclesiam, exhausit multas. Unde Himmerodenses obluctati, tam immanibus exactionibus, ejecti Monasterio, pœnè exciderunt omnibus. Argenti summa quam in illustrium familiarum clientelis parandis effudit, ad XIV. millium & CCCLXXX. librarum æstimationem perveniſſe fertur. In quibus Comitum quinque de Veldentia, Gemino-ponte, Saruverda, Hoinbergius, & Silvestris sive Hirsutus: Baronum verò aliorumque nobilium sex & viginti. Ut ingentem, quæ in castra passim arcesque instruendas effusa est, pecuniam, aliamque thesaurario illatam, præteream. In quod Judæi denique, quos singulari fide tutatus antea fuerat, revomere malè devoratas usuras, tanquam collectam aquam spongiæ, coacti sunt.

Multos Henricus tributis premit, ut clientelas comparet.

An. Ch. 1286.

Judæos quoque emungit,

Verùm hanc expiare & ipse demum rapacitatem in senio visus est, quando paralysi, podagráque, aliisque morborum aculeis, miserrimè non sine doloris impatientia, convulsus, humana Medicorum deplorata ope, ad divinam Consultò, quamvis non audiendus, tran-

Diversis morbis oppressus demum, frustra

transiit: & ad B. Jodoci trans Alpes limina, multorum sanitate celebrata, Wernero Archidiacono, paucisque aliis comitibus, vehiculo delatus, cum perveniſſet, non modò non leniri, ſed ingraveſcere etiam, cum ægritudine, dolores ſenſit, quibus redux Bononiæ VI. cal. Maji ſuccubuit. Hac fortaſſe malorum eluvie ad meliorem animæ vitam expurgatus. Monaſterienſis illi apud Metenſes Eccleſia cum fundatis ab eo ex patria hereditate Canonicis, uti & Kilburgenſis apud Treviros, ſacram beneficiorum memoriam debuit. Cadaver à Wernero delatum Treviros juxta principis baſilicæ oſtium, quo ad Deiparæ ædem exceditur, cum ſtatua, ſacrificantis habitu per tumulum exporrecta, honorificáque inſcriptione illâ collocatum eſt:

ad Dei & Sanctorum opem confugit.

Bononiæ in Italia mortuus, Treviros revectus ſepelitur.

„*De Fuinſtingâ Præſul fuit hic oriundus,*
„*Moribus & vita nulli fuit orbe ſecundus,*
„*Nobilis Henricus, Treviris tibi fidus amicus,*
„*Cura tuis morbis, honor, & pax urbis & orbis.*
„*Rector erat magnus, devotus extitit agnus.*
„*Hic pia vota dabat: tum dos tibi ſuppeditabat;*
„*Ipſe tibi caulas multas inſtruxit & aulas,*
„*Te bene dotavit: tibi fortia caſtra paravit,*
„*Nunc Trevir plora, Dominum cum fletibus ora,*
„*Quod tibi ſolamen præſtet Chriſtus Deus, Amen.*

Nobiliori, quam pro merito, Epitaphio honoratus.

Elogium hoc faventi, ut apparet, manu conditum, non vulgares laudes complectitur, ut ſiqui lapſus fuerint, aliarum virtutum laudibus nonnihil inumbrentur. Admiſſis erroribus, publici boni ſtudium, veniam conciliare videtur. Minus enim peccat, qui reip. amore delinquit.

Ad nova deinde itum electionis canonicæ comitia, quibus, tot nondum incommodis ad ſaniora eruditus Clerus, diſſentientibus votis, elegit tres, factione triplici, Boëmundum, ex Warnesbergorum familia, Eccleſiæ Præpoſitum, Ebertum Cantorem, & Joannem Sircki-

Boëmundus, non ſine diſſidio & æmu-

latione, fit Archiepiscopus. An. Ch. 1287.

Sirckium Archidiaconum. Quorum hic, ne turbarum causam daret, modestè cessit. Ille cum Præposito Romanâ in curiâ jure congressurus, dum Romæ causam tractat, & Honorio IV. morienti successor Nicolaus IV. exspectatur, affectâ valetudine se subduxit, ac Boëmundo victoriam reliquit.

Wernerus adolescens. Christianus à Judæis Westaliæ Trevirorum, horribili martyrio afficitur.

Memorabili ea ætate facinore Judæorum in Christi nomen odium proditum est. Wernerus adolescentulus, ex Heinrichiæ ad Rhenum tractu Wamradio pago natus, Vitricique acerbitate domo pulsus, Westaliæ infra Moguntiam, Trevericæ diœcesis loco, quotidianâ quærebat victum operâ. Cum Judæis, illic frequentibus, septimana sacratiore deserviens, ipso parasceves die, inserto in os plumbo, nudus columnæ appenditur, pedibus sursum, capite deorsum verso, atrocissiméque flagellis discinditur. Tum verò, ut totum ex eo, lento haurirent tormento, sangvinem, subjecto vase, atque incisis hinc inde venis, forcipibusque admotis exprimunt, producto in triduum supplicio. Intervenit, quæ famulabatur Judæis, ancilla Christiana, atque acerbitate flagitii pœnarúmque mota, Judicem loci accersiit. Quem corruptum auro Judæi ab ope innoxio & suppliciter oranti ferendo, plectendóque facinore, detinuêre. Ita suam ipsi lusêre pertinacius tragœdiam, demortuique corpus, naviçula exceptum Baccharacum versus noctu evexêre, & in dumeta vicina eo loci abjecêre, ubi Windesbachium hodie, ordinis S. Wilhelmi Monasterium, honori Martyris extructum est. Qui locus cum insolito postea nocturnoque corrusçare lumine spectaretur, admirabundos traxit, corpusque laniatum, recentibus cruentum vulneribus prodidit. Quod ubi Baccharaci publicè expositum, non sine odoris suavissimi fragrantiâ, invisitur, vulgante famâ, Judæi mox facinoris autores comperti sunt: ut iccirco coorti in ultionem Christiani, plurimos nullo ætatis sexusque discrimine internecioni dederint, reliquisque, ut vita constaret, viginti marcarum

Judæi proditi crudelitatem magna clade luunt.

carum millia extorserint: Imperator verò re comperta, Wesalienses ac Poppardienses, tanquam violati juris publici reos, vicissim bis mille marcarum damno multârit. Rei totius series publicis excepta tabulis, ejus temporis Cleri senatusque testimonio tenetur. Quo diversorum & ingentium miraculorum ad tumulum illius Baccharaci patratorum fides stabilitur: cœci illic videre, loqui muti, audire surdi, mortuique plures vivere conspecti sunt, ut siqua fides scriptis testibusque habenda sit, quæ etiamnum in nostris sunt manibus, hæc nequeant controverti. Et tamen possessores hujus pignoris, quod Palatini Comites magnifico templo exornatum, inprimis coluêre, sensim cum his, novi Evangelii libertate ebrii, & à via majorum devii hæc minimè æquis oculis nunc intuiti S. Martyris corpus, ante seculum adhuc sine corruptela visum, ne qua veneratione adiretur, cum picturis supplicium repræsentantibus, submoverunt, soláque tantùm columna Wesaliæ ad memoriam superstes mansit.

Miraculorum apud tumulum frequentia & raritas.

Ab hæreticis corpus subductum.

Trevirensis inter hæc Clerus, iteratis Româ suffragiis convenire jussus, etiamnum divisus, alterum Boëmundo, Gerardum Eppensteinium Archidiaconum opponit: cum & Moguntina Henrici morte sedes vacare cœpit, fluctuantibusque hic quoque sententiis, alii eundem Gerardum, alii Emricum Schönecum proponunt. Nicolaus igitur Pontifex, ubi utrumque Boëmundum & Gerardum dignum infulâ comperisset, illi Trevirensem, huic Moguntinam sedem addixit, judicio quo lis omnis compendiò sublata est. Uterque solennibus Romæ feriis à Pontifice Episcopus consecratus, posteráque Palmarum luce, pallii usu est insignitus.

An. Ch. 1288.

Boëmundus post novam controversiam Romæ à Nicolao Papa sacratur.

Eremitis de Monte Carmeli Deo Deiparæque consecratis, ex oriente ad occidentem hac ætate factus aditus. Istic enim jam olim ab Alberto Patriarcha Hierosolymæo, certâ vivendi lege auctorati, ab Hono-

Carmelitæ Treviris viduæ beneficio recepti.

rio nuper accensiti Mendicantibus, candidoque, pro versicolore, occidentalibus adscripti pallio, diversa ad Rhenum Mosellamque captabant loca. Trevirum invitati liberalitate Margaritæ Reginæ viduæ opportunam juxta forum sedem adepti, templum haud ignobile erexerant, cum Nicolaus Pontifex primo sui Pontificatus tempore viduæ donationem, Religiosorumque habitationem diplomate firmavit.

Bellum Lutzelburgi Comitibus tribus fatale, quo cum Belgis pro ducatu Limburgico certant, his victoribus.

Quando vicini Lutzelburgorum Comites, spirituali jure huic diœcesi subjecti, haud vulgarem cladem accepêre, quâ Deus futuræ eorundem gloriæ prælusisse visus est. Henrico Limburgensium Duce defuncto, unica superabat ex illo filia Irmingardis Reginaldo Geldriæ juncta Comiti, cum qua hereditarem sperabat; sed cum feminam negarent succedere; hinc se Henricus Comes Lutzelburgicus; inde Adolphus montis Comes, ut heredes, inferebant; Sigefridus verò Colonienſium Archiepiscopus sibi, ut clientelare feudum, vendicabat. In hac sententiarum diversitate, Martis arbitrio ac sorte denique congressi sunt. Stultissimo mortalium decreto, quo de vita malunt, quàm pugillo terræ opumque periclitari. Adolphus igitur Montis Comes, qui ceteris sese viribus imparem vidit, Joanni Brabantiæ Duci XXXII. marcarum millibus partem ditionis commodam obtulit, cujus ipse gratiâ sociavit arma, secumque Walramum Juliæ & Everhardum Marcæ Comitem, aliosque fautores traxit. Reginaldus contra Geldriæ Comes, cum Henrico Lutzelburgico, & Sigefrido Colonienſi, Nassoviis, aliisq; Comitibus, militem junxerant. Qui in agro Colonienſium Woringano, pertinacissimo ardore pugnandi, velut in hastiludiis agminatim congressi, mutuis plerique se vulneribus confecêre. Ita tamen ut Adolpho & Brabantinis victoribus ceteri Ducum vel cœsi, vel capti sint. Henricus Lutzelburgicus cum Walevel capti sint. Henricus Lutzelburgicus cum Walevel capti sint. Henricus Lutzelburgicus cum Walev

Brabantini filia conjux data est. Reginaldus & Sigefridus captivitate intercepti, jus suum victori cessêre. Tale Martis judicium subeundum illis est, qui hunc litium arbitrum deligunt.

Henrico filio Lutzelburgi in solatium conjux datur.

Boëmundus interim Treviris secundissimis populi votis exceptus est, hinc Friderico Lotharingorum, atq; inde Sigefrido Colonienſium Principe stipatus, & ille quidem in æde B. Virginis Sigeberti-Montis feudum beneficii loco, à Boëmundo, ut cliens, amplexus est. Publica deinde epularum solennitate, etiam populo promiscuè admisso, transacti dies aliquot. A quibus ad Ecclesiam & reip. se curam Princeps convertit. Quæ tamen non leviter novo Pontificis Nicolai decreto turbata est. Cum ille in electione Metropolitani Cleri virtutis scientiæque potius, quàm nobilitatis, ut necessariò ad hunc ordinem requisitæ, rationem esse habendam, more olim recepto, decrevisset, pessimique exempli esse sentiret, quosdam sola generis nobilitate, cæterà parum à literis ac virtute instructos, in hæc se beneficia, non religionis, sed opulenti census gratiâ ingerere. Contra quam á fundatoribus olim fuisset constitutum, qui has ad servitia divina opes, non nobilitatis solius alimentum destinâssent. Quocirca Nicolaus vacans in summa æde Præpositi beneficium, Petro Aichspalter Trevirensi viro doctissimo, & Rudolphi Cæsaris Medico, Cantoris verò locum Joanni Trevirensis Curiæ Officiali eruditionis quoque virtutisque laude celebrato contulit. At nobilitas occupati semel juris tenacissima, Pontificis autoritate, atque etiam anathematismis neglectis, Apostolicâ se aliorum Pontificum indulgentiâ niti, tum verò fide etiam Sacramento obligatâ ad generis observationem teneri respondit; maluitque templo, relictis sacris, quàm obtentis privilegiis abire. Ut ab invitis principumque magnorum favore nixis obtineri nil potuerit. Petro tamen hæc parvi folii repulsa profuit, ut ad Moguntinensem deinde Ecclesiam, minus hujus propositi tenacem, Archiepiscopus

An. Ch. 1288.

Boëmundi solennis ad Treviros ingressus.

Nicolaus Papa frustra conatur summæ ædis Clericis miscere ignobiles.

Aichspalterà Treviris repudiatus postea Basileæ & Moguntiæ eminet.

transierit, celebri apud Treviros sui nominis relictâ familiâ.

Dominicanorum Conventus generalis Treviris celebratur.

Quo tempore Mummio, septimus Dominicanorum Magister Generalis, spectatæ integritatis vir, Treviris sui Ordinis proceribus comitium ipse præsens imperavit, quod mille facilè capitum septingentos suffragiis ex his idoneos censuit. Qui Boëmundi ad hanc rem Principis Regísque Angliæ liberalitate freti sunt.

Recipiuntur Lutzelburgi

Famáque doctrinæ ac virtutis Lutzelburgi cogniti, à Beatrice vidua, & filio Henrico accersiti, sequenti istic anno habitationem fixêre palatio vicinam, aditu ad intima domus patefacto.

An. Ch. 1290.

Qui quidem annus Trevirensibus, consumptis algore vitibus, unde præcipuas opes ducunt, parum secundus illuxit.

Boëmundus Prædonum latebris dirutis, totum se pacis rerumque divinarum studiis addicit, præclaro Ecclesiastici Principis exemplo.

Boëmundus illo tamen aliam prædonum luem, iis temporibus, variis castrorum per montana latebris hærentem, everso Nigrimontis castro, extinxit: neque dein bellis oblectatus, quanquam magni animi consiliique Princeps, ad religionis excolendæ studium se præcipuè, dignissimaque sapiente Archiepiscopo officia transtulit. Rei divinæ propemodum ad aram quotidie operabatur, sacris Ordinibus impertiendis, horisque etiam Canonicis non lectitandis tantùm, sed & canendis impensè deditus. Quodque à sacris occupationibus vacuum erat tempus, hoc litibus inter suos finiendis, animisque conciliandis, factâ cuilibet è vulgo etiam sui copiâ, dabat. Tanta dicendi vi, eruditionis copiâ, ac legum cognitione, ut teneret, duceretque pro arbitrio animos, summâque inter Germaniæ Proceres benevolentiâ atque autoritate valeret.

Rudolphi Imp. fretus gratia plura loca diœcesis civium jure frui voluit.

Rudolphi Imperatoris gratiam, filii pene loco, occuparat, qui oppida illius diœcesis minora quinque, ut Monthaborium, Berencastellum, Wittlichium, Sarœburgum, & Billichium, regali autoritate munivit, urbiumque libertate ac jure frui jussit, quæ à successoribus Adolpho & Alberto firmata constitêre.

1291.

Porrò Rudolphus jam senio fractus, cum Francofurtensi comitio frustra Alberti filii successionem p

stulâsset, Moguntino potissimùm obnitente, spe excidit; ne quod superioribus visum temporibus indigni parentibus liberi, ut sæpe *heroum filii noxæ*, succederent, libertasque eligendi præscinderetur. Ita Rudolphus sine proximo herede regni defunctus, Austriacæ gentis decus non illustri solùm vita; sed & pia religiosâque morte auspicatus est. Sex filiabus, ex quibus Euphemia Motialis, Mechtildis Ludovico Palatino, Gutta Wenceslao Bohemo, Agnes Alberto Saxoni, Catharina Brandeburgico, Clementina Carolo Apuliæ Siciliæque Regi sociata, totum sibi devinxit imperium.

Rudolphus frustra postulans Albertum fil. successorem, moritur.

Ab illius morte cum plerorumque Principum vota Gerardus Moguntinus sibi Princeps conciliâsset, Adolphum Nassovium Consanguineum suum obtulit, fortitudine magis, quàm opulentiâ celebratum Ducem. Cui etiam Boëmundus, tanquam uni ex suis clientibus favit, Aquasque pro Coronâ proficiscenti, mille trecentis phaleratis equis adfuit. Tum verò ingenti auro fultum levavit, arce Cochimâ, Kemplique immunitate, ac Clotteno, pignoris loco primùm, deinde irrevocabili donatione, cum assensu Principum, diœcesi adjunctis. Quibus Boëmundus & in publicis conventibus consilia, & in expeditionibus suorum obsequia promptissimè reposuit, ut patris in eum amorem testari videretur.

An. Ch. 1292.

Adolphus Nassovius cliens Ecclesiæ Trev. fit Imperator.

Cui Boëmundus pecuniis subvenit, Cochima aliisq; locis acceptis.

At cùm vicissim Adolphus, ab Alberto Thuringiæ Landgravio varia ære loca, invitis liberis, traduceret. His patri repugnantibus, gravius, quàm par, armorum potentiâ insolentiáque, non sine cædium rapinarumque infamiâ, in Thuringos grassatus est; fortisque nomen Principis hac labe infecit. Nec interea rebus suis, quamvis meliore famâ, Boëmundus defuit. Varia diœcesis loca, atque in his Noviomagum arce, in Constantini castrorum ruinis communivit. Clientelari verò jure vel stabilivit, vel recentibus sibi beneficiis obstrinxit, Geminipontis, Viennæ, & Dietrii Rhenique Comites, Advocatos Hunolsteinii, Manderscheidti, Blanckenheimii, Kerkele, Novicastri, Mailbergi, Berbergi, Meisenburgi,

1293.

Thuringico bello sibi invidiam conflat.

Clientelis variis Boëmundus diœcesin stabilit.

1294. burgi, Brandeburgi, Dorsvvilerii, Saræpontis, Dagsburgi liæ arcis Dominos. Vindemia subinde anni nulla re Trevirensium haud modicè afflixit, Cessit hoc tempore, Comitatum Seynensem, in quem jus sibi vendicebat, Engelbertus Comes Witgensteinius Joanni Seynæ Comiti dicentis annui reditus marcis, feudisque aliquot receptis. Adolpho probante, posterisque idem jus tabulis confirmante.

Seynæ Comitatus à Witgensteinio separatur.

1295. Quod veró non immeritò admireris, Gerardus Moguntinensium Antistes, qui tot consiliorum ambagibus ad propinqui sui Adolphi electionem incesserat, nunc aversis ab eodem studiis in Albertum inclinatus, huic spem animosque ad coronam fecit, quòd is Thuringico Misnicoque bello, tum stipendiariâ Eduardi Anglicontra Philippum Gall. Regem militiâ, velut Cæsari indecorâ, graves multorum offensas collegisset, quas exaggerata in Comitiis procerum accusatione Gerardus jovebat. Ut Alberto jam solæ vires ad regnum capessendum deessent. Qui sese in Sueviam recipiens, istic quantis poterat copiis armabatur, suâ jam æmulatione, nec ab Adolpho quidem securus. Quando inundans frequentibus Mosella imbribus alveum supergressus pontemque, ac latè per agros effusus, multis ædibus ruinam, agris verò vitibusque fecunditatem inexspectatam attulit, ac superioris anni sterilitatem refudit, ut mortales agnoscerent *inopiam juxta copiamque nimiæ Dei manu, pro arbitrio, nunc contractâ, nunc porrectâ, librari.*

Gerardus Mogunt. Præsul Adolphi promotor, hunc deserit.

An. Ch. 1296.

Annus fertilissimus, post sterilem, præviâ inundatione.

1297. In Alsatos subinde Adolphus durior, cum tributorum acerbitate Conradum Liechtenbergium Episcopum Argentinensem in se concitavit, hic nobilitate in armorum societatem pellecta, denique Albertum expeditis Rhenani equitatus, & pedestrium Suevorum copiis cum ectum provocavit, Quem, ne deesset autoritas, Gerardus Archiepiscopus Moguntinus in quorundam Principum Comitiis Moguntiæ receptum, post spoliatum regni honore titulisque Adolphum, Regem Romano

Alsatas temerè Adolphus affligit.

1298.

rum

rum pronuntiavit. Adolphus re cognita vix irarum suique potens cum instructo mox exercitu Albertum, specie fugientis se subducentem, in agro Vangionum assecutus, solo equitatu, nequicquam tribunis dissuadentibus, aggressus est; cum repentè illum ad prælium vidit consistere; fretusque opportunitate solis, in hostium oculos obversi, strenuè certamen aggreditur, mediosque armatorum Cuneos dux ipse perfringens, Albertum videt, provocatque. Nec segnis ille mucrone in caput, quâ patebat galeâ, vibrato secundùm oculum transverberat, ut ad plagæ sensum equo delapsus, Silvestrium Comitum ferro, equorumq; contritus soleis, occubuerit. Ad cujus fatum Albertus ferro in hostes abstinere, ac receptui dare signum jussit. Clades VI. Nonarum Julii signatur. Quâ cognitâ, visoque cadavere Geraldus illacrymasse sorti consanguinei Ducis, à sepotissimùm adornatæ, fertur, Boëmundus verò majori doloris, sicco licet, sensu ingemuisse. Itum deinde Francofurtum ad Comitia Principum. In quibus dum vehementissimè Boëmundus contendit: priorem electionem vitiosam, novâ liberâque emendandam esse, nec à discrimine vitæ abfuit; pervicit tamen, iteratisq; suffragiis Albertus est designatus, qui Aquisgranum pro coronatione deductus, Boëmundo deinde amplissimo diplomate, concessas ab Adolpho cum urbibus præsidique arces Principibus assentientibus, confirmavit: ut amicum se Regem non amisisse, sed mutasse agnosceret.

Albertus itaque rerum potitus, cum Philippo Franciæ Rege fœdus affinitatemque, Blancâ sorore, cum dote regni Arelatensis, ductâ, iniit: Boëmundo & Wichboldo Agrippinatum Antistite parum probantibus. Quod sentirent regnum illud imperio debitum Austriacæ domui hoc pacto sociari. Acquisitum enim illud olim per Ottonem Magnum tum armis, tum Adelheidis Lotharii viduæ conjugio; iteratâque donatione Rudolphi II. Burgundiæ Regis Henrico Nigro Imper. nepoti suo facta; ac denique Friderici I. Ahenobarbi nuptus

Moguntinus cum aliquot Principibus Francofurti Adolpho imperium derogat, & Alberto confert.

Adolphus temerè pugnans ab Alberto occiditur.

Boëmundus novam electionem urget, quâ Albertus confirmatur.

An. Ch. 1299.

Albertus ducta Blanca Philippi Regis Gal. sorore Arelatensi regno potitur.

nuptiis cum Beatrice, Reginaldi Burgundiæ Comitis herede unicâ Germanis imperioque unitum fuit, licet in illius possessionem identidem Galli se ingesserint. Sed pervicit reliquorum assensus Principum, qui apud Leucos, cum utroque Rege, convenerant. Hæsit tamen Archicancellarii per regnum Arelatense, tanquam ad imperium spectans, Boëmundo aliisque successoribus titulus: ut ille per Germaniam Moguntino, per Italiam Colonienſi tribuitur. More tam vetusto; ut, cùm ejus vix constent principia, à nonnullis ab Ottone deriveturus. Accisi verò hoc tempore illius regni Provinciæ, vix nomen sustinent, Comitatumque Burgundiæ Austriacis solum relinquunt.

Boëmundus & successores Archicancellarii regni Arelatensis jure prisco.

Boëmundum ab his Comitiis Leucopolitanis morbus distinuit, suam tamen per Wichboldum sententiam exposuit, languoréque superatus demum Treviris IX. Decemb. hac vita excessit, Himmerodensi in Monasterio, quod vivens quotannis ante pascha, piarum commentationum gratiâ, adierat, à morte humili in tumulo collocatus. Hâc, citra elogium, inscriptione: *Hic jacet Venerabilis Dominus Boëmundus Trev. Archiepiscopus, qui obiit anno Domini MCCXCIX.* Majori laude modestiæ, & vanitatis contemptu, quàm si magnâ præconiorum epigraphe splendido cadaver Mausoleo deposuisset. Immortali interim in politicis, sacrisque curandis sapientia & pietate, charitatéque in universos subjectos deprædicandus. Cujus præcipuæ à morte opes, sacra, pro Ecclesiæ ornamento, supellex fuit, Memoria in Collegiis Canonicorum, per disciplinam frequentiamque chori introductam, relicta est. Ut non qualemcunque se Principem, sed Ecclesiasticum fuisse, posteris demonstrârit.

Moritur & apud Himmerodenses humili sepulchro seponitur, magnæ laudis Archiepiscopus.

1300.

Jam Seculum XIII. in ultimum sese annum inclinabat, quando Bonifacius VIII. Pontifex Veteris Jubilæi Judæis instituti recordatione, quo & servi ad libertatem & bona possessionesque ad pristinos Dominos rediban plenam scelerum pœnarumque remissionem, omnibu

Jubilæus annus secularis primum institutus.

Sacra

sacra Romæ Apostolorum limina adituris, prævia exomologesi synaxique, indulsit, quam deinde celebritatem quot seculis repetendam decrevit, eò ad pietatem Christianam profectu, ut peregrinorum Roma, & illis & posteris temporibus, vix satis capax visa fuerit. Treviris tamen cum de successore disceptatur, Capitularibus Henricum Virneburgium; Pontifice verò Dietherum Nassovium Adolphi Regis fratrem, odio Alberti Cæsaris, se invito regnantis, sedi imponentibus, bellorum tempestate concussa est. Quam Henricus Lutzelburgensis Comes, postquam Trevirorum crevisset opibus, potentiâ insolens, imposito Macheræ Comiti s ad Mosellam castro telonioque concitabat. Quæ dum, impatientes jugi Treviri, demoliuntur, finibusque Lutzelburgiorum infesti se inferunt. Henricus majori armatus exercitu, obsidione improvisâ urbem premit. Cúmq; injuriæ refellendæ Treviri impares ad Divorum aras patrociniàque confugerent. Et jam hostes, superato flumine, vicinum urbi collem S. Crucis occupâssent, ac, ne soli nocerent urbi, excisis latè vitibus propinquisque vicis incendio vastatis, mœnibus propius imminerent, par civibus excidium minati, à Festâ D. Petri vinculorum memoria, oborto, velut ab incumbente hoste, in castris, noctis inter tenebras, tumultu; versis in se mutuò armis, aut cædibus, aut fugâ exercitus dissipatus est, liberamque, sine pugna, urbem reliquit.

Treviris à Clero eligitur Virneburgius, sed Pontifex Dietherum Nassovium præficit.

Henricus Comes Lutzelburg. infelici bello Treviros petit, suo milite in se invicem pugnante.

Indignatione igitur in favorem Henricus versâ, ne quam ab Archiepiscopo cladem reportaret, cum urbe non pacem tantùm; sed & armorum societatem pactus est, ac donatus civitate, incolarum sese libertatem, oblatis in discrimine copiis defensurum recepit. Suppetiasque in quavis belli necessitate quinquaginta cataphractorum turmâ laturum, stipendio civitatis; adversus quemcunque, præter Archiepiscopum suum, Cæsaremque; nisi is bello cives impetat. Si verò in Comitem arma ferat, cives Archiepiscopo intra territorii fines adhærere queant. Jus commerciorum utrimque liberum

An. Ch. 1301.

Mox defensor & civis factus.

berum tutumque vigeat. Et his legibus Comiti intra urbem Domicilium attributum est, annuoque censu trecentæ æris libræ sive aureorum primò deinde verò CCCC. constitutæ sunt publicisque res tabulis anno seculi altero sancita. Quæ multarum deinde contentionum cum Archiepiscopis seminarium extitit. Et certè mox fiduciâ libertatis freti, tribulium collegia, suis institutis colligata, Bonifacium Prætorem, pro Archiepiscopo jus dicentem, cum Scabinis urbe propellunt, ac proscriptione bonorum damnant; neque aliter ad pâcem à Diethero Archiepiscopo (jam ad clavum admisso, & Imperatoris gratiâ qui milite adducto minabatur; destituto) reduci potuêre, quàm ut ad Principis Magistratum XIV- Viri è civibus adjuncti, unà in consultationibus suffragiisque, assiderent; judicandi tamen potestas penes Archiepiscopales, & Scabinorum Magistros maneret. Quæ utriusque partis assensu firmata, à Balduino successore destructa fuêre.

1302.

Urbs, libertate freta, Principis Senatum pellit.

1303.

Nondum tamen sanata ab hac malorum intemperie respublica fuit, cum lues hæc facilius contrahatur; quàm curetur. Joannes Prudonus ab urbe, ut videtur, hac tempestate ejectus, & à Richardi de Duna armis defensus, haud vulgarem civibus cladem, multis in captivitatem abductis, dederat. Quare cum suo Archiepiscopo mutuam opem pacti, postquam juncta Richardo Dynastæ arma intulissent, Lutzelburgico Juliacoque Comitibus intercedentibus, pax eâ lege constitit, ut captivis in libertatem missis Prudono innoxium sit Richardi in partibus hæsisse, huic verò CC. æris libræ numerentur. Unde & læsum hunc à civibus jus suum prosecutum fuisse intelligas.

Dietherus cum urbe, Senatu restituto, pacisciturAn. Ch. 1304.

Cives à nobilitate oppugnati, cum Archiepiscopo mutuam opem pacisciuntur.

1305.

Interea Confluentini incolæ, crebris in militem stipendiis, tributisque exhausti, obsequium detrectant, quos Dietherus instructo, qui tum aderat, aggressus milite, ad deditionem & imperata compulit, sacramentique fide obstrinxit; at gravissimâ per universam diœcesin, ære tributario oppressam, invidiâ. Quâ tamen negle-

Confluentini ob tributa rebelles premuntur, magnâ Principis invidiâ.

neglectâ augendis clientelis adjecit animum, Castrumque Winnebergium, domumque Bruchiam, cum suis Dynastis, Wirico Milite, & Theodorico Bruchis, ad se traduxit. Tum deinde alias dynastias, cum Henrico Monthaborino, Henrico Levvensteinio, Henrico à Lorich, Hartardo Merenbergio, Henrico Ehrenbergio, Udone Waldeco, Friderico de Schleida beneficii obligatione sibi ac jure devinxit, consultâ parum liberalitate, quâ ut clientes locupletaret, exhausit subditos. Winnebergi jus castri ea lege concessum, ut cùm armatis huc liber accessus Archiepiscopo esset, pugnandique in quemvis hostem, Romanorum Imperatore & Colonienſi Archiepiscopo excepto, facultas. Neque sis deinde Winnebergicis quemvis alium Principem, invito feudi Domino, admittendi. Quâ contrahendi lege & ceterarum arcium possessiones aditæ: ut scilicet clausæ reliquis, solius Domini accessui arbitrioque paterent.

Clientis immodico subditorum ære, certis sibi legibus devincit.

Inter hæc Raimundus Burdigalensis Archiepiscopus in Benedicti Pontificis vitâ functi locum, Clemens V. nomine surrogatus, Lugduni in Gallia Pontificiâ tiarâ à Cardinalibus ornatus est. Cumque Gibellinorum Guelforumque, quorum albæ illi, hi nigræ factionis erant, jactaretur Italia, sedem Avenionem, Neapolitani tunc Regis in Gallia urbem, transtulit, annis illic LXX. facilè peregrinantem, majori urbis unius quàm totius Christianæ Ecclesiæ haud parum obscuratæ, ad splendorem emergentis, honore & emolumento. Inter hæc cum Gerardus Moguntinensium Antistes morte ereptus sedem vacuam reliquisset, Henricus Lutzelburgi Comes, pro fratre Balduino Lutetiis in studiis commorante, per Petrum Eichspalter Trevi-ris natum, ac Basileensi ornatum infulâ Clementem sollicitat; sed cunctabundum, ob firmatam nondum Balduini ætatem. Quo tempore, dum gravioris morbi discrimine Clemens obrutus, Petrum, medicæ gnarum artis felici curatione admovisset, pro munere Archiepi-

Ob factiones Italicas Benedictus. XI. Pontifex.

Româ in Galliam Avenionem sedem transfert.

Petrus Eichspalter Trev. Medicus, ob curatum Pontificem, Moguntinensi Archiepiscopatu donatur.

chiepiscopatum cum pallio detulit, sponsamque, quam pro alio procabatur, jussit ducere, Balduino ad aliam deinde fortunam servato.

Treviri Spanheimenses etiam Comites jure civium donant.

Treviri verò & neglectu Archiepiscopi, & libertatis suæ amore ad firmandam potentiam animosiores, Spanheimenses etiam Comites Starkenbergo, munitissimo castro fretos, urbe civiumque jure donant, pactáque armorum societate (ut cum Lurzelburgicis antè factum) annuo se eis centum librarum stipendio obligant; dubium, venditæ, an acquisitæ pretio libertatis; quòd patronorum non rarò potentia, sit oppressio clientum.

An. Ch. 1306.

Dietherus interea militiæ, adversùs Imperatorem, & rebelles subditos, alendæ impar, & religioni, quàm armis ac reip. regendæ aptior, dum, accusationem Cleri præoccupaturus, in Galliam ad Pontificem iter meditatur, morte tollitur, quæ ipsum invidiâ, alios metu exemit. Demissione, ac reverentiâ Dominicani instituti laudatus, cum *Fratris* nomen, ceteris titulis insignatis à se literis præmitteret, hâc formula: *Frater Dietherus Dei gratia S. Trevir. sedis Archiepiscopus.*

Dietherus moritur, demissione suâ laudatus.

Canonicos in Wesalia superiore instituit.

Wesalienſem B. Martini Ecclesiam, amplis nixam, sub unius Rectoris arbitrio, opibus, septem Canonicis, sub Præpositi Decanique cura, administrandam, præscriptis vitæ legibus, commisit: Schonenburgiis loci patronis facti consilium pietatemque probantibus; quòd *Ecclesiasticis, ut opum penuria gravis & indigna; sic abundantia ad luxum periculosa sit.*

1307.

In æde Dominicanorum sepultus.

Obiit anno salutis MCCCVII. pridie B. Clementis Papæ & Martyris, depositus in æde Dominicanorum Treveris, haud procul ab ara summa, editiore tumulo, effigie amictuque Archiepiscopali super pulvinaria reclini, Nassovii stemmatis clypeis adjunctis, & hac per margines inscriptione circumfusa. *Hic ja-*

cet

„cet D. Dietherus de Nassavia, Germannus D. Adolphi „Regis Rom. quondam Archiepiscopus Trev. Ordinis Fra„trum Prædicatorum, Magister in Theologiæ. Æstiment hunc alii à nobilitate generis, alii à dignitate muneris; ego ut Dominicanæ familiæ fratrem his tam splendidis titulis præferam; quod talem, si non vivere saltem mori glorioſius fuerit.

LIBER XVII.

Clemens V. Pap. Albertus Imp.

AD vacantem Treviris sedem, Balduinus præstantissimæ nobilitatis, indolisque ac doctrinæ juvenis, consultissimis Cleri suffragiis postulatus est. Ex Lutzelburgica is gente, Henrici Blondelii, nuper in prælio Woringano occumbentis, & Beatricis lectissimæ viduæ filius, qui per omne humanioris studii philosophicæque disciplinæ genus probè excultus, nunc Parisiis in jure Canonum pernoscendo versabatur, tres & viginti jam annos natus, summáque matris curâ ad Ecclesiasticam vitam idoneis Magistris formatus. Non abnuit postulata Clemens Pontifex, Commendato nuper in Moguntinensium canditatis, & nunc ducto ad se Pictavium Balduino, ac generosa ipsius conspecta indole, virtutem sapientiamque jam tum haud sanè vulgarem spirante. Quare, ætatis eidem factâ gratiâ, presbyterum creari jussit, moxque suâ ipse manu consecravit Archiepiscopum, adhibitumque domesticis consultationibus, ad graviora Ecclesiasticæ disciplinæ negotia animum docuit advertere.

Balduinus Lutzelburgicus Comes Archiepiscopus Trevir. postulatur.

An. Ch. 1308.

Clemens Papa in ætate dispensat, & illum consecrat.

Hinc utroque fratrum Henrici & Walerami consortio stipatus Treviros se contulit, oblatisque per viam Petri Moguntinensis Archiepiscopi literis didicit, Albertum Cæsarem, in apparatu belli Bohemici, à Joanne fratris defuncti filio, adstrictius in rerum suarum prodigalitate habito, sceleratè trucidatum. Interea suum ipse prosecutus iter, cum florentissima nobilitate, Matre etiam ac sorore prosequentibus, Trevirim ingressus, à Candidato obviamque effuso Clero, inter lætissimas populi voces ad summam ædem deductus est. Primumque illic operatus sacris, benedictionem præsentibus ingenti numero impertiit, ac subinde so-

Trevirim pergens intelligit Albertum Imp. occisum.

lenn

lenni epularum apparatu excepit, denique fidelis ab omni ordine obsequii sacramentum accepit.

Publicas dehinc curas à Trevirensi exorsus urbe, jus priscum repetiit, magistratus à solo Principe constituendi, abrogatâ Dietherici, de XIV. virorum Senatu à Civibus legendo pactione, ut quæ turbis magis seditionibusque concitandis, quàm conservandæ paci foret idonea, ægrè primùm assentiri civitas, atque ad arma etiam circumspicere; sed quòd præcipui urbis propugnatores, Lutzelburgici Comites, fratris postulationi accederent, quæ præsidio nuper fuerant, hæc obstare cum viderent, cessêre, & in Prætoris, scabinorumq; principalium arbitrio causarum omnium judicia reliquêre.

Jus legendi Magistratus ab urbe repetit.

His aliisque domi rebus constitutis, de novo Imperatore suscepta consilia. Et Philippus quidem Franciæ Rex omni arte pertentabat Clementis aliorumque Principum animos, ut per eos fratrem Carolum Valesium imperio ornaret. Unde à Petro Moguntino & Balduino ad Comitia Rensanam in villam juxta Rhenum, Confluentes inter Poppardiamque, condicta, properabant, nec longa deliberatione habita, in Henricum Balduini fratrem, Clementi maximè probatum, inclinatis suffragiis itum est. Hinc traductis Francofurtum Comitiis XXVII. Novembris Rex Romanorum est salutatus, Aquasque inde digrediens, ab Henrico Colonienſi Archiepiscopo solenni Epiphaniæ die, cum Margaritâ Vxore, Rex consecratus est, ac postea Coloniam, sacra Trium Regum corpora veneraturus diverrit, Balduino in Hannoniam ad sedandas ejus loci discordias legato.

Henricus Lutzelburg. Balduini frater Rex Rom. Rensæ eligitur. Aquis coronatur. An. Ch. 1309.

Pietatis subinde studium Henricum, in defunctorum Regum funeribus ritè curandis, detinuit. Neque enim dum Adolpho Regi consangvineo sat decorè provisum. Spiram igitur profectus Adolphum, ipse suis humeris capulum subiens. Imperator, Mausoleo Agnetis Friderici II. filiæ intulit. Alberti verò ibidem

Henricus Adolphi & Alberti Regum funera curat.

funus Regina Hungariæ ejusdem filia, præcipuâ apparatus pompâ ornavit, eumque Beatricis Friderici I. conjugis sepulchro invexit. Celebratis in hunc modum exequiis, à majorum tumulis ad posterorum thalamos curam transtulit, & filium suum Joannem jam quatuordecennem, egregiæ indolis adolescentem, Elisabethæ Wenceslai Bohemiæ Regis filiæ regnique heredi, in amplissimi spem regni copulavit, postquam suam illa Virginitatem, de cujus vitio suspecta erat, matronarum experientiâ probasset. Ut intelligas laudatissimo Cæsari integritatem unius puellæ regno potiorem fuisse.

Joannes ejus filius Elisabetham Bohemiæ Reginam ducit.

Balduino dein in præcipuis regni consiliis negotiisque pertractandis usus, Coloniam illo sibi adjuncto descendit, atque istic, cum ex legum severitate, in rebelles animadvertisset, Proceresque imperii jurata sibi fide obligasset, ludicris seria temperaturus, usitatum id temporis hastiludiorum apparatum instituit, præmiisque atque honoribus equestri hoc certamine victores ornavit. Postea, exactis Christi natalitiis, & Cochimæ Clottenique donatione Coloniæ inter Proceres Balduino firmatâ, ad Confluentes transiit, & jus telonii constituendi, aut certè instaurandi eo loci indulsit. Atque hinc cum eodem, sæviente, quantum nemo ante meminerat, brumâ Trevirim ingressus, nundinarum parem cum Francofurtensibus urbi libertatem, à natalitiis Deiparæ in Septembri, usque ad Octobris principia & S. Remigii festivam memoriam obtulit, quod beneficium tamen cives sunt aspernati. Balduinus verò jus antiquum feriundæ monetæ, quocunque Diœcesis indultum loco, gratus admisit.

Equestres ludi Coloniæ.

1310.

Jus feriundæ monetæ Balduino omni loco in Diœcesi conceditur.

Inde consilia repetendæ Italiæ, Coronæque illic petendæ, Clemente Pontifice impulsore suscepta sunt, viresque Lutzelburgi ac vicinis provinciis militares ad hanc rem instructæ. Missi ad Clementem legati approbationem electionis, promissionemque coronæ in Italia per se vel Cardinales imponendæ habuêre, vi-

cissim

cissimque Henricus legato Pontificio fidem dedit: Ecclesiæ sese opes dignitatemque propugnaturum. Sed cùm Alpes fama venturi Henrici penetrassent, Itali suæ libertati formidantes excitandis in Germania seditionibus dedêre operam, ut his implicitum Imperatorem distinerent. Et Wirtenbergicus quidem Comes Eberhardus rebellionem auspicatus, sed exiguis septingentorum militum copiis, reliquis dissentientibus impar, à solo Sveviæ Advocato, Dynasta Winsbergio, profligatus, quadraginta facilè vel oppidorum, vel arcium possessione excidit, ut ex opulentissimo repentè egentissimus, vix tenue in quotidiani victus necessitatem subsidium impetrârit.

Henricus Rex Italicam expeditionem molitur.

Obstantes vincit.

Balduinus quanto poterat ære ad expeditionem Italicam promovendam collecto, junctus in Alsatia fratri, cum magno Principum Germanorum comitatu, per Helvetios (quamvis nuper anno MCCCVII. in temp. ab imperio, ob Ministrorum Cæsaris injurias segregatos) incessit, junctoque istic Amadeo Sabaudiæ Comiti Italiam tenuit. Ubi Henricus Cæsar ex Alpibus prospectans lætissimam regionis faciem, precatus Deum fertur, ne funestæ execrabilesque Italiæ factiones, sibi cum tot aliis Imperatoribus exitio essent. Et principia supra exspectationem secunda fuere. Nam Augustæ Taurinorum Astæque faustis apprecationibus exceptus, aliquot reficiendæ militiæ tempus dedit. Per Vercellas deinde Novariamque Mediolanum duxit, omniumque promptâ voluntate ac gratulatione, quamvis Guidone Turriano Vice-Comite per Fliscum Cardinalem vix inflexo, admissus est, & Longobardici regni coronam, nuper regii nominis odio abolitam, nunc instauratam admisit. Verùm ubi Matthæum Vice-Comitem, à Guidone pulsum, restituere sedi cogitat, Guidonis propemodum factione oppressus, in palatio occubuisset, nisi Leopoldus Austriacus vigilantia suâ, armorumque virtute rebelles ipso in conatu oppressisset, Guidone elapso, ac Matthæo * denique in

Principiis lætis succedit.

An. Ch. 1311.

Longobardicâ coronâ donatus pæne opprimitur.

Leopoldi Austriaci virtus & fides.

* *alii Mapheus legunt.*

locum fidemque Cæsaris recepto, cujus deinde posteri rerum istic potiti sunt. Brixiensibus quoque in fidem admissis Theobaldum Bursatum sibi juratum præfecit. Qui tamen, dum ceteras Imperator urbes subit, Cremonamque restitantem, victamque muris nudat, Brixiam ad defectionem inflexit; quam dum molesta obsidione Henricus premit, & Theobaldus animosius

Brixia rebellis expugnatur, & nudatur muris.

sese in castra effert, à Balduino superveniente, cæsis pluribus, interceptus, atroci (quadrifariam partitus, aut etiam, ut alii, bobus discerptus) morte perfidiam luit. Sed & Waleramus Henrici frater, ictu sagittæ stratus, Veronæ omnium dolore sepulchrum habuit.

An. Ch. 1312.

Brixia denique sub alterius anni principium, civibus (pendente ex collo laqueo) supplicibus, dedita, ingenti ære multata, muris dirutis, per quos victor invectus est, rebellionis culpam expiavit. Unde cum Genuam in Liguriam hibernatum concessisset, dum omni cultus honore istic hieme subsisteret, Margaritam XI. Decemb. conjugem, non sine opinione sanctitatis morientem, amisit. Hinc per Tyrrhenum mare Pisas, inde in Tusciam, Romamque, dubitantem num acciperet, cum milite transiit. Ubi factione Ursinorum & Columnensium divisa studia. Quorum hi Cæsaris partes secuti,

Romanorum factione didistinetur: coronatur tamen.

illi Roberti Apuliæ Regis ab Henrico alieni, quem Pontifex consiliorum pœnitens, metuensque Henrici, fovebat. Et hi Vaticanum jam, cum nova urbe, insederant; ut accessu Henricum ac coronatione arcerent. Sed is Cardinales officium detrectare non ausos, cum in Henrici potestate essent, ad Lateranum secutus, plurium istic Imperantium exemplo coronam sumpsit. Ubi cum non paucis ad præstandos sumptus pecuniis Balduinus fratri subveniret, Boppardiam illi

Balduino pro oblato ære Boppardia & Wesalia consignatur.

Wesaliamque trans Rhenum oppida, primò quidem pignoris, deinde, graviori adhuc ære obligatus, propriætatis titulo consignavit. Inde præsidio in urbe, sub Hugone Comite relicto, ac summa rerum Columnensibus mandata, contra Florentinos, parte exercitus in

Germa-

Germaniam remissâ, abiit. Ubi haud leve Balduinus periculum adiit, Trevirorum demum virtute hostium impetum superante. Desperatâ tamen ante hiemem victoriâ Bonitium deflexit. Atque istic, amœnitate montis captus, urbem cum suis moliri cœpit. Cui *Montis Imperialis* nomen imposuit, utque incolæ affluerent, libertatem spopondit. Hinc Pisas reversus contra Robertum Siciliæ Regem, ut hostem imperii proscriptum, exercitum instruxit, Balduino fratre in Germaniam novis copiis legendis transmisso. Sed aliud visum Superis Henricus non procul senis metatus castra, Boniconventi morbi sensim occupantis crescentisque vi occubuit. Quem nonnulli ex venenato Eucharistiæ cibo, aut poculo, Dominicanis malè in crimen pertractis hausstum esse, magis criminati sunt, quàm probârunt, Balduino ex fratris literis eorum innocentiam testante. Præluserat funestæ diei, quæ in XXIV. Augusti cadit, formidabilis plerumque magnorum ruinis Cometes, jam ante semestre in Virginis signo refulgens, toti imperio unius casu minatus; quod deinde pluribus capitibus turbatum magis fuit, quàm defensum. Corpus Pisas delatum, magnificóque in æde prima funere est collocatum. Meritus longiorem vitam, princeps, si prudentiæ & religioni illa deberetur. In multam sæpe noctem ante Crucifixi, quam secum deferebat, imaginem, precari visus, suisque sese irrigare lacrymis atque Eucharistico perquam frequens epulo accumbere, creditusque voluisse pacatâ Italiâ in orientem expeditionem moliri. Templariorum interea religio, ante annum à Clemente Viennensi concilio in Galliis damnata tum ob turbatam variis factionibus rem Christianam, cui propugnandæ in oriente potissimùm nati erant, tum ob insimulationem hæreseos, aversæque libidinis accusationem, Trevitis, & alibi terrarum, uno pæne tempore excisa est. Quanquam in synodum Moguntinam illius Dux ordinis Hugo Comes Silvestris cum XX. armatis improvisò progressus,

Florentia frustra tentatur.

1313.

Mons Imperialis exatatur.

Henricus, Balduino in Germaniam reverso, extingVitur, egregiæ pietatis Princeps.

An. Ch. 1314.

Templariorum hoc tempore ordo excisus est, qui diversa apud Treviros loca occuparat.

greſſus, ea propugnatione cauſæ ſuæ, criminúmque purgatione uſus ſit, ut ferendam in ſe ſuorumque capita ſententiam eo loci temporisque diſcuſſerit. At Pontificis Principumque demum conſpiratione obruti, extirpatique ſunt, bonis in Hoſpitalarios aliorumque uſus diſtributis. Trevirenſi in urbe, & Vico ad Moſellam Coberino, tum Viennæ Lutzelburgica regione, & Gilstorffii juxta Suram, aliisque quibusdam locis conſediſſe videntur. Mirumque fuit, tam validam domiciliis opibusque latè in orientem uſque ſparſis, repentino excidio corruiſſe. Nec (quicquid in utramque cauſæ partem diſceptatur) dubium eſt, quin innoxios quoque, ut in bello, eadem clades involverit. Verùm, *ad putredinem à toto arcendam corpore, ſana etiam in gangræna partes inſcinduntur.*

Schiſma Electorum. ſed Ludovico Bavaro à plerisque prælato.

Certatum deinde ſententiis Francofurti in novi Regis electione pertinaciter fuit. Petrus Moguntiacus & Balduinus Trevirenſis Archiepiſcopus, cum Joanne Bohemiæ & Saxoniæ Duce Ludovicum Bavarum; contraque Henricus Colonienſis, Walramus Brandeburgicus, &, quod mireris, Rudolphus Bavarus Ludovici frater gloriæ æmulus Fridericum Auſtriacum Alberti filium deſignabant. Illi verò potiores numero atque autoritate, Brandeburgico etiam, ut videtur, accedente, Ludovicum Aquisgranum deductum coronârunt. Balduino eâ lege Moguntino primas indulgente, ſi id deinde juris ex privilegio iſtic ſibi præ Trevirenſi competere demonſtraſſet, quod infectum manſit. Coronatum verò Ludovicum Coloniæ, invito licet Archiepiſcopo, pro Imperatore accepit, coluitque.

Fridericus Auſtriacus Ludovico opponitur.

Fridericus ergo Auſtriacus ab Henrico Bonnæ exceptus, coronáque donatus eſt, quo honore fretus in ſuperiorem Germaniam ſe recepit, armorum diſcrimini ſortem ſuam commiſſurus, cum inferior Germania pro Ludovico, Agrippinatum Præſule dempto, faceret. Hic verò Coloniæ adhuc commorans, cum aſſenſu procerum, non ſolum Balduino ſuperiorum Cæſarum indulta firma-

firmavit; sed etiam quidquid juris actionisve sibi imperiove in Diœcesin Trevirensem, inprimisque Meinfeldiæ agros, castrumque Thuronense, quocunque demum titulo, etiam hereditatis competeret, id omne Balduino transcripsit, imperiumque illi in subjectos omnes summum, & cetera supremæ adjuncta potestati jura indulsit.

Balduino jus omne in Meinfeldiam & Thuronum transferibitur.

Balduinum postea Bohemia, cujus rebellione Joannes Rex ipsius nepos jactabatur, in subsidium, unà cum Petro Moguntinensi, exciverat; cùm Ludovicus Rex, ad Eslingam Sueviæ oppidum à Friderici copiis obsessus, periculum adiit. Unde, versis huc cum Joanne signis, hunc rectà traducit in oppidum, militemq; castrensem prisco more inauguratum, adversus hostem emittit, eo successu, ut Fridericus in fugam aversus victoriam utrique Regum cesserit. Leopoldus tamen, Friderici Germanus, rem Fratris acturus, in Nemetes arma vertit, utque ingens superioris anni fames, inopiaque ac pestis exhauserat latè omnia; ita Ludovico hic rursum sese objicienti brevi defuissent omnia, nisi Balduinus commeatu ex Treviris advecto, huic opem, hosti rursus desperationem attulisset. Quocirca & Ludovicus Spiræ rursum facturus Balduino gratiam, ad Bopardiæ & Wesaliæ confirmatam possessionem, Galgenscheidium territorium, pignori tamen, adjecit. Neque verò Balduinus, has inter militiæ curas, reip. Ecclesiæque studium deposuisse visus est. Cùm, & vias per Diœcesin publicas, atque inprimis cis ultraque Mosellam, pluribus vix locis permeabiles, instaurari, munirique, & Gelbin Erubrumque amnem lapideis sterni pontibus imperârit; tum & sacra per Hartungum Matrezensem Episcopum administrari, suffraganei ut apparet operâ, procurârit.

An. Ch. 1315.

Joannes Rex Bohem. & Balduinus Ludovicum liberant, Friderico fugato.

Balduinus remp. & Ecclesiam per se & suffraganeum curat.

Porrò & Ludovicum pecuniarum rursus indigum, 58000. & trecentis libris Hallensibus levavit, Bacharaco oppido, Stalbergo, Staleco, & Brunshornio arcibus, adjunctisque agris servitiisque in vicem pignoratis.

An. Ch. 1316.

Varia Diœcesi adjicit.

Qui-

Quibus acceſſit, novâ clientelâ Eccleſiæ devinctus, Udalricus Landgravius Luechtenbergius, mille librarum ære. Adeo in tenui ceterà Diœceſi affluebant
1317. Balduini induſtriæ omnia. Quâ & anno proximo, arcem Sternenbergiam feudi ſibi jure obſtrinxit, &
Witlichinm & Meginam oppida perficit. Witlichium Meginamque haud ignobiles vicos, abſolutis Majorum operibus, in oppidorum formam redegit.

Nec multò poſt tempeſtate belli Colonienſis impeditus hæſit. Henricus enim Antiſtes Wilhelmo Juliacenſi, Ludovici partes ſecuto infeſtus, Tolbiacum, vetus Colonienſis agri oppidum, majori armorum vi extorturus videbatur; cum Balduinus imploratus auxilio adfuit, minacemque hanc nubem diſcuſſit. Hinc tamen Henricus versâ in urbem Colonienſem indignatione, obſidione viarum & deprædatione,
Contra Henricum Col. Archiepiſc. arma expedit. civibus, ex Brulenſi caſtro, infeſtus imminebat: quando & huc Balduinus cum Joanne Bohemiæ Rege evocatus opem vertit, ac Gerardo Juliæ Adolphoq; montium & Joanne Seynæ Comitibus adjunctis, quatuor
1318. menſibus caſtrum Brulæ obſedit, pactisque illis obtinuit, ut ſiquid deinde turbarum Henricus rurſum daret, everteretur. Ducentarum verò librarum æs Balduino penderet, quo belli detrimenta ſarciret.
Brulam expugnat, ac denique Colonienſibus tradit.

Sed ut inquietum Henrici ingenium fuit, pactorum immemor, caſtro excidit, quod Balduinus Colo-
1319. nienſibus, ea tamen lege, ne everteretur, tradidit. Archiepiſcopo æquiora ſtatuenti aliquando reſtituendum.

Sub hæc ingenti Leopoldum Auſtriæ Ducem fines Nemetum exercitu ſubire nuntiatur; contra quem Ludovicus Cæſar profectus, Balduinum cum Joanne
Ludovicum rurſus tuetur. Rege auxiliisque Moguntinenſium poſt ſe trahit; ſed & Fridericus mox fratri adfuit. Qui tamen ubi imparem ſe viribus ſenſiſſet, reductis trans Bruſcam copiis, pugnandi aleam declinavit, retróque unde venerat, diſceſſit.

1320. Quo tempore, cùm Petrus Moguntinenſium Archiepi-

chiepiscopus vita abiisset, egregiæ laudis Antistitem Balduinum, prudentiâ & magnanimitate turbatis his temporibus Trevirensibus optimè consulentem, idem Clerus suæ Diœcesi postulabat. Verum hanc ipse nisi ex Pontificis voluntate provinciam sibi imperatam declinabat, qui id minimè convenire ratus Matthiam Burgundum Bucheghi Comitem Morbachiensis Abbatiæ Præsulem edidit, totum deinde ex Balduini consiliis arbitrioque pendentem. Quo autore etiam à Canonicis admissus, Cæsarque ei regalia impertitus est. Ipse verò S. Goaris ad Rhenum Canonicis, Patroni sui, à Cardonensibus in discrimine bellorum custoditi, Reliquias, ut reciperent; non satis felici apud posteros eventu indulsit: cum illæ nunc sub hæresi ignoratæ delitescant, & mutua, quam pacti erant, hospitalitas, cum iisdem interciderit.

S. Goaris Reliquiæ malè à Cardonensibus reductæ.

Subinde Balduinus parata, quæ habebat arma, in Rudolphum Bavariæ Palatinum, Spanheimenses Nassaviosque ac Joannem Crucinacensem Comitem adversum se conjuratos, felici successu vertit, castrumq; Sprendlingum expugnat, Crucinacensem agrum latè vastat, Castellunum denique supplici Spanheimensis Comitis uxori, sibi cum liberis ad pedes accidenti donat, cum ex propinqua Falkenburgiorum stirpe esset. Hinc ad Loganam contra Joannem & Wernerum Westerburgios movit Comites, arcemque Baldensteiniam, quâ tanquam frenum contineret, Brechenæ munitione destructa, illorum in fundo excitavit, quem tamen, ne quid litium relinqueret posteris, postea ab iisdem conciliatis emit. Reichenbergi verò castrum, Asiatico opere, duabus in excelsa rupe assurgens turribus, quæ concameratione perpetuâ sine tectis impluviisque efferuntur, jure clientelari Wilhelmo Catimelobochorum Comiti, non procul ab ulteriori Rheni ripa, possidendum obtulit.

Balduinus armis suæ Diœcesis hostes ad obsequium redigit.

Baldensteinium erigit.

Porrò in Baccharacensi comitio à Ludovico literis publicis obtinuit potestatem redimendi, quidquid

An. Ch. 1321.

cx

Jus bona quædam & feuda imperii occupanda obtinet.

ex imperii bonis oppignoratum aliis, optimóque jure fruendi: dum sibi aut successoribus vendicare, redhibito pretio, lubeat. Quod privilegium ad feuda etiam caduca imperii, dummodo VI. marcarum argentimillia non excederent, propagatum est. Cæsaris-Eschium verò Ludovici assensu inclusum muris oppidi libertate donavit, & Schadecum haud procul Vilmaria feudi sibi titulo obnoxium reddidit. Jacobo quoque Monclerii Domino, Marceranæ advocationis, aliorumque locorum beneficia, ut jurato clienti detulit, quamvis hostilia deinde suum in Dominum molienti. In Crikingenses postea Dynastas, Metropolitanæ Ecclesiæ injuriosos, arma vertit, atque ad instauranda damna, pacemq; sanctius colendam facilè inflexit. Quam & Rudolphi Boici heredes, cum Nassoviis ac Spanheimensibus, demum lubentes accepêre, suoque ex his Simon Comes emolumento, receptis, quæ amiserat, locis coluit; Kirchbergense tamen castrum beneficii titulo, nec sine pretio, admisit.

Cæsaris-Eschium fit oppidum.

Pacem cum vicinis sancit.

1322. Denique post longos bellorum circuitus Fridericus Austriacus cum Ludovico prælio in Bavaria, quam populabundus invaserat, juxta Oenum fluvium haud procul Oetinga congressus est. Huc enim Ludovicus se cum Balduino & Joanne Bohemiæ, defensionis gratiâ, obviam tulerant. Et sanè ut erat Fridericus animo imperterritus manuque fortis in mediam sese hostium ingessit aciem, ratus dissipatam facilius everti posse, sed funesto hoc consilio ipse cum suis inclusus, & quamvis fortissimè pugnans, ut quinquaginta interemisse feratur, inferior denique equo trajecto succubuit, vivusque in Ludovici potestatem venit, cui, ut vitam redimeret, lubens deinde coronam regnique insignia, quamvis Leopoldo, ad insaniam usque, pertinacissimè repugnante, concessit. Adeò fratrum dispar gratia, Rudolpho Bavaro contra fratrem, Leopoldo Austriaco pro fratre usque ad mortem depugnante,

Fridericus superatus & captus, regno cedit.

Treviris interea, pro Rotunda, versus Mosellam, Pons

Porta, inter D. Martini cœnobium (quod Mosellæ ripis incumbit) & urbem media, jure decertatum est; cum quæque partium hanc sui esse arbitrii vellet. Sed eademum lege certamen positum; ut utrorumque cum ponte censeretur, & Abbas affixa cœnobium versus sera, cives urbem versus firmarent, nec alteris sine alterorum consensu pateret. Quæ verò extra urbem ad litus & cœnobium vergunt prata, solis Religiosis paterent. Treviris lis de Porta Rotunda componitur.

Collegium verò Monachorum D. Wilhelmi Limburgum ad Loganam, ex vicina insula inundationibus obnoxia, translatum est. Quibus illic sedem quondam Gerlacus Limburgi Dynasta aperuerat. Sed translationem Balduinus probavit indulsitque. Qui Diœcesi suæ amplificandæ identidem advigilans, Wellensteinium, haud procul Crucinaco, Nevenbergum à Comite Silvestri Friderico, ac turrim unam castri Spanheimensis, feudis Ecclesiæ adjecit. A Joanne etiam Bohemiæ Rege jus clientelare in Simmeranos Palatinos sibi vendicavit, fundosque Georgio, ex Silvestribus, sive Hirsutis, Comiti beneficii titulo concessit. Teutonici verò ordinis viris, Marpurgi in Hassia agentibus, Schiffenburgum (B. Augustini quondam Canonicis donatione Clementiæ Comitis sub Meginero assignatum; res nunc cum disciplina prolapsum) attribuit, eâ lege, ut XII. istic sacris viverent initiati. & ex his presbyteri minimum sex, tum verò remisio vectigali novem marcarum æris, sibi quotannis debito, eleemosynáque liberali addita, memoriam parentum, binis quotannis sacrificiis recolendam instituit. Conradus Hassiæ Landgravius Ludovici, qui S. Elisabetham duxerat, frater, hos primo Teutonicos, in pœnam vastatæ à se Fritzlariæ, Marpurgo introduxit, illisque junctus, atque eximia virtute spectatus, toti Magister ordini præfectus est, atque ibidem sepultus, ubi B. Elisabethæ Cineres in excitata Teutonicis Ecclesia religiosè asservati fuêre, nunc à degeneri in fide posteritate neglecti. Monachi S. Wilhelmi Limburgum inducuntur. An. Ch. 1323. Aucta Diœcesis. Simmerani clientes. Teutonici admissi Schiffenburgi. Qui Marpurgi ante recepti erant.

Meten-

An. Ch. 1324.

Metenſium ſubinde rebellio Balduinum cum Bohemo Lotharingoque in arma traxit. Hi Henrico Delphino, profanæ vitæ Epiſcopo, potiſſimum incitante, Ludovici imperium aſpernabantur. Viis igitur á Balduino ab urbe intercluſis, vicini quà rapinis, quà incendiis agri latè deformes, exhauſtique cum ipſius urbis incolis, tandem ingenti hos ære rebellionem luere, pacemque redimere coëgerunt. Hinc igitur ad diœceſis rurſum commoda Princeps verſus, Smeidburgum partemque Neurenburgi poſſeſſionibus adjecit. Hennenbergium verò Comitem, marcarum argenti XLI. cenſu annuo, clientelæ ſuæ obnoxium fecit. Advocationem quoque Creutzenſem ex fundo imperiali vectigalibus amplam, ab Ægidio Daunenſi Domino, unà cum agris Decimisque Ponderchi Urcetique, oblato à ſe ære, traduxit. Sequentemque ad idem ſtudium annum vertit, quando ad Cynonoti * Prædones compeſcendos Baldenecum caſtrum, haud procul Tryſtio in montanis condidit, pace aſſenſuque vicinorum Comitum Spanheimenſium. Ex quibus Comes Joannes Winterbergum in feudum obtulit. Cujus beneficio Furſtenbergium longâ obſidione ad inducias traduxit. Quibus tamen perfidè deluſus fuit.

Metenſes rebelles à Balduino fracti.

Clientelas auget.

1325.

* *Inter Moſellam Rhenumque*, Hundsruck.

Baldenecum ædificat.

1326.

Ad Meginenſe oppidum porrò, ſuis jam mœnibus probè ſeptum, collegium Canonicorum, ex Lonechio, ubi propter immodicam hoſpitalis vitæ licentiam res familiaris intercidebat, conſultò tranſtulit. Quo & oppidi celebritatem augeret, & Canonicorum libertatem muris clauſtroque ſeptam, imminueret. Moxque ad ſolennes curas reverſus, Rilenſem curiam à Brauvillernis, juxta Ubios, cœnobitis mille ducentis libris, Kilpalatium, Dalheimium, Weltzbillichium à Philippo & Alexandro Spilbergiis mille 80. æris libris quæſivit.

Meginam Lonechio Canonicos transfert.

Nova Dominia acquirit.

Interea Ludovicus Cæſar, jam regno ſecuriore inſolentior, ſpretâ Pontificis in Galliam ad Coronam invitantis poſtulatione, contra Balduini aliorumque Procerum conſilia ſpectabat Italiam, Galeatio Mediolanen-

ſuæ

sium Duci & Castrucio Lucensium Principi invitantibus obsecutus. Quocirca lectis copiis, & inferioris Rheni Dynastis Reinaldo Geldrio, Wilhelmo Juliaco, Theodorico altero Clivio, altero Montensi, stipatus, Alpes, reclamante Joanne XXI. Papa, transit, & ferreo Mediolani diademate revinctus est, Galeatio, dum in pecuniis annumerandis cunctatur, ad carceres amandato, dignâ scilicet invitantis mercede, quâ apparuit, malum consilium consultori fuisse pessimum. Hinc Romam cum attigisset, inter Stephanum Columnam aliosque Senatores, à Jacobo Pratensi & Ellerensi Episcopis, sacro tinctus oleo, coronam suscepit. Moxque Joannem à quo communione Ecclesiæ privatus erat, suo judicio, depositurus, IV. Idus Maji Petrum Rainalucium, ex Franciscana familia, in sede Vaticana Nicolai V. nomine collocavit, decrevitque Romæ residendum Pontifici, nec fas ultra trimestre hac Cathedrâ discedere. Regi etiam Romanorum non deferri ab illo imperium, sed uniri solum, per inaugurationem illam, Romanæ Ecclesiæ, fidemque divinam, non fidelitatem Pontifici addicere, adeòque nec jus conferendi imperii ad hunc devolvi; sed penes Electores consistere. Quibus decretis cum temerè sibi stabilire imperium nititur, evertit, velut *æger inconsultus*, qui *pro remedio venenum apprehendit.*

Ludovici consilia in Italiam pro corona, invito Pontifice, transeuntis improbat.

An. Ch. 1327.

A Pontifice excommunicatus, alium Nicolaum V. in sedem malè sufficit.

Negat jus Pontifici in Imperatorem, & imperium politicum esse.

Balduino inter hæc nova belli subnata seges. Nam primò Moguntinensi Antistiti Matthiæ adversus Henricum Landgravium Hassiæ, ob caduci feudi controversiam, dissidentem præsidio adfuit, Giessæque illum oppido clausum ad deditionem obsequiumque Matthiæ præstandum compulit; tum illius vicissim fretus militе Boppardienses refractarios, post inflammatam oppidi partem, libertate ac privilegiis, quorum fiduciâ rebellarunt, abdicatis, ad gratiam impetrandam supplices, ad fidem præstandam devotos habuit. Subinde abs Joanne Saræpontis Domino binis librarum millibus S. Wendalini oppidum ad diœcesin traduxit, &

Henricum Landgravium Hassiæ Balduinus bello cogit.

S. Wendalini oppidum diœcesi adjungit

ne vacillaret traditio, cautum de exceptione quavis, non traditæ, aut redactæ in usus pecuniæ; actionique in factum omni, quâ error dolusve obtendi posset, renuntiatum. Quo tempore Nobilitas quoque cum urbe Trevirensi in certamen, prædarum licentiâ, per absentiam Principis delata est. At brevi sopito incendio, plures ex illa civitatis jure donati sunt, mutua ope, ut aliàs promissâ. In quibus Wiricus Landirius, Arnoldus Wiskirchius, & Tilmannus ex Rodemacra numerantur. Quibus & postea Ægidius Duna accessit, armis pro urbe contra Joannem de Berge & Jacobum Monclerium sumptis auctorati.

Nobilitas Trevericæ urbi adscripta.

1328.

Sed à superioris expeditione belli solutus Balduinus, inexspectato à muliere casu, tot bellis invictus liberq;, in captivitatem abstractus est. Secundo is Mosella, exiguo comitatu, ut in pace suosque inter, deferebatur, juxta Starckenbergi arcem, haud procul Travenerbachio oppido; cùm ad extensas sub aquis catenas navis improvisò hæret, dumque transitum moliuntur, circumsistit excubitor miles, & Archiepiscopum, jussu Lauretæ viduæ Spanheimensis, ut videtur Simonis, Comitis abducit, arcisque custodiæ includit. Unde, nisi lytro XXX. millium florenorum, & promissione factâ, nullius in solo Birckenfeldensi castri extruendi, abire non potuit.

Balduinus à vidua Spanheimensi captus.

Quâ conditione dimissus sit.

Quo tempore, Matthia Moguntinensi Præsule morte sublato, rursum Balduinus postulatus, rursum abnuit, ac Henrico Virneburgio quem Pontifex offerebat, locum fecit. Verùm cum Clerus non oblatum, sed à se electum jure suo urget, triennio integro, quo hæsit controversia, Balduinus dissimulatione Pontificis, ex Cleri voluntate res Ecclesiæ illius cum laude administravit, & turbatam hoc interregno non leviter remp. sustinuit. Nam è Thuringis Erfordienses, cùm quosdam è Clero, velut Pontificiæ libertatis patronos, aut interemissent, aut captivos attinerent, anathemati illos Balduinus subjecit. Moguntinenses verò Cleri Ecclesiæque libertatem vio-

Balduinus rursum pro Moguntinensi Cathedra postulatur.

Erfordiensibus sacra interdicit.

An. Ch. 1329.

lantes, spreto Balduini imperio, duplici ad obsequium freno revocavit: Elveldium denis infra Moguntiam passuum millibus, in ripa ulteriore, firmâ instruxit arce; supra urbem verò ad Mœnum, unde Francofurto commeatus deferebatur, Flersheimensem ædem, castelli in modum circumducto munivit opere, atque ita clausis fluminibus, vastatisque juxta agris, vicina quoque urbi insedit præsidia, ut inopiâ denique imperium persuasi acceperint. Quamvis Ecclesiæ D. Jacobi, Albinique ac Victoris, eversis, vel Cleri odio, vel obsidionis metu, domiciliis, haud leve damnum acceperint.

Moguntinenses sibi & Clero rebelles frangit.

Tantæ in omni expeditione, & rerum administratione felicitatis Principem, mox certatim viduæ omnes ambire Ecclesiæ, tutoremque deposcere. Cum enim hoc tempore Wormatiensium Antistes Cuno Schonecus abiisset vitâ, Balduinum Clerus adversus Gerlacum Schenckium, ambitione præcipitem, & rogavit, & tantisper, dum periculum discuteretur, obtinuit. Nec multò post Bertholdus Spirensis ad Argentinensem, illâ relictâ, cathedram transiit, quando in Balduinum rursum, tanquam hominem universis hisce curis parem, vota omnium conversa sunt. Quarum Ecclesiarum ita defensionem sustinuit, ut sibi hinc nihil decerpere utilitatis, commodum ad illas omne derivare visus sit. Quæquitate, ut amorem universorum, ita obsequium sibi boni cujusque addixerat,

In Wormatiensem Antistitem contra Schenckium eligitur.

Ad Spirensem etiam cathedram postulatur.

At enim sub hoc tempus, postquam decisa lite Pontificem inter Clerumque Moguntinensem, & hi Virneburgium, & Wormatienses Schenckium jussi admittere, utrisque recipiendis Balduinus etiam operam impendit, moxque etiam Walramo Veldentiæ Comitis filio, ad Spirensem cathedram aditum patefecit. Quin hoc etiam beneficium Henrico Hohenbergio Fuldensi Abbati contra Joannem Zigenhainii Comitem præstitit, ut armis arbitrioque intercedens, huic arma excuteret, illi amissam sedem restitueret.

Virneburgio & Schenckio Balduinus defert.

An. Ch. 1330.

Et Joannes Rex Bohemiæ Lutzelburgensis comitatus

Ludovicus in Italia adversantem sibi Joannem Bohemiæ Regem proscripturus per Balduinum sistitur.

administrationem Balduino transcripserat, traducto in Italiam exercitu. Quâ expeditione cum Gibellinæ Cæsareæ factionis homines premeret, offensus Ludovicus, eum, ut imperio rebellem proscripturus erat; nisi Balduini interventu mitigatâ aliquantulum indignatione Cæsar substitisset. Quod Joannem Brixianis solùm de Patre optimè meritis, contra Bergomates Cremensesque imploratum, opem tulisse contenderet, Verùm Cæsar, cùm obliquè se peti sensisset, alios quoque bellicoso Principi hostes comparavit, arte artem illusurus, ac se deinde recepit in Germaniam imperii negotia propius illic adfuturus.

Balduinus ita aliorum res curat, ut suæ diœcesis non negligat.

Balduinus verò ita aliorum se dabat commodis: propriæ ut Diœcesis obliviscì nunquam videretur. In quâ, ut pietatem firmaret altius, Carthusianos Patres, austeritate juxta ac sanctitate vitæ singulari id temporis florentissimos, sub ipsis Augustæ Trevirorum urbis mœnibus collocavit, attributis ejus loci agris vinetisque ac Sacello D. Albani, à Warnesbergio D. Matthiæ Abbate justa emptione traducto, atque exinde Religiosorum domicilia, cum templo, attolli sensimque habitari cœpta. Quorum pietate ac vitæ integritate usque adeò delectatus est Princeps; ut & sibi ad divertendum, privatisque religionis exercitiis vacandum habitationem apud eosdem instrui voluerit; auctorque Joanni Bohemiæ Regi fuerit; ut iisdem Pragæ Monasterium, locuplete censu instructum, basilicamque excitarit. Ipsi verò eosdem Confluentiam quoque, ad montem S. Benedicti situ Ubi vicinum, recepit. Ubi olim ex S. Benedicti instituto recepti Monachi, cum solutioris vitæ libertas ad eam degenerassent licentiam, ut nec à submissioribus Treviris Walramo SS. Martyrum Abbati frenum sanctioris disciplinæ admitterent, per Balduinum loco moti sint, & Collegium XII. Canonicorum eodem traductum fuerit. Verùm his alendis, postquam impar census repertus est, maluit denique parciori vitæ, sanctioribusque obstrictis vivendi legibus hanc sedem indulgere

Carthusianos Patres ob vitæ sanctitatem Treviris & postea etiam Confluentiæ recipit.

1331.

Ante Benedictini, postea Canonici, denique Carthusiani Montem S. Beati occupant.

Quocirca ducta huc etiam anno hujus seculi primo & XXX. Carthusianorum è Treviris Colonia, qui deinde singulari hunc Montem integritate morum, ac religionis cultu sacrarunt.

Inde domestici belli cura Balduinum excepit. Quatuor è vicina Trevirorum nobilitate familiæ conjuratâ adversus Principem arma sociarunt, Eltii, Ehrenbergii, Waldeci, Schoneci munitis singulæ castris firmatæ. Quæ cis ultróque Mosellam, vias, commeatusq; omnes emissario milite intercipiebant. Balduinus hoc igitur aggressurus ordine, Eltziam arcem primó, seu Alisontiam (sic ab amne præterlabente dictam) ductis in Meinfeldiam copiis obsidione clausit, utque frenaret certius, incredibili celeritate ei validam in propinquo arcem, á suo & fluvii nomine Baldeneltziam nuncupatam objecit, Solmertzium quoque castrum Ecclesiæ feudis suæque fidei pretio addixit, ac præterea Winteranam tutandis finibus, Reuschenbergiam verò arcem novo opere hostibus frangendis excitavit. Quibus omnibus cum federati sese futuros denique impares agnoscerent, in fidem Archiepiscopi, ejusque, & mutuam defensionem, stante hodiedum quatuor familiarum fœdere, jurati transiere. Quamvis Waldecani Colonienses agri finibus teneantur: ceteri verò, juris eo tempore imperialis, Treverici nunc esse cœperint. Joannes verò Eltzius jam tunc Balduini in clientelam transiit Baldeneltzia sibi arce commissâ; plexus verò Spanheimensis, quòd ex arce Castellauno commeatum bello Eltziano suppeditasset.

Conjuratam fide & armis contra se nobilitatem vincit, sibiq; addicit.

An. Ch. 1332.

Variis arcibus excitatis arces Adversariorum expugnat.

Hac pace sancitâ, Noribergensia Comitia adiit, cum aliis illic Principibus & Ludovico, de rebus imperii, quarum præcipuam curam Balduinus sustinuerat, consulturus. Ubi Balduino Cæsar ob navatam fideliter operam, vetera Archidiœcesis suæ privilegia confirmavit, ut immunitas vectigalium tributorumque constaret Ecclesiasticis, nisi quæ negotiandi gratiâ transportarent: jus præterea monetæ, lignandi dominiorum, teloniorum,

Noribergæ in Comitiis privilegia Archiepiscopi firmantur.

rum, feudorum Covernæ superioris inferiorisque, tum proprietatis in Monasterium S. Maximini, Advocatiæ in Wadegassense & Springirsbacense, tum possessionis in oppidum Monasteriorum Meinfeldicum, castrumque Thuronii novo diplomate ratum habuit. Profugos à Diœcesi in ceterarum imperii urbium jura recipi vetuit, indulsitque, ut omnes sibi, clientelis obnoxios, ex formula imperialis curiæ judicaret. Tum nemini per imperium fas esset, castra propugnaculàque infra leucam à fundo Diœcesis Trev. erigendi, Archicancellarii etiam regni Arelatensis munus, ceteràque à majoribus indulta Archiepiscopis beneficia, sancta inviolatáque perpetuùm esse jussit, pœnâ centum librarum auri refractariis imperatâ. His altero deinde adjecit diplomate jus regalia conferendi, Imperatoris nomine, Prumiensi atq; Epternacensi Abbatibus, cum privilegiis, honoribus, titulisque universis, ter millibus marcarum argenti puri invicem acceptis, refundendisque, si beneficium adimeretur. Quæ cum ab excommunicato quidem, nondum tamen abdicato Cæsare decreta sunt, ratis accensentur. Quamvis abdicantibus postea Ludovicum Balduinus suffragator accesserit. Quo tamen facto ingratitudinis malè arguetur: cum *iniqua in re, plus æquitati, quàm amicitiæ sit tribuendum.*

Clientes juxta Imperii leges judicare potest.

Vetitum imperiali lege ne quis castra, intra leucæ spatium Diœcesi opponat.

Abbatibus Prumiæ & Epternaci jus regalium confert.

An. Ch. 1333.

His aliisque domi ac peregrè reip. negotiis implicitus Danieli Suffraganeo Episcopo Mocensi spiritualium rerum curam commiserat, qui hoc tempore principem Trevirorum basilicam humani sangvinis profusione maculatam, lustricis rursùm expiavit Ecclesiæ cæremoniis, proclamata etiam pœnarum remissione, qui requisito sacramentorum usu ad hanc solennitatem præsentes se comparâssent, ne domus interna minus, quàm externa Deo sacraretur. Quando tanta se aquarum illuvie Mosella infudit urbis mœnibus, ut civibus hauriendæ ab aquis urbis timor ingestus sit. Balduinus verò inter hæc post Cæsaris-lutræ oppidum, in Westerichi finibus, Diœcesi adjectum, illi variis locis, ab

Metropolitana Ecclesia per Danielem Suffraganeum expiatur.

Cæsaris-lutra Diœcesi

ab internis externisque vexatæ hostibus, ad quietem componendæ vigilabat. Quare inprimis ad frenandam prædandi licentiam, quæ nobilium id temporis, quos armigeros dicebant, frequens invaluerat, cum vicinis Comitibus Principibusque generale fedus sanciit, in quadriennium propagatum, quo certos quisque fines tueri præsenti milite teneretur, quæ res plurimum ad quietem publicam valuit. Trev. addita. Fedus contra prædones.

Tum deinde cum Rudolpho Lotharingiæ Duce variarum controversiarum, ex feudorum præcipuè confusione nata, capita his legibus sustulit. Primò quidem, ut incerti juris feuda Balduinus Rudolpho condonaret. Deinde restipuletur ipse, quod beneficii nomine à Trevirorum Archiepiscopo possideat Sircium Castrum, cum oppido, Lumersfeldium, Berris, Daïle, Sirsbergum, Walderfingum, Velsbergum, & Monclerii, Marcetique partem, ac Sargoviæ advocationem. Tum deinde renuntiaret juri suo in arcem Neuerburgicam tractumque S. Wendalini ac jurisdictionem Perræ & Overlucæ, Saræque immunitatem à portoriis adderet. Quibus conditionibus pax stetit, firmata etiam subscriptione Henrici Vaudemontii, Joannis Saræponsis & Petri de Barro. 1334. Controversæ cum Lotharingiæ Duce compositæ. Feuda Lotharingi.

Accessit his etiam ceterarum Diœcesium cura, quam Clero urgente pacisque communis gratia, licet Pontifice Episcopisque parum lubentibus, sustinebat. Unde Erfordiensibus à Friderico Misnienſi Marchione bello pressis adfuit; sed cum ipsi accessum in urbem Balduino negarent, neque sat tutus alibi contra hostem receptus esset, junctis cum Friderico consiliis, urbem validissimam, cum XVI, ut ferunt, Principibus; obsedit, ac denique reluctantes ad obsequium Cives, Clerum vinculis detentum ad libertatem revocavit. Spirensem verò Episcopatum ære alieno exsolutum, pacisque florentem studio. Gerardo Ehrenbergio, Canonicis probantibus, transcripsit, ac sequenti post anno Moguntinensem Virneburgio plenè, Pontifice urgente, cessit, licet; An. Ch. 1335. Erfordienses domat, Clerumque liberat. 1336. 1337.

Spirensi & Moguntinensi Episcopatu abit.

cet; Clerus obniteretur, qui tamen hunc demùm, quàm alium à Pontifice inferendum, maluit sustinere, ne libertatem eligendi suo is sensim imperio ereptum iret.

Sodalitas Clericorum sub patrocinio S. Joannis, à Balduino probata & frequentata.

Sodalitium hoc tempore S. Joannis Evangelistæ, ad excitandam Cleri pietatem, erectum est, per Joannem de Duna summæ ædis Decanum, qui hoc consilio Metropolitanos, ac Deiparæ Matris Vicarios, Presbyterosque, quos à S. Banto Bantinos dicunt, uno ligatos sodalitatis fedære, ad illius potissimùm curam & incrementa vigilare jussit, eóque nomine Oratorium S. Andreæ & sacra commisit, placuitque Balduino pii ratio instituti, ut & illius approbationem à Benedicto XII. Papa obtinuerit, & Indulgentiarum largitione, ac suo ipse Congregationis aditæ exemplo, præcipuos è Clero secum traxerit.

1338.

Luxus vestium in Clero Religiosisq; correctus.

Quin etiam ad firmandam Cleri disciplinam, indicta provinciali synodo, decretis saluberrimis vestium, in Clero Religiosisque hominibus luxum severè cohibuit: ratus solutam vestiendi licentiam, solutioris plerumque vitæ libertatem comitari. Wesaliæ etiam superioris Canonicos in ædem Deiparæ Virginis parœcialem ante XXX. annos receptos, certis istic legibus præceptisque vivendi firmavit: ut videlicet penes Archiepiscopum esset legendi Decani faeultas, penes Patronos verò, ut erant nobiles de Horreo, Canonicos admittendi, qui tamen, nisi sacerdotio intra annum initiati essent, excideren beneficio, jusque substituendi ad Decanum recideret. Nulla omnes, nisi ex assidua sacrorum frequentatione, stipendia mererent. Quam legem multi ita probant; ut optarent, ad noxia præcidenda Cleri otia, esse universalem.

Wesaliæ Canonici ad disciplinam formati.

Judæi à Christianis Rhenensibus iniquè oppressi à Balduino defenduntur.

Compositum & hoc tempore atrox Wesalienſium ac Boppardiensium diffidium, quod ex veteri simultate, ob illatam B. Wernero necem, cum pervicâci Judæorum secta, Armledero quodam Duce, susceperant. Quo interfectis ex ea gente pluribus, bona fortunæque infelicium direptæ, frustra obnitentibus reip. Præfectis.

Unde

Unde majori Balduinus vi atque autoritate populi furorem castigavit, incolumemque ceteris Judæorum vitam habitationemque præstitit. Videnturque huic immisti Baccharacenses seditioni fuisse, cum gaza templi Werneriani, tanquam à Judæis aversa, jussu Principis in fiscum subducta fuerit: at eventu infelici, cum Satellites qui navigio thesaurum exceperant, vix medio excepti Rheno, miserabili eventu mersi, violatæ religionis pœnas exsolverint. Quâ occasione Trevirensis civitas receptorum in urbe Judæorum tutelam poposcit, unà cum censu; seditionisque cavendæ prætextu, seditionem pœnè exorsa fuisset: ni Princeps, tanquam jus regalium attrectantem, tempestivè cohibuisset. Quæ superioris anni gestis jure accenseas.

Thesauri Baccharensis è templo ablatio cœlitus punita.

Urbi Trev. jus in Judæos negatur.

Hoc anno mense Julio collecti Rensæ supra Confluentiam in Rheni litore Septemviri, communicatis consiliis politicam adversus Pontificem Cæsaris potestatem stabilire conati sunt. Cum enim Ludovicus Rex Benedicto Joannis Papæ successori frustra supplex, per Legatos Avenionem missos, fuisset, seque admitti in gratiam rogasset, indignati Principes, non preces tantum, sed minas etiam obtulerunt, nisi poscenti veniam indulgeret. Cumque firmare adversus Ludovicum illius animum, & Joannes Bohemiæ Rex Italiæ inhians, & Philippus Valesius Rex Franciæ, æmulatione dignitatis, viderentur; illum quidem Ludovico conciliarunt; hunc verò junctis cum Eduardo Anglorum Rege armis, conjuratâ potentiâ, infringendum existimarunt. Quâ conditione lætus Angliæ Rex, qui Philippi Pulchri Galliarum Regis ex filia nepos, jus sibi in regnum Franciæ vendicabat, Coloniam tres Reges veneraturus, atque inde Confluentiam Balduinum præcipuum moderatorem consiliorum imperii adiit, ingentique oblatâ pecuniâ, militem subsidiarum pactus est. Reginaldo Geldriæ Comiti, Eduardi Regis affini, depositis Geldriæ urbibus, fide jubente. Eduardo verò, dum pro Ludovico, aliisque imperii principibus, æs minimè sufficeret, mutuum

Septemviri Confluentiæ Ludovici politicam potestatem adversus Pontificam firmare stabunt.

Joannes Boh. Rex Ludovico Imp. conciliatus, & fedus cum Anglo adversus Francum initum.

Corona Angliæ Balduino pignori data.

um à Balduino sumpsit, coronâ regni apud eundem Confluentiæ pignori relictâ.

An. Ch. 1339.

Joannes Boh. Rex in gratiam cum Cæsare redit Balduino conciliante, & fit Marchio Moraviæ &c. Reginaldus Geldriæ Comes Dux creatur. Edvardus Rex Vicarius imperii.

Appetente igitur quadragesimali jejunio Francofurtum Ludovicus cum Eduardo reliquisque imperii principibus, convenit, ubi Reginaldus Geldriæ Comes, Dux, solenni inauguratione creatus est. Tum verò, conciliante Balduino, Joannes Bohemiæ Rex gratiam rursum Ludovici amplexus, feudis Poloniæ ab imperio dependentibus donatus, ac Marchio Moraviæ, Comesque Tirolensis & Oeni vallis factus, vicissim novem Longobardiæ urbes Mediolanum, Pergamum, Papiam, Novariam, Cremonam, Parmam, Modenam, Ratzium, & Bobiam, Lucamque pignori sibi tradita loca, Cæsari addixit, pollicitus socia arma, etiam adversus Pontificem. Eduardus verò in abjudicata Philippo Francorum Regi per Belgium beneficia ab imperio possessa, novo jure immissus & S. R. Imperii vicarius generalis pronuntiatus est. Ita Gallo Pontificique juxta metuendum, his consiliis stantibus, erat: nisi divino nutu successus defuisset.

1340.

Balduinus Rudolphum Palat. in clientelam recipit. Spanhemium & Silvestrem Comites bello subigit.

Nec Balduino diuturna ab armis domi quies fuit. Postquam enim Rudolphum Palatinum Rheni, castro Ehrenbergo, aliisque fundis eidem transcriptis, adnumerato etiam ære, clientis sibi fide obstrinxisset, Walramum Spanheimium Crucinacensem, ac Joannem Silvestrem Dunæ Comites, rebellionis compertos aggreditur, atque illius ævi more geminis erectis arcibus, alterâ à S. Joanne, alterâ à D. Martino nuncupatâ, Moguntinensi Archiepiscopo conspirante, interceptos tenuit, denique & Velsbergium castrum, deditione occupatum, demolitus est.

Clientes obsequium vult præstare: aut denuntiat excidisse bonis.

Advigilabat porrò, ne qui clientum, feudorum cognitione, ac professione obsequii neglectâ, summo hæc sensim jure usurparent. Unde Joannes Seynæ Comes hoc anno, octobris die XXIX. de possessis Andernaci, Valendriæ, Macseinæ, Seltere, Witgensteinii, oppidóque Hartinfelsio clientelare apud Balduinum obsequium

quium professus est. Joannem verò Brabantiæ & Limburgi Ducem commonuit, nisi Arlunensis Marchionatus beneficium agnosceret, jure excidisse. Quod deinde judicium à curiæ imperialis Paribus, seu judicibus in Joannem, & Landgravium Leuchtenbergium, Comitem de Wertheim, & Winsbergii heredes, cum intra annum clientelarem Balduino fidem testati non essent, pronuntiatum est. 1341.

Hinc ad pontem Mosellæ ex adverso urbis Confluentinæ imponendum operas conduxit, ac brevi ex quadrato perque arcus curvato lapide imposuit, jussitque peregrinos omnes, sacerdotibus demptis, obolum in transitu pendere, servando reficiendoque à posteris opere. His inscriptis versibus. Pontem Confluentinum instruit.

Trevericis clarus Princeps Balduinus ab oris,
Hoc stabili fluidas ponte gravavit aquas.

Hinc Synodo Trevirensi institutâ, Boëmundo Archidiacono loco absentis Balduini præsidente anathema eis dictum est, qui causas Ecclesiasticas ad profana tribunalia abstraherent. Prohibet Ecclesiasticis profana tribunalia.

Sub hæc Joannes Comes Silvestris variis afflictus belli incommodis Balduino supplex, clientis sese fide, etiam Droneci castri, Dalvangiæque villæ gratiâ submisit. Henricus etiam Barri Comes Trevirensis stipendiarius factus, homagio præstito, jure se devinctum agnovit. Balduinus verò, ne quis fortè repetundarum postularet, seu aliâ gravarret calumniâ, ratione administrationis Lutzelburgiæ, à Joanne Rege, literas administratæ sine fraude reip. obtinuit, simulque rebus ipsius, cum affine Galliarum Rege Philippo conjunctis, contra Ludovicum & Eduardum Reges favere cœpit; postquam Clementem VI. inclinari ad transferendum ab illo imperium intellexit, spemque transferendi ad Carolum pronepotem Joannis filium, affulgere vidisset. An. Ch. 1342. Silvestris & Barri Comites Balduini clientum fidem præstant. Balduini Lutzelburgica administratio probatur.

Et Ludovicus quidem, cui jam à Guilhelmo Ockam subtilis ingenii Theologo persuasum esset, Pontificis 1343.

Ro-

Ludovicus Cæsar hinc sibi Electores contra Pontificem; vice versâ hunc contra illos sibi addicere conatus, utrosque offendit.

Romani jurisdictionem sacrum tantùm, atque ab imperii administratione secretam, hanc nec dare posse, nec adimere, spretis Pontificis minis, Comitiis supra Confluentiam Rensæ ad Rhenum institutis, hoc solum inter Septemviros moliebatur, ut ipsius existimationem fide datâ se propugnaturos reciperent, simulque illic Henricum Joannis Bohemiæ Regis filium Tirolensi ac Carinthiæ dominatu exuit, ut jam palam quoque Joannes gratiam societatemque Ludovici aspernaretur. Missis tamen ad Pontificem legatis, palam illi venerationem deferebat, ipsiusque ut poterat gratiam, eo successu aucupabatur, ut firmasse sibi potestatem imperii, Septemvirorum autoritate, non leviter attritâ, videretur. Quâ simulatione per Balduini Protonotarium Wickerum in conventu Principum apertâ, nec horum retinuit, nec Pontificis gratiam occupavit; cum utrisq; illusisse deprehenderetur. Nam Joannes cum filio Carolo in Franciam ad Philippum Regem, quem *sibi, Bonâ* filiâ in matrimonium Joanni Regis *filio* oblatâ, devinxerat, atque hinc Avenionem ad Pontificem Clementem profectus, facilè persuasit; ut abdicandi hic Ludovici consilia admitteret. Ne verò domi res discrimini obnoxiæ essent Lutzelbergico fœdere Vicinorum Principum sibi opem comparavit, Friderico Sarævverdæ Comite præcipuo hujus societatis assertore. Ad quem iccirco suum quoque Trevirorum civitas adscribi cupida, legatum destinavit Ordolphum Scholerium Magistrum Senatorum, virum apprimè doctum piumque. Qui & historiæ Trevericæ laudatus scriptor, & instaurator collapsi Parthenonis juxta urbem ad Pontem Leoninum, ubi postea sepulturæ suæ memoriam reliquit. Ceterùm res civitatis eo tempore afflictæ admodum, per tot nobilium urbis censu adscriptorum capita evaserant. Quibus non tam opem sibi, quam onus acciverant; quod præter æs mercedemque militiæ illis debitum, in controversias quoque innumeras cum eisdem abstraherentur: ut nobilium rarò quisquam sine lite armisq; suâ possidet.

Joannes Rex ad Galli & Pontificis fidem reversus persuadet huic Ludovici abdicationem.

Ordolphi Scholerii Trev. Senatoris doctrina & pietas.

Civitatis per nobiles afflictæ status.

De-

Decessit hoc tempore Gerardus Dietzii apud Loganam Comes, is qui in Valle Dietzia Collegium Canonicorum condidisse scribitur, Lutheri postea hæresi, ut cetera istic sacra, abolendum. Quando alter illius ditionis Comes Godefridus, dum ex gente Stafelia virum nobilem, quem Dadenerus Civis Limburgicus captivum rapiebat, libertati conatur asserere, eruptione civium armisque septus occubuit. Quod deinde urbs facinus ingenti ære luit, altari etiam SS. Trinitati ad expiationem erecto.

Collegium Canonicorum Dietzii.

Limburgenses puniti.

Bellum eodem Balduinus anno vertente in Reinaldum Westerburgii Dynastam, violatæ reum fidei transtulit, Schadeco & Grentznavia arcibus occupatis. Quamvis hoc, ut videtur, nondum bello fractum; cum ab Henrico Crambergio Balduini satrapa mille argenti marcarum postulatus debitum, cujus anceps esset obligatio, duellum more prisco, ad litis decisionem, obtulerit, quod magno apparatu Joanne & Gerlaco Dynastis, cum nobilitate in publicum prodeuntibus institutum, diremptumque sine ferro, demum fuit. Et Balduinus cui pars Limburgensis Dominii cesserat, solutis Gerlaco XXVIII. florenorum millibus, non parum sibi ex eodem adjunxit, donec postremò repetitis incendiis afflictum prorsus oppidum, quod nobilitate, & numero opibusque præstans, duo educere armatorum millia poterat, in Trevirorum potestatem, extinctis Dynastis, sub Wernero Archiepiscopo plenè concessit.

An. Ch. 1344.

Balduinus Westerburgium oppugnat.

Hic duellum offert, in decisionem litis.

Limburgum sensim Ecclesiæ Trevir. cessit.

Legem verò testamentariam, de Canonica portione & sepulturis, postero Balduinus anno tulit. Quâ, indulgente Pontifice, quadrantem ex relictis ad pios usus, paræcias que firmandas transferre per totam Diœcesin, licuit. Æs quoque in sacrum bellum collectum est, indulto vicissim lacticiniorum & ovorum per Clementem usu. Quod Colonien sibus quoque permissum, Moguntinis verò ob aversum Henricum à sede Apostolica Archiepiscopum, negatumque in Turcas subsidium, denegatum est. Nec multò post derogata eidem dignitate, quod

1345.

Quadrans testamenti Ecclesiastico-rum ad pios usus.

Lacticinio-rum & ovo-rum quadra-gesima usus.

quod Ludovici Cæsaris obstinationem nullo territus anathemate foveret, Gerlacus illi Nassovicus substitutus in sede est. Quamvis hanc sine armis & sangvine non possideret,

Electores Ludovico exautorato Carolum Bohemi Regis fil. substituunt.

Subinde, postquam obnuntiassent, literis ad Ludovicum datis, amicitiæ Balduinus, veluti ad Clementis Pontificis mandatum, convenêre in Julio Renſæ Principes, Walramus Colonienſis, Gerlacus Moguntinenſis, & Balduinus, cum Rudolpho Saxoniæ, & Joanne Bohemiæ Rege, ac Ludovico, jam per Clementem feria V. hebdomadis sacræ exautorato, Carolum Moraviæ Marchionem, Joannis Regis filium, conspirantibus suffragiis surrogarunt, qui in Italicæ militiæ rudimentis exercitatus, strenui providique bello ac pace Ducis experimenta dederat.

Balduino varia loca Ducatus Lutzelburgici oppignorantur.

Huic rursum Balduinus XXX. millibus aureorum subvenit, recepto in vicem Epternaco, Biedburgo, Remicho, & Comitis Machra, à Joanne Patre, sed cum potestate ab heredibus redimendi. Quamvis hæc jam ante non, nisi restricto Lutzelburgiis jure, deberentur; quod Epternaci fundus Imperialis, Biedburgum Trevirenſis, Remichum Prumienſis Antistitis feudum esset; cujus tamen assensu illa venditio stetit. At hæc propemodum unius belli aleâ cecidissent.

Joannes Rex cum Carolo pro Franco adversus Anglum pugnans occumbit.

Paraverat ingentem Eduardus Rex adversus Philippum Francorum Regem exercitum. Ergo mutatâ Joannes fide, licet jam planè cœcutiens, unâ cum filio Carolo adversus Anglum processit, fatalique juxta Cressiacum Ambianorum vicum congressus prælio, cum Francorum inclinatas res cerneret, in mediam, ubi Rex stabat, aciem se duci jussit: atque illic fortissimè dimicans, aliorum cædes suâ cumulavit. At Carolus, tribus licet vulneribus saucius, ferrum manusque hostium vitâ incolumi devitavit. Illius Lutzelburgum funus delatum, mutato subinde ob eversas sedes loco, nunc in suburbano D. Benedicti monasterio quiescit. Carolus ex prælio restitutus Novembri mense Bonnæ co-

ron-

ronatus est, cùm Aquisgrano Ludovici factione excluderetur. Atque istic Balduino, præter veterum privilegiorum sanctionem, facultatem dedit, quaslibet leges reip. utiles ferendi, Tribusque & collegia opificum abolendi. Treviris dein omni honore exceptus Feuda Ecclesiæ Trev. sibi collata agnoscit, ut *Marchionatum de Arluno cum suis attinentiis*, ut ait, *universis. Item officium supremum Marschalcatus, cum ipsius officii juribus, onere & honore. Item LXXII. Ecclesias matrices cum juribus patronatus, decimisque. Item Advocatias super curias & bona S. Maximini. Oppidum Biedburg, cum onere fidelitatis.* Treviris 3. Decemb. anno Domini 1346.

Carolus evadens Bonnæ coronatur Rex. Rom.

Feuda Trevirensia agnoscit.

Hinc verò clam, per Alsatiam Suevosque, in Bohemiam profectus, anno proximo regni diadema magno gentis studio, ut erat in omni arte cultissimus Princeps, quinque lingvarum inprimisq; latinè disertus, benevolentissimè exceptus est. Cum interea Balduino res domi inquieta per Reginaldum Westerburgium iterum rebellem fuit. Is enim Ludovici Regis, & Henrici Moguntini, tum etiam Salentini & Gerlaci Isenburgicorum fretus gratiâ & opibus, dolo in Grentzaviam rursus arcem penetravit; quando Confluentini junctâ nobilitate, ad recuperandam ocyus profecti, re cognitâ, per insidias excepti sunt, ac ducentis pęnè interfectis, in quibus præcipua nobilitas, reliqui ad captivitatem abstracti sunt. In cujus memoriam cladis, annuis Confluentiæ sacris, in Deiparæ summa æde, pro defunctis sexta Paschatis feria litatur, ac supplicatione solenni per septem Ecclesias, cum Eucharisticâ pompâ, inceditur. Balduinus verò in solatium orbitatis sena urbi obtulit aureorum millia. Quo etiam tempore Dietherus Prumiensis Abbas, hostili multorum incursione lacessitus, ut quietius securiusque sub Archiepiscopi Trev. protectione viveret, Balduino ejusque successoribus XIV. Junii sponte, cœnobitisque assentientibus, se, Abbatiam, jura, Vasallos, castra, ac munitiones omnes, in sacris

An. Ch. 1347.

Carolus Rex Bohemiæ coronatur.

Westerburgius rebellis, Confluentinos magna clade cædit.

Cujus quotannis memoria recolitur.

cris politicisque, submisit. Balduinus verò argenteam D. Petri statuam, incluso ejus dente, Metropolitanæ ædi consecravit, hac junctâ epigraphe, *Anno Domini* 1347. *D. Balduinus Archiepisc. Trev. contulit Ecclesiæ hunc dentem B. Petri Apostoli qui datus fuit Henrico Imp. VII. fratri suo Romæ. Orate pro eis.*

Dens S. Petri argenteæ à Balduino inclusus statuæ.

Finem hujus anni lacrymabili concluſit exitu Ludovicus Bavarus, qui octobri menſe dum venationi indulget, paralyſi tactus, prolapſusque equo repentè exſpiravit. Quem tamen veneno exſpiraſſe alii ſentiunt, Dolendo minus fato, ſi conciliatus cecidiſſet. Carolus hoc caſu erectus, Ratisbonam, Noribergam, aliasque imperii urbes, & ſibi, & Eccleſiæ conciliavit, ac Baſileæ, ſacrâ inſignis veſte, pro Diacono aræ adſtitit Natali Chriſti nocte, Evangeliumque ſonorâ voce pronuntiavit. Inde Moguntiam ad Principum conventum profectus, intellexit, à tribus ſibi infenſis Electoribus Angliæ Regem Eduardum, ad imperium capeſſendum evocatum, illud præ certiori Galliæ occupandæ ſpe aſpernatum fuiſſe, ne, quod Æſopico factum cani, dum majorem captaret umbram, rem amitteret. Illis verò Comitiis, ut fluctuanti imperio conſuleretur rectius, Balduinus Germanici regni tutor pronuntiatus eſt. Quanquam illi ad quietam animæ curam anhelanti, domi etiamnum res eſſent turbidæ, Weſterburgius enim, junctis ſibi ad Loganam Vilmarienſibus, infuſus Diœceſi, clades haud leves intulerat. Quare his, ut facilioribus expugnatu Balduinus admovit exercitum, concuſſisque arcis mœnibus ad paciſcendum compulit; ſed mox, ut lubricæ eſſe fidei comperit, Hoëſolma caſtro occupato dirutoque, non deſtitit, donec quinque aliis tota ditione exuti caſtris, ut Freudenbergo, Freudenſteinio, Coppa, Coverna, Bubingeno hæc illius poteſtati ſecum addicerent. Unde non mediocriter hiſce locis diœceſis aucta eſt.

Ludovicus Bavarus non conciliatus occumbit.

1348.

Eduardus Rex Angliæ contra Carolum eligitur, ſed recuſat.

Balduinus protector regni Germanici dictus.

Weſterburgium cum Vilmarienſibus multis locis exuit.

Sed alia Treviris, totique Europæ clades incubuit. Et levior quidem illa, quam execrabilis jam dudum

An. Ch. 1349.

Henri-

Henricus Moguntinus, cum Ludovico Marchione Brandeburgico, Ludovici Regis filio, & Rudolpho Bavaro, Henricoque Saxoniæ Duce, per Guntherum Svvartzenburgicum in Cæsarem rejecto Carolo, electum molie-bantur; Nam repentè hanc Deus, Svvartzenburgio, ut credunt, veneno pereunte, sustulit. Qui in extremo vitæ discrimine sigillum regnique insignia Carolo transmisit, honorifico ab eodem Francofurti funere depositus. Gravior multò clades ab imminenti Europæ pestilentiæ, sævissimo malo, fuit. Quod creditum à conspirantibus in exitium Christianorum Judæis, ob infectas venenis aquas, promanasse. Certè in miserabile genus hominum adeò quæstionibus ferroque ac flammis Christiani grassati sunt; ut ultro sese in ignes ad terminandam calamitatem ingererent, & multis locis internecione mutuis etiam vulneribus exscinderentur. Equidem consultius facturos judicem, qui nunquam admitterent, quàm tam crudeli excidio innocentes cum nocentibus damnarent: cum minus immanitatis habeat non excipere hospites, quàm sic exterminare. Verum altiori quodam judicio Judæi in Christianorum, Christiani in Judæorum exercitium, exitiumque sæpe mutuum, junctim servari videntur. Inter hæc Flagellantium secta rursum ad publicam in sua corpora lanienam prodire, & hoc velut sanguinis sui hostimento Numen sceleribus offensum placare. Unde veritus Clemens Pontifex, ne hac pietatis specie, damnata rursum hæresis emergeret, divinamque potius iram, quàm miserationem provocaret, Balduino tempestivè in hos animadvertendi mandatum dedit. Qui Præfectis hoc negotium imposuit, & hi carnificibus; ut justioribus flagellis hunc flagellandi pruritum tollerent. Ita venenum quandoque veneno pellitur.

Svvartzenburgicus contra Carolum eligitur, & perit.

Pestilentiæ malum ob infectas à Judæis aquas, qui miserabiliter trucidantur.

Flagellantium secta exterminata.

Post hanc tempestatem, lætior aliquantò annus quinquagesimus, tanquam sol inter nubila, exortus est, quem Clemens VI. ejus nominis Pontifex Jubileo primus, arctiori annorum gyro complexus est. Quod

1350.

Jubileus ad annum 50. à Clemente institutus.

pauci centesimum ut gaudere illo liceat, assequantur. Quo & Carolus insignia imperii à Bavaris allecutus, plenius securiùsque regnare aggressus est, impetravitque demum, ut Dominicæ Lanceæ coronæque ac clavorum festiva post octavam paschæ feria VI. memoria à Pontifice indiceretur.

Festum Lanceæ &c.

Balduinus conciliatis hostibus, solitariè pietati vacat, Liechtenbergio in sacris vicario.

Balduinus ac solitudinis apud Carthusianos quæsitæ stimulatus desiderio, à publicis subducere curis animum gestiebat. Quare cum Westerburgio, Isenburgicis, ac Wiedæ Comite tabulæ etiam pacis confectæ hoc tempore reperiuntur, quibus suum ipsi Dominum tam in civilibus, quam Ecclesiasticis profitentur, his verbis: *In posterum Domini nostri Treverici jus tum Ecclesiasticum, tum civile tuebimur.* Ne verò per absentiam publicam Balduini, quicquam sacrorum disciplinæ curæque decederet, Joannem Liechtenbergium Argentinensis Ecclesiæ Præpositum, spectatæ virtutis prudentiæque virum, suum legerat in administratione Diœcesis socium vicariumque. Sed feriari illum Treviorum urbs diu passa non fuit. Hæc enim rigidius, ut credidit, jus suum exigentem, per adscitum Jacobum Monclerii Dominum, cujus & animus & vires superbæ, oppugnare Balduinum aggressa est, sed eo eventu, ut Balduinus denique post difficilem Monclerii expugnationem, cavatâ dirutâque ex parte rupe, aquæ usum subtraxerit, deditumque postremò castrum everterit, alio Sarensteinio, è regione, in fundo Trevirensi excitato. Maria verò Rudolphi Lotharingi Ducis vidua, quod Balduino non adstitisset ex officio clientis, in arcis oppugnatione, à Paribus Curiæ gravi ære multata est, judicatáque excidisse bonis, quorum patronum justo tempore non fuisset, recognitione beneficiorum, venerata. Henricus etiam Bavarus, Boppardiensis nobilitatis vir cum liberis, XXVII. marcarum millibus, ob Sternenbergum castrum, sine jure occupatum, damnatus est, cóque coactus discedere. Quo tempore Nassovii, familiæ tripli-

Monclerii Dominum inquietum subigit.

An. Ch. 1351.

Henricum Bavarum cogit.

cis,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cis, cum Hatzfeldica nobilitate congressi, aliquot suorum capitum, & Limburgensium cæde, reliquorum verò captivitate, decertarunt, arbitro delicti concordiæque Balduino. Qui deinde Administratoris imperialis potestate in Eiffliam, ut diversis arcibus, ita prædantium receptaculis plenam infestamque, profectus (cum frustra jam ante Schleidanum Dynastam, & Joannem Waltpotum Bassenheimium, tanquam Irenarchas his locis præfecisset) diversos Trevirensi etiam urbi contra se federatos, ut Ægidium de Duna, Georgium Richardumque & Arnoldum ex Zolveren fratres, Cunonem de Ulmena, Richardum ab Eich, castris passim ingenti numero dirutis, quorum hodiedum informes latè ruinæ visuntur, in potestatem redegit. Ita ex Safrotho, Hoselbachio, Elckershausioq; deturbati cum suis receptaculis prædones, vitam in beneficio habuêre.

Nassovios cum Hatzfeldiis conciliat. 1352.

Eiflix arces, prædantium receptacula, occupat & destruit.

Nondum tamen his maleficiis pœnisque territus Gerardus Schoneci Dominus, Trevirensis quoque urbis stipendiarius, cum Bohemum militem à Carolo Cæsare in Gallorum subsidium missum, carpsisset, vinctosque plures in arcem Liesheimiam traxisset, Balduinus contractis raptim copiis solitâ locum felicitate invasit, & Bohemos vinculis, arcem muris exuit. Gerolsteinium quoque à Blanckenheimiis possessum, juratumque urbi adversus Antistitem, obsidione, sed quam æstatis brevitas dissolvit, tentatum est. Quo tempore Cæsaris privilegio, Ecclesiæ Trevirorum Ellentzii & Polterdorffii, cum Bilstenia arce, possessio, si Gerlacus Brunshornius locorum Dominus, heredis expers, decessisset, adjudicata est. Quæ tamen Cunoni Winnebergio affini in feudum ab Archiepiscopo indulta fuêre. Unde & hæc junctæ arcis Bilsteiniæ se Dominum nuncupavit.

An. Ch. 1353.

Schoneci Dominus bello etiam victus. Blanckenheimii frustra tentati.

Bilsteinium Ecclesiæ cessit.

Denique Balduinus bellorum curarumque publicarum fessus, ictis cum urbe Treverica sexennalibus induciis, quibus & jus suum Archiepiscopo, & libertas civibus pristina constaret. Postquam Comitiis Moguntiæ unà cum Carolo Principibusque vacasset, ac pristi-

1354.

Balduinus induciis cum urbe Trev. initis, se ad quietem, ac mortem secutam composuit.

na novis etiam privilegia literis firmata retulisset, tan-
quam ultimo functus munere, se domi ad quietem com-
positurus, morbum prodromum mortis cervicibus, æta-
te fessis, sensit incumbere. Quare omnibus ad exitum
ritè sacris præmunitus XII. cal. Februarii, ex hujus vitæ
statione præstantissimus Antistes, ad feliciorem, ut spe-
est, decessit, post Alberonem de hac Archidiœcesi opti-
mè meritus, plura etiam præstiturus, nisi in perturbati
temporum ratione ut ad totius pènè imperii incolumi-
tatem natus, ita ad defensionem pertractus fuisset. Ut
singulis minus invigilare posset, dum pluribus inten-
deret. Ceterùm capacissima, & doctrinæ, & virtutum

Eximiæ illius dotes.

dotibus mente, sacris juxta politicisque, togâ sagóque
promptus aderat, ut vix bellator eo tempore felicior,

Summa munia.

vix Episcopus illo major. Trium Imperatorum præci-
puus ipse elector, non consilio his tantùm, sed pænè
imperii participatione adhæsit, quantum salvâ religio-
nis, & pontificiæ dignitatis autoritate licuit. Nobili-
tatem magnis per Diœcesin beneficiorum præmiis ex-

Doctorum amor.

coluit. Doctorum in quavis facultate, uti omnes com-
plexus disciplinas studiosè adolescens fuerat, consortio
usuque delectatus, amplissimis sibi eosdem præmiis
devinciebat. Veteris ille historiæ, diplomatumque ac

Ordinata per libros scriptos curia.

juris diœcesani monimenta, excussis ubique scriniis in
tria exemplaria digeri præcepit. Quorum unum sum-
mæ ædis Archivo, alterum cameræ, tertium Curiæ ca-
licæ tradi voluit. Quo cujusque rei cognitio, ex jure
prisco, privilegiis, feudisque atque obligationibus expe-
ditior esset. Nec minor sacrorum cura. Preces Eccle-

Sacra.

sticas unius Breviarii formulâ præscriptâ, vulgatâque
totâ peragi Diœcesi voluit. Fastos Sanctorum, Ca-
nonesque rituales, quibus ordo sacrorum regitur, accu-
ratè restituit. Ipse pontificalia munera in basilicis alta-
ribusque consecrandis passim insigni fama religionis
obire solitus, neque tam gravibus unquam occupatio-
nibus se teneri passus, quin sacram in ara Deo hostiam
quotidie sacerdos immolaret. Porrò volupe illi, fre-

quensq

quensque à publicis tantisper negotiis, ad Carthusianorum divertere solitudinem, atque illic inclusum cellæ, tenuiq; alimento victitantem, ad nocturnas diurnasque cum eisdem vigilias surgere ac psalmos meditatè admodulari. Multis in diversos Religioforum ordines, Ecclesias, ac Diœceses beneficiis cognitum fuisse declarant anniversariæ multorum locorum ejus memoriæ. Ut verò totâ Archidiœcesi Ecclesiastica constaret disciplina, Synodo, quàm unquam, celebriori, per CXVI. Canones, severissimâ in transgressores animadversione decretâ, constitutum est. Quin & ipse in minus obsequentes vim atque arma convertit; nec proprio Fratri, licet non germano, uxoris sublatæ reo, pepercit; sed dito per crurifragia supplicio tolli jussit, ne sangvini plus dedisse videretur, quàm æquitati. Ceterùm singularis in eo admista gravitati comitas, quâ tamen nemo facilè domesticorum abuteretur. Facilis ad excipiendas supplicum querelas, pauperumque inprimis causas sustinendas, liberalitatem ex hoc æstimes, quod in magna annonæ difficultate, suis è cellis horreisque passim omnibus largitus sit, eâ lege, ut uberiore jam messe tantundem refunderent. Castimoniæ laude adeò conspicua floruit, ut non tantum mulierum consortia, spectaculorumque licentiam subterfugeret; sed nec leve, aut fescenninum dictum impunè sustineret. Egregia & digna erat principe forma in mediocri statura corpus, venusta rotundaque facies, frons elevata, capillus modicè rutilo sub colore crispatus, membra toris nervisque valida, ut concitatum in se ab insessore equum, cum eodem juvenis ad terram prostraverit. Talis anno ætatis 69. Episcopatus 47. decessit. Exquisitissima funens pompa, à Carolo Rege Treviris in D. Nicolai, summæ ædis, choro marmoreo sub tumulo, eóque elatione, collocatus. A cujus morte urbs, Carolo supplex, diploma obtinuit, quo civium jus ac libertatem, veterumque Imperatorum ac Regum privilegia, antiquasque consuetudines, ob singularia, ut refert, erga imperium

Solitudinis & pietatis amor.

Synodus diœcesana legesque sacræ.

Pauperum amor.

Castitas.

Forma.

Sepulchrum.

Civitatis privilegia à Carolo IV. Imp. confirmantur.

Rom. merita confirmat. Confluentinæ etiam Carthusiæ immunitatem teloniorum per inferioris Germaniæ flumina latè indulget. Metim deinde profectus sine regio honore excipitur, quod negarent, nisi creato Imperatori, hunc sese impendere. Istic tamen, ex Barrensi comitatu Marchionatum, ex Lutzelburgensi Ducatum, publicis honoris tabulis, formavit, fratremque Wenceslaum primum illic Ducem III. Idus Martii instituit.

Boëmundus Comes Saræpont. fit Archiepiscop.

Jam feriæ D. Matthiæ Apostolo sacræ imminebant, cum votis omnium Boëmundus ejus nominis II. Saræpontanæ de Edendorffiis familiæ Comes, ex Archidiacono summæ ædis Princeps constituitur, annis jam sapientiáque spectatus. Qui post solennia honoris stabiliendi munia, sancitisque cum urbe induciis, Balduini vestigia secutus, clientela diversorum Comitum, diœcesin munire conatus est. Vetera novis beneficiis cumulans, In quibus, Dussenaviâ & Hadamariâ acceptâ, devincti Nassovii. Tum verò Dunani, Manderschetii, Isenburgici, Blanckenheimii, & Silvestres. Quorum duo ultimi ex recenti inimicitiâ, ad pacem fidemque traducti. Cum Joanne autem Saræpontis Comite propinquo suo egit, ut is jure suo in Bliescastellum S. Wendalini, & Saræburgum renuntiaret, uti & cum Henrico à Petra * de jure patronatus Ecclesiæ Wendalinæ convenit.

Diœcesin clientibus auget ac munit.

* von der Leyen.

An. Ch. 1355.

Carolus IV. Romæ coronatus uno die substitit.

Carolus sub inde opprobrii apud Metas nuper subiti non immemor, ad honorem imperialis coronæ aspirabat, Pontificemque Innocentium assentientem habuit, ea tamen ut ferunt lege, ne amplius uno die in urbe subsisteret, quod Modoëtiæ ferro coronatus IX. Aprilis resurgentis Christi sacro die, à duobus Cardinalibus Romæ inauguratus præstitisse, non sine opprobrio quorundam Gibellinorum, ad imperii libertatem anhelantium, fertur. *O pudendum* exclamat Petrarcha, *fœdus! Romanus Pontifex ita Romam suam deseruit, ut eam nolit ab alio frequentari, & de hoc cum Romano Impe-*

De vita solit. l. 2. c. 3.

rato-

ratore paciscitur! Qui habitatorem urbi eripit, aratorem, si posset, induceret. At Imperator Italiæ bellis, ut reliqui Cæsarum, implicari veritus, Noribergam se ad Principum Comitia recepit, atque illic frequentibus electionum dissidiis, bellisque hinc subnascentibus positurus obicem, ut ingenio promptus erat, sanctionem pragmaticam concepit, ediditque, quam auream, ab impresso, ut reor, signo, dixêre bullam, cujus autographum à Boëmundo acceptum, Trevirensi in archivo repositum est, anno seculi hujus LVI. ad IV. Idus Januarii firmatum. Indulsit verò Boëmundo Carolus assensu Electorum, ut qui hactenus Imperatoris Trevirorumque simul clientes extitissent, hi solum deinde Archiepiscopum patronum colerent. In quibus Eltzii, Meinfeldiani, Schonecum Trichoriæ, juxta Boppardiam, Galgescheidta, Duna Eifliaca ejusq; Advocatio Crövæ, Xylæ, & Kinheimii, ut alia præteream. Reduci Boëmundo mox arma in Joannem Spanheimium rebellem sumenda, quamvis invito, fuêre; quòd is fratris à Meinfeldiana præpositura dejecti repulsam, alio prætextu injuriarum, vindicaturus, Starckenbergæ ad Mosellam aliud propugnaculum, telonio extorquendo idoneum, subjiceret, armaque hostilia circumferret. Hinc eductis in Cynonoti * juga Copiis, juxta Kirchbergum Spanheimenses aggressus, magnâ clade cecidit, quadraginta facilè è nobilitate, cum Henrico Spanheimio Duce interceptis, ut precariâ deinde pace Joanni quiescendum fuerit. Quâ etiam, ut erat bellorum fugiens, Arnoldum Blanckenheimium composuit. Postea ad autumnalia Metensium Comitia, quibus augustali apparatu Cæsar, affluente latè totius Galliæ nobilitate, jam exceptus fuerat, Boëmundus transiit, ubi Bulla aurea VII. aucta capitibus, & Clerus populusque loci in tutelam Imperatoris receptus est, privilegia subscribente ante omnes Trevirensi, ut Galliæ Archicancellario. Hoc ordine Electorum *Testes Bohemundus Trev. Gerlacus Moguntinus, Wilhelmus Colonienſis Archiepiscopi, Rupertus Senior*

Noribergam reversus auream bullam vulgat.

1356.

Diœcesin Trever, clientelis firmat.

Boëmundus Spanheimium subigit.

* *Hundsrucki.*

Metensium Comitiis cum Carolo aliisque Electoribus interest.

Comes Palatinus, Rudolphus Dux Saxoniæ, Ludvicus, dictus Romanus, Marchio Brandeburgenſis, Principes Electores &c. Metis anno 1356. 3. idus Decemb. Ante quem diem, ipſo D. Luciæ feſto Boëmundo quoque vetera ſanxit jura, & adjecit nova, vectigalibus trans Rhenum finitimis Limburgo locis, & ad Moſellæ limitem, in Kerno & Leſurâ, auctis, Judæos quoque, ut res mancipi, ſubeſſe juſſit, pœnâ L. librarum auri in illos decretâ, qui, præter Archiepiſcopum, ab eis tributa, aut cenſus exigeret.

Privilegia eidem firmantur.

Wilhelmus Juliæ Marchio Dux creatur.

Vertente jam anno Carolus Auguſtali trabeatus habitu Wilhelmum Juliæ Marchionem Ducali ornavit titulo, ludisque militaribus atque epulis Principes reficiens, ter in publico mutaſſe diadema conſpectus, principio argenteum Germanici regni, deinde ferreum Longobardici, denique aureum Romani Imperii præferens, regalique in epulo Pincernæ officium Bohemus; Dapiferi Palatinus, ceterique, ex aureæ bullæ præſcripto, ſua munia obiêre. Pacis ſubinde tabulis Lotharingum inter vicinasque Provincias hæc Comitia terminata fuêre. A quibus Imperator, cum Boëmundo Trevirim adiit, Sanctorum illic monumenta priſcâ religione obſervaturus. Nec ſine pignore dimiſſus, corpus S. Martyris Palmatii Trevirorum Conſulis ſub Rictiovaro paſſi, ex S. Paulini æde in Bohemiam venerationis gratiâ tranſtulit. Boëmundus verò Wenceslao Cæſaris fratre Lutzelburgenſi Duce, quem Treverica urbs, Majorum ex lege, jam civem receperat, pactus eſt, ubi ſibi deinde per ditionem univerſam jus ſacrum integrum intactumque maneret, annuique hinc fructus reditúsque Eccleſiaſticis ſine onere vectigalium cederentur, modo ad uſum illi, non ad quæſtum negotiationis efferentur.

An. Ch. 1357.

Carolus Treviris exceptus S. Palmatii Martyris corpus in Bohemiam transfert.

Jure Eccleſiaſtico Lutzelburgi fruitur.

Jacobum ſubinde Monclerium nuperæ cum urbe conjurationis adverſus Balduinum compertum, familiaresque in gratiam, reſtitutis beneficiis, admiſit: ratus amoris vinculis arctius, quàm armorum, fidem ſubditorum,

An. Ch. 1358.

Monclerius in gratiam & beneficia receptus.

torum obligari. Urbis etiam inimici septendecim Cæsarei Judicis sententiâ vertere solum jussi sunt, neque propinquis regionibus subsistere, aut quisquam eis adversus Treviros, auxilia præbere. Quo tempore & Limburgenses transrhenani ad Loganam, à Riefenbergiis primùm insidiis appetiti; vix illas evaserant, ope, ut credebant, S. Georgii Martyris, hostibus ab urbis occupatione in ipso portarum aditu, deterritis: cum emisso in Dynastas Mereburgios milite, cladem graviorem passi, Hartungum Prætorem, civili prudentiâ clarissimum, amisêre. Porrò Gerlacus Limburgi Dominus Advocationem Ochtenduncanam, annuosque centenorum modiorum in siligine reditus Boëmundo vendidit. Qui etiam Peterseckum munimentum, amœnissimo juxta firmissimoque Rheni loco ad Wesaliæ & Poppardiæ oppidorum defensionem excitatum, ut propinquis locupletaret fundis, Welmichium cum Advocatione censuque, ab Adolpho Nassaviorum Comite, ad se traduxit, unde & suum denique arx nomen traxit. Contra alias (quas conjurata nobilitas istic haud procul excitarat) arces Neuven, & Hogesangenaum, solo æquavit, consueto mortalium rerum ludibrio cùm quòd alii magnis impensis ædificant, destruant alii, magis opinionibus quam domiciliis separati.

Limburgenses in discrimine servati.

Advocatio Ochtenduncana empta, & Welmichium.

Peterseckum excitatum.

1359.

Arces aliæ destructæ.

Hinc ad Moguntina itum Comitia, ubi inter Principes Carolus, quâ erat religione Imperator, questus est, Clerum census sui quàm pietatis studiosiorem à profanorum moribus non differre, simulque occasione sumptâ Cunonis Falckensteinii, Moguntinæ ædis Canonici, pileum aureis sericisque ornamentis distinctum arripit, sibi aptat; & num Clerico, an Militi hoc amictus specie propior sit? percontatur. Moxque ad Gerlacum Archiepiscopum versus, hanc insolentiam Cleri, etiam multatione censuum jubet corrigere. Quæ animadversio deinde Cunoni ad seriam emendationem morum, vitæque castigatioris modestiam profuit. Cum militari hactenus, pro suâ tamen Ecclesia, assuetus sago,

Luxus Clericorum castigatus à Carolo.

Cuno Falckensteinemendatus.

ejus vitæ licentiam habitu quoque liberiore expressisset.

An. Ch. 1360.

Boëmundus S. Wendalini oppidum templumque promovet.

Boëmundus porrò S. Wendalini oppido, frequentiâ & ædificiis, crescente, quò & major ejus Patrono, qui crebrâ prodigiosarum sanitatum gratiâ locum auxerat, constaret honor, templum ejus nomini excitatum, solennique consecratum ritu, illius quoque S. Corporis Reliquiis, ex æde D. Magdalenæ translatis, voluit ornari. Ac subinde cùm senio gravatum, atque à belli cogitationibus alienum se negligi à Trevirorum nobilitate clientibusque sentiret, infestasque suis regionibus arces, hinc Rupertum Palatinum, ex adverso Wesalienſium litore, inde Philippum Isenburgium suprà petram Vilmarienſem, in uxoris Margaretæ gratiam, Gretesteinium, ab illa sic dictum, munimentum extollere, impar ipse magis animo, quàm viribus Cunonem Falckensteinium, acrem togâ militiâque virum, quod illa in Ecclesiasticis quoque laudabat ætas, adlegit socium adjutoremque, cui postquam juratam addixisset civitas fidem, copiarum adversùs Isenburgicum ducendarum (nam Palatini munitionem jam Wesalienses infesti disjecerant) cura fuit, junctisque sibi Limburgensibus militari jam olim virtute celeberrimis oppugnationem Gretensteinii, ipse inter primos Cuno subiens aggreditur, & quamvis ictu lapidis graviter secundum faciem saucius, uno expugnavit impetu, Philippo cum suis ipsa in arce intercepto, quem tamen ad Palatini preces incolumem dimisit. Quo tempore Arnoldus Blanckenheimius cliens Trevericus Coloniæ ludis equestribus, cum Gerardo Montensi Comite congressus, uno sese uterque momento lethali hastæ transverberatione confecit, digno tragici ludi exitu.

Novis hostibus appetitus Cunonem à Falckenstein militem strenuum adjutorem legit.

1361.

Qui hostes fortiter subigit.

Hinc verò reversus Lutzelburgicisque ac Belgicis

1362.

junctus copiis, adversùs Anglos, sese ex Gallia late occupatâ inferentes, profectus, eos à Mosella ad Vogesum Alsatiæque fines rejecit. Quâ fretus opportunitate Isenburgicus novam rebellionis telam orsus, haud satis per-

pertexuit; cum iterum præsens objectusque in acie Cuno, vix primum congressum sustinentem Philippum dissipato exercitu vivum intercepit, ac deinde juratum omnia Archiepiscopi arbitrio, cum Grensau hereditaria arce coëgit submittere.

Cuno his gloriosè pro Archidiœcesi periculis defunctus, visus Boëmundo dignus est, qui in administrationem honoremque totus succederet, quò sibi, ad ultimum vitæ actum studiosius peragendum, otium quisque constaret. Nec Innocentius Pontifex de Cunone per legatos instructus, utrique hanc negavit gratiam. Quare submisso ad illum inaugurandum Pallio, Boëmundus in Saræburgi castrum, sibi ad solitudinem delectum, Cuno in sedem Archiepiscopalem, ejusque sedulam curam transiit, uterque suis, licet adversantibus sibi, votis potitus, adeò pretium rerum humanarum, magis ab affectu, quam rebus petendum est.

In Archiepiscopi locum subit Boëmundo ad solitudinem abeunte.

LIBER

LIBER XVIII.

Vrbanus V. Pap. Carolus IV. Imp.

An. Ch. 1362.

Militiâ Cuno ante Archiepiscopatum felix, cum urbe tamen pacem maluit.

AUspicamur igitur res sub Cunone gestas, nuper laudato milite, nunc Archiepiscopo. Profuit illi ad quietem pacemque Diœcesis fortunata armorum tractatio. Quâ Philippi inprimis fratris nuper defuncti liberos defendit contra Hanovios, ex quibus uxor fratris erat Falckensteinii & Mintzebergi, tutelæ nomine invasores. His enim bello captis & utramque arcem, & lytri causa XXX. aureorum millia extorsit. Subinde Moguntiacæ diœcesis vacillantem sub Henrico fortunam, ipse armata potissimum felicitate sustinuit. Trevericæ tamen urbi mitram ostentare pacificam bonique Pastoris pedum quam cassidem gladiumque ingressus maluit, ideóque pactis antea cum Balduino Boëmundoque induciis, parvâ legum immutatione, stetit, fidemque accepit, ac reddidit.

1363.

Ad Ecclesiæ disciplinam formandam versus, S. Martini Abbatem mutat.

Hinc prima illum Ecclesiarum cura jure tenuit, ut cujus se commodis Archiepiscopum datum esse meminerat. Ergo S. Martini Monachos, senio Abbatis sui Werneri à Merle Zandtii, ad libertatem nimiam abusos, alium à Pontifice datum, sed à cœnobitis recusatum, ejusdem gentis Wilhelmum à Merle Zandtium coëgit admittere, disciplinamque severiorem, Wernero jam morte sublato, revereri. Quâ tamen jactatione res cœnobii, haud leviter afflictæ perturbatæque, hæsêre.

1364.

Urbs Trev. novis legibus conditis, & Prætori resistens

Ad has aliasque occupationes dum Cuno per Diœcesin vigilat, urbs jam freta nobilitatis præsidiis, dum suis emolumentis se impendit liberiùs, Mosellæ sibi usum vendicare, navesque ad tridui mercatum in ripa cœpit volentes nolentesque compellere, ac subinde progressa longius, municipales, de Clericorum hereditatibus prædiisque emendis retinendisve, leges condere.

Per

Per vetitas etiam antehac tribus opificum Cleri obstruere commodis, ac libertatem Ecclesiasticam jusque Archiepiscopi labefactare. Prætori etiam Urbano, pro Antistite, jus dicenti assidere nolle. Quare ubi mitioribus consiliis locum negari Cuno animadverteret, evocato ab urbe Clero, armata illam potestate circumsedit, civesque deprehensos mandavit custodiæ: donec suæ suorumque calamitatis miserentem eò inflexit, ut ad Caroli Imperatoris judicium causæ decisionem transferrent. Qui expensis utriusque partis rationibus, hanc denique sententiam Pragæ, secunda post Natalem Domini feria tulit. *Vrbem Trevirim, cum Advocatione Treverica, judiciis æquè summis ac infimis, ejus item urbis Dominium directum & utile, quod appellant, omniaque sive publicè, sive privatim eò pertinentia jura, esse, fuisse, ac futura deinceps Cunonis ejusque successorum & Ecclesiæ Trev. &c.* Quæ prolixius apud Brovverum exposita reperies. Et Kyriander urbis patronus hanc agnoscit sententiam; verùm gratiæ obnoxiam, præcipitem, & ab Arbitro, non Judice profectam arguit.

offendit Cunonem qui armis premit.

1365.

Carolus causa ad se delata, Cunonî omne urbis Dominium tribuit.

Interea populus suæ metuens causæ, ubi à Lutzelburgiis se destitutum animadvertit, ad Joannis Lotharingiæ Ducis fidem opemque confugit, qui licet clientelæ beneficio Archiepiscopo devinctus esset, maluit tamen, suo etiam commodo, urbis libertati consulere, ideóque societatem armorum cum urbe ac nobilitate, decem acceptis aureorum millibus, pactus est.

Urbs Lotharingicæ se tutelæ committit.

Cuno ubi animadvertit difficili periculosóque se bello implicandum, remittere aliquantulum de jure suo, salvâ tamen Caroli sententiâ, quàm extrema maluit experiri. Ergo utriusque assensu, temporariâ lege, decretum est; ut *Cunonem ejusque successores agnosceret civitas, tam Ecclesiasticarum, quàm civilium rerum justum obtinere imperium. Senatui autem cum nihil juris esset in præterlabentem fluvium; ut nunquam, aut cursum ejus impedire, aut prohibere liberam navigationem auderet. Leges novas de Clericorum bonis, & he-*

Cuno belli fugiens cum urbe conciliatur.

redi-

reditatibus emendis perlatas abrogaret &c. His legibus ictum fedus, pacis defenſionisque mutuæ; cui ſiquis ſucceſſorum Principum obnuntiare vellet, & Carolinæ ſtare ſententiæ anno illud ante civitati denunciandum ſtatuit, ipſe verò Cuno recepit, ſe etiam biennio ante commoniturum. Quo ſanè judicio, vir aliàs, militaris oſtendit: paci bellum, etiam cum aliquo detrimento, poſthabendum eſſe, quod graviſſimis plerumque vulgi incommodis ſuſtinetur. Arma tamen extra Diœceſin cum Wenceslao Lutzelburgi Duce in Comites Schleidanos tulit, & Junchenrodio domicilio occupato, patére deinceps ſibi ſociisque ad uſus belli voluit. Acceſſit quoque Caroli Cæſaris, ac Wenceslai votis, in ornando Matthia Lutzelburgenſis Monaſterii D. Virginis Abbate; ut ei Urbani Pontificis aſſenſu, mitrâ, annulóque, & ſandaliis, in ſacrorum ſolenniis, uti fas eſſet. Quem deinde Epiſcopum Azotenſem creatum, ut erat pietate & eruditione eximius, ſuffraganei loco habuit. A Winnebergiis verò fratribus Cunone & Gerlaco, arcis Bilſteiniæ ſupra Cochimam dimidium, unà cum totius dominii ſemiſſe, eâ lege, emit; ne cui pars altera, ſine Archiepiſcopi conſenſu venderetur. Quam bonorum ſocietatem, animorum ſecuta unio, ejus loci quietem conciliavit. Subinde in Henricum Naſſovium è Dillenburgicis, & Comitem Silveſtrem, prædatoriis copiis Rheni litora infeſtantes, arma vertit, domitisque pacem imperavit. Andernacenſes etiam jurisdictionis Eccleſiaſticæ detrectatores circumſedit, & ſex millibus florenorum præteritam expiare culpam voluit. Palatioli munitionem cœptam firmiori ſepſit, perfecitque opere, præſidio Diœceſis, urbis terrori. Molsbergum transrhenanæ regionis vetus caſtrum emptione ſuum fecit, aliis inferioris Brechenæ agris adjectis locupleratum; nec ſegnius alibi inſtaurandis opibus, operibusque publicis incubuit

In Schleidanos Comites arma transfert.

Lutzelburgenſis Abbas mitrâ donatur.

Bilſteinii pars empta.

An. Ch. 1366.

Naſſovius & Silveſtris Comes ſubigitur cum Andernacenſibus.

Palatiolum munitum.

Molsbergum emptum.

An. Ch. 1367. Interea Boëmundus adhuc ſuperſtes Saræburgenſi in arce vixerat, paſcuis nemoribusque vicinis in uſum relictis,

lictis, cum ducentis tritici, & trecentis modiis siliginis, vinique Rhenani vicenis, Mosellani tricenis plaustris annuo proventu cessis, sex adjectis aureorum millibus. At fatiscente sensim corpore, anno salutis 1367. die X. mensis Februarii, succubuit, Treviris, juxta odeum primariæ ædis, sepultus. Monumentum habitati Saræburgi in altissima rupe excisum reliquit puteum, qui incredibili altitudine ad ipsas descendit radices, & Saræ fluminis alveum. Cuno verò Boëmundi ultimam voluntatem secutus, post illatum summæ ædi D. Helenæ caput, alterumque S. Matthiæ Apostoli pectorali illic ex argento statuæ, inclusum, altaria Sanctorum Nicolai, Agnetis, Georgii & Sacrosanctæ Trinitatis singula XX. librarum annuo censu locupletavit, eâ lege conferendo, ut priora duo quotidianis ornarentur sacrificiis, cum utriusque Archiepiscopi memoriâ, sub Ecclesiasticæ detestationis & fructuum amittendorum pœna, ni sacris operentur.

Boëmundus Saræburgi infortunus, ubi per rupem puteum duxit.

Sepultus Treviris.

Memoria illius â Cunone fundata.

Boëmundi exemplum secutus Engelbertus Colonienſium Archiepiscopus, cum ætate gravatus ipse, Diœcesis alieno esset ære, morbis curisque impar Pontificis Clerique judicio Cunonem, administratione Trevericâ celebratum, sibi quoque Adjutorem delegit, secretáque ad quietem habitatione, ultimum vitæ actum composuit. Cuno alieno magis desiderio, quàm suo inductus, nequid apud Treviros negligeret, Nicolao Aralunio ex Carmelitarum ordine, Acconensi jam Præsuli, viro probatissimo, munus istic Pontificium suâ obire vice jussit, dum labantem Ecclesiæ Agrippinensis statum nonnihil fulciret. Ac primo curæ fuit, ut alieno pressam ære levaret; tum ut reduceret olim amissa. In quibus Tolpiacum cum arce oppidum, quod à Wigboldo Archiepiscopo Juliæ cessum, pignoris loco, Dynastis, refusâ pecuniâ, vendicavit. Andernacenses subinde civili lege Colonienſi subjectos principi, rebellionis convictos, severè compescuit, ac Wilhelmum Weidanum, cum Salentino Isenburgico Comite negotiatores

Engelbertus Colon. Archiepisc. Cunonem quoque adjutorem secedens legit.

Aralunius Trev. suffraganeus.

Colonienſem Diœcesin Cuno promovet.

Transrhenanos Comites Cunosteinia arce stringit.

res Belgas dispoliantes, Hersbachiâ arce expugnatâ, XII. millium summâ multavit, munitâque in Engeris arce, quam Cunosteiniam dixerunt, ceu injecto ad litus excursionis freno, cohibuit.

1368.

Cuno, Engelberto mortuo, administrator factus.

Subhæc mortalitatis soluto jure Engelbertus Brulæ excessit, Clerusque in unum rursus Cunonem vota direxit. Quam cum ille dignitatem, Treverica contentus infulâ, refugeret, impellente tamen Urbano Administratoris tamdiu suscepit titulo, dum opportunius provideretur.

An. Ch. 1369.

Cum urbe Colonienſi, pro libertate eidem bellum grave fuit.

Et verò idem mox illi cum Agrippinatum Colonia, jus Cleri occupante, eundemque tributis gravante, qui cum Augusta Trevirorum nuper exortus labor. In hanc igitur arma primùm exprompsit spiritualia, evocatoque ab urbe Clero, sacris interdixit. Quæ cum spretâ fuissent, civilibusque quoque armis disceptatum, parum secundâ Colonienſium fortunâ, quòd ex solo equestri illius urbis ordine sexaginta pænè bello intercepti, in varias diducti custodias fuerint. Prosperum illud Diœcesi bellis afflictæ evenit; quia Godefridus Comes Arnsbergius jam senescens ditionem suam Cunoni ac Colonienſi Ecclesiæ, quam bellorum injuriis laceraverat, improlis addixit, Brulæque quietis grâtiâ reliquum ætatis exegit. Rarò munificentiæ exemplo, vivus eis se possessionibus nudans, quas sola mors aliis potest detrahere.

Arnsbergenſis Comitatus illi Diœcesi junctus.

1370.

Fridericum Nepotem Diœcesi Colon. præficit.

Postea Cuno & negotiorum plurium fessus, & consulturus dignitati nepotis Friderici Saræverdæ Comitis, egregiâ indole, virtutéque probati illum Colonienſis Cleri proceribus non invitis ad sacram mitram obtulit, eâ lege, ut socià ipse operâ Commendatarii Vicariique, ut Urbanus appellavit, titulo adesset, dum ætate experientiáque Fridericus robustior, tanto par muneri haberetur.

Wetzflariæ vetus Sena-

Non dissimulanda hoc loco Joannis Solmensis Comitis animosa industria, is enim cum Wetzflaria, urbe in Treverica Diœcesi imperialis, Senatum veterem no-

vo

vo surrogato per septennium ejecisset, reductum cum L. equitum turmâ secutus, vexillum imperatorium erigit, civesque cum armis, pro defensione novi senatus advolantes, tam appositâ ad persuadendum oratione affatus est, ut damnatâ quam tulerat sententiâ, novum senatum, aut morte, aut exilio proscripserit, veteri in sedem recepto. Tantùm ratio etiam in vulgo potest, ubi furor deferbuit, & *consilio sæpe reguntur, quæ vis exasperat.*

Wetzflariæ vetus Senatus per Solmensem Comitem reductus est.

Decesserat sub hoc tempus munere ac vita Gerlacus Moguntinus Antistes, cum Gregorius XI. Pont. pro Urbano Ecclesiam regeret. Quando Cleri suffragiis & ad hanc Cathedram quæsitus Cuno est; at renuntianti Joannes Wenceslai Lutzelburgici filius suffectus fuit. Qua uterque sorte, ille amissæ, hic quæsitæ dignitatis gavisus est; ut appareat, quam pugnantibus mortales votis efferamur. At non perinde lætus hic annus Wenceslao fuit, qui gravissimo Wilhelmum Juliæ Ducem, ob negotiatores ab eo multatos, conflictu ad Besvvilerium Rhenum inter Mosamque congressus, cum flore nobilitatis devictus est. Octo hominum millia septingentosque nobilium cecidisse, atque ex his solum bis mille cum Wenceslao captos fuisse, percrebuit. Nassorii Wiedæque Comites steterant cum Juliaco, eidemque Eduardus Geldriæ Princeps affinis, flos ob pulchritudinem dictus, adfuit, sed hunc florem, victoriosa liret Geldris, pugna sustulit. Carolus Cæsar fraternâ sorte consternatus, viribus consilioque deficiente, Trevirim appulit, atque hinc Aquas profectus, conciliato pace Juliaco, Wenceslaum Nideccensi è carcere redemit. Qua tamen tempestate, hoc ex alieno mœrore solatii Carolo, tanquam ex nube solaris radius, affulsit, quòd Margareta Comite de Loss & Chini, sine prole defuncta, Wenceslao filio hereditas Chiniaci comitatus obveniret, Lossensi ad Rudolphum de Marca, Præsulem Leodiensem, transeunte. Verùm post serena, rursum turbida, ut in aura autumnali, Moguntinis in Comitiis

1371.

Gerlaco Mogunt. Archiepiscopo mortuo, Cuno postulatus recusat.

Dux Lutzelburgicus à Juliacensi prælio victus captusque.

à Carolo Imp. fratre redimitur.

Chiniaci comitatus Lutzelburgico accedit.

sunt Carolo objecta: cum, ut erat Bohemorum, qui frequentes stipabant, amantior, multi ex illis seditione nata, à Germanis sunt interfecti. Quando etiam haud multò post Joannes Lutzelburgensis Caroli patruelis, Moguntinâ nuper decoratus infulâ, mortifero poculo Altævillæ sumpto periit, cujus Guido frater S. Pauli Comes, prælio nuper Juliacensi ceciderat. Ita *magnorum fata lætiorem plerumque vitæ introitum, quàm exitum reperiunt.* Ut *nobilem nasci optandum magis sit, quàm mori.*

An. Ch. 1373.

Moguntinus Archiep. veneno perit.

Duplex eodem ævo hominum factio, alia armatorum, alia inermium sese in Diœcesin inferebat. Illa Stelligerorum dicta fuit, quod illustres in ea milites stellis aureis, nobiles argenteis signati prodirent. Quæ Ottone Brunsuicensi Duce potissimum conflata, latè trans Rhenum Principes Comitesque titulo libertatis propugnandæ complexa, etiam Nassovios plerosque præter Rudolphum Hadamariensem, continebat. Hunc igitur in superiori Hadamariæ oppido aggressi Cattimelibocenses, tam denso telorum lapidumque imbre excepti sunt, ut cruentâ expugnatione relictâ, luculentâque perculsi clade, recesserint. Altera saltantium secta fuit, quæ licet à prudentioribus risa explosaque, tantam nihilominus vulgi copiam, saltando ludendoque, Corybantium more, sibi Dei gratiam cœlumque pollicentium, traxit, ut Rhenum inter Mosæ ac Mosellæ flumina, festivis omnia choreis cantibusque personarent. Nonnulli etiam, post ducta ad extremam defatigationem tripudia, conciderent, quibus pro remedio erat, siquis lassos pede calcasset, aut umbelico tenus valido nexu strinxisset. At cum utroque promiscuè sexu ut saltus ita concubitus agerent, stupra adulteriaque hujus fructus religionis erant, apparuitque plures ex his dæmoniis obsessos non nisi exorcismis adhibitis potuisse curari: ne quod de autore hujus religionis dubium superesset, quanquam alii S. Viti, alii Joannis sacrum nomen prætexerent; ut *nulla sese in orbem hæresis, sine divini tituli præsumptione, effundit.*

Factio Stelligerorum armata multos præmit.

Secta Saltantium pernicioſa apud Treviros.

Mogun-

Moguntinæ inter hæc sedi ordinandæ rogatus Cuno, post Joannis lamentabilem exitum, aderat, cum eodem Carolus Imperator appellens, arcto sese eidem obstrinxit fedære, opemque adversus hostes quoscunque, salvis tamen Lutzelburgensibus pactis, addixit. Omnibusque Archiepiscopo fancitis veterum Impp. Regumque privilegiis, retractavit, quidquid à se, aut alio quoquam, adversum hæc decretum esset, negavitque ulli deinde urbium subjectarum quicquam, nisi Cunone approbante, indulgendum. Quæ diplomate firmata obtulit anno Christi 1374. festo D. Martini die. Laboravit subinde Cuno, ut Trevericæ urbi cum Friderico Monclerio, quocum mutuis cladibus direptionibusque collisa diu fuerat, pax rursum amicitiaque, positis armis, coaleseeret. An. Ch. 1374.

Carolus Imp. Cunoni adversus quoscunque hostes opem addicit, eidemque vetera privilegia firmat.

Prumiensis Abbatiæ jacturam utcunque, reductis cum Præsule Monachis, instauravit. Prisca tamen nequicquam hic religionis decora præsens ætas desiderabat. Felicitate atque opulentia illud sua multos ante clientium extulerat. In quibus Hufaliziorum illustris familia, à Wernero & Adolpho fratribus de Bolandia succedens. Hisce enim arcem Hufalitziam Prumiensis olim Abbas, ut clientibus ad fidem obsequiumque receptis, detulerat, qui sensim opibus viribusque nucti, in suos armati Dominos, pro obsequio maleficium omne rependerunt, quosque tueri fas erat, propriis etiam possessionibus deturbarunt; ut relictâ demum Prumiâ Theodorico Abbati in oppidum, Eiffliæ excitatumque à se olim Monasterium, commigrandum fuerit: augustamque S. Salvatoris & Deiparæ basilicam cum cœnobio adversarii occupârint. Quæ, Boemundo frustra obnitente, res fortunasque, atque ipsum Abbatiæ archivum, pessundatis jacturâ ingenti scriptorum diplomatumque monumentis, profligarunt; ut licet à Cunone reducti, opulentissimi quondam fundi possessores Religiosi, nunc cum magnâ rerum inopiâ luctarentur: Adeo *fluxæ lubricaque res opes sunt, quas neque* 1375.

Prumiensis Abbatia per clientes pessundata, à Cunone utcunque restituitur.

largiendo, neque servando sat queas tueri. Cunoni tamen rursum, ut Balduino olim in rebus afflictis, Abbatiæ Prumiensis vectigalia, unà cum tutelæ onere, à Wenceslao Imperatore collata fuêre. Cujus deinde successor Wernerus, pace cum æmulis sancitâ, ad ejus instaurationem sedulò incubuit, postquam Cunonem vita prius, quam voluntas succurrendi destituisset.

An. Ch. 1376.

Carolus verò Imperator vergente ad exitum ætate, majore familiæ, quàm imperii curâ, hoc in Wenceslai, degeneris licet væcordisque filii, humeros inclinare conatus est, utq; difficiles ad hoc expugnaret Septemvirûm animos, contra optimas aureæ bullæ, ad elidendam ambitionem, leges, pessimam ipse auro electionem corrumpendi viam institit, ejusdem & conditor & violator juris, ac centum aureorum singulis millia detulit, cumque impar solvendo esset, imperii vectigalia censusque obligavit; quibus firmior hactenus Electorum potentia, debilior Imperatorum est propagata. Ut materia ambitionis ingens Romanis deinde Cæsaribus subtracta sit, cum præter supremæ dignitatis titulum, magnarum spes opum evanescat; commodóne an detrimento Germanorum? disputatur hactenus atque inter paradoxa relictum manet.

Carolus aureæ bullæ, ut conditor, sic violator primus, Wenceslaum filium, muneribus promovet.

Certè Wenceslaus, ut Rensæ ad Rheni oram Rex salutaretur, Francofurti renuntiaretur, & Aquis coronaretur, aureâ hac persuasione Carolus obtinuit. Quidum Baccharaci substitit, Cunoni Archicancellarii munus obeunti, vetera privilegia, cum possessione Wesaliæ, Boppardiæque ac Sternebergi dimidio, atq; Advocatione Hirtzenavensi, & Prumiæ adjunctione sunt confirmata. Codicillis verò Regalium jus utriusque majoris minorumque fluminum traditur, unà cum viis limitibusque. Nimirum Mosellæ à ripa Dilmerbachio propè Remichium, usque ad Confluentes: Rheni autem à Duberbachio inter Briam ac Rensam usq; ad Nettæ ripam, quæ juxta Andernacum illi infunditur. Sara eidem à Brimza usque ad Mosellæ ostia; tum denique jus

Cunoni diversa ab imperio loca tribuuntur, fluminaque cum teloniis & proventibus.

jus Suræ, Kylæ seu Gelbis, Lesuræ, Dronæ, aliorumque per Diœcesin amnium indulgetur, cum teloniis, ripariisque proventibus. Quibus accedunt metallorum fodinæ, partaque in oppidum Limburgense, Monasteriumque S. Maximini, Springirsbacense & Wadgassenum, aliasque arces & loca, jurisdictio. Quæ postea, coronatus jam Wenceslaus Imp. die VIII. Julii probata aliis etiam beneficiis cumulavit, castrumque Schonenbergum, olim à Prumiensibus Schönenbergiis traditum, possessumque annis ferè ducentis, feudi jure transcripsit, Hamersteiniamque, infra Andernacum, arcem, cum oppido omnique possessione loci, adjecit; ut sub Wernero successore Wilhelmus & Ludovicus Burgravii clientum fide professi sunt. Tam utile Electoribus fuit, in electione nonnihil deviasse, ut non quivis statim error damnandus videatur.

Wenceslaus Imp. hæc dona confirmat & auget.

Gliscebat interea hostilis inter Principem Fridericum & Urbem Colonienſem inflammatus majoribus incrementis furor, quæ Rhenum immissis palis, transversisque claudebat navigationi trabibus, nec solum Divitensem ex adversâ ripâ vicum, sed & D. Heriberti Abbatiam immisso deformaverat igne: donec mutuis attriti cladibus Cunonis denique arbitrio, in pacis leges concesserè. Sed vix hoc incendium alienis Princeps in tectis restrinxerat, cum emersit in propriis, non adeò facilè consopiendum. Cujus tamen sibi principium Cuno ipse debebat.

Cuno Archiepiscopum Colonienſem cum urbe conciliat.

An. Ch. 1377.

Palatioli infra Trevirim novum ille vectigal, Carolo indulgente, commeantibus etiam civibus pendendum in Mosella statuerat. Quod cum detrectarent, & Matrona quædam, Senatoris Trieſtandi uxor, in captivitatem abstracta, legatis ad Cunonem Berncastellum Urbicis cunctanter redderetur. Joannes Kesselstadius Equitum Principis Magister, cum serius eam, quàm ex æquitate visum civibus, restitueret, captivus attinetur, totusque ad civile arbitrium intra urbem Clerus adstringitur, Cuno neque ad bellum satis instructus, Civesque,

Palatioli novo telonio instituto Trevirenses ope Lutzelburgensium obnixi excipiuntur denique, ac longè mitioribus conditionibus, quàm nuper pacem ineunt.

vesque, Wenceslai Lutzelburgici Ducis Caroli fratris ope fretos, veritus, Joanne Lotharingiæ Duce, & Theodorico Metensium Episcopo arbitris, diversas planè à nuperis pacis conditiones, quantumvis invitus dolensque, amplexus est. Nempe, ut Civitas telonio Palatiolensi non habeatur obnoxia, Prætor Urbanus civium neminem, nisi flagranti manifestoque crimine, absque Scabinorum judicio, comprehendat. Ecclesiasticæ curiæ Judex, nec pœnâ corpus, nec imposito ære fortunas cujusquam affligat; sed ubi in reatu Prætor postulatus desuerit, tum anathematis censurâ utatur. Cautum etiam de efferendis Lutzelburgum sine vectigali vinis, de Judæorum tributis, forique piscarii juribus, eo pacto, cujus puderet tæderetque Cunonem; ut urbem mœniáque deinceps, commorandi gratiâ, aversatus sit. Ita videlicet *arcus nimium intensus frangitur*. Et qui immoderata vectigalia postulat, quandoq; excidit etiam moderatis. *In omni re mediocritas laudem obtinet.*

1378. Gregorius Papa post reductam sedem Romæ defuncto Itali Urbanum VI. Galli Clementem VII. substituunt.

Alia sequenti anno 78. tempestas Ecclesiam turbavit. Gregorius namque XI. variis rationibus impulsus, Romam, quam per Præfectos administrarat hactenus, Avenione relictâ, sedem retulerat. Cum istic defuncto Romani Italum Barrensium Archiepiscopum Urbani VI. nomine surrogarunt, at indignati Galli, qui suum hunc pœne honorem effecerant, se neglectos, Fundis collecti Gebennensem Comitem Clementis VII. nuncupatione substituerunt. Sed cum Italis Germani, Hungari, Britanni, Lusitani Urbanum amplexi sunt, Provinciales Trev. Ecclesiæ Metensium, Tullensium, ac Virdunensium, quod cum Gallis Clementem secuti sint, turbis haud sanè levibus fuit expiandum. Cum Virdunensi cedente Guidone Royio, & suffecto per Clementem Leobaldo, alius Rolinus Lutzelburgius ab Urbano oppositus sit, & à Wenceslao aliisque defensus, magnâ totius Diœcesis ruinâ. Tullenses pessimo etiam exemplo Antistitis sui, Joannis Burgundi, viri integerrimi quique

An. Ch. 1379. Hinc turpe Ecclesiæ schisma secutum, etiam in suffraganeis Trev. Ecclesiis.

quique Cardinalitiâ sub purpurâ Carthusianorum habitum severitatemque tegeret, domum absentis habitationemque exciderint. Ut multi denique, ad quem se, ut supremum Apostolicæ sedis Antistitem verterent, ambigui hæsitarint, quanquam major meliorque pars Urbani autoritatem denique stabiliret.

Dum hæc agitantur Cuno variis sibi Dynastis militari obsequio devinciendis, & clientum fide obligandis operam dabat. In his Simon & Henricus Spanheimius, Adolphus Nassovius, Engelbertus de Marca, Joannes Seynæ, & Rupertus Palatinus Comites. Wilhelmum porrò Wiedæ, & Salentinum Gerlacumque Isenburgicos nuper adversantes novis beneficiis feudorum obstrinxit. Valendriæ quoque dominium infra Confluentes, Godefrido Seynæ Comite renuntiante, & S. Goaris oppidum, Prumiâ vendente, uti & Reuschenbergi, Ulmenæ, Hunolsteinioque castris, pleno jure potitus est. Brechena denique inferior ab eo muris inclusa.

Variis diœcesin clientelis Cuno munit.

Neque literarum inter hæc, historiæque tractationem, ut studium principe dignissimum, aversatus, Trevirensi Chronico perscribendo manum ipse operamque admovit. Quod hoc titulo auspicatus est. *Cuno de Falconis Petra * magnifica Dei providentia Sanctus S. Ecclesiæ Trev. Archiepisc. S. Imp. per Galliam, regnumque Arelatense Archicancellarius, & totius Galliæ & Germaniæ, autoritate Apostolicâ primus Patriarcha & Patronus, universis historiarum studiis insudantibus salutem in Domino &c.* Gesta illo Trevirensium paucis complexus, quamvis veterum scriptorum testimoniis usus, vix satis tamen fabulosa à veris secrevit. Verùm Arelatensis, cujus hic meminit, regni titulum solùm retinuit. Quia superiori illud anno Carolus Imp. cum Wenceslao filio Parisiis honorificè cultus, Carolo Philippi Regis Gall. nato, consangvineo suo, tanquam Vicario perpetuo, consignavit, ex alieno in eum liberalis, probatâ parum Germanis munificentiâ.

Historiam Trev. ipse scribit.

* *seu Falckensteinio.*

Carolus IV. Imp. Arelatense regnum Carolo Gallo Nepoti suo resignat.

quanquam dare se animadverteret, quod jam Philippus, etiam citra donum, possideret. Quo tanquam ultimo sui imperii, melius cœpti, quàm producti conclusique, actu vitam absolvit. Pragæ, quam egregiis operibus amplificavit, sepultus. Cujus tamen imperium filii Wenceslai ignavia, quæ eidem nomen dedit, velut umbra lucem, illustravit: ut hujus dedecus illius haberi decus posset; nisi ille pater, & hic filius, cujus capiti indignissimo tanto coronam pretio comparasset.

Pragæ moritur.

An. Ch. 1380.

Triplex prædonum trans Rhenum factio, 1. Leonum sævientium 2. falconum 3. Cornutorum repressa.

Porrò sub his Rectoribus imperium, tanquam corpus sub vertiginoso agitatum capite, diversis Prædonum ubique grassantium motibus quatiebatur. Hi triplici factione divisi erant, Prima Leonum sævientium dicta Rhenanæ, Francicæque, ac Wirtebergicæ nobilitatis homines complectebatur; altera Falconum Westphalos; tertia Cornutorum Loganæ accolas. In quos, dum, à Basilea ac Saltzburgo, per Rhenum Mosellamq; Coloniam usque, Principes urbesque armantur, excisis quam plurimis hostium receptaculis, deficiente jam hoste, propugnatores in Cleri prædatores versi sunt, quodque pro communi bono cœptum videri poterat, à pietate ad impietatem deflexum, communi malo est absolutum. Quin, ut nihil sanum relinqueretur, mutuis hi demum animis armisque collisi, ridiculum orbi cœloque præbuêre spectaculum. Triviri privatis congressi odiis, dum aut injurias inferunt, aut propulsant, nihil integrum quietumque domi possident. Fridericus Agrippinatum Princeps, cum Marcano Clivensique in alternas clades ruit. Adolphus Moguntinensium Antistes, & Palatinus Heidelbergicus suis quoque inimicitiis attriti sunt. Urbs verò Moguntiacum & Wormatia in Clerum, proculcatâ omni religione, debacchata est; ut istic quidem divinarum rerum usus, hic Clerus etiam compedibus exilióve interceptus hæserit.

1381.

Arma victorum in se mutuò versa.

1382.

Treviris morbus nocuit.

Treviros alia adhæc morbi salientium intemperies occupavit. Qua homines sui impotes per vicos agrosq; exul-

exultim ferri, & saliendo circumagi sine exitu remedioque mali cœpere: Donec votiva denique ad S. Joannem juxta Kylburgum in agro Lutzelburgensi peregrinatione opem repêrere. Qui locus magna deinde frequentia aditus, brevi stipe mille aureorum nummum ditior fuit.

vus salientium, peregrinatione ad S. Joannem curatus.

Cuno interea Ecclesiæ suæ, inter hos fluctus, navim, ut providus gubernator sustinebat, religionis, quàm armorum studiosior, Utque erat Carthusiani instituti amantissimus, ædem in S. Beati monte ad Confluentes positam, munificè abs se instauratam, Bertramo ex familia S. Dominici Thephelicensi Episcopo, Metensium Suffraganeo, sacrandam Deo Divisque commisit. Cujus viri ab eruditione scriptisque Cunoni quoque dedicatis famâ latè inclaruit, Confluentiæque denique apud Prædicatores, ubi Priorem egerat, quarto post anno sepulchrum habuit. Præoccupavit hujus exitum Wenceslaus Caroli Imp. frater Lutzelburgi, Limburgi, Brabantiæ Dux, hoc anno defunctus, humanæ felicitatis miseriæque spectaculum. Cæsus ex matris prodiisse utero, illâ tamen superstite, fertur, civis deinde ac commilito Trevirorum. Bellorum amans, sed quæ plerumque victus, aut vinctus absolveret. Duarum vir conjugum, & prolis nullius pater. Plurium ducatuum princeps, sed pauper, alienoque ære gravis. Morbis vexatus diversis ac teterrimâ demum leprâ, integrâ adhuc mente, sed consumpto corpore, domesticis amicisque despectus, suos moribundus, ad vanitatem fugacium in se bonorum contemplandam, invitabat. In aurea valle sepultus, cor ad Brabantos Joannæ uxori legavit: quod si animam Deo, morte quàm vitâ habendus felicior est. Wenceslaus deinde Imp. successit, qui Gallis, quàm Germanis fidere administrationem maluit. Ludovico igitur Aurelianensi fratri Caroli VI. Galliarum Regis (sui non minus regni, quàm Wenceslaus, prodigi) Lutzelburgi gubernationem, mutuato ingentis auri pondere, concessit. Ut cum imperio, propriam quoque hereditatem decoqueret. Nova

1383.

Cuno Carthusianos Confluentiæ promovet.

Bertramus Dominicanus celebris.

Wenceslaus Dux Lutzelburg. Caroli frater, in vitâ & morbo infelix.

Wenceslaus Imp. Ludovico Galliæ Regis fratri gubernationem ducatus cedit.

An. Ch. 1384.

Confederati adversus urbes Principum magnam agris cladem intulerunt.

Nova subhæc confederatio inter Bavaropalatinos Wittebergicosque Duces, adversus federatarum insolentiam urbium præcipuè, conflata. Quæ non in solos Cleri, quos inprimis quærebat, vexatores effusa, sed in promiscuum vulgus stragem intulit vastitatemque, quâ multa Germaniæ loca in solitudinem commigrasse, desertis latè agris, visa sunt. Tam *difficile est moderationem in bello tenere, quod minora non rarò flagitia per majora castigat, & dum nocentes insectatur, opprimit innocentes.*

Petrus Lutzelburgicus sanctus Adolescens ad insulam Metensem, sed à pseudopapa promotus. Unde bello civili jactati sunt incolæ accolæque.

Nec minus pernicioso inter se dissidio alibi Clementini schismatis fautores, cum Urbanistis conflictabantur. Theodoricus à Boppardia Metensium Antistes, cujus in illam Ecclesiam merita virtutemque æterna prædicabit memoria, sede vitâque abierat; cum Petrus Lutzelburgicus Guidonis D. Pauli Comitis filius pietate, quám ætate firmior adolescens, ante XIV. natus annos, Clementis in Gallia Antipapæ judicio sufficitur. Quod cum Wenceslaus Imp. factum improbasset, Tilmannum Wousium, Urbano sibique probatum, submittit: huic cives; illi perverso sensu Clerus & promptis D. Pauli Comites, Joannes & Valeramus Petri fratres, armis adhærebant, & dormitante post imbelle imperium Wenceslao, tantâ in Urbani fautores, Metensemque ac Trevirensem ditionem vastitate illatâ grassati sunt, ut Carthusiani ascetæ ex suburbano Trevirorum agro, relictis possessionibus, in urbem se recipere coacti, ipso Archiepiscopi palatio excepti alitique fuerint. Quorum deinde rem domi satis arctam, benefica liberalitate complexus Antistes, adjectis possessionibus sublevavit. Quo tempore Leo Armeniæ Rex, ex oriente in Galliam à Turcis ejectus, serò contra firmatam Turcarum potentiam, fidem suam obtulit, opemque alienam ab occidentalibus, toties orientalium perfidiâ destitutis, flagitavit. Sed, ne à Petro quindecenni Episcopo Clementis favore minus, quàm suâ virtute Metensibus digno, abeamus, stetit ille fratrum armis,

Trevirenses bello jactati & Carthusiani loco pulsi.

An. Ch. 1385.

armis, Clerique patrocinio adversus cives Wouffiumque ac Cæsarem, qui vanam sine viribus auctoritatem adferebat; sed Metas tanquam ad vitæ metam appulsus, brevi innocentis integerrimæque & Deo divinisq; constanter addictæ, ab omni vanitate, mundique cupiditate aversæ conversationis exemplo, oculos admirationemque Metensium pavit; cum Avenionem ab eodem Clemente anno 1387. invitatus ad purpuram, morte sanctâ honorem absolvit: illo postremum voto, ut indignam corporis sarcinam, neglectim inter pauperum funera, sine exequiarum pompâ, deponerent. Verùm Cœlestinorum in æde, Sacello D. Michaelis illocatum, mox illustri miraculorum gloria honoratum est. Ut quò minus Sanctorum catalogo accenseatur, Clementi obsequium, licet ab inscio, præstitum fecerit. Tanta nimirum schismatis turpitudo est, ut solo contactu infecerit.

Petri immatura, sed sancta mors, & miraculis honorata.

Opulentus hoc tempore apud Treviros Dietzii trans Rhenum comitatus, prole mascula in Gerardo Comite deficiente, cum hujus morte in varias partes discessit: Quando ea fuit vini affluentia, ut vas plaustrale tribus væniret aureis, vinum uno. Subhæc Robertus Palatinus à federatarum urbium factione, cui adversus Clerum hæserat offensus, versis in eam armis, prælioque victor, ex 320, quos ceperat, sexaginta, in calcariam fornacem missos, cremavit, ignem se rependere ignibus dictitans, quos prædiis suis immisissent. Hinc in Moguntinos, Francofurtenses, & Wormatienses versus, ex protectore insperatus hostis, in tantam desperationem terum omnes adduxit, ut ingenti pecuniæ vi, vexationem redimerent, emptâque demum pace quiescerent.

1386.

1387.

Cuno etiam cum Moguntino & Colonienſi Antistite sociatis copiis in Ludovicum Ravensteinium qui Leodienſi & Juliaco Principe adstipulante, infesta diœceses Archiepiscoporum deprædatione vastabat, arma convertêre, occupatâque Ravensteinii arce, tanquam corvorum, ac rapacium volucrum nido, prædatoriam hanc licentiam sustulêre. Na-

Ludovicus Ravensteinius prædator subactus.

Monasterium Camp. Virginum cœpit.

Natu m hoc tempore Campium juxta Boppardiam Monasterium præstanti duarum Mulierum pietate est, istic sese collatis opibus D. Augustini disciplina includentium, Cunone hoc Dei obsequium probante, quod emoriente demum hujus instituti vigore, Franciscanæ familiæ virginibus attributum est. Extant quoq; ejusdem Archiepiscopi in Aldenbergensem Parthenonem beneficia. Cujus Magistra Wiburgis anniversaria quater memoria fidem Cunoni obligavit. Inde Wenceslao pecuniarum indigo, Schonecum castrum haud procul à Prumia, oblato ære, sibi Cuno addixit, ac Lotharingiæ Principe, mutuo etiam argento arctius devincto, ne quid turbarum ex vicinia crearet, jam senio ad sepulchrum inclinatus, in Wernerum Königsteinium ex filia Philippi fratris pronepotem, rectæ apertæque mentis virum, Episcopale onus transtulit, ipse Majorum exemplo, de æternitate securius deliberaturus. *Illi* Urbanus Pontifex, instituta de moribus vitaque, per Fridericum Colonienſem, Roricum D. Maximini, & Wilhelmum S. Martini Præsules, quæstione, Wernerum ex Archidiacono Archiepiscopum, submisso pallio, renuntiavit. At Cunoni hæc sine Metropolitani Cleri suffragiis perpetranti, labore deinde industriâque opus, ut hunc assentientem haberet, quod denique juris suffragiorumque cautione præstitâ, est assecutus. Cum illius in diœcesin egregiis meritis, & integritati Werneri omnibus cognitæ hanc gratiam deferrent. Quibus peractis ad Welmichiam arcem suo egregiè excultam opere, tanquam ultimam vitæ scenam, digressus feriâ Pentecostali quintâ decessit. Confluentiæ in æde D. Castoris, intestinis Welmichiano in templo relictis, sepultus. Vir, qui, in excelso robustoque corpore excelsiorem animi magnitudinem ostentaret, belli pacisque ac religionis artibus excultus. Stantem Leoni comparare solebant; alloquio tamen & sermone comem, ut gravitatem humanitate condiret. Ad Cardinalitiam ab Urbano voca-

Schonecum emptum.

An. Ch. 1388.

Wernerus in locum Archiepiscopalem assumptus ægrè ob neglecta capituli vota, admittitur.

Cuno ad solitudinem in Welmichiam arcem succedit.

tus

tus purpuram, hanc modestè, ut & alios Episcopatus detrectavit, ratus *unicam Episcopo Ecclesiam, ut viro sponsam, sufficere, ne officia pluribus impensa, uni subtrahantur.* Ubi otii quid nactus fuerat, Chrysopœiæ auróque chymicè conficiendo, nec infelici successu, (qui alioquin tamen rarus est) impendisse fertur. Militiam ita per diœcesin instruxerat; ut promptam voluntariamque, non, ut hodie, mercenariam possideret. Equestris militia, cujus laus roburque præcipuum, penes obnoxiam clientelis nobilitatem erat; peditum ex populari civilique juventute certus delectusque constabat numerus. In annonam pro brevi expeditione ducenti tredecim boves, sexcentæ ac duodecim oves, currus 78. æs subsidiarium tredecim millia ducenti septuaginta aurei, suis quæque ex locis sufficiebantur, parabili expeditóque militiæ sumptu ac genere. Donec sub Sigismundo & Maximiliano Cæsaribus, vagi quique ære ad signa exercitumque suis sub tribunis coacti sunt, atque ingenti profusione opum, parsimoniæ virtutique minus consultum est, dum inexplebili, quà Duces, quà milites rapacitate integras brevi regiones exhauriunt, ut nec regnorum denique opes his alendis sufficiant: præsidio, quo nullum ad exitium rerump. præsentius potuit reperiri.

Cardinalitium pileum recusavit.

Chrysopœiæ peritus.

Militia ejus temporis semper prompta.

Annona militaris constituta.

Wernero Archiepiscopatum ingresso, cum infestis primò consangvineis, qui thesauris Cunonis inhiabant, luctandum fuit: neque enim omnino vacuus Welmichium discesserat: & Fridericus quidem Colonienſis ex administratæ Diœcesis suæ rationibus, quas à morte Cunonis malè à Wernero deposcebat, actionem repetundarum conatus instruere; sed postulationis hujus improbitas, documentis optimæ administrationis facilè á Wernero delusa est, & verecundia postulatori injecta.

Consangvinei Cunonis thesauris contra Wernerum inhiant.

Mox etiam Rupertus Nassovius in arma, Werneri mansuetudine spretâ, coortus, adversus quem Adolphum Nassovium sibi conciliatum, ceu cuneum cuneo repel-

Nassovios & Gallos infestos amolitur.

repellendum, oppoſuit. Tum verò amoliendis Gallorum incurſibus, qui ſub Rege Carolo (in Juliacenſem Geldrumq; fautores Anglorum) ducebantur, militem legit. Sed cum illi plerique abſumpti peſtilentiâ breve bellum pace clauſerint, hæc quoque tempeſtas diſſipata eſt, & Wernerus ſacerdotio, ad dignam Epiſcopo ſacrorum curam, initiatus eſt. Quo tempore Coloniæ ſub Friderico Archiepiſcopo florentiſſima artium omnium ſcientiarumque Academia, Urbano Pontifice probante, eſt inſtituta. Qui anno proximo Bonifacio Romæ IX. locum fecit. Contra quem tamen perſtitit in Gallia pſeudopontifex Clemens; ac poſt quadriennium ſubſtitutus, eâdem ſchiſmatis duravit pertinaciâ Petrus Luna Arragonius, umbratilis dignitatis ambitioſus propugnator.

Academiæ Colon. origo.

An. Ch. 1389.

Antipapæ in Gallia ſibi ſuccedunt.

Wernerus porrò Trevirique res quique ſuas firmare adverſus hoſtilem quemvis impetum conati ſunt. Et hi quidem propugnaculis munire urbem, quadratamque nigræ portæ turrim excelſo opere adjicere: ille verò poſt Schonecum ſibi plenè vendicatum, beneficiariis Schleidæ Dynaſtis ære ſubmotis, Waldeci generis nobiles, unà cum triarchis Eltiis aliisque federatorum, quos ſupra memini, ſibi, innovatis pactis, addixit, ac ſubinde Weſaliam rebellem novo expugnandi genere, tum primum ex pyrio pulvere globisque per tubos æreos evibratis reperto, aggreſſus eſt. Nuper illud Bertholdus Germanus, ad inhumanam hominum perniciem, Europæ invexit, tantò nocentius, quod virtuti in bello anguſtiorem multò locum fecerit, cùm imbelles juxta fortesque hæc machina proſternat. Weſalienſes tamen, multum huic terrori detraxere, cum integro obſidionem anno tulerint, Wernero interea Niderburgum excitante.

Wernerus & Treviri adverſum ſe muniuntur.

Pyriis globis à Germano repertis Weſalia oppugnatur.

1390.

Floruit hoc tempore apud Treviros in ſuburbano D. Matthiæ cœnobio Gaufridus, ſeu Joffridus, ex Liningenſium Comitum ſtirpe, Abbas, ſingulari pietatis

Gaufridus S. Matthiæ

ac religionis lumine illustris, qui auri argentique vasa suppellectili mensæque suæ detracta, ad hierothecas Reliquiarum templique ornatum transtulit; tum verò Wernero, ac Bonifacio Pontifice autoribus, in solenni quaquà affluentis populi frequentiâ, thesauros Reliquiarum istic reconditos deprompsit, venerationi omnium, quod, ut deinde statis anni temporibus religiosè observetur, diplomatis utriusque sancitum est.

Abbas pietate clarus propositionem Reliquiarum annuam auspicatur.

Interea vicinæ quæque regiones desidia Wenceslai Imperatoris, inter luxum ignaviamque Pragæ (neglecto imperio, atque etiam patrimonio Lutzelburgico) senescentis, bellis ac seditionibus jactabantur. Carolum quoq; Lotharingiæ Ducem Metenses bello premebant, adversus quos prisco ille fœdere Trevirim sibi aliosque Dynastas sociârat, cui bello ferocissimè omnium Trevericus miles Joannes Bousseñ à Waldeck, illustri gente natus, fertur incubuisse. Sed Fridericum Colonienſem partibus Caroli addictum, Engelbertus Comes à Marca, hostili infestatione suos intra fines defendendos continuit. Wernerus tamen missis illi suppetiis, amica denique pace bellum concluſit. Waleramus autem D. Pauli Comes, cum frustra æs Wenceslao Cæsari, immensarum opum helluoni, creditum repeteret, incendiis rapinisque in ditionem totam grassatus, centum facilè evertisse pagos memoratur, aliorum inopiâ nihilo effectus ditior: tunc denique conciliatus, cum alter opes exhausisset alterius, quòd *nihil ad suadendam pacem indigentiâ rerum efficacius* sit: *nihil magis bellum nutriat, quàm abundantia.*

1391.

Metense bellum à Wernero deniq; compositum.

1392.

Amisit hoc anno virum doctrinæ virtutumque fama percelebrem Treviris Nicolaum de Arluno, Acconensem Episcopum, Cunoni & Wernero in sacrorum ministerio suffragatum, ex ordine B. Mariæ Virg. de Monte Carmelo ad hoc munus assumptum, quem Treviris præclara jam olim laude & basilica florentem, non paucis ipse beneficiis ornavit, eruditionisque existimatione illustravit. Mortis illius tempus adeò notabili sterili-

Nicolaus Aralunius suffraganeus Trev. Carmelitas, è quibus erat Treviris promovit.

Sterilitas vitium.

sterilitate vini signatum est, ut præter acerbissimum exilemque succum uvæ malleis conterendæ, nihil relinquerent, disparisque ante sexennium fecunditatis memoriam votumque excitarent. Ita & *Superi alternis inter mortales rebus delectantur: in quibus nihil constans esse voluêre, ut ad feliciora adspirarent.*

An. Ch. 1393.

Nec levius malum, quod in miserabili imperii anarchia, bella ubique ex aliis alia nascerentur; cum jus nullum præterquam in armis, injuriâ plenum. Unde Wernero pacis cupidissimo, identidem recurrendum ad arma fuit. Quæ hoc tempore præter nobilitatem, Clero passim infestam, provocabat ad Loganam Joannes Solmensium Comes, majori conatu, quàm qui infringi repentè consilio aut milite posset, cui Joannes & Everhardus de Marca Arenbergi Dynastæ in Eifflia accessere; sed hi facilius, per affines ejus loci Werneri clientes expugnati, Wilcheshusium arcem interceptam soloque æquatam amisêre. Joannes quoque & Philippus Nassovii Comites à Duissenaviæ arcis munitione depulsi sunt, quod se ad aliorum ruinam confirmarent. Luctuosissimum etiam hoc tempus non solum Germanorum copiis adversus Bajazetem Turcarum Imp. eductis fuit; sed Europæ prorsus universæ, cum Bulgarorum & Hungarorum profligatis exercitibus magnam sibi Europæ partem subjugaret, Christianis latè infelicem servitutem subeuntibus. At Wernerum domi etiamnum hostes antè memorati lacessebant, donec Solmensis prælio victus captusque, libertatem, nisi castro Griffensteinio ad perpetuum belli usum Trevirensibus patefacto, salvâque jurisdictione Ecclesiasticâ, per ejus Comitatum, literis firmatâ, obtinere non potuit, Arenbergii verò identidem suas inter clades obluctati, cum ignem Confluentibus Witlichioque, haud levi detrimento, ingessissent, tandem post septennium rebus desperatis succubuêre, præcipuo ejus familiæ Comite, exulis sortem vitamque secuto. Francofurtensibus deinde Comitiis, frequentissimâ nobilitate, ad quinies mille

Ob Imperii anarchiam bellis omnia turbantur.

1394.

Solmensis & Arenbergensis Trev. infesti, denique subiguntur.

1395.

1396.

1397.

Comitia frequentissima sed parvo

mille capitum censâ (præter quos Principes Comitesque facile 150.) conventum est, ac de imperii tranquillitate curanda consultationes initæ; sed cum Imperatore, qui sine animo auroque esset: Unde consiliorum affatim, opis nihil inter Principes, qui cum imperii censibus, bella quoque partiti videbantur, paucis locupletatis, exhaustis quamplurimis. Wenceslaus hinc ad consangvineum Galliæ Regem, de pace Ecclesiæ, auferendóque schismate acturus, ut dicitur, transiit; sed irrito rursum labore, quando *Galli* in Pontificis delectu omni sese nationi præferebant; *soli tunc sibi creduti maximè sapere, cum soli pæne aberrarent.*

emolumento Francofurti habita.

Clerus Trevirensis insigne his temporibus beneficium, sibi olim ademptum, nunc receptum Wernero debuit. Nam cum, indulto Eugenii Pontificis, ab Hillino usque, intestabilis Cleri hereditatem Archiepiscopi occupassent, atque haud levia hinc manarent incommoda, Wernerus consulto ac probante Bonifacio Pontifice, morientis Cleri hereditate præteritâ, anni primi sacerdotiorum fructus, certiori minusq; indigno censu est assecutus, & Redimiarum titulo Marcam Domini sex aureis appendi solitam, simulque annuam sui Majorumque, die Animarum sacrâ, per omnes Ecclesias, memoriam pactus est. Quæ diplomate firmata, more Trevirensi, anno ab Incarnatione Domini cœpto signantur. Quâ computatione, cum 9. mensibus communis à Natali & cal. Januariis ductus calculus prævertendus esset, Treviri hoc ævo tribus mensibus, minori ut credunt parachronismo, suis in contractibus, sequuntur. Nos vulgatæ temporum rationi in historia insistimus.

1398.

Cleri morientis hereditati Wernerus renuntiat.

Fructus Sacerdotiorum primi anni admittit.

Trevirensis annorum calculus ab Incarnatione, 9 mensibus serius ducitur.

Wenceslai distortum inter hæc cum corpore ingenium, cum nemo amplius æquo animo sustineret: quòd imperium Ecclesiamque, quam olim in baptismo, ut Copronymus alter, infecerat, sua ignaviâ luxurioságue vitâ perditum iret, bellisque Germaniam, Bohemiam Hussitarum novâ hæresi impunè vexari cerne-

An. Ch. 1399.

Wenceslaus Imp. Rensæ, ubi quondam electus, depositus

quoque est, & ab Electoribus Ecclesiasticis & Palatino Robertus Palatinus suffectus est.

ret, Germanis Doctoribus, per Joannis Huss Bohemi æmulationem, vafrè submotis, cum omnia apud Cæsarem impetrari auro possent. Cui Huss, quod Anserem significat, adeò non parcebat, ut Wenceslaus pretiosum hunc Anserem diceret, qui tot aurea sibi ova peperisset. Ipse verò his eisdem non parcebat in urbes Principesque refundendis, cum se in discrimen amittendi imperii adductum vidisset, ratus eadem arte servari posse, quâ erat comparatum. Trevirorum certè civitati, quando Wernerum inexpugnabilem credidit, ostentatione beneficiorum lenocinatus, nihil denique & hic effecisse se comperit. Ecclesiastici igitur Electo-

1400. res, faventibus Palatinis, Rhensæ ad Rhenum collecti, anno salutis MCD. die XX. Augusti, cum Wenceslaum publico decreto exautorassent, Robertum Bavariæ Ducem Rheni Palatinum Cæsarem renuntiarunt, Bonifacio Pontifice utrumque factum hortatu, assensuque suo, probante.

1401. Cum verò Aquisgranum Wenceslao hæreret, Coronatio Vbiorum Coloniæ à Friderico Archiepiscopo, Joanne Moguntino, & Wernero Trev. cum alia nobilitate, receptis cæremoniis peracta est, ubi Diaconi officio Robertus ad aram perfunctus, Evangelium cecinit.

An. Ch. 1402. Trevirensis Cleri aliud interea Reliquiarum Sanctorum Simonis Eremitæ & Paulini Episcopi studium emituit. In quibus Fridericus Schavart hujus Collegii Præpositus, & Michael illius Decanus laudatur, qui uti superiori anno S. Simeonis monumentum, ita nunc hujus aperuêre, eductaque capita, & argento affabrè inclusa, post solennem supplicationem veneration i debitæ exposuêre. Sed Judæi thoraceam D. Paulini statuam capiti prætulêre. Cum hoc relicto, illam sustulerint, brevi tamen restituendam. Anniversariam inven-

Reliquiarum curatus â Clero honor.

tionis memoriam Fridericus suo ære fundavit. Cives verò firmandæ libertati suæ intenti, diversorum nobilium civili societate, aut certè federis religione sese in-

omnem

ômnem casum munivêre. Erant in his Smidburgii, Hunolsteinii, Harrecourtii, Flockensteinii, Dagstulii, Rolingeni, Ulmeni, Brandeburgici, Berburgensis Dynasta, & Comes Robertus Virneburgius. Quando his neglectis Wernerus infra Confluentes in Engers firmando occupatus, egregii istic operis arcem, quam ab autore Wernerseckum dixére, molitus est, telonio illuc ex Capella, quæ supra Confluentes erat, cum emolumento majoris ex utroque flumine vectigalis translato, Witlichium quoque incendio deformatum instaurare conatus arcem illic Principum domicilio idoneam adjecit.

Hinc cives, inde Archiepiscopus se muniunt.

Arx Wernerseck.

At Robertus Cæsar exercitu quanto potuit conscripto, dormitante ejus æmulo Wenceslao, Italiam ingressus est, Carolo Lotharingiæ & Leopoldo Austriæ Ducibus, in societatem assumptis, quibus Fridericus Colonienſis accessit; sed Joannes Galeatius Mediolanensis, qui toti pœnè Italiæ armatus dominabatur, objectis Robertum copiis haud leviter attrivit: ut Leopoldo ac Friderico deserentibus, redeundum ingloriè fuerit. Pacis tamen per imperium assertor, ejus præcipua loca vigil obiit, Trevirim appulsus, ex veteri instituto civium libertatem privilegiaque Lunæ post D. Jacobi festum asseruit. Cum Wernero ejusque Suffraganeo Conrado Episcopo Azotensi curæ fuit, ut Ecclesius sua disciplina honorque constaret. Quam tamen Arenbergii rursum Silvestresque Comites seditiosis armis interpellarunt. Et illi quidem, ut supra memini, infelici exitu in exilium profugi; hi verò constanti Droneci castri propugnatione, quam denique in clientelæ obsequium submisêre. Cui accessit seculi hujus anno quarto Limburgensis ad Loganam dominii possessio, Joanne ante biennium sine masculâ prole defuncto; ita *hereditatibus cum vita transmigrantibus, ne solus homo intermori videatur.*

Robertus Imp. ex Italia rejectus.

1403.

Trevericis civibus libertatem asserit.

1404.

Silvestres Comites Dronecum castrum submittunt Archiepiscopo.

Floruit id temporis vitæ sanctimoniâ celebris Margareta Bavara Caroli Lotharingi Conjux ac Roberti

1405.

Margaretæ Bavaræ Sanctitas.

Cæsaris filia, quæ integerrima Patrum Carthusianorum vivendi ratione delectata, eos in desertam propè Rutilæ Abbatiam, amœniorem, quàm ditiorem sedem evocavit. Quo ex eorum ordine cœlestis vir Adolphus de

Adolphus de Essendia Carthusianus Rutilæ Monasterium auspicatur, beneficio Margaretæ.

Essendia progressus fundamenta novæ habitationis jecit, decennio post, cum traductâ Religiosorum è Treviris suburbio Coloniâ absolvenda. Porrò Margaretæ in aulico splendore demissio, ciliciique sub veste serica, inediæ inter lautitias, & voluptatis divinæ major, quàm humanæ, gustus admirationem ea ætate habuit, suasq; victorias in bello Carolus magis conjugis precibus, quàm armis propriis imputabat. Probatæ Deo pietatis

Communicantis pietas miraculo probata.

signum fuit, hostia ex Sacerdotis manu decidua, quæ se ultrò in desiderantis Margaretæ labia ingessit. Tale scilicet morum speculum, fas sit aularum incolas seduló intueri. Et felicior Robertus hac filia, Carolus illa conjuge, quàm suo uterque principatu fuit: quòd *virtutis aliquantò majus, quàm opum honorisque pretium sit.*

An. Ch. 1406.

Ludovicus Dux Aurelianis Gubernator Lutzelburgicus sexto hujus seculi anno, Wernero ratione divergorum feudorum clientis obsequium detulit; sed cum

Joannes Dux Lutzelburgicus Ludovico Gallo succedit.

purpuram coronamque Regni Francici armis quæreret, manu sicarii concidit, ducatumque Jodoco Marchioni Brandeburgensi Moraviæque Joanni Bohemi Regis ex filio nepoti reliquit, qui pristinum cum Trevirorum urbe fedus instauravit.

1407.

1408.

Quo tempore Leodienses Joannem Bavarum Antistitem suum, quod Sacerdotio initiari nollet; Theodorico Perveso substituto, ejecerunt, qui tamen à Joanne Burgundiæ Duce Flandriæque Domino, funestissima

Joannes Bavarus cruentâ victoriâ Leodiensi Episcopatui servatus, denique Gorlitiâ conjuge

Leodiensium clade (quâ XX. hominum millia cum Perveso Episcopo interempta sunt) in Episcopatum reductus, partum denique tanto sangvine sacerdotium Elisabethæ, Wenceslai Cæsaris neptis, dictæ Gorlitiæ, nuptiis posthabuit, cum eadem Lutzelburgensium du-

catu

catu potitus. Ita amorem utriusque, licet diversissimi, status, opes conciliabant.

ducta fit Dux Lutzelburg.

Laboratum subinde de turpissimo Ecclesiæ abolendo schismate. Quare Pisis collecti Patres, dum Gregorium Romanum, & Benedictum Gallicum Pontificem abdicant, tertiumque è Franciscanis Alexandrum V. eligunt, omnibus pertinaciter suæ dignitati hærentibus, auxêre, non sustulêre schisma. Quanquam Alexander haud multò post Joanni XXIII. suum in locum substituto, moriens cesserit.

1409. Ecclesiæ schisma ægrè tandem sublatum.

1410.

Idem annus Roberto Cæsari regni decimus, vitæq; ultimus fuit, in cujus sedem cum Electorum suffragiis Francofurti Jodocus Brandeburgicus adiisset, simul per mortem, ante sumpta regni insignia, dejectus est; & Sigismundus Hungariæ Rex Wenceslai frater, literis quàm armis in Turcam malè usurpatis, clarior successit, Jodoci verò morte Wenceslaus emeritus Cæsar in Lutzelburgensem ducatum receptus est, quem deinde Elisabethæ Gorlitiæ nepti ex Joanne fratre Lusatiæ & Gorlitii Marchione reliquit, quæ primis nuptiis Antonio Brabantino Duci collocata, dotis nomine centum XX. millia aureorum datura, in pignus Lutzelburgensium Ducatum accepit, excepto castro Rupensi. Verùm Antonio, triennio post in prælio contra Anglos occumbente, secundis illa nuptiis Joanni Bavaro Leodiensi Episcopo, anno seculi XVII. obtigit, quocum Majorum more, civitate Trevirensi est donata.

Roberto Cæsari, Jodocus & mox hoc etiam mortuo Sigismundus substituitur.

1411.

Joannes Dux cum Gorlitia civitate Trev. donatur.

Interea pernicioſum Ecclesiæ schisma, in Maximinianam apud Treviros Abbatiam sese etiam transfudit. Siquidem orbati Rectore cœnobitæ tam pertinacibus dissidere studiis cœpêre, ut factione triplici tres quoq; sibi Abbates, Henricum à Seina, Henricum de Novocastro, & Lambertum à Sassenhausen, omnes genere nobiles, delegerint. Quorum singuli ne quid ad autoritatem deesset, singulos sibi optavêre Pontifices suæ

An. Ch. 1412.

Tres simul ad S. Maximinum Abbates, res Monasterii pessundant,

electionis approbatores. Ut jam non in una Europa, sed una etiam familia tres Antistites novo monstro præsiderent, quò verò disciplinæ & proventuum domesticorum emolumento, dum quisque sibi vendicat universa, expositore non indigebit.

1413. Sigismundi Imp. studiis Concilium Constantiense indictum.

Sigismundus Imperator his aliisque Ecclesiæ excitatus incommodis, imperii Europæque Principes omni studio ad concordiæ revocandæ studium traducere conatus est, ideóque in Italiam profectus Joannem Pontificem ad Concilium Constantiæ Suevorum urbe permittendum induxit. Quo cum & ipse demum post Cardinales accessisset, præter exspectationem, cunctis urgentibus abdicare Pontificatum coactus est, quem licet deinde Gregorius XII. per Legatum renuntians sequeretur; unus tamen Benedictus pseudopontifex Galliarum pertinacissimè obnisus est, quin etiam ad se destinatos à Concilio Episcopos insidiis interceptos pessimo exemplo divexavit. Verum & hæc obstacula Sigismundus ipse in Galliam ad Benedictum transiens perrupit, postquam Galliarum Principes Confluentiæ collectos in suam conciliique sententiam à Benedicti partibus inflexissent. Inter hæc Constantiæ Joannes Hus, dogmatis à Wiclepho Anglo inventi vindex, dum errorem pertinaciter tueretur flammis addictus est. Cujus deinde collega Hieronymus Pragensis cum palinodiam nuper rectè habitam, perversè retractasset, pari incendio sublatus est; sed relictis abhoc Ansere ovis, quæ deinde Lutherus exclusit.

1415.

1416. Hus & Pragensis hæreticus damnatus, combustusque

1417. Libertas urbis Trev. firmata.

Redierat ad Concilium Constantiense Sigismundus, quando legati Urbis Trevericæ jus libertatemq; priscam solennibus istic literis confirmatam, die Sanctis Philippo & Jacobo consecrata anno seculi XVII. obtinuêre. Tum verò autumno ad exitum vergente Benedicto pontificalis abjudicata per Concilium dignitas,

& in

& in Ottonem Columnam sub Martini V. nomine translata est. Et quanquam Vincentius Ferrerius, sanctitate juxta doctrinâque celeberrimus, plurimum ad schisma hoc tollendum, decretaque concilii sancienda operæ contulerit: tamen quod constitutum fuerit, Concilio subesse Pontificem, hoc posterioribus, Florentinâ & Lateranensi, Synodis est revocatum: minusque huic tributum concilo, quod verum illi caput Pontifex non præfuisset. Ceteris tamen in eo decretis à posteriorum conciliorum approbatione autoritas mansit. Wernerus à concilio ad suos reversus Conradum Suffraganeum extinctum anno superiori reperit, quando & Monasterium Eiffliæ nubifragio, potissimâ etiam hominum parte occumbente, propemodum mersum fuit, cadaveribus ad quatuor passuum millia inundatione projectis. Felicior aliquantò in extrema ignis incendiique calamitate hoc anno Sarburgensium exitus fuit. Cum in fusis latè per oppidum flammis, desperatâ hominum ope, Mechtildis Comes, Philippi, ni fallor, Nassovii Saræpontani uxor, ad S. Wendalini, qui in propinquo colitur, implorationem conversa, annuum eidem voto censum obtulit, modò auxilium properaret; cum repentè exaudita, toto prodigiosè oppido incendium restinctum vidit. Quæ ejus gentis posteros invocationi sanctorum malignè obtrectantes juverit recolere.

Reliquis Pontificibus cedentibus ad tollendum schisma Martinus V. substituitur.

Constantiense Concilium non in omnibus decretis probatum.

Monasterium Eiffliæ nubifragio mersum.

Sarburgense incendium ope S. Wendalini extinctum.

In aliud deinde haud volens Agrippinatum, cum suo Archiepiscopo Theodorico, bellum Wernerus abstractus est. Quæstione hi de jure vectigalium, & tutela Judæorum intempestivè regestâ, cum lite motâ navigationem palis catenisque in Rheno fixis intercipierent, comparatâ Principes classe adversus profecturi erant. Sed Werneri consilium morbus, ac mors brevi secuta, intercepit, quæ Vbiis, quàm Trevericis optatior fuit. Pontificatum majori quietis, quàm opum studio administravit, ut ærarium, quod locuples repererat, exinanitum reliquerit. Quartâ octobris anno seculi

An. Ch 1418

Bellum Colonienſe Werneri morte ſublatum.

Ærarium vacuum reliquit.

XVIII. defunctus, sepulchrum in æde B. Castoris Confluentiæ oppositum Cunoni avunculo nactus est. Cum quo, dum Joannem Moguntinensium Principem ejusdem expeditionis socium extinctum comminiscuntur historici Agrippinates, imbelle nimum suæ causæ patrocinium ex alienâ morte arcessunt. *Mors communis hujus vitæ scopulus est, ad quem collisi etiam innocentes adhærescunt.*

Confluentiæ sepultus.



LIBER

LIBER XIX.

Martinus V. Pap. Sigismundus Imp.

Octiduum à morte Werneri fluxerat, cum Otto à Zigenheim genere Comes, officio summæ ædis Præpositus, virtute castigati exemplar Cleri, omnium suffragiis, communique gaudio delectus, suo tamen dolore lacrymisque, Archiepiscopi munus amplexus est. Qui concitatos Agrippinensium motus non armis, sed consiliis expugnare aggressus, eos, velut sol surgentem tempestatem penetratis disjectisque nubibus, dissipavit. Et quas istic à Judæis natas esse controversias viderat, has ad suam reversus diœcesin, proscriptis Judæorum fœneratoribus, ab ipsa radice exscindendas duxit. Treviris post acceptum Româ pallium magnifico comitatu trium Bavariæ Ducum, Comitumque octodecim, ac nobilitatis plurimæ exceptus, deductusque à Clero Senatuque obvio ad ædem summam, sacris illic solenniter operatus est, ut à Dei obsequio in alios auspicaretur imperium. Mox ubi accepisset, dedisset que fidem subditis, à Rabano Nemetum Antistite imploratus, fluctuantibus illic rebus auxilio venit, quibus expeditis ad Maximiniani cœnobii schisma tollendum revertit; ne alienis magis, quàm suis vigilare credetur; utque erat ad persuadendum felix, ad agendum fortis, evicit, ut penes Lambertum à Sassenhaussen, cedente Henrico utroque, summa rerum consisteret.

Otto à Zigenheim Comes sanctus ex Præposito, in Archiepiscopum electus.

Coloniensis motus componit, Judæos Treviris proscribit.

An. Ch. 1419.

Spirensi Episcopo subvenit.

Maximiniani cœnobii schisma tollit.

Mox à Sigismundo Imp. & Martino Rom. Pontifice, ad bellum contra Bohemos, Hussitarum invalescentium hæresi latè grassantes, evocatus, copias ex Mosella Rhenóque, & Bavaria, aliisque Sueviæ urbibus lectas in hostem duxit, quibus alter Saxonum, sub illius gentis Duce, tertius Franconum sub Friderici Brandeburgici auspiciis accessit, qui diversis in Bohemiam pro-

1420.

Contra Hussitas Bohemos infelicem cum aliis expeditionem suscepit.

progressi viis, cum ad Misnæ obsidionem convenissent subitaria hostium irruptione territi, atque in turpissimam aversi fugam, nullo ad victoriam momento redi-
1421. ére. Mirúmque est altero eandem expeditionem anno, majori Principum viriumque conspiratione cœptam, post aliquam Bohemiæ deprædationem, panico rursum Germanorum terrore dissolutam, ceu majori in bellum, quàm humana virtute hæretici ruerent, irritam concidisse, Quo successu universæ Germaniæ Hussitarum metus incussus est, *patuitque in bello non semper bonam causam triumphare.*

Regalia à Sigismundo Imp. capit.

Otto regalium potestate jurium Vratislaviæ à Sigismundo ornatus, ubi domum revertisset, Ecclesiasticæ monásticæque disciplinæ, quæ per Majorum indulgentiam haud leviter afflicta erat, ad pristinum vigorem revocandæ se totum impendit, utque sua institutione penetraret validius, exemplo ipse castigatissimæ, & ad religiosam etiam severitatem exactissimæ vitæ præluxit. Ab omnibus abstractus deliciis, quotidiano carnem cicilio, inediáque, ad solius frequenter panis frigidæque usum redactâ, frangebat, nec consuetis pietatis legibus contentus, noctes sæpe inter preces insomnes transigebat. Munia ipse Episcopalia in templorum altariumque consecratione, ordinibusque ac Sacramentis impertiendis, quamvis Joanne de Monte Azotensi fretus Episcopo, obire solitus. Hoc igitur vitæ suæ argumento, ad persuadendum inprimis potente, tum etiam officii sui rationibus ad impellendum usus, monasticen primò instaurare aggreditur, utque nuper res turbatas in S. Maximini, ita nunc S. Matthiæ ante muros cœnobio compositurus, Abbatem, his idoneum, ante omnia, præfecit. Quem & ingenio & virtute præcellentem in Carthusianorum solitudine nactus, summo Pontifice approbante, eduxit Joannem Rode, S. quondam Simeonis Decanum & curiæ sacræ laudatissimum Judicem, quem licet deprecantem obluctantemque S. Benedicti in Matthiano Asceterio Patribus impo-

Religiosæ severitatis vitam instituit.

Munia episcopalia per se obit.

Joannem Rodo Carthusianum S. Matthiæ Abbatem præfuit.

imposuit, Herbrando de Gulsa Præsule, ad S. Maximini Prioratum amandato. Martinus Pontifex delectatus hoc Ottonis Zelo, ut ad sanctiora hujus ordinis instituta Religiosos passim revocaret, de Congregatione per Abbates habenda, ad majorem conformationem morum, decretum edidit, quo sigillatim Lambertum D. Maximini, & Joannem S. Matthiæ, præter Theologiensem & Gorzensem Prælatum complectitur. Nec frustra. Indicta Treviris ad S. Maximinum congregatio; ubi anno seculi XXII. convenêre Abbates, ex Trevirensi Diœcesi XIII, ex Colonienſi XIV, ex Leodienſi IX, ex Trajectenſi VI, ex Tullenſi IV. totidemque ex Virdunenſi & Monasterienſi. Ex Metenſibus tres solum affuêre, reliquis S. Arnulphi, Symphoriani, Clementis, Laurentii, Martini, Naboris, & Glandarienſi Abbatibus hoc imperium probrosè detrectantibus. Multa in his Præsulum Comitiis præclarè decreta sunt, quibus languentis disciplinæ veternum excussêre. Manavitque hinc, Joanne Rode inprimis perurgente, laudata Congregationis Bursfeldendis, ad Treviros etiam vicinosque Episcopatus disciplina, quam istic Joannes primò in D. Matthia auspicatus est, ab eóque plures recepêre, latè per Germaniam in hujus instituta admissi.

An. Ch. 1422.

Pro instauratione ordinis S. Benedicti Congregatio Abbatum ad S. Maximinum Treviris instituitur.

Bursfeldendis disciplina apud plerosque recepta.

Hinc otto ad tribunalis, ex præscripto æquitatis, dirigendi curam tantisper digressus, legibus illud certis communivit, sententiam in judiciis ex plurium optimorúmque suffragiis formandam statuit; & ubi Prætor in ambiguo hæreret, Principis arbitrium voluit adhiberi. Scabinos advocationem suscipere vetuit, nisi in causis certis propinquorum; sed tum judicio excessuros, ubi rogantur sententiæ.

Tribunali justitiæ provisum.

Hinc ad religionis curam Ecclesiasticorumque mores maximopere degeneres emendandos conversus, ut majori leges autoritate niterentur, latiusque corrupta tolleretur Provincialem, indixit Synodum, in qua Metensium Antistes Conradus Beyer ipse præsens, Henricus Tullensis per legatum Imentum fuit, Virdunensem

1423.

Pro moribus Ecclesiasticorum formandis synodus.

sem remota excepit absentia. Hæc XXVI. Aprilis anno hujus seculi XXIII. cœpta, & sex legum capitibus divisa fuit. Primo capite de fide Catholica actum, cautumque inprimis ne Hussitis alicubi hospitium locusve in Diœcesi pateat. Alterum de Canonicis horis ritè legendis psallendisve. Tertium de proscribendo ex ædibus Clericorum mulierum suspectarum, vitandoque ubivis locorum, consortio, intra dies XII. Et primò quidem non parituro anni unius proventus tollitur, iterum monito officium prohibetur, & tertiùm non obsecuturo tollitur beneficium. Deinde reliquis capitibus actum de habitu ornatuque Cleri, de arcendis Circulatoribus, qui obtentis Indulgentiarum bullis quæstum exercebant, denique de legitimo sacrosanctæ Confessionis ac pœnitentiæ ministro.

Leges synodales.

1424. Quibus consultò institutis, postquam Kempenichium à Schonecensibus malè occupatum raptis armis vendicasset Ecclesiæ, & Wasserbillichium, ab *Hinnichis* fratribus injuriâ detentum, solo expugnatum æquasset, desideratæ se accinxit profectioni Hierosolymorum, paucisque feliciter comitibus ingentia marium terrarumque emensus spatia, pietatis officiis ritè functus, Franciscanis sepulchri Dominici custodibus egregia templi ornamenta reliquit, seque pari celeritate domum octobri ejusdem anni recepit. Ubi cum leges à se facilius latas, quàm à Clero, ut mandârat, expletas comperisset, à metropolitana orsus Ecclesia, vim consiliis adhibendam censuit. Verùm hìc potentium amicorum freti auxiliis) ut *& suos flagitia patronos reperiunt*) Canonici, vim libertati tuendæ opposuere.

Levi bello perfungitur.

1425.

Sepulchrum Domini Jerosolymis adit.

Canonici Metropolitani Synodi leges subterfugiunt.

1426. Cumque legato & authoritate fretus Apostolica obniteretur deinde Otto, fortiusque reluctantes premeret, evenit propemodum; ut raptis illi Ecclesiæ thesauris, atque æstimatis maximè Divorum Reliquiis clam transportatis, sese urbi subducerent, sedibus templi vacuis Archiepiscopo relictis: nisi proditum hic consilium intercepisset, obseratisque per dies omnino XV.

urbis

urbis portis, commorationem imperasset. Sed haud nescius *virtutem imperari invitis non posse*, intercessione Joannis Azotensis Episcopi, & Bernardi Carthusianæ domus Rectoris, cum utrisque S. Paulini, ac Simeonis Decanis, pax certis utrimque legibus constituta est. Quâ ingenti dolore Ottonis à concepta reformationis severitate fuit deflectendum, & gravioribus malis avertendis, in levioribus dissimulandum, quanquam *leve habendum nihil sit, quidquid DEI iram prometur.*

Cum Canonicis summæ ædis indulgenter agit.

In Sancti tamen Maximini cœnobio ad nimiam licentiam, ut in frequenti nobilitate istic receptâ, pronum erat, degenerante, hanc minimè labem tulit. Siquidem ipso etiam capite Sassenhusio Abbate jam corrupto, vix corporis ad integritatem revocandi spes erat. Quare omnes Monasterii septis ejectos, in diversas Saræburgi, Palatioli, Cochimæque amandavit custodias, rectius illic necessitate magistrâ ad disciplinam formandos.

An. Ch. 1427.

S. Maximini Abbatem cum cœnobitis degenerantibus in diversas custodias ablegat.

Quando Jordanus de Ursinis, Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Baccharaci, in Trevirorum diœcesi, invitante Ludovico Rheni Palatino, substitit, atq; omni diligentiâ Werneri Martyris acta miraculorumque prodigia scrutatus, ejus quoque sepulchrum corpusque inspexit, cum appositis gestorum tabulis. Quæ egregio omnia libro, cum multiplici testium argumento excepta fuêre. Ludovico Baccharaci Domino, munificoque B. Werneri cultore, suam adhæc operam sedulò conferente.

1428.

S. Werneri pueri acta à Romano legato expensa, & testibus signata, Palatino autore.

Otto totus etiam ad extollendam amplificandamq; religionem animo incumbens, pro æterno glorioſæ Virginis Matrisque Dei honore, solennia duo Missarum sacrificia, à finitis quotidie matutinis in æde summa decantanda, liberali stipendio, instituit, quæ hodiedū inviolato usu celebrantur. Ipse solennoribus quibusque festivitatibus in solitudinem aliquam Religiosi ordinis, suâ, præsertim reformatione florentis (neque enim hanc

1429.

Duo sacra solennia in æde summâ ad honorem Deiparæ constituta.

omnes

Pietas ottonis privata.

omnes, exemplo detrectantis Cleri, admisêre) sese abdebat, atque istic in vigiliis corporisque afflictatione, mentem cœlestium rerum contemplatione pascebat, omnem caducarum rerum strepitum aversatus. Ubi deinde ad publica revocatus negotia est, pauperum ipsi levandorum inprimis cura fuit: raro Christianæ miserationis, in annonæ præsertim difficultatibus, erga miseros etiam ruricolas, affectu; ut his, vel facili pretio frumenta venundari; vel mutui specie nunquam reposcenda offerri pateretur, satis commodi ab aliena miseria sublata percepturus, quod ex virtute magis, quàm auro æstimabat.

Cura miserorum in republica.

Ottensteinium Witlichii excitatum.

Neque interea temporalium negligens operum, cœptum à Wernero Castrum Witlichianum decoro absoluit opere: Cui ab ipso nomen Ottensteinium hæsit, ita quod ad pontem Confluentinum antiquitas vitium fecerat, nova instauratione arcis meliori specie eduxit.

Joanna Virgo Lotharinga Gallos ab Anglorum jugo liberat.

Inter hæc desperatæ Galliæ, sub Anglorum jugo, rebus, è nostra Archidiœcesi ex Tullensi agro Deus per Joannam Viginti annorum Virginem subvenit. Hæc ab ovibus, velut alter David, ad Caroli VII. Regis Franciæ castra transiens, bono Regem esse animo jussit, sibique arma, ac vexillum, Christi effigie lilium manu præferentis insignitum, dari jussit, simulque addi militem, quo media hostium castra penetrans, urbem Aurelianam, extremo obsidionis discrimine laborantem, copiis commeatuque levavit, ac restitantes etiamnum Anglos victorioso Marte profligavit. Subinde per eosdem hostes Carolum Rhemos duxit, Coronamque, impeditam hactenus, jussit capessere, ut Angli discerent, habiturum se ex Gallis Regem, cui obsequium debebant. Posthæc diversis contra Anglos celebrata victoriis, adverso denique prælio ad Compendium victa, captáque, ab Anglis, ceu Veneficiorum conscia, flammis exusta est; sed rogo, quem invidia magis restitutæ Galliæ, quàm causæ justitia instruxisse, etiam Calisto

sto Pontifici, rem proprius indaganti, visa est. Otto subhæc ineunte XXX. seculi anno nephritidis calculique doloribus in florente adhuc ætate abreptus, tanto dyscoli Cleri gaudio, quanto religiosorum hominum dolore, fuit, Confluentiâque Treviros, nullâ, ut jusserat, funeris ambitione delatus, hac ante aram gloriosæ Virginis inscriptione, nigricante sub marmore, recumbit: *Anno MCCCCXXIX * die XIII. Febr. obiit Reverendissimus in Christo Pater, & Dominus D. Otto de Ziegenhain S. Trev. Eccl. Archiepiscopus, humilitatis exemplar, Ecclesiastica reformationis Zelator, justitiæ, veritatis & pacis plantator, eleemosynarum largus dator. Cujus anima req. in pace.*

1430. Otto Archiepisc. sanctè moritur.

* More Trev. qui calculum communem sequuntur.

Illius morte Vdalrici Manderschetii Comitis, Decani Agrippinensis, ambitione jactata Trevirorum resp. est. Hic enim à Friderico de Crôve Præposito Trev. contra Jacobum à Sirck Scholasticum plerorumq; suffragiis designatum, accersitus, Virneburgio Comite Roberto favente, litem coram Pontifice Martino V. Romæ Jacobo intendit, eo eventu, ut cum neuter alteri cederet, uterque illius sententiâ excluderetur, & Rabanus Spirensis Præsul, annis prudentiâque gravis, Palatini septemviri ope fretus, in locum succederet. Acquievit Jacobus quanquam æquitate potior, Udalricus vim & arma opposuit, plerisque ad Rhenum locis potitus, Treviri tamen excluſus, quòd hæc gratiam fidemque integram causæ victori addiceret.

Udalricus Manderscheidtius per schisma electus, Treviris Rabano à Papa substituto, infestus.

Jacobus à Sirck electus modesti; cedit.

Eugenius, qui deinde Martino succeſſit Pontifex, Rabano dignitatem stabilvit, nec Sigismundus Imp. regalia abnuit: sola deerat exequendi potestas; cùm Theodoricus Colonienſium, & Conradus Moguntinensium Antistites Udalricum tuerentur, Clerusque Trevericus nobilitatis illius æstimatione, ad ejusdem partes transisset. Unde cum Diœceſis factionum studiis, mutuisque odiis, ac militum depopulatione miserè deformaretur, Eugenius imploratus, anathematis sententiâ fautores Udalrici omnes, cum eodem, perstrinxit.

1431.

Rabanum Pontifex & Cæsar stabilit.

1432.

Unde

Udalricus ejusque fautores sacris arcentur.

Unde Trevirenses territi, Rabani manifestè partes amplexi sunt, admissóque ejus, sub Theodorico à Kerpena, milite, Clerum sacra ab interdicto tractare ausum, vi ad obsequium, aut carceres, abripi siverunt. Confluentia etiam, quamvis obluctantibus in urbe Udalriciis. Pontifici tamen obsequi, Rabanoque præstare fidem maluit; licet gravius sibi ab Udalrico vicinisque imminere Principibus bellum cernerent. Nec Basilensis concilii, quod tunc Bohemorum & religionis gratia coierat, implorata autoritas ad Udalricum continendum suffecit. Verùm ingentibus ille copiis, ab utroq; Rheni Septemviro, Adolpho Juliæ ac Montium Duce, Jacobo Marchione Badensi, Philippo etiam Burgundiæ Duce (Welmichio & Alcenâ arcibus promissis inducto) stipatus adfuit. Et Contzia quidem arce, vicinisque locis occupatis, terrorem sparsit; sed quem egregiæ virtutis miles, Arnoldus Sirckius Jacobi frater, civiumque infractus animus suâ constantiâ avertit; ut cœpta ante Palmarum solennitatem obsidio, sine palmâ victoris soluta fuerit. Licet enim suis præsidiis, quæ & Lotharingus, & Lutzelburgica Comes Gorlitia ex fedère debebat, civitas excideret; quòd uterque in Burgundi se esse potestate assereret: stetit tamen viris ac virtute hostilibus ausis superior, ut denique Udalricus reductis copiis Rabano Treviros subeunti locum fecerit. Qui Palatini auxiliis & Sirckii fortitudine civiumque benevolentiâ fretus, omnes sibi religione sacramenti addixit, quâ expertam jam fidem confirmaret.

Collecto ille à vicinis Principibus exercitu frustra Trevirim, fortirer defensam, obsidet.

1433.

Rabano Treviri jurant.

At enim Udalricus se, & Trevirorum urbe, & infulâ potiturum ratus, vaticinio mulierculæ, quam Virneburgius circumducebat, malè credidit. Illa se redivivam esse Joannam Tullensem, quæ Anglorum in Gallia sortem verterat, eóque remissam à Deo fine jactabat, ut Udalricum, debellatis Treviris, in thronum eveheret. Neque frons & audacia deficiebat; sed cum Kaldenysenus, hæreticæ pravitatis Coloniæ inquisitor, suspectam ad quæstiones deposceret, fugâ sese, ac brevi mani-

Joanna fictè rediviva, se Udalrico contra Trevirenses debellandos offert.

manifestis sceleribus prodidit. Udalricus tamen spe, ut in amantibus solet, plenus, iteratâ eáque urbem gravissimâ obsidione, sed rursum citra noxam, pressit, quamvis utrimque, ex Martis Apollinisque, ad orientem occidentemque, montibus, continuâ octo dierum fulminatione, ictibusque mortiferis, detonaret, Vnde singulari Numinis providentiâ, nemo præterquam canis succubuit. Quæ fortuna Udalricum retro ad Schonecum castris motis egit, ubi & frustra pugnantem desperatio rerum ad pacem sensim inclinare visa est; postquam Confluentinos quoque Rabanum mœnibus ac fide suâ complexos intelligeret. Adeò omnis belli alea in manu Dei est, qui suis non raró opibus viribusque confisos jactu infelici destituit, & sub imbellis Domini jugum transire cogit, ut Udalrico factum, quem sola penè Trevirorum urbs, viris fortibus, quàm mœnibus firmior, sustinendo magis, quàm pugnando infregit. Cum Rabani ope suisque auxiliariis destituta, omni hostium potentiâ, quæ levis non erat, major steterit, ut iccirco Colonienses Moguntinusque Antistites, ex hostibus conciliatores pacis facti, Udalricum Rabano, arcibus oppidisque traditis, submiserint.

Sed irrita spe rursum urbem oppugnat.

1434.

Unde demum Rabano, pace facta, cedit.

At Virneburgio Comiti nondum esse pacato libuit; sed prædatoriis per inferiorem diœcesin effusis copiis; ferro omnia flammisque deformabat. Quando Rabanus tot hostibus superior, uni impar clienti, deformi fœdere succubuit, Schoneco Eiffliæ, Schonebergo, Dunensi, Kempenichio & Hamersteiniano Dominiis, pro 45. aureorum millibus, in usum transcriptis. Nec deinde quicquam Rabanus tantâ exspectatione dignum molitus est, nisi quod obligationè pignorum, venditisque ubique vectigalibus, diœcesin alieno oppressam ære, exhaustumque non solum ærarium, sed & census Principis annuos, seu necessitate reparandorum belli sumptuum, seu cupiditate augendi peculii, extremis difficultatibus, & longâ posterorum curâ levandis, implicuerit. Udalricus interea fretus ætate amicisque Ro-

1435.

Solus dein Comes Virneburgius Rabano indigna extorquet.

1436.

Rabanus infelici regimine diœcesin exhaurit.

mam profectus, ut quod armis non potuit, precibus saltem à morte Rabani impetraret, in via, spe simul vitáque destitutus, apud Turregum Germanorum occubuit, tam *facilè est Superis, multorum annorum litem, momento decidere.*

Udalricus in via Romana moritur,

1437. Accessit huic funeri grandius aliud Sigismundi Imp, multis in Bohemia Hungariaque, à Joanne Zisca Hussitarum Duce, bellis victi: licet gemina is demum cœcitate, fidei atque oculorum, percussus, malæ propugnator causæ, viribusque inferior pugnaret; ac solâ audaciâ, mortisque contemptu, mortem foris effugerit, domi tandem repertam; cùm pestilenti lue pestis illa religionis sublata est. Glorioſior Sigismundi, si non in bello virtus, in pace mors fuit, cum pietate, & vindicatæ pro viribus Ecclesiæ laude obitâ. In cujus locum gener illius Albertus Dux Austriæ, jam ante Hungariæ Bohemiæque regnis inauguratus, votis septemviralibus evectus est, breviculi honoris fructu, quando altero post anno moriens, suæ gentis Friderico imperium reliquit: ut mortalis gloriæ regnorumque vanitatem agnoscas.

Sigismundus Imp. religione quam bello contra Hussitas felicior, defunctus Alberto Austriaco, & hic brevi post Friderico III. locum facit.

1438. Rabanus, cum se imparem administrationi Trevericæ Diœcesis videret, Joannem Eburonum Præsulem adjutorem Leodio deposcit, ipse apud Nemetes, procul absens, vectigalium florem consumebat. In quibus telonium urbis, ponderumque ac mensuræ vectigal, supremi in illa dominatus jura, accepto ære, pignoris loco transcripsit, parique obligatione Marcetum cum usufructu Sirckiorum heredibus devinxit, Ecclesiæq; Trevirorum ad *CCCC.* millia aureorum nummum æris alieni dissolvenda reliquit; ut ad exhauriendam magis, quàm regendam Diœcesin oblatus videretur. Una tamen laudandus cautione, quâ Basileensis Concilii autoritatem adversus Eugenium Pontificem stabilire cum aliis Principibus est veritus, Nicolai Cusani B. Florini apud Confluentes Decani, eruditione consilio

Rabanus per Adjutorem Leodiensem Treviros, per se alieno ære turpiter obruit.

1439. Eugenio Papæ, contra Basileense

silioque, quantum liquet, impulsus. Cum hic pro dignitate sanctæ sedis fortissimè depugnaret, atque hujus rei gratia tres de Concordantia Catholica libros eidem Concilio obtulisset.

concilium, favet. Nicolao Cusano impulsore.

Hæc verò Synodus Martini Pontificis autoritate, post Constantiensem, ob Hussitarum frangendam hæresin, Ecclesiæque mores reformandos conflata, cum ex usu Constantiensis, supra ipsum se efferret Pontificem, hoc est membra in caput, dominatum occuparent; adeóque inter se pugnarent consiliis, Eugenius illud Ferrariam ac deinde Florentiam translatum voluit; quod cum Patres, ne in Pontificis arbitrio essent, causis aliis obtentis, recusarent, Moguntiæ Comitia non solùm Germaniæ Principum, sed & Cardinalium aliorumque Episcoporum celebrâta sunt, ubi Theodoricus Agrippinatum Septemvir, genere potentiáque atque eloquentia eminens, plerosque ad Basileensis Synodi decreta autoritatemque stabiliendam adduxit. Quam sententiam cum minus Rabanus aliique probarent, ipse etiam per Legatos Eugenius frustra convellere adnisus esset, Julianum Cardinalem Synodi Præsidem, nequicquam obluctantem, Eugenius suo denique imperio, cum plerisque Italorum, retraxit. Ceteri verò, quibus deliberatum erat persistere, fœdo schismate devii, Amadæum ex Sabaudiæ Duce Eremicolam, ad tiaræ Pontificiæ ambitum, senio jam pænè delirantem, inducunt, ac Felicis illum nomine, parum responsuro eventu, coronant. Qui, cum multos Romæ Cardinalium purpurâ ornasset; Eugenius, duos etiam, Joannem Segovium Hispanum, & Guilielmum Hugonis Metensem Archidiaconum, his titulis extulit, ne extra purpuratorum senatum novum hoc Papæ idolum præsideret. Sed Eugenius pontificio in novum hunc consessum fulmine, ejusque fautores detonuit. Rabanus cum aliquamdiu Moguntiæ ad conciliandos dissidentes subsistisset, Principesque autoritate Eugenii deterriti ancipites fluctuarent, res eo denique, regnante jam Friderico,

Eugenius concilio Florentiam avocato, Basileense supra Pontificem se erigente, premit.

Basileenses contra, Eugenio Felicem Pap. substituunt.

Rabanus frustra conciliare nititur.

Germani neutri partium adhærent.

adducta est, ut indecisa inter Pontificem Conciliumq; lite, negarent Germani se alterutri parti adhæsuros, dum constaret, utra alteri potestate sit præferenda. Ita qui Felicem honoraret, ut Pontificem, nemo præter ipsius conditores fuit.

Nicolaus Cusanus (sic à Cusa Trevirorum ad Mosellam vico dictus) inter hæc Romæ celebratus eximio zelo atque eruditione, dignus Eugenio visus est, qui ut Græcæ peritus linguæ erat, in orientem legatus ad Græcorum Imperatorem Joannem Palæologum, ejusque Episcopos Romanæ sedi conciliandos abiret. Quod eâ felicitate præstitit, ut Joannes cum Patriarcha Josepho lectissimisque suæ gentis Episcopis, in quibus Bessarion Nicænus, cum Isidoro Thessalonicensi, Romana dein ornati purpura, ad Florentinum occidentis concilium adductus sit, & post XIV. sessiones discussa S. Spiritus processione Romanæ Ecclesiæ cum diversis orientalium sectis accesserit. Quam cum haud multò post Constantinus frater Joannis fidem violasset, repentè ulciscente perfidiam Deo, Constantinopoli à Turcis intercepta, Oriens Mahometi subjectus est. Et pestilentia toti incumbens Germaniæ, clarissimo quoque ex Basileæ Patribus sublato, eorum pertinaciam visa est plectere. Quanquam sine discrimine innocentes etiam corripuit, uti Trevirensem Carthusiam funeribus exhausit, atque, ex his, translatum ad S. Matthiæ Abbatiam, virum æternâ memoriâ dignissimum, Joannem Rode, qui & hoc Monasterium, & cetera per Trevericam, Agrippinensem, Moguntiacam, Nemetum, Vangionumque diœcesin ad monasticæ disciplinæ integritatem, Basileensis Concilii hactenus incorrupti autoritate, revocârat. Sed ad Montem Thaboris trans Rhenum extinctus, Treviris ad S. Matthiam depositus, jure est, ut cujus, præter disciplinam, opes pessundatas egregiè instaurârat.

Peste in Germania sæviente Basileenses aliique succumbunt.

Qua & Joannes Rode ad S. Matthiam Abbas jacuit

Rabanus inter hæc placere cœpit, cum dignitatem Septemviralem deponeret, Collegioque probante, ac-

cepti

ceptis aureorum LX. pro alimento millibus, Jacobo illam Sirckio quondam electo cederet, Joanne Adjutore, pari ære ad cessionem inducto. Neque difficilis Eugenius ad confirmandos Jacobo honores fuit, cum & dignum se videret, qui rogaretur, & Jacobum qui acciperet. Hinc XI. Septemb. anno seculi XXXIX. Trevirim ingressus, solennique inauguratione receptus est. Cujus subinde primus labor fuit, noxium inter cives Clerumque dissidium componere, quod ex vectigalium immunitate, quam sibi prisco jure Clerus in vendibili vino arrogabat, natum, eâ demum lege compositum industriâ Principis fuit: ut exhaustæ Clerus urbi per sexennium gratuito vectigali subveniret, deinceps pristinâ libertate fruiturus.

Rabanus Archiepiscopatum consultò in Jacobum Sirckium transfert.

Dissidium inter Clerum urbemque Jacobus componit. Hac arte conciliandi celebris.

1440.

Porrò Jacobus, ut politicarum juxta Ecclesiasticarumque rerum hoc tempore peritissimus habitus est, quod & in Renati Siciliæ Regis aulâ Cancellarius, & Sigismundum Imperatorem inter Pontificemque Eugenium, coronandi invitum, conciliator ostenderat, legatione nobilissimâ, ad Fridericum Austriæ Ducem, potioribus votis ab Alberti Cæsaris morte, imperio destinatum abiit, eumque Electorum nomine ad coronam invitavit. Hinc ad suos reversus Beslichium, haud procul Confluentibus, Parthenonem religioso D. Francisci instituto devinxit. Qui locus Sacris olim Martyrum, S. Anabebæ Reginæ, Eribedæ ejus filiæ, & Floriani filii, cum Engelinda consorte, & Getingæ aliorumque à barbaris istic interemptorum reliquiis honoratus, Templarios primò, ac deinde, his eliminatis, Teutonicos equites habuisse possessores, ultimosque, ante has Virgines, Canonicos memoratur, stabili nunc magis religione cultus.

Ad Fridericum Austr. legatus ei dem electionem ad Imperium nuntiat.

Beslichii Parthenonem instituit.

Hiemis dein insecutæ ingens asperitas, plurimos mortalium inclementiâ frigoris absumpsit. Quanquam sævientis Confluentina in urbe incendii, quo Dominicanæ familiæ sedes arsit, flammas non restrinxerit, adeò *contrariis inter se elementis, unus homo oppugnatur.*

1441.

Hiems aspera muros consumit, & incendium Dominicanos.

1442. Posthæc cum Fridericus Cæsar Aquisgranum coronationis gratiâ descenderet, supremi per imperium Cancellarii munus, Theodorico Moguntinensium Antistite indulgente, ad Jacobum, ceu magis expertum curiæ rerum, translatum est, Agrippinatum verò Antistes Theodoricus coronandi munere Aquisgrani apud aram perfunctus est. Unde reversus Cæsar Coloniam subiit, eamque consueto sibi fidelitatis sacramento obstrinxit. Ad Francofurtensia dein Comitia trangressus regalia istic Jacobo detulit. gratiæque singularis loco, Hamersteinianum eidem infra Andernacenses vectigal, hactenus ignoratum, concessit, &, ne vectores terrestri itinere declinarent, Witlichii, Hunthemii & Reidæ idem figi permisit. Nundinis etiam dierum XIV. ab exaltatæ Crucis ad festivitatem D. Michaelis, paribus cum Francofurto privilegiis. Confluentiam honoravit.

Cancellarii Imp. munus Jacobo defertur.

Regalia accipit, & Hamersteinianum vectigal.

Nundinæ Confluentibus celebres delatæ.

Trevirensium verò civitas, absente Jacobo, cum à supremo Scabinorum Magistro regeretur, avida majoris sub Consulibus libertatis, hos illius in locum surrogavit. Cumque se inconsulto factum improbaret Princeps, cives quod æquitate tueri non possent, necessitate, commodique publici grat á factum purgarunt, obnixisque, ut ratum haberet Jacobus, precibus impetrarunt. Qui eâ hoc lege sanxit, ut suâ cum vitâ hæc gratia exspiraret, futurique Principis arbitrio penderet, ne quid decerpsisse posteritati juris videretur. Cui rei testes Theodoricus Manderscheidtius, Nicolaus Hunolsteinius, Joannes ab Eltz aliique adhibiti sunt. Ita Consules primum ab ævo prisco reducti, Scabinorum tamen consilio devincti mansêre.

Consules Treviris primum instituti.

Cum deinde Fridericus Imp. aliique Principum Basileenses ad concordiam revocandos censerent, missi fuêre legati Joannes Lesura à Mosellâ ortus, incomparabili vir eruditione, ad ædem Deiparæ Moguntiaci Præpositus, & alter Joannes Francofurtius, sacræ apud Confluentes curiæ Judex, qui licet nonnullos ad deserendum locum impellerent, reliquos tamen qui beneficiis

Legati pro concordia ad Basileenses missi.

ficiis à Felice acceptis illigari tenebantur, nisi rata Concilii decreta haberentur, immotos deseruêre.

1443.

Quo tempore Elisabetha Gorlitzia Lutzelburgiorum Princeps, ingrata suis, quod Burgundo Ducatum vendidisset, per Guilielmum Saxoniæ Ducem, qui ex filia Sigismundi Imper. neptem Gorlitiæ duxerat, facilè possessionibus dejecta est. Verùm illa ad Burgundiæ Ducem Philippum dilapsa, hunc ingenti exercitu evocatum, astuque Cornelii filii nothi Lutzelburgum penetrantem, pari facilitate ejecto Saxone, possessorem reliquit, certamque argenti pensionem quot annis pacta, Trevirorum in urbem, antiquo jure civis, decessit. Ita, rebus denique, etiam cum Saxonibus, Guilielmo defuncto, compositis, Lutzelburgensis Ducatus ad Burgundos translatus est. Elisabetha verò creditorum multitudine obruta, & ob fraudem neglectæ solutionis anathemate obstricta, tot quondam Domina opum, Regum & Augustorum soboles, Principum conjux, miserimam Treviris, velut in carcere, vitam trahebat, quam post septennium concluſit, in templo Sacrosanctæ Trinitatis, nunc Patribus societatis tradito, monumentum juxta aram maximam hac inscriptione tituli nacta. *Hic pausat Illustrissima Domina Elisabetha de Gorlitz Bavaria & Lutzenburgensis Ducissa, Comitissa de Chiny, filia praclarissimi D. Ioannis de Gorlitz Marchionis Brandeburgensis, glorioſissimi Princ. Sigismundi Rom. Imp. &c. Germani. Quæ obiit an. MCCCCLI. tertio Nonas Aug. Cujus anima requiescat in pace, Amen.*

Gorlitzia Lutzelburgiorum Princeps Ducatum probrosè transfert, & Treviris se includit.

Persecutionem à creditoribus patitur.

Monumenti apud Treviros inscriptio.

1444.

Insequenti anno Carolus VII. Rex Franciæ, pactis cum Anglo induciis lætus, ut levaret Galliam milite, exercitum Armeniacorum dictum, quem ex Anglis Gallisq; conflârat, Ludovico filio in Rauracorum fines ducendum commisit, qui Basileam Argentoratumque pacto, metuque admissi, post subactos Alsatas, in Helvetiam sese effuderunt; sed intra horum, pro aris focisque pertinacissimè stantium, fines, malè accepti, iter relegêre. Ipse etiam Carolus in Lotharingiam cum

Gallus induciis Anglorum fretus in Alsatiam & vicina se loca effudit.

aliis se infudit copiis, tanquam Renatum Siciliæ Regem, (qui Caroli Ducis defuncti filiam duxerat, contra Vaudemontium Caroli fratrem, qui excludi feminas contendebat) possessioni redditurus. Quanquam hanc alii operam Gallos sibimetipsis navare crederent, qui à Carolo Magno ingentes, trans Rhenum usque, possessiones repetunt. Sed consilium occultavit infelix exitus: Cùm præter unum Spinale occupatum, redemptumq; ære, irrito hic Marte decertatum sit. Terrore tamen ac milite Trevericam etiam Diœcesin implevere, ut Jacobus cum Galliarum Rege pacis federe sociatus, securitatem pactus sit, licet Joannes Hurte, Schoneci Dynasta, Prumiensis Abbatiæ infestus noxiusque hostis ac subversor, ingenio belloque audax Armeniacorum ope à Jacobo repressus quidem, sed oppressus non fuerit, cum à clade ferocior, aliquot Jacobo dominia, ut Hildesheimii, Castelbergi, & Manderschetii extorserit, quòd pacem iniquam æquo etiam bello præponeret.

Jacobus cum Gallis paciscitur.

Domestico bello exagitatur.

1445. Sed nondum hinc omne discussum periculum. Nam cum actis Ratisbonæ Comitiis, Germanorum Proceres inprimis Theodoricus Colonienſium ac Jacobus Trevirorum Archiepiscopi, Basileensis Concilii decreta ab Eugenio probanda esse statuerent, aut ab illo ad Felicis obsequium transeundum, invitoque Friderico Cæsare, qui in Eugenium propendebat, plerosque Electorum suam in sententiam pertraherent, Eugenius utrique Archiepiscoporum sacris interdixit. Unde conjurata in Jacobum Eiffliæ nobilitas, illustrisque metropolitanæ Ecclesiæ Clerus illius exautorandi consilia versare aggressus est; Quæ cum rebus nondum ad bellum maturis emanassent suâ Jacobus industriâ armisque prævertit, interceptoque in Eiffliа belli apparatu, & repugnantibus è Clero Ecclesiâ beneficioque motis, periculum discussit.

Cum Archiepiscopo Colon. Concilium Basileense probat, & excommunicatus periculum depositionis subit.

1446. Mitiori subinde ad Germanos conciliandos Eugenius propositio, spem congregatis Francofurti Principibus

bus decretorum Basileensium probandorum fecit, missis adhoc cum Carvaialla S. Angeli Cardinale, oratoribus Nicolao Cusano, & Thoma Sergianensi postea delecto Pontifice. Quâ spe ad Eugenium inclinati Æneam Silvium quem ab Epistolis Fridericus habebat, Romam destinarunt, qui quatuor Pontificio diplomate firmari postulabat, 1. ut Generale indiceretur controversiis fidei morumque finiendis concilium. 2. præeminentem ejusmodi Conciliorum in Ecclesia potestatem. 3. Gravaminum Germaniæ apud sedem Apostolicam sublevationem 4. Sententiæ in Colonienſem & Trevirensem Antistitem latæ derogationem. Quæ licet Eugenius ad 1. Idus Februar. sequenti anno, datis literis indulsisset, tredecim ante mortem suam diebus; ut in pace Ecclesiæ non sine egregia anteactæ vitæ laude, obdormiret; à posteris tamen & universali Lateranensi synodo fuêre improbata. Quanquam *Turrecremata* nec ipsum quidem Eugenium habuisse rata contendat. Attamen constat Jacobum cum Archiepiscopo Colonienſium id temporis Eugenio & Ecclesiæ conciliatum fuisse, teste Silvio ad hanc rem Legato, assensumque præbuisse postulatis; ut & Antoninus ipse præsens, & edita hac de re bulla demonstrat.

Germania certis conditionibus Eugenio liberaliter multa indulgenti se submittit, & Jacobus recipitur.

1447.

In sum. l. 2. c. 100.

Æn. Silv. in Europa. Vide ad hunc an. Spond.

Jacobus subinde ad rem sacram profanamque suæ Diœcesis curandam versus, læta tristibus permista offendit. Hoc illius administrationis memoria celebris redditur, quod illustri hujus temporis Patrocinio Deiparæ Virginis Clusæ, sex infra Treviros horis, nobilitata Diœcesis fuerit, raris postea miraculorum exemplis late frequentata. Originem ea res à simplicis rustici Everhardi, à pago Eschio agrum istic colentis nacta est. Qui illibatæ à pueritia castimoniæ, & pietatis in Deiparam flagrantis studio eminens, sua inter agrestes labores huic dabat colendæ tempora, utque externo ad hoc signo invitaretur, icunculam D. Virginis, Christi mortem dolentis, in excavato suffixit stipite, sua istic in terram pronus exsoluturus devotionis pensa. In-

Everhardi Clusæ infra Treviros miraculosa initia.

Everhardi rustici erga Deiparam, multis utilis, pietas.

sueverat huic pietatis exercitio supplex indies Patrona cliens, cum illa per quietem se spectabilem, offert jubetque obsequio, majori aliquantulum religionis apparatu, sacrâ ædiculâ ad hunc finem excitatâ, insistere. Ad quod opus, cum repetita admonitione, cunctantem, ob suam tenuitatem, impulisset; tandem ipse stipitibus congestoque limo, imperitus artifex, non sine vicinorum risu, Sacellum moliri, adornare sedem tholumque Deiparæ, ac denique icunculam istic veneration exponere. Traxit ea res pervium vulgus, ac cœpêre morbidi, oculisque ac pedibus ceterisque membris capti, implorato istic D. Virginis patrocinio, sanitate insperatâ frui. Quâ famâ longius, ut fit, manante, tanta repentè populi, ac miserorum affluxit multitudo, tamque lauta Everhardo loci custodiam sustinente provenerunt munera; ut ex vicinâ nobilitate Eschiorum Guilielmo & Godefrido faventibus, oratorium illic viginti & sex in longitudine, duodecim in latitudine passuum excitatum fuerit, quod solenni consecratione in festo Annuntiatæ Virginis à Jacobo Archiepiscopo Deiparæ, hoc anno 49. est dedicatum. Ex quo tempore non vulgaribus tantùm claudorum, cœcorumque restitutione miraculis claruit; sed etiam defunctorum ad vitam revocatione locus est illustratus; ut hoc anno Henricus castri Hoinstenii incola aquis mersus suffocatusque vitæ est redditus, postero verò Jubilei anno 50, Alteiæ ad Mosellam villæ puer, in agro consectatione pecorum extremè fatigatus, prolapsusque in terram mortemque, parentum ad Matrem misericordiæ perfugio, votoque est restitutus. Et hæc prima fuêre surgentis postea Clusani cœnobii exordia. Successerat anno 47. in locum Eugenii, nobiliori virtute ac doctrina, quàm genere Thomas Sergianensis Italus sub Nicolai V. nomine, qui legationis suæ in Germania socium Nicolaum Cusanum, perspectæ eruditionis religionisque virum, Cardinalium mox in numerum recepit, & Germaniam, cum amplissima potestate,

1448.

Vile sacellum miraculis honoratur, & in majus Oratorium convertitur.

1449.

Consecratum à Jacobo Deiparæ dedicatur, ubi mortui ad vitam revocantur.

1450.

state, quinquagesimo Jubilæi anno, obire legatum, pro collapsæ passim disciplinæ instauratione jussit. Quod sanè quam maximo illius emolumento, & Nicolai, prædictionis muncre ubique egregiè perfuncti, æstimatione factum est. Treviros ubi invisisset, lustrassetq; præter cetera apud S Martinum ligni S. Crucis particulam, sangvinea etiamnum guttâ patientis Christi signatum, fassus est, nobiliores se nusquam reliquias, quàm hoc loco, conspexisse. Expendit, & Clusanæ religionis principia, inspectáque Everhardi obiter indole, ut autoritate sedis Apostolicæ probaret induci non potuit, vicini etiam Parochi Prespordani qui à sua ad hanc Ecclesiam cultum eleemosynasq; transferri dolebat, querimoniis ad impediendum stimulatus est: donec apud Aquisgranenses periculoso correptus morbo, votum Clusanæ nuncupasset Virgini, sibique mox restitutus, omni deinde ad promovendum opus studio incumberet, magnis etiam à se donariis ornatum. *Tam opportunus sæpe, ad saniora mentis consilia, morbus est.*

Nicolaus V. Papa Cusanum purpura donatum, in Germaniam, disciplinæ instaurandæ gratiâ, destinat.

Everhardi Clusæ initia suspecta habet, sed ex morbo Deiparæ ope restitutus promovet.

Jubilæi, quam Cusanus per Germaniam partiebatur, indulgentiam, honorarii etiam æris, quod in iter Romanum impendendum proficiscentibus fuerat, remuneratione admissâ; illam Jacobus Archiepiscopus, Romam ad limina Apostolorum profectus, coram Pontifice accipere maluit, qui & beneficiorum eidem quorundam, ante Patronos conferendorum, gratiam fecit, & Universitatis Trevir omnium disciplinarum erigendæ propositum laudavit, quod tamen præter civile bellum, mors ipsa præoccupavit, licet quarto post hunc anno Pontificium Nicolai diploma geminum exaratum sit, quo & excitandi facultas, & privilegia Universitatis Colonienſis, cum 6 Canonicatibus, totidemq; Præbendis ac tribus parochialibus Ecclesiis Academiæ tribuendis, conceduntur, Nonis Febr. anno *MCCCCLIV.* ut apud Brovverum leges.

Jacobus Archiepiscopus ad Jubilei gratiam obtinendam Romam abit.

Universitatis studium Treviris molitur indulgente Papa.

Jacobus redux disciplinæ sese, unà cum Cusano, tam Ecclesiasticæ, quàm religiosæ sanctius instauran-

dæ

dæ dedidit. Unde B. Caſtoris apud Confluentes Collegium ſaluberrimis inſtitutis, libro etiam ad poſteritatis obſervationem edito (quod fuit beneficium typographiæ ante decennium repertæ) formavit, propriâq; ſubſcriptione ſtabilivit. Plus ipſi laboris, in fluxis apud Treviros Collegii S. Simeonis moribus corrigendis, atque ad Canonum obſervationem, unde nomen ducunt, reducendis fuit, qui tamen non fruſtra impenſus eſt.

Collegia Canonicorum inſtaurat bonis legibus.

Deſertum ibidem pœnitentium feminarum Monaſterium, advocatis aliunde probatæ diſciplinæ, ex S. Claræ inſtituto, Virginibus habitandum tradidit, earumque moderationem Patribus D. Franciſci commiſit. Quarum religioſæ vitæ ſtudium etiamnum clareſcit.

S. Claræ Parthenonem Treviris inſtituit.

Ejusdem verò Franciſcani ſodalitii fratres Confluentiæ à priſca obſervantia degeneres, ad eandem, difficili quidem, ſed tamen bono operæ pretio reduxit. Regulares etiam S. Auguſtini Canonicos, quos ante ſeculum Gerardus Daventrius apud Tranſiſalanos Windesheimii, laudabili vitæ genere, formârat, ad Inſulam Confluentibus in Rheno propinquam evocavit, atque hinc eorum coloniam ad Everhardi (qui LI. hujus ſeculi anno ſanctè obierat) Cluſam traduxit. Ubi tenuioribus initiis ad honeſtam deinde cœnobii poſſeſſionem emersêre, Godefrido Eſchio hac in re omnem operam navante. Quam frequenti poſtea miraculorum gloria probare Deiparæ non ceſſavit.

Franciſcani Confluentiæ reformati. Regulares Canonici vocati.

1452.

His Everhardi Cluſa ab illis morte tradita.

Interpellavit hoc Jacobi ſtudium novis belli tumultibus Joannes Hurte, Arenbergiis Marchiæque Comitum, aliorumque ſubſidiis fretus. Verùm ſuarum non deſes rerum Jacobus, juncto ſibi Virneburgio Comite, Joannem in ipſo oppreſſit belli molimine, arcibusque quondam conceſſis repentè exuit. Sed amiſſis poſſeſſionibus Hurte nondum præferoci exciderat animo. Unde viribus, ex qua licuit parte, collectis, prædatoriâ licentiâ Diœceſin pervagatus, ingentia multis damna

Hurte rebellis plectitur & tamen nocet.

mna intulit, ut unius Principis vindictam persequeretur.

Quod eo potissimùm evenisse tempore creditur, quo Jacobus, suâ absens militiâ, Friderico Palatino, contra Theodoricum Moguntinum Bavarumque ac Badensem frequenti bellorum collisione dissidentibus, ita hæsit, ut medius partium consilia pacis subjecerit, induciasque demùm triennales ad animorum armorumque conciliationem persuaserit, cum funesta occupatæ à Turcis Constantinopolis nuntia, vim bellorum in orientem avertendam suaderent. Ab hac igitur expeditione reversus Princeps rursus animum ad Academiæ fundamenta jacienda convertit, gemino jam Pontificis, cujus supra memini, diplomate instructus. 1453. 1454.

Jacobus pacis inter Moguntinum & Palatinum conciliator.

Sed coacta brevi, Nicolao Pontifice impellente, Friderici Cæsaris Principumque Francofurti primùm, ac deinde Novæ in Austria comitia, alio rursum mentem Jacobi abstraxêre. Ibi enim, cùm de auxiliis orientali Ecclesiæ suppeditandis actum, gravissimâ Jacobus oratione præsentium inflammasse contra Turcam animos fertur, pronique sua cuncti ope, eodem spectabant, cum Nicolai Pontificis importuna mors, calentem Procerum ardorem, velut affusâ frigidâ restinxit. Jacobus verò à Friderico, jam ante biennium creato Romæ, Imperatore, post impetratam regalium confirmationem, cum alia atque alia sibi ab eodem privilegia fidenter posceret, jam ante decennium tam Hamersteinio, quàm in Engers & Poppardia portorio cumulatus; respondit denique Fridericus: *nisi feceris petendi finem, ego negandi principium inveniam.* Exhaustæ per Rabanum Diœcesis necessitas, cupiditasque familiæ propriæ elevandæ (quam Comitum etiam familiis per neptes traditas inseruerat) ad hæc Jacobum postulata, vitio proprio alienóque demittebat. Hinc etiam apud Pontificem Cæsaremque, pro Mediomatricum Episcopatu sibi adjungendo, vigilabat. Verùm morbus apoplecticus, qui sensim totum, mente ac sen- 1455.

Orienti succurendum Jacobus persuadet. Sed Nicolao Pontifice mortuo nil fit.

Importunitas petendi in Jacobo perstricta à Cæsare.

sibus

1456.

sibus destitutum, prostravit, hæc vota intercepit: quo cum nobilitas patriæ, vel jam oppressum, vel certè opprimendum crederent, ne novis Cleri in electione dissidiis ad extremam Diœcesis ruinam impelleretur, mutuò sese federe, seu *unione*, ut vocabant, *ordinum* ad obsistendum ejusmodi schismati, junctisque ad unius partes viribus transeundum, obligarunt. Quæ tamen deinde unio, quod electionis libertati, & melioris causæ officere posse videretur, Pontificis ac Cæsaris, quorum autoritati derogabat, voluntate sublata est. Interea Jacobus Palatioli 28. Maji vivere desiit, majori laude religionis amatæ promotæque dignus, nisi consanguineorum nimius amor, pecuniæque, venditis etiam diœcesis præfecturis (quæ solent bene meritorum esse præmia) sordidè quæsitæ, famam detrivissent. Depositus in Basilica Deiparæ Metropolitani ædi conjuncta, ante aram maximam, hac epigraphe rudi carminum est:

Jacobo lethaliter decumbente Nobilitas unionem, sed rejectam postea, erigit.

Jacobi mors & sepulchrum.

Trevir Sirck Iacobus, vim Præsul origine passus,
Sublimor tumbâ, subrodor & anguibus umbra.
Hostes compegi, Procerum consulta redegi.
Clerum Zelavi, discordes pace beavi. &c.

Itum postea à Canonicis 21. Junii ad novæ electionis suffragia. Erantque in ceteris candidati Dietherus Isenburgicus Dynasta, Conradus Bavarus Præsul Metensis, Guilielmus Harancurtius postea Antistes Virdunensis, Henricus & Joannes Greyffenclau, Emundus Mailburgius, Philippus à Sirck aliique. Paucis solus Dietherus; aliis extraneus Joannes Marchio Badensis, ex Bernardo & Margareta Caroli Lotharingiæ Ducis filia, adolescens duorum & XX annorum, sed eximiâ indole spectatus, placuit. Cumque quorundam arbitrio ac decisioni commissa his esset, hi Joannem, pontificiâ dispensatione, & Cæsaris gratiâ fretum postularunt. Quod Dietherus nobilium patriæ unitorum, (ut ex quibus ipse esset) gratiâ & ope nixus, minimè ferendum ratus, vim

Schisma eligentium Joannes Badensis electus finiit.

vim atque arma oppoſuit; Verum ubi Caliſtus III, qui in locum Nicolai ante biennium ſucceſſerat Pontifex, pallium Joanni Octobris XXV. die ſubmiſiſſet, arbitrique litis Moguntinus & Colonienſis Septemviri conſtituti cauſam Joanni addixiſſent, unio iniquitatis patrona Cæſaris quoque voluntate cum Diethero rejecta eſt, Urbesque & arces in obſequium Joannis tranſiêre. Weſterburgius quoque Dynaſta Joannes, qui iniquis ſe Colonienſium Mercatorum ditârat ſpoliis, eorummet Electorum Triumvirûm judicio XII. aureorum millibus multatus eſt. 1457.

Weſterburgius ob rapinam punitus.

Poſthæc gliſcere quædam rurſum inter Germaniæ Epiſcopos, & Caliſtum Pontificem ſcintillæ diſſenſionum viſæ ſunt ex beneficiorum reſervatione ac diſtributione. Inter gravamina, de collationibus beneficiorum, & Annatis, (quibus media pars fructuum primi anni ex beneficiis Romæ pendebatur) cum Eugenio, ac poſtea Nicolao ſucceſſore, anno 48. ſeculi, ita convenerat, ut Epiſcopatuum & majora Cathedralium Eccleſiarum beneficia, in poteſtate ſummi eſſent Pontificis, electione tamen Capitularibus relictâ. De reliquis beneficiis collatio alternis ſemper menſibus, hoc eſt, Februario, Aprili, Junio, Auguſto, Octobri ac Decembris ordinariis relicta eſt, ceteris menſibus Pontifici ſervata, eâ lege, ut ſiquæ ex his 24. auri florenos in cenſu non excederent, gratuitò conferrentur. Et niſi ſedes Apoſtolica intra trimeſtre provideret, ad Ordinarios jus conferendi recideret. Annatæ verò, juxta æſtimationem Apoſtolicæ Curiæ, de Prælatorum Sacerdotiis, et Cathedralibus Eccleſiis, & Monaſteriis virorum venderentur. Et hæc Germaniæ concordata dicta fuêre, quibus Caliſtum minus ſe conformare querebantur, & Germaniæ beneficia in extraneos etiam transferre, pecuniasque pro orientalibus auxiliis collectas aliò deriware. Unde his etiam Joannes Herbipolenſis Epiſcopus manus injicere non eſt veritus, aliique ad concilii auctoritatem à Pontifice provocare ſunt auſi. Quare

Controverſiæ inter Pontificem & Germaniæ Epiſcopos ratione beneficiorum ortæ.

Pon-

Cusanus & Silvius, ille legatione, hic scriptis Calistum purgant.

Pontifex Nicolaum Cusanum per literas hisce turbis occurrere, autoritatemque S. sedis tueri jussit. Æneas etiam Silvius, Cardinalium jam Romæ numero adscriptus, luculentis ad diversos literis Calistum purgavit, nihilque à concordatis alienum docuit agere: Electiones minus canonicè factas jure dilatas, beneficia quædam exteris, ut & sibi, pro Germania laborantibus malè negari. Turcæ hisce temporibus, & classibus diversis, & missis in Hungariam subsidiis occurrisse Pontificem, proximamque Calisto, adversus illum, Hungarorum, victoriam in primis deberi. Nihil verò universè admissum, quod accusationem offensionemque Germanorum mereatur.

1458.

Calisto mortuo succedit Silvius titulo Pii, II.

Verùm Calisto ea purgatio extrema fuit, nam 8. Iduum Augusti jam senex occubuit, & Æneam Silvium Senensem sub Pii II. nomine reliquit successorem, Cusano Germanis conciliandis intento. Quo sub exordium anno Mosella Rhenusque exundans inferiorem Confluentium urbem, à S. Castoris ad D. Florini Ecclesiam merserat, navibus solis perviam. Joannes verò Archiepiscopus Viennam ad Cæsarem profectus, indultis regalium, Majorumque privilegiis, alia non pauca, beneficio Friderici, adjunxit.

1459.

Treviri cum Burgundo fedære prisco innovato sociantur.

Trevirensi populo curæ interea fuerat, ut cum Lutzelburgiis, sublato invicem commercio, post Burgundionum imperium, dissidentibus, prisco jure sociarentur. Quod Philippo demum Burgundo Duce, impetratum est, concordiâ antiqui fœderis reductâ. Deinde verò cum ad solennem urbis ingressum Joannes, Cæsareâ jam autoritate Princeps, omnia disponeret, Consularis dignitatis retinendæ cupidi cives, legatis ad Archiepiscopum missis, ejusdem arbitrio Consulum fasces submisêre, obtestatione supplici additâ, quâ ipsius gratiâ eodem uti Magistratu possent. Quod, ut suæ benevolentiæ obnoxios cives haberet, eâ, quâ Jacobus, lege ad vitam concessit.

1460.

Joannes Consulum electionem urbi etiam indulget.

Ad-

Adfuit postea lectissimo comitatu Procerum, cum Theodorico Agrippinensium Præsule, tribusq; Badensis familiæ germanis Carolo, Marco, & Georgio Mediomatricum Antistite, Friderico Rheni Palatino, Seinensibus, Nassoviis, Saræpontanis, Catzenelenbogiis, Salmensibus, Manderschetiis, ac Blankenhemii Comitibus, Dynastis quoque Isenburgicis, Hunolsteiniis, & Winnebergiis; alioque duorum facilè millium & quingentorum stipatus exercitu, & Vere appetente ante portam S. Simeonis, à Consulibus Senatuque obvio exceptus est, mutuâque fide præstitâ incolumitatis, intra portam traductus est. Ubi in ponte Centurio urbis lævâ Præsulis equum prehendit, Archiepiscopus verò solenni juramento addixit, *civitatis pristinum sese statum, libertatemque ac jura defensurum, utque meliora hæc sint potius, quàm deteriora, operam daturum.* Inde Centurioni, stratoris vice, equum ex freno ducente, prævio Gothardo ab Esch, exerto in signum potestatis gladio, urbem peristromatis alióque ornatu excultam subiit. Excentis circum civibus cataphracturâ fulgentibus, & ducentis quinquaginta partim cæruleo, partim colore purpureo, sagittariis eorundem stipantibus, quos Senator vexillifer, inter quadraginta lectissimorum incolarum, antecessit. Ita, ubi ad aulam instructissimam ventum, equo Princeps descendit, illumque Centurio, pro more, cessit.

Solenni ingressu subit.

* *Centenarius, vernaculè Centner, aliis dictus.*

Fidem libertatis urbi præstat in ponte.

Posthæc mutat â Præsul veste, ab omnium Collegiorum Sacerdotibus, præstantique sacrarum Reliquiarum apparatu, Metropolitanam ad ædem ductus, post hymnodiam Ambrosianam, sacris operatus est, & à divinis ritè dignitatem auspicatus, honoratis Proceres Civesque epulis excepit. Sublatis deinde mensis in aream ædi Deiparæ vicinam prodiit, ubi cum suis Consulibus præsentes cives, in sacramentum Principis, Centurione in verba præeunte, adacti sunt, ac subinde, ex more seculi, equestribus in foro ludis solennitas peracta est.

Sacris operatus cives mensis adhibet.

Hinc ad formandam Ecclesiæ disciplinam Antistes statim conversus, illustre exemplum correctionis Trevirorum in urbe edidit. Quando Moniales S. Agnetis, solutioris vitæ licentiæque frustra increpitas, loco ac possessione dejecit, aliasque castioris instituti, ex disciplina Canonicorum regularium, Bonnâ evocatas, & sub potestate curáque Cœnobitarum Everhardi Clusæ victuras, introduxit. Agnete Mœlenheimia, ex valle Angelorum Bonnensis Parthenonis, iisdem præpositâ. Unde & nomen, jubente Archiepiscopo, Monasterio hæsit, S. Agnetis de monte Angelorum, egregiáque hactenus pietatis formâ consistit.

Ecclesiæ disciplinam à Monialibus S. Agnetis orditur. Quibus alias sufficit.

Vicina deinde apud Moguntinenses tempestas belli Joannem quoque involvit. Quando Diethero Isenburgico, istic in locum Theodorici electo, moribusq; parum Ecclesiastico dignis, Pontificis Cæsárisque offensionem promerito, Adolphus Nassovius suffectus est: Cui mox Dietherus se, cum Palatino Moguntinensibus infesto, objecit; cumque Badenses & Bavari Adolpho hærerent, junctus his Joannes, biennio integro mutuis vastationibus terras agricolasque miseros depopulati sunt. Sed cum Nassovius Lansteinium, suæ patriæ defendendæ opportunum, in Trevirensium finibus, insedisset, Joannes versis in eum armis, illud extorquere; sed nequicquam, conatus est. Palatinus etiam, suis grassantes temere hostes in agris improvisò adortus, Carolum & Georgium Badenses, cum Vdalrico Wirtembergico intercepit, ut jam Dietherus triumphare victor crederetur; quando Adolphus Moguntiam, vi dolóque aggressus, insperatò cœpit, Diethero ad occupatæ urbis nuntium vix elapso. Hinc alternante belli fortuna, tandem rebus desperatis Dietherus Adolpho cessit, aliquot urbium possessionibus ac vectigalibus sibi ad vitam permissis. Inter quæ Treviri suis etiam vexati hostibus quieti non steterant; ut bella Deus in remedium excutiendi torporis, scelerumque vindictam, admittere videtur. Joannes verò subinde, jam per ætatem

Joannes Moguntinensi bello implicitus.

1461.

1463.

1464.

capax,

capax, à tribus Epiſcopis, Trevirenſi ſuffraganeo, Metenſique, ac Wormatienſi, Archiepiſcopus in caſtro Saraburgenſi conſecratus eſt. Joannes Archiepiſcopus conſecratur.

Quo tempore memoratus ſupra Nicolaus Cuſanus, ſuſtinuit ingentes diſciplinæ per Germaniam inſtauratæ labores, ac pericula, in Brixinenſis præſertim Eccleſiæ (cujus Epiſcopus creatus erat) contra Sigismundum Auſtriæ Ducem propugnatione, à quo incluſus cuſtodiæ, turpi pactione libertatem redemit, ac deinde Romam à Pio II. revocatus in Vmbria Tuderti, diem extremum clauſit, vir omni à doctrina & virtute laudum genere cumulatiſſimus. Corpus Romam ad S. Petrum, cujus titulum Cardinalis geſſerat, delatum, cor ad Hoſpitalem domum Cuſanam, quam natali ſibi loco conſiderat, ubi quod extat marmoreo ex lapide monumentum, juxta illius effigiem cancrum (piſcatoriæ ipſius familiæ ſignum, quo ex demiſſione fuit uſus) exhibet, cardinalitio tamen galero inſignem, cum hoc elogio: *Dilexit Deum, timuit, & veneratus eſt, ac illi ſoli ſervivit. Promiſſio retributionis non fefellit eum. Vixit annos LXIII: Deo & hominibus carus.* Benefactori ſuo munificentiſſimo Petrus de Ercklens Decanus favens curavit M CCCC LXXXVIII. Epitaphium in laminis æneis per limbos expreſſum. *Nicolao de Cuſa tituli S. Petri ad vincula presbytero Cardinali, & Epiſcopo Brixinenſi, qui obiit Tuderti (fundator hujus Hoſpitalis) M CCCC LXIIII. die XI. Auguſti, & ob devotionem Romæ ante catenas S. Petri ſepeliri voluit, corde ſuo huc relato.* Porrò Hoſpitale illud S. Nicolai honori dicatum voluit, atque in illo cum honeſtis aliquot ſacerdotiis, ad egenorum neceſſitates levandas, liberale, quotannis proventuum ſtipendium reliquit, ne, cum morte, ipſius in miſeros beneficentia ceſſaret. Bibliothecam ibieidem Latini Græcique ſermonis in omni diſciplinarum genere lautam exquiſitamque, veterum præcipuè ſcriptorum, dicavit. Nec minori Daventrienſem ſcholam, quâ eruditus quondam fuerat, munificentiâ

Nicolai Cuſani mors & vita.

Hoſpitale Cuſæ & Seminarium Daventriæ fundatum.

centiâ ornavit; cum Seminarium optimarum artium, honestis proventibus instructum Mosellanæ istic juventuti excitârit. Cujus tamen hoc tempore fructum hæresis sustulit, quamvis gloriam Cusanæ liberalitatis non everterit. Juverit de Nicolao Joannis Andreæ Cardinalis Alerienſis verba in funebri oratione recitata attexere. *Fuit*, ait, *Nicolaus tantâ bonitate cum viveret; ut vir eo melior nunquam sit natus: Vitiorum omnium hostis acerrimus ac publicus inimicus: fastus & ambitionis totus adversarius; integritate animi immutabilis, honestorum laborum, in declivi etiam senectâ patientissimus: benefaciendi & gratificandi, gratiaque referendæ promptitudine admirabilis; ut natus omnibus maximè sibi ipsi minimè videretur. Sanè tantâ doctrinarum omnium ubertate fuit; ut quidquid ex tempore dicendum incidisset, tali id semper copiâ ille dissereret, ut ei soli facultati studuisse videretur. Vir ipse supra optimonem eloquens & latinus. Historias omnes, non priscas modò, sed & mediæ ætatis, tum veteres, tum recentiores memoriâ retinebat. In disciplinis Mathematicis eo tempore doctior fuit nemo. Ius civile & pontificium rectè puréque didicerat. Et, ut immortali æternaque memoria erat, tanquam tunc primum ex illorum studiorum officina prodîsset, memoriter sanctiones & Patrum decreta, & Doctorum insuper sententias recitabat, Philosophiæ Aristotelicæ acerrimus disputator fuit: Theologiæ verò Christianæ summus interpres & magister.* Hæc ille, quibus si raram ipsius animi demissionem jungas, quâ, cum humili esset piscatorum genere, sororem cultius vestitam agnoscere noluit: si religionis propagandæ divinæque gloriæ extollendæ Zelum; si inter perpetuos labores exarata subtilissimè scriptorum monumenta, quibus eruditionem pietatemq; etiam post fata extollere conatus est, jure dixeris, virum eâ ætate prosus fuisse admirabilem, & gemmam, quæ Romano Pi-

Pius Pontifex mortuus

scatoris annulo, ex Mosellæ litore inserta sit. Secutus hunc 19. cal. Septembris Pius Pontifex, postquam ipse

Anco

Anconæ, expeditionem in ſua perſona, extrema licet valetudine ſuſcepturus adverſus Turcas, unà cum Venetis, ſubſiſteret, eâ ſpe fore, ut Chriſtianos Principes, quos à privatis inimicitiis contra hunc abducere hoſtem conſiliis non poterat, exemplo pertraheret; ſed Deo aliter viſum, cum ex hoc litore ad portum ſalutis, nobiliſſimum vitâ ſcriptisque Pontificem tranſtulit, utrisque immortalitatem promeritum, quadraginta & octo aureorum millia, quæ in theſauris reperta ſunt Matthiæ Hungarorum Regi in Turcas bellanti ſubmiſſa ſunt, claſſis ad expeditionem Venetis relicta; ut his ſaltem moriens præſidiis adeſſet, ejus locum ex Venetorum nobilitate Petrus Barbus ſub Pauli II. nomine occupavit, & ipſe deinde irrito ſociandorum Europæ Principum adverſus communem hoſtem labore defunctus, adeò, ſui nominis officiique immemores Chriſtiani, multis infeſtationibus pertinaciter inhærebant.

expeditione contra Turcas.

Exemplum ſanè funeſtum, ac Chriſtianiſſimo proſolum Regi Leodienſes ad Moſam reliquêre. His, Philippi Burgundi ope, Ludovicus Borbonius, ex ſorore nepos, Antiſtes datus fuerat, qui, non tam ut ſerviret Eccleſiæ, quàm ut Eccleſiæ ipſi (quæ multorum eſt procerum labes) illis præfectus, cum ſacerdotium detractaret, ſuisque gravis eſſet, à Leodienſibus denique ejectus, inque cathedram Epiſcopalem Marcus Badenſis, Joannis Trevirorum Præſulis frater, hujus ope dudùm, ſubſtitutus eſt, mutuóque civibus ſacramento obligatus. Sed Philippi armorum vis major fuit, quàm ut Leodienſes propoſitum, Marcusque locum tueri poſſet. Ut iccirco Ludovicus, cum mulctâ etiam pecuniâ civium, repoſitus fuerit. Joannes verò Burgundis fidem ſuam obſtrinxerit, quòd conſultum non crederet, cum tam potente, & ex Lutzelburgiis vicino hoſte, inimicitias ſuſcipere. Quin, ut erat pacis cupidus, Comitem Arenbergium, centum amplius annis Trevericæ infeſtum Eccleſiæ, tum alios ex præcipua nobilitate potentes viros, ære, aut poſſeſſionibus oblatis, in clientelam fidem obſequiumq; traduxit.

Paulus II. Succeſſor fruſtra eandem expeditionem urget.

1465.

Marcus Badenſis Joannis frater Leodienſibus præfectus Epiſcopus, a Borbonio per Burgos rurſum ejicitur.

1466.

Joannes Burgundi metu, cum eo fedus ſancir, & clientes è ſuis ſibi devincit.

Non

Kalteisen Dominicanus moritur.

Non omittemus ex anno superiore virum hujus Archidiœcesis celebertimum Henricum Kalteisenum, natum, depositumque Confluentiæ, in æde sui ordinis Dominicanorum, virtute ac doctrina spectatissimum, cujus illa monumenti inscriptio est. *An.* 1465. 11. *die mensis octobris obiit, R. in Chri. P. & Dominus D. Henricus Kalteysen Ordinis Pradicatorum S. Theologiæ Professor, egregius quondam Lector S. Palatii, hæretica pravitatis Inquisitor & S. Crucis Pradicator, Archiepiscopus Ecclesiarum Nydrosiensis & Cæsareensis.*

1467.

Sed ut Leodiensium pertexamus tragœdiam, aliqui jam à pace cum Burgundo annus fluxerat, quando Carolus re ac nomine audax, Philippi Boni successor, arma in Ludovicum XI. Franc. Regem animosius concitabat. Unde Ludovicus in Borbonium Episcopum, Carolumque Leodienses rursum per legatos erexit, qui Tungris interceptis Borbonium captivum abduxere, revocaturi Badensem. Verùm interea idem Francus Burgundum Peronæ de pace convenit; quò, cum fama intercepti Borbonii emanasset, Carolus Ludovico perfidiam exprobrat, demumque, seu minis, seu promissis sibi illum adversus Leodienses addicit, extremum his excidium interminatus. Quod utroque exercitu cincto, obrutisque die XXX. Octobris dominicâ, adeò fœdum horrendumque, cœdibus, stupris, sacrorumque ac hominum eversione intulit; ut à nulla quicquam barbarie truculentius exspectari potuisset. Quæ calamitas in ipsos usque Trevirorum agros effusa, & per nobilitatem urbi infestam cumulata, agrestes juxta civesque afflixit.

Borbonius rursum à Leodiensibus Episcopatu exutus per Burgundum cum excidio Leodii restituitur.

1468.

Urbis cum Joanne dissidium ortum, compositumque.

1469.

Urbem quoque & Archiepiscopum inter vulnus antiquum dissidii recruduit, cum de ponderibus, mensurisque publicis pedagio, ac comprehensione fontium, lites incidissent, quæ jura populus usucapione, conductione, aut stipulatione variâ occupârat. Unde postliminiò ad illa Joannes redire nisus, cum obluctantes reperiret, ne ad arma veniretur, Philippus à Sirck Mon-

cler-

clerii Dominus arbiter interceſſit, actumque, ut ſuprema, in profanis etiam, jurisdictio, cum poteſtate Scabinos Magiſtrosque opificum creandi, penes Principem maneret; reliquum Magiſtratum urbs legeret, vectigalium onere cives liberarentur; ſed temporariâ ſolum pactione, quâ ſucceſſores Principes non tenerentur.

Per hos quoque dies Onuphrius Tricarecenſis Epiſcopus, ad Leodienſium diſſidia cum Burgundo concilianda fruſtra à Pontifice miſſus, cum Trevirorum fines ſubiiſſet, ſolutam Franciſcanæ familiæ apud Limburgenſes trans Rhenum diſciplinam arctioribus obſervantiæ legibus opportunè adſtrinxit. Quando Joannes Confluentiæ liberorum Caroli fratris ſplendidiſſimo apparatu ſponſalia celebravit, ac neptem Zimburgam Engelberto Comiti Naſſovio; Chriſtophorum verò, ex Catharina Auſtriaca, nepotem Odiliæ Cattimeleboci Comitis filiæ, numeroſa prole fecundandæ, junxit, ex quâ & pronepos Jacobus in cathedram Trevirenſem ſubiit.

Franciſcani apud Limburgenſes per legatum Pontificis reformantur. Sponſalia Nepotum Joannes ornat.

Graſſabatur adhuc orientis ille terror Mahometes II. poſt Conſtantinopolim interceptam Græcorum poſſeſſor imperii, in Croatiam, Hungariam & Cyprum usq; explicati, cui ſolus in Epiro Scanderbegus in Illyrico Huniades, quamvis imparibus longè copiis metuendi fuerant. Omnia tamen, armatâ multitudine ac viribus, potentiâ denique obruebat. Quare rurſum in Romanorum imperio ad Comitia, pro auxilio Hungaris Vexerisque ferendo conclamatum. Et Ratisbonæ quidem Cæſar, Pontificii legati Principesque imperii magno numero comparuêre, ubi pro dignitate loci, quem ſibi Oratores Burgundi ante ſeptemviros legatos vendicabant decertatum eſt, dum ſeorſim illis juxta regia ſubſellia ſedes data; ſed cum aliis pecunia, aliis deeſſet animus, alii mutuis contentionibus diſſiderent, conſilia in ventos abiêre, & Joannes bimeſtre illic cum fratre Marco propemodum commoratus, ad ſua ſe recepit. Paulum quoque Pontificem inter hoſce conatus mors

Contra Mahometem Turcam ubique victorem Chriſtiani torpent. 1471.

sustulit, Sixto IV. in sedem admisso. Ita Lunæ Turcicæ
1472. sua concessimus incrementa. Joannes porrò, à Burgundo adversus Gallum frustra sollicitatus, inermi, quàm armatæ Palladi vacare maluit. Quare Clero populóq; in consilium opemque advocato, inchoatum à Jacobo Academiæ negotium suscepit, atque ut rata haberentur à Sixto Nicolai Pont. diplomata, facilè impetravit. Tum verò acceptis à Senatu Trevirensi duobus aureorum millibus illorum fidei potestatíque Academiam (ut ex qua potissimum relaturi fructum essent) cum diplomatis Pontificum commisit. Qui convocatis in hanc rem artium scientiarumque Doctoribus, ex his Juris divini humanique decem, viginti reliquarum facultatum Magistros delegêre, qui XVI. mensis Martii cum Prælatis Vrbisque Clero in summa æde, ad sacrorum solennia, Spiritusque S. implorationem congregati, felix auspicium docendi fecêre. Cancellarius Academiæ perpetuus ipse Princeps creatus est. Patroni item Conservatorésque perennes, summæ ædis Præpositus, tum Philippus à Sirck, Abbas S. Matthiæ, & Carthusianus Prior, id temporis Joannes Donnerius, & Joannes de Geismaria. Primus Academiæ delectus Rector est, Nicolaus Raemsdonckius, jam Coloniæ Agrippinatum eâ dignitate functus. Literæ verò Senatus publicæ anno 1472. XVI. Martii vulgatæ, declarant: *Universitatem* (recito verba) *divinâ aspirante gratiâ solenniter esse inchoatam, cum provisione lectionum consuetarum, ac licitarum facultatum, sacræ videlicet Theologiæ, utriusque juris, Medicinarum, ac artium, cum magnificis stipendiis Doctorum legentium.* Ita studiis jam olim hic etiam tractatis, & Juris quidem artiumque humaniorum, sub Romanis Impp. hoc loco præsidentibus, Sacræ Romanæ sedis autoritas adjuncta est. Subhæc
1473. anno seculi 63, mensis Septembris 28. die, celeberrimis Treviris Comitiis hinc Fridericum Imp. cum Maximiliano filio, imperiique Principibus: inde Carolum Bur-

Joannes à bello alienus ad Academiæ Trev. institutionem se applicat, Urbique illam cedit.

Cancellarius & Conservatores illius.

Primus Rector.

Omnes disciplinæ in ea traduntur.

gun-

gundionum Ducem cum illustri Procerum comitatu excepêre. Nihil magnificentius hoc unquam loco spectatum, tanto uterque apparatu opum, majestatisque, tanto nobilitatis cultusque splendore concurrit. Inprimisque Burgundus admirabilis opulentiæ ostentatione eminuit; ne se Regibus inferiorem ostenderet: quorum ipse, Burgundis olim concessam, ab Imperatoris favore dignitatem repetebat; oblaturus rursum filiam Mariam unicam tot provinciarum heredem Maximiliano ejusdem filio, à Gallis omni contentione ambitam Spectabiliora quædam ex hac pompa decerpere lectori non erit injucundum. Ante urbem patenti in campo Imperator primùm Burgundusque, ad mutuam salutationem, convênere. Imperator præter Adolphum Moguntinensem, aliosque Episcopos, Ludovicum & Stephanum Bavariæ Duces, Carolum Marchionem Badensem, & Everhardum Wirtenburgicum, aliosque Comites, Calistum Mahometis Turcarum Imp. germanum, ab eo ad Romanos eorumque religionem transgressum secum Turcico cultu, cirrisque ex vertice capitis protendentibus ducebat, centúmque, præstanti genere, formâque ac cæsarie per humeros sparsâ, ephebis præcedentibus, ipse Attalica in veste ad talos usque decidua, margaritisque atque unionibus intertextis radiante, vegetâ, etiamnum conspicuus senectâ, equo sublimis vehebatur, postquem Maximilianus liberali amœnâque gratiosus facie, conchiliatâ argento veste, inter ceteros auro argentóque micantes proceres, sequebatur. Quibus Dux Carolus, florenti etiamnum sub annum quadragesimum, ætatis robore fulgentissimis cataphractus armis, injectâ humeris chlamyde, quam carbunculi adamantisque lapides, ceu intermicantes stellæ, distinxerant, ducentorum millium scutis æstimatâ, obviam incedebat. Ludovicus illi Borbonius, Joannes Dux Cliviæ, aliique procerum hærebant; ut ultra sexcentos illustri loco natos tunc convenisse memoratum sit. Ad Friderici conspectum ubi Carolus venisset, ex

Magnificus Treviris Friderici Imp. & Maximiliani filii cum Carolo Audace Burgundiæ Duce congressus.

equo, in terram fixo genu, procubuit, Imperatore illum ad oſculum ſublevante. Inde receptus in equum, unà ad urbem inceſſit. Occurrit ad portam urbis incedentibus Joannes Archiepiſcopus cum Marchione Chriſtophoro nepote, & ſexcentis facilè equitum purpureis ſagis ornatorum. Burgundus Cæſarem ad urbis palatium usque proſecutus, ipſe ad inclytum S. Maximiui cœnobium, baſilicè inſtructum, divertit. Sequentibus diebus, frequentibus inter ſe colloquiis, procerumque conſultis, egêre, muneribusque ultro citróque miſſis certatum eſt, in quibus Burgundio plerumque ſuperare conatus eſt. Et porerat, ex incredibili auri argentique ſupellectile, quam, ad vicies centena millia æſtimatam, filio Philippus Pater reliquerat. Admirabilis illâ eminere cunctis viſus eſt, quando ad diem Nonarum Octobrium ſolenni Carolus Imperatorios epulo ad S. Maximinum excepit, ubi ſe eidem excipiendo Carolus novo fulgens amictu, togáque, centum ducatorum æquante millia, accinctus obtulit; Proceresque cum eodem velleris aurei, auro pæne cooperti, deductus ab illis ad baſilicam ſacrificii gratiâ Cæſar, quam inæſtimabilis aulæa pretii texerant. In ara duodecim Apoſtolorum ex argento inauratæ effigies, aliæque in argento puro, octo & viginti, omnes magnitudine cubitales. Decem alia ſigna aureâ, totidemque cruces, gemmis pretioſiſſimis veſtitæ, ut quaternas ex argento præteream. Candelabra quatuor argentea, aurea duo, Cherubini ulnares ex auro quatuor. Urna aurea, quæ DD. Eremicolarum Pauli & Antonii ſacros cineres continebat. Tabernaculum auro gemmisque pretioſè coopertum. Lilium aureum unionibus interpolatum, cujus in ſummo lucebat palmari longitudine adamas, quod & portionem S. Crucis complexum, ducentis aureorum millibus æſtimabant. Peractis divinis ad peramplum Monaſterii cœnaculum Fridericus traductus eſt, ubi plusquam regali luxu apparata omnia. Abacus in fronte triclinii ad fornicem usque per 9. gradus aſſurgens, ingentia auri

Muneribus ultro citroq; miſſis Carolus vincit.

Epulum ab eodem apparatu plusquam regio inſtructum apud S. Maximinum.

Auri argentique ſupellex incredibilis.

auri argentive vasa tria supra triginta, pateras crucesq; carbunculis radiantes centum, Cantharos ejusdem metalli LXX. complectebatur. Adhæc magnæ naves argenteæ senæ, pelves, seu malluvia aurea argenteáve, manibus abluendis duodecim; sex ex argento scyphi, duodecim sextariorum capaces singuli. Canistrum ejusdem æris ad colligendas mensæ reliquias: Monocerotes sex, quorum duo trium longitudine brachiorum excreverant. Tres præter hæc mensæ convivis stratæ aureis argenteisq; vasis ad ostentationem usumque refertæ erant. Primæ mensarum accubuit Imperator, cujus dexteram Adolphus Moguntinensium, Joannes Trevirorum, Borbonius Eburonum, & David Vltrajectensium Antistites; lævam Carolus Burgundus, Maximilianus Austriacus, Strephanus, Ludovicus, & Albertus Bavariæ Duces tenebant. Alteram mensam occupabant Georgius Badensis Mediomatricum, & Guilielmus Aureatensis Episcopi, Carolus Marchio Badensis, cum filio Christophoro, Alberti Brandeburgici legati, Calistus Amurathi, Hugo & Udalricus Montfortii, Adolphus & Philippus Nassovii, Jacobus ab Hohenzolleren, Crato ab Hohenloch Comites. Tertiam Everhardus Schonenburgius, Albertus Badensis, aliique Comites Dynastæ & legati, cum Præposito Trevirorum Philippo à Sirck. Duodecim primum illata fercula, singulosque missus, duodecim tubis, quatuor tibiis, cornibusque accentores prosequebantur. Duodecim ministri primi, eximio vestium cultu, Duces, Comites, aut Dynastæ erant, in quibus Joannes Ducis Cliviæ filius, Marchiæ, Nassovii, & Salmenses Comites. Caduceatores quoq; seu, ut vocant, Heroldi, quorum in clarigandis finiendisque bellis inviolata autoritas, inter hos, singulari habitu, eminebant. Deinde missus succesêre septendecim, pari ritu prolati, ac postremùm decem. In bellariis XXX. portatæ lances, scyphi ac pateræ aureæ argenteæve suis in orbem unionibus splendidæ, omníque dulciariorum genere refertæ, ex quibus Imperatori apposita,

Mensæ tres eorumque ministri.

posita, sexaginta aureorum millium pretium æquasse fertur. Post epulum actis Deo gratiis, vespertinisque in templo absolutis precibus, inter collucentes latè faces Imperator à Duce in palatium urbis reductus est.

Carolus ad regiam coronam accipiendam se disponit.

Porrò cum deinde propius ad meditata consilia, ut Maximiliani cum Burgunda nuptias, si Carolus Rex salutaretur, implenda ventum esset: jusque imperii in Belgicas Diœceses quatuor, Vltrajectensem, Leodiensem, Cameracensem, ac Tornacensem sibi Burgundus quoque transcriptum cuperet, ac Legatus imperii haberi, jamque Carolus affusus publicè Imperatoris in solio præsidentis pedibus, fidem illi de Belgicis ditionibus imperio obstrictis, Geldriæque ducatu etiam, nuper quæsito, dedisset; instabat denique coronationi præfixa dies, instructusque in D. Petri basilica thronus Augustalis, juxtáque, paucis infra hunc gradibus, regalis. Diadema, sceptrum, vexilla, purpura, regiusq; cultus splendidissimè præparatus, cum repentè unius suspicionis afflatu turbata omnia, Rex Galliarum Ludovicus re cognitâ Imperatorem per literas clam admonet: caveret hos Burgundi, ambitiosissimi Principis, laqueos, quos imperio captando, atque ab Austriacis ad se traducendo insidiosè collocaret, habiturum brevi ex cliente Dominum, si Regem pronuntiasset. Adjecerat argumenta huic persuasioni opportuna; eóque facilius Imperatori fidem fecit; quòd Carolum Vicariam imperii potestatem ambîsse constaret, visusque hac opum ostentatione, quâ se prætulisset in omnium oculis Cæsari, hoc sit agere, ut se Austriacis ad sustinendam imperii molem aptiorem declararet. Periclitari igitur, si minus se, certè de corona filiuæ, in spem successionis alitum.

Rex Galliarum propositum evertit.

Cæsaris discessus & Burgundi confusio.

Tantúmque hæc persuasio valuit, ut rejecto in aliud tempus, nuptiarum nondum maturarum specie, coronationis honore, à Carolo tanquam inimico, nec salute quidem dictâ, Coloniam discesserit. Quare Burgundus, confusione atque indignatione plenus, ad sua se coactus recipere, Joanni Trevirensium Archiepiscopo, tan-

tanquam consiliorum fautori infestus, ex Lutzelburgico præsertim agro incubuit. Quando tamen Prumiensis Abbatia, quondam Wernero Archiepiscopo delata, nunc Rectore vacua, Xysti Pontificis autoritate & Friderici Cæsaris consensu, in Joannis potestatem, cum omnibus censibus relata est.

Prumiensis Abbatia Joanni confirmatur.

Sed & literis idem Pontifex Joannem laudavit; quòd cum Cæsare Burgundoque de præstandis Matthiæ, Corvino Hungariæ Regi adversus Turcam subsidiis contulisset, hortaturque, ut idem propositum omni studio prosequatur; verum hæc surdis fabula. Jam enim Burgundus ulciscendæ ignominiæ intentus opportunitatem belli contra imperium nactus, Colonienſi Archiepiscopo Roberto Bavaro, Protectoris imploratus nomine, adversus patriæ nobilitatem urbesque eidem adversantes, cupidè sese, maximis latè contractis copiis, junxit, Novesiumque instructissimis castris obsedit: ratus hâc sibi viâ aditum parari ad imperium. Unde Imperatorem Principesque, ne finibus litibusque se inferret Germanorum, frustra admonentes, contempsit. At Hermannus Hassiæ Comes, quem sibi metropolitana nobilitas Administratorem Diœcesis, cum spe substitutionis, in Roberti locum, delegerant, intra urbem, cum prompto milite, receptus, vim Burgundi omnem magno animo propulsabat, donec Fridericus Imperator, cum instructo vicinorum Principum milite, adfuit. In quibus præter Moguntinum ac Trevirensem septemvirum, Henricus Monasterienſis Episcopus ac Princeps, Albertique Saxonicus ac Brandeburgicus, Bavarique omnes (Palatino tantùm Roberto adhærente) cum Henrico Hassiæ Landgravio. Qui, sequenti anno, admoto propius Novèsium exercitu, Carolum explicatâ ut ferunt, acie habuerunt obvium; sed pugnæ aleam detrectantes, ejus impetum, non sine utriusque partis clade, in castris sustinuerunt. Unde tamen, cum fugientis specie Burgundus eosdem protraxisset acerrimè dimicatum est, Henrico Monasterienſium Præsule, per

1474.

Burgundus pro Colonienſi bellum contra imperium auspicatur & Novesium obsidet.

Imperator contra exercitum ducit.

1475.

Conflictus anceps.

per mediam hostium aciem, Ducis unius invadendi studio, penetrante. Quâ re, hinc atque inde dissipati, in castra sese, citra magnam cladem, recepêre. Intercessit subinde Legatus Pontificius Alexander Forojulienſis, utque ad Sixti tribunal controversia inter Ecclesiasticos nata deferretur, Friderico, Burgundóque ad pacem inclinatis, obtinuit, quam Caroli audacia, ad Novesium præter exspectationem fracta, proniorem fecit: ut *magnæ quandóque naves, in neglectum adacta scopulum, franguntur.*

Joannes à bello ad studia & Academiam Treviris promovendam conversus.

Joannes Treviros ab hoc bello reversus Academiæ promovendæ operam dedit, atque ex indulgentia Nicolai Pontificis, confirmante Sixto, aliquot Sacerdotia Academicis tribuit. Treviris ad S. Simeonem, Confluentiæ ad SS. Florinum & Castorem, Meinfeldiæ, Dietkirchæ, Palatioli, Theodonisvillæ Andernaci & Epternaci. In urbe etiam S. Laurentii, & Gangolphi parœcias addixit; nondum tamen impleto duodecim beneficiorum, & trium parochiarum, quæ Nicolaus indulserat, numero.

1476.

Carolus audax bello contra Renatum Lotharingum suscepto denique occumbit.

Marte subinde contermino, res Trevirorum quoq; affligi cœptæ. Renatus Lotharingiæ Dux, Carolo ad Novesium hærente, in Lutzelburgensem effusus agrum, Castrum Petraforte, oppidumq; Danvillerium & Montefalconis, præter alia vel diruta, vel occupata sui juris fecerat. Quod Carolus minimè ab imbelliori hoste ferendum ratus, à pace Agrippinensi, acerrimo bello ultus, Renatum, expugnato Nanceio, totâ expulit Lotharingiâ, moxque in Helvetos, qui Burgundiam lacessiverant, victricia arma; sed non pari eventu, convertit; quod hi pro aris focisque inexpugnabiles consisterent, suúmque ultorem bis prælio victum non inultum exciperent. Quâ opportunitate, cum Buchino Germanicæ nationis Comite, res suas Renatus instauravit, ille Vademontio Sirckióque apud Lutzelburgios; hic Nanceio cum aliis in Lotharingia receptis. Quod dum Carolus impatientissimè sustinet, desertis Helvetiis reparatóque

in Sequanis exercitu, Nanceium mediâ hieme infelici conatu, obsedit.

Nec multò post Renatus, cum selecto Germanorum milite, adest, contra quem, dum animosius, quàm consultius in prælium se effundit Carolus, apud Jarvillam, inter confertos hostes pugnans, nec agnitus quidem, occubuit, lubricum humanæ felicitatis exemplum, cum illud belli fulmen, & Gallorum terror, à Duce longè viribus fortunáque impari, tam levi rerum momento, oppressus est. Corpus diu quæsitum inter cadavera tandem limo mersum, triplicique vulnere deforme, repertum est, gaudioque in Europa majori, quàm luctu tumulatum. Maria filia tot Provinciarum Domina, à Gallis ambitiosè quæsita, Maximilianum sibi addictum prætulit, quem Joannes Archiepiscopus exquisitissimo Procerum comitatu in Belgium deduxit, nuptiisque, illustri magnificentiâ Gandavi peractis, adstitit.

Mariam Burgundam Joanne Archiepisc. deductore Maximilianus ducit.

Treviros reversus urbem gravissimo conflictari bello cum Manderscheitio Comite deprehendit, quod ipsius arbitrio per inducias brevi compositum resedit. Urbs verò, licet cum externis hactenus Lutzelburgi Lotharingiæque Principibus armorum confederationem, mutuaque paciscì auxilia, quàm cum proprio maluisset Archiepiscopo, ne fortasse in seipsam hoc pacto armaretur. Joannis tamen benevolentiæ fisi, eum Protectorem admisêre, vicissim intra diœcesin contra ipsius hostes opem pacti, eâ lege, ut vicina Principis munimenta Saraburgi, Grimburgi, Gallobillichii, Palatioli, & Witlichii urbi belligeranti paterent; vicissimque urbs Principi, citra oppressionem utriusque partis civium. In Ecclesiæ imperiive schismate, eundem, ut caput suum, cives sequantur.

1478. Urbs bello pressa Joannis patrocinium admittit.

1479.

Hinc porrò ad firmandam Diœcesin, contra vim omnem versus, & oppignorata redimere dominia, & collapsa instaurare munimenta aggressus est. Ita Schonecum Eiffliæ, Kempenichium, & Dunæ castrum, quæ Comi-

Diœcesis multis locis ædificiis Joannis ornata.

Comitibus Virneburgi ante annos 70. pignori cesserant,
1480. à Georgio herede 40. millibus aureorum redemit, teloniáque, ex facultate Imperatoris, amplificata possedit, ac labantem Dunæ arcem restituit. Ehrenbreitsteiniam verò, altissima inrupe, Rheno apud Confluentes imminentem arcem, aquis intra muros destitutam, patefactâ per mediam rupem à vertice ad imum ducentorum octuaginta pedum viâ, fonte donavit, cœpto
1481. anno 1481. & triennio post 84. opere, ut inscriptio testatur, absoluto. Thaborinam quoque trans Rhenum in monte arcem, ex ruinis instauratam, putealibus, insigni altitudine perfosso monte, aquis instruxit. Ita Engersium, Kilburgum, Schoneburgum, Saræburgum, Bliescastellum, vetus in urbe Trevirorum Palatium, Curiamque & arcem Confluentinæ urbis, ac demum Archiepiscopalem Francofurti domum, ex lapsis, aut inclinatis ad casum, muris tectisque restituit, inchoatam Kerlichiii, amœno infra Confluentes rure, arcem ad fastigium eduxit. Bertrici denique, infra Witlichium, evanescentes thermas, decoro ædificio, cellisque, calidâ lavantium opportunis, æstuariisque reparatis ornavit, ac firmo opus totum muro concluſit. Vnde vicini Principes, ad has aquas crebrò affluentes, sua istic, diversis in apodyteriis, ostentant insignia.

Thermæ Bertrici.

Neque Reipublicæ bonis institutis formandæ, Ecclesiæque inprimis suæ defuit. Et illius quidem in ceteris emolumento, cum Hermanno Archiepiscopo Colonienſi, & Guilielmo Juliacenſi Principe, ob contermi-nas regiones, mercimoniorumque communionem, rem formavit nummariam, veterisque aliquid monetæ deduxit pretio, aureis argenteisq; nummis recenti signaturâ additis. Ecclesiasticis verò sanctionibus constituit; ut Werneri Archiepiscopi decretum staret, quo
1482. libera Clero testandi potestas, sublata quondam, redebatur. Aureum Rhenenſem, nec amplius, Sigillifero penderent, qui negotiorum etiam publicorum causa vacationem ab officiis divinis impetrarent; nisi officii

Moneta constituta.

Clericis testandi libertas juxta Werneri decretum facta.

parvi

parvitas, minus poſceret; idonei verò ſucceſſores muneris ab Officiali probati, aureo dimidiato, vel minoris pro qualitate officii tenerentur. Pro tabulis matrimonialibus jus ſuum Rectoribus Eccleſiæ conſtet. In reconciliatione loci ſacri aureus, aut ſi ædicula tantum ſit, ſex albi ſolum pendantur. Frugum primitiæ, proventusque ſacerdotiorum vacantium, qui Archiepiſcopo cedunt, non elocentur, niſi fortè viris Eccleſiaſticis. Pœnitentiæ adminiſtrandæ functio, non niſi Academicorum teſtimonio probatis credatur. Cenſor Fiſcalis caveat, ne Eccleſiaſticorum injuriæ impunè negligantur. Ipſe Archiepiſcopus, ut ordinis utriusque Magiſtratus, Eccleſias, earumque fortunas, non minus in Lotharingico, Barrenſi, ac Lutzelburgico ſolo, quàm Treverico, ſummâ fide tueatur ac propugnet; judiciaque tam ſacra, quàm profana, omni fraude calumniâque expurget, ideóque tam Confluentinum, quàm Trevericum tribunal recognoſcat. Salvis interea tam nobilium, quàm militarium ordinum privilegiis. Quæ 27. Novemb. anno Chriſti 1482. ſignata Treviris fuêre. Decreta hæc uberrimus excepit vini frumentique annus, quem ſex ſteriles conſecuti, extremâ diœceſin fame, in tenuioribus præſertim familiis afflixit. adeò *nulla hujus mundi felicitas ab imminentibus calamitatibus ſecura eſt.* Alio hoc ipſum experimento urbs didicit. Conſulibus illa quondam eligendis impensè dedita, hoc à Principe beneficium obtinuit. At nunc à Conſule ſuo Nicolao Corvinio, locuplete, utque opes animum efferunt, factioſo ſuperboque homine, haud leviter afflicta eſt. Quando is à Senatu diſſidens, turbas civit. Victusque multitudine in cuſtodiam ductus; ac delata ad Principem causâ, juſſus arbitrio ſe Judicum ſubmittere; cum jure jurando ſimulatè fidem addixiſſet, libertate fretus, ad Renati Lotharingiæ Ducis opem adverſus urbem tranſiit, ex defenſore futurus oppreſſor niſi Principem urbi faventem reperiſſet.

Aliæ ſanctiones Eccleſiaſticæ.

1483. Fertiliſſimum annum 6. ſteriles conſequuntur.

Conſul factioſus urbem conturbat.

Quo tempore Matthias Corvinus Rex Hungaro-

Corvinus Rex Hungariæ suam Joanni Victoriam contra Turcas indicat. Cæsarem bello petit.

rum, qui ex anno 58. Huniade, post mortem improvisam Ladislai, à carcere ad solium emerserat (iccirco Austriacis invisus) cum nova adversus Turcam victoriâ triumphasset, ejus nuntium lætitiamque, datis ad Joannem Archiepiscopum literis, XI. Novemb. communicavit; simulque Imperatorem non modò nullo adfuisse subsidio, sed transitu etiam intercepto obstetisse dolenter est questus. Quâ injuriâ, nuptiarumque ambitu (quibus ne Austriacos successores excluderet, ex pacto abstinere est jussus) ad bellum usque exarsit. Quo, cum Vienna, Austriæ pars bona Friderico, ignavo suarum rerum defensori, adempta est. Quæ tamen hoc ante, cum nostris Treviris honore fuit ornata; quòd ab Innocentio VIII. Pontifice, Sixti successore, Leopoldum Austriæ Ducem, clarissimi Popponis Trevirorum Antistitis patrem, Sanctorum in numerum viderit relatum.

1484. Leopoldus Austriæ Dux Popponis Archiep. Pater sanctis adscriptus.

1485. 1486.

Sed & Maximiliani ad imperium promovendi curam Fridericum tenebat. Unde Comitiis Francofurtensibus eundem, ex Belgio deductum, stitit, Principumque consensu electum, Aquis, haud multò post, Caroli Magni coronâ ornatum, Romanorum Regem saluravit, Joanne Archiepiscopo suffragio comitatuque splendidissimo, hæc solennia cohonestante. Hinc ad Noribergensia, ac deinde Spirensia itum comitia, ubi de communi quiete & pace sancitum Germaniæ: tum verò, adnitente imprimis, faventeque Apostolicis Legatis Joanne, de communibus adversus Turcam auxiliis actum magis, quàm peractum est.

Maximilianus fit Rex Rom.

1487.

Cum Carolo Gal. Rege bellum ob ereptam sponsam suscipit. Unde Lutzelburgii patiuntur.

Jam enim gliscentes, inter Carolum Francorum Regem, Ludovici nuper defuncti filium, & Maximilianum Regem æmulationis flammæ in bellum erumpebant, uterque alterum violatæ pacis reum arguebat. At hujus læsa variè ab illo amicitia. Mortua enim Mariâ conjuge, ex qua Philippum filium Margaretamque natam susceperat, Carolo hæc, tenerâ adhuc utriusque ætate,

ætate, deſponſata, in Galliam miſſa fuerat. Sed cum interea Franciſcus Britanniæ citerioris princeps mortuus, Annam filiam relinqueret heredem, eamque nuper deſponſatam Maximiliano, ut hæc Provincia Galliæ potius, quàm Burgundiæ accederet, Carolus neglectis utriusque partis ſponſalibus, & Margaritam remiſit Maximiliano, & Annam ipſi ereptam duxit. Unde hic ulturus injuriam, expeditis armis, Henricum Anglorum Regem quoque, ad reſumendum contra Gallos bellum, incitavit. Nec cunctatus Francus, paratum, in Archidiœceſis Trev. Lutzelburgicos, ad urbes agrosque latè exſcindendos immiſit militem, qui cum opibus plures exſpoliatos in captivitatem abſtraheret, res ad Deiparæ Virginis gloriam memoranda accidit. Duorum enim captivorum unus, ad Matrem Doloroſam Everhardi Cluſæ, multis celebratam miraculis, invocatione converſus, ſenſit compedes, quibus tenebatur laxari ſocioque, ad hæc attonito, parem implorandi auxiliatricis mentem injecit, qui & ſibi mox exſolvi comperit, tum ſolliciti, quemadmodum triplex oſtium, vigiliasque inſuper penetrarent, ad impulſum primum ſolvi ſuis oſtia repagulis, ac deinde cuſtodias ſomno merſas deprehenderunt, illæſo ad omnia pervadenda tranſitu. Qui hinc mox Everhardi Cluſam profecti quadrageſimali hujus anni tempore, debitis Patronæ gratiis litarunt.

Deipara Everhardi cluſana vinctos ſolvit.

Annus ſeculi XV proximus 88. bellum Joanni cum Palatino Rheni attulit. Is enim, licet Trevericæ Eccleſiæ cliens, duorum è nobilitate patrocinium. Joannis Breitbachii, adverſus Cunonem ejus ſocerum, Schonecci ſuperioris (Rhenum inter Moſellamque) poſſeſſorem, & Cunonis Winnebergii contra Principem jus ſibi Bilſteinni caſtri vendicantis, ſuſcepit. Cumque Breitbachium, expulſo Cunone, poſt locum aſtu occupatum, induxiſſet, in Bilſteinium quoque receptus eſſet, Joannes copiis hoc militaribus circumſedit; ſed flagranti utrimque bello, vicini Principes, inprimisque Wirtenbergicus interceſſit, pacíſque utrosque legibus conci-

1488. Bellũ in Treverica diœceſi cum Palatino ortum compoſitumque

liavit,

liavit, Joanne jus suum integro Commentario abunde tuente.

Maximilianum Joannes in Belgio captum, unà cum Cæsare armis vindicat.

Mox ad Belgicam expeditionem Friderico Cæsari, quingentorum peditum & CL. equitum, curribusque militaribus XVI. stipatus accessit. Occasionem belli Brugis Gandavique dederant, ubi Præfectorum Cæsareorum avaritiâ offensi, armis raptis ipsum Regem Maximilianum custodiæ incluserant, iccirco & ab innocentio Pontifice innodati anathemate, & à Cæsareo exercitu in vastationem agrorum effuso, haud leviter afflicti, quamvis Maximilianus libertati redditus pro suis intercederet. Verùm rusticis innoxiis civilium facinus luendum fuit. Ut plerumque in bello alii peccant, alii puniuntur: & *justitia istic maximè profligatur, ubi summo armorum jure quæritur.*

1489. Jacobus ejus Nepos Romæ acceptus.

Misit subinde Jacobum Badensem nepotem suum ex Christophoro patre Romanam ad curiam Joannes, & Cæsaris & aliorum Principum literis Innocentio commendatum. Hunc ob raram morum ingeniique elegantiam Patris amore Pontifex complexus est, quem disciplina Romanorum judiciorum instructum, Innocentius propriis literis laudatum Christophoro Patri

1490.

post annum remisit, illis in ceteris verbis: *Ita se in hac curia gessit, & tam laudabiliter versatus est: ut ab omnibus laudari maximè meruerit, & nos non potuerimus virtutis ac morum ejus tuæ Magnificentiæ testimonium non perhibere.* Quæ illi deinde existimatio ad Trevirensem Insulam viam aperuit. Tanti *refert ad profectum arboris, ubi planta collocetur.*

Navigatio Rheni impedita, ob novum Coloniæ telonium.

Eodem tempore intercepta à Trevirensi & Moguntino Præsule Rheni navigatio, magno negotiantium & communis boni incommodo hæsit. Causa novum à Colonienſibus ad urbem erectum telonium fuit. Quod Cæsar ipsis, ob fidelem contra Burgundum operam, Archiepiscopo non repugnante, indulsit; Sed invitis Principum ceteris. Et licet Joannes Confluentiam usque navigabilem Ubiis Rhenum faceret; tamen conventu

septem

ſeptem virûm Cubæ ad Rhenum habito, Agrippenſis Præſul, ab urbe quoque averſus, Soncium inter Bonnamque Colonienſes, inutili prorſus navigatione, conſtrinxit; donec mutuâ pacificatione lis remiſit.

1491. Monthaburanum incendium.

Sequenti anno Monthaburanum Treverici Præſulis oppidum, noctu fortuito correptum incendio trium horarum ſpatio omnibus pœnè ædificiis fuit, quod nec templo, nec mœnium turribus propugnaculisque abſtinuit, dominicâ, quâ poſt paſcha alibi *Iubilate*, hic *Iocate* rectius concinebant.

1492. Maximilianus adverſus Carolum Galliarum Regem cum exercitu procedit.

Maximilianus poſt hæc Comitiis Confluentiæ in quatior ſeptemvirûm præſentia habitis, & de ſubſidio contra Turcam præſtando, & de milite ſibi adverſus Regem Carolum Galliarum, ſuæ ſponſæ Britannicæ interceptorem, ſuppeditando egit. Quem aſſecutus, Trevirim, Metasque, atque hinc in Sequanos Burgundioesque progreſſus, Bizontium, Salinas ac cetera ejus regionis oppida, quæ Gallus occuparat, in fidem deditione feſtinata recepit, ut plerumque *citò parta, citò diſſuuntur*: Quo tempore Innocentius Pontifex vitâ ſubiit, ſibique ex Borgiis ſucceſſorem Alexandrum VI. habuit.

1493. Poſt Pontificem Fridericus Cæſar moritur.

Fridericus Imp. proximo ad tumulum anno Pontificem ſecutus, illam in reliquis animi doribus immortalem pietatis gloriam reliquit, quod juraſſe in vita nunquam, niſi Imperio, de illius bonis non alienandis, auctus ſit; & hoc ipſum inviolatâ fide præſtitiſſe, ut hinc quoque Jacobum Trev. Antiſtitem, ſuâ quondam exſpectatione fruſtratum, dimiſerit, fidemq; habuerit antè liberalitatem. Maximilianus igitur ut imperio conſuleret, fœdus cum Gallorum Rege, qui ad regnum Neapolitanum aſpirabat, pactus; Mariam Blancam, Galeatii Sphortiæ Mediolanenſis Ducis filiam, uxorem ſumpſit, cum dote quadringentorum millium ducatorum, generis, quod ex imo non ita pridem emerſerat, ratione neglectâ

1494.

Ad Wormatienſia deinde Comitia vocati Principes,

1495. Wormatiensi Comitio, judicium Spirense constituitur, & sanctio universalis pacis editur.

cùm frequenti adessent numero: duo ad magnam imperii quietem decreta fuêre. Primò ut supremum dicasterium Cameræ, (sic vocant) Imperialis apud Nemetes Spiræ constitueretur, ad quod lites toto imperio natæ, delatæque, æquo omnibus jure deciderentur. Operamque Cæsar dedit, ut universa jurisdictionis forma, certis inclusa capitibus, communi Principum autoritate, sanciretur. Inde verò sanctio pacis eorundem consensu promulgata est. Quo nullum præsentius remedium ad securitatem publicam, potentiorum quorundam licentiâ, publicisq; latrociniis, communi Principum vigilantiâ coercendis, habuit. Neque minus optandus hic Joanni Archiepiscopo congressus fuit; cùm & vetera illi diœcesis suæ confirmata, & nova privilegia indulta fuerint. Donationesque Regum Cæsarumque universim stabilitæ sigillatim verò comitatus Dietzii & Salmis, Schonenbergi, & Schoneci Eiffliæ dominia, Castelburgum, Hamersteinium, Hoensteiniumque cum advocatione, Kempenichium, Wartensteinium, & Schonecum Cynonoti, Russenbergum, Haselbachium, Eltzium, advocationesque Monasteriorum Prumiensis, & D. Maximini curiam Thunmæam, aliáque olim parta jura, rata inviolataque esse jussit. Regalium quoque Feudorumque jure investiendi, ut ajunt, Abbatem Maximinianum Joanni cessit, Trevirimque eadem cum Francofurtensibus immunitate gaudere voluit. Deniq; castrum Dioneci cum Marca Talfanciâ, Silvestrium olim Rheni Comitum, nomine clientelæ tributa, cum suprema jurisdictione eidem addixit, Tabulis prima Junii 1495. anni signatis.

Jura Archiepiscopalia Joanni firmantur.

Ecclesiastica disciplina reformatur.

Hinc ad religionem tota diœcesi sanctius formandam Joannes versus, Synodo indictâ id agere conatus est. Atque ab Horreensi in urbe Parthenone exorsus lapsam sub Springirsbacensium regularium Canonicorum cura disciplinam (quam olim Richardus eorum Abbas præclare sancierat) Magistrâ loci Joanna Betten-

ste-

ſteinia ſimul adnitente, ad arctiores D. Benedicti, quibus olim vixerant, rurſum leges, reſtrinxit, Abbatique S. Matthiæ Treviris dirigendas addixit. Juſſæq; obedien-di voto, ut ante ſoli Abbati & Archiepiſcopo, ita nunc etiam ſuæ ſe obligare Antiſtiti. Cujus, ut major deinde eſſet autoritas, ſolenni illa ritu à Joanne Suffraganeo Abbatiſſa creata eſt, velumque ipſius Archiepiſcopi manibus in frequenti nobilitatis corona impoſitum eſt. E Boppardienſi verò cœnobio ſex genere ac virtute nobiles, quarum exemplo formarentur ceteræ, ſunt accerſitæ, &, ut clauſtro, ſic templi odeo, à vulgo ſeparatæ, quod hac inſcriptione eſt erectũ, ne à cœpto rigore non quideret deflectere, lapidibus aliàs inconſtantiam exprobraturis. *Anno Chriſti MCCCCXCV. die XVII Novemb. ſub digniſſimo Trevirorum Archipræſule Ioanne & Ioanna de Bettenſtein Abbatiſſa, præſens Monaſterium reductum reformatumque eſt ad regulam S. Benedicti.*

Horreenſis Parthenon ad leges S. Benedicti redit.

Abbatiſſa præficitur.

Cantum deinde ne Archiepiſcopis fas ſit beneficia Monaſterii, quæ antiquo conferendi jure poſſidet, ſuo arbitratu largiri; neq; Virgines, niſi à monaſticis probatas, obtrudere. Tum ut feuda ac prædia uſuaria clientes, deficiente virili ſtirpe, Monaſterii in poteſtate ſint. Vicina quoque D. Pauli parochia ejuſdem juribus vindicata, juſſæque quadragenarium numerum Virgines non excedere; ne multitudine, quæ ut chorum implet, ſic penuarium exhaurit, temerè obruantur.

Jura Monaſterii confirmata.

1496.

Auguſtinianæ ſub hæc familiæ, cujus laus id temporis eximia, ſodales, in amœniſſima juxta Ehrenbreitſtenium valle collocavit. Virginibus quæ locum inſederant, in inferiorem Rheni inſulam deportatis, ac Parthenoni inſertis. Stetêre ad montem, Patres, dum Lutherum, quem quondam aluerant hoſpitem, in religione obtrita ſecuti, evanuerunt.

Patres Auguſtiniani ad Vallem Ehrenbreitſteiniam admiſſi

Pari cura Parthenonem inſulæ Rheni ſuperioris, & Angelicæ Portæ Valendriâque extra, Leræ verò intra Urbem (ubi modò Societatis Jeſu domus Gymnaſiumque viſitur) complexus, emendatioris ubique diſci-

Parthenones, & Monasteria, Canonicique reformati.

plinæ, ad regulas instituti exactæ, studium reduxit. Nec virorum negligens Lacensem, Mediolacensem, Theologiensem Abbatiam, cum Schonaugiensi, Gronaugiensi, aliisque monasteriis, restituit: codicillisque testamentariis prosecutionem hujus vigilantiæ successoribus commendavit. Ut verò Collegiis chorisque Canonicorum, præcipuâ Decani sedulitate ac frequentiâ, in pietatis studio consultum esset, de electione atque assiduitate illius singulare, Collegiorum bono, diploma à Pontifice impetratum facilius est, quàm observetur.

1497. Philippus Dux Burg. cum Urbe Treviri vetus pactum renovat.

Quando & Philippus Maximiliani filius Belgarum princeps Lovanii creatus, priscum Lutzelburgensium tutelare fedus, quod ante quindecennium, pecunias ex pacto solventibus, Treviris addixerat, novis tabulis Bruxellis 2. Januarii firmavit.

Boppardia verò, jam olim imperii civitas, primùm pignori, deinde & beneficio Cæsarum Archiepiscopo cessa, nobilium senatu (qui præter vulgarem illic præsidet) concitante, subreptitiis nuper Wormatiæ fretа codicillis Maximiliani, pristini libertatem juris requirebat.

Bopardia rebellis frangitur.

Unde firmatis domi vallis cives ac propugnaculis, vicinam quoque telonio arcem, Emerico Nassovio propugnante oppugnarunt. Joannes postquam blanditiis, minisque frustra obnisus esset, sacro primum fulmine, Alexandro Pont. indulgente, in eosdem detonuit. Quo cum eorum pertinacia frangi non posset, collecto exercitu, arma à quibus summopere abhorrebat, vel invitus adinovit, anathemate tamen absolutis, ne animas subditorum bonus Pastor opprimeret. Cum verò cives Badensium Hassi & Palatini junctis in obsidione copiis se impares animadverterent, vi magis, quàm voluntate ad deditionem inflexi sunt. Hinc post biennium Eltzio, Montaborino Satrapâ, incentore ac Duce, ejecto Nassovio, telonium occupatum expilarunt, imbecillitate senis Archiepiscopi ad audaciæ successum freti. Arma tamen veritus ad quietem se rursum populus, seditionis culpâ in no-

in nobilitatem aversâ, compoſuit. Qui, ut autumnalis aura, facilè tempeſtatem mutat.

Interea Joannem ad tumulum inclinatum Jacobi nepotis, ſubſtituendi Adjutoris munere, cura diſtinebat. Cui Alexandrum Pont. faventem, ſed Capitulum adverſarium, paucis demptis, nactus, ætatem ultimam haud levi nobilitatis invidiâ oneravit. Quare Everhardus Hoenfelſius ædis primariæ Decanus, Philippus à Crichingen, Richardus Greiffenclavve, & Otto de Breidbach, præteritum comitiorum ordinem indignati, Jacobum repudiarunt, vulgusque in Joannem tributi ſeverius exacti memoriâ (quâ facile exaſperatur) Clerumque, ceu in oppreſſorem antiquorum jurium haud leviter concitarunt. Evenerátque propemodum ut Joannes funeſto exitu Cochimenſi in arce obrueretur; Cum pulvis ſub ipſo nitratus fortuitò incenſus cubile evibraret. Quando miraculi inſtar fuit, quod in tantâ ruina ſervatus ſit. Ut in hoc caſu, non adverſariorum calumniæ, ſed divinæ erga ipſum providentiæ illuſtre veſtigium relictum ſit.

Joannes nepote Jacobo in Adjutorem vocato, graviter offendit. 1498.

1499.

Et ſua priſtinæ Epternacenſium gloriæ hoc tempore nubes incubuit; dum à nonnullis obtrectatoribus jactatum, S. Willibrodi Reliquias, translatas olim Ultrajectum, falsâ iſtic perſuaſione honorari. Quâ non mediocriter famâ commoti, illis reperiendis, atque in lucem eruendis data opera. Quibus in conſpectum publicum cum loculo eductis, velut ad exortum ſolis iſtæ tenebræ diſſipatæ ſunt, honorque loco priſtinus magis comperta fide eſt reſtitutus.

Epternacenſibus D. Willibrordus aſſertus.

LIBER XX.

Alexand. VI. Pap. Maximil. I. Imp.

Annus Christi. 1500.

LUtzelburgum hoc anno, Jubilæi honoribus sacro, novum in cunis Principem, Carolum V. ex Philippo Maximiliani filio & Joanna Ferdinandi Catholici Regis filia, nanciscitur. Is enim Gandavi, bissextili Februarii die, Matthiæ Apostolo consecrato, natus, Dux Lutzelburgiorum dictus est: ut ab ipsis jam incunabulis imperio adsuesceret, quod senex fastidivit. Lutzelburgi vero administratio Christophoro Badensi Joannis fratri commissa est.

Carolus V. nascitur & Dux Lutzelburgi creatur.

Sed Bajazetes Turcarum Imp. cum hoc tempore metuendus Europæ incumberet: Augustano Principum ac Cæsaris conventu, decreta rursum, more Germanorum magis quam præstita fuêre subsidia, legesque publicis rebus componendis latæ, ac Noribergæ etiam hoc fine constitutum tribunal. Quando, admirabili redemptus Deiparæ patrocinio, Theodoricus de Novocastro, miles Trevericus, è Turcica captivitate adfuit, Pro Venetis ille in Peloponesi defensione steterat, sed cum Methonâ, Jonico, & Coronâ, urbibus à Bajazete victis, is quoque in arctissima Coronæ vincula compactus, libertatis cupiditate, Everhardi clusanam apud Treviros Virginem imploravit. Quæ non illi solùm, verùm & consortibus preces feliciter cecidere; siquidem vinculis haud multò post, nec opinantibus Turcis, soluti, ad patriam sospites abiêre. Is verò Everhardi clusam reversus, in grati animi testimonium, hastam, clypeum, ac militarem baltheum ibidem ad aram consecravit, suspenditque.

Augustana comitia tribunal Noribergæ erigunt.

Captivi à Turcis ope Deiparæ Everhardi Clusanæ liberantur.

1501. Certatum inter hæc pro Jacobi admissione, quam impetrato Româ pallio certam habere visus est; sed Capitulo nihilo secius obluctante. Ut Alexander sacrorum etiam interdictu resistentes perstringeret. Hinc Ordi-

Ordines habito comitio decrevêre. 1. Nulli nisi suffragiis Capitularium electo parendum. 2. Non recipiendum arcibus ullibusque, nisi juratâ prius fide privilegia utriusque ordinis sacri profanique sancierit: armisque collatis, si quid moveat Adjutor nuper propositus, jus patriæ propugnandum. 3. Non obsequendum, si clandestinam quoque cum Metropolitano collegio societatem in detrimentum reip. ineat. Quæ, ad damnatam quondam à Pontifice & Cæsare unionem resumendam, spectare videbantur. 1502. Jacobo Adjutori se opponunt, nova unione proceres.

Sequens deinde annus seculi 53. Joanni fatalis extitit, quando nono Februarii die, in arce Ehrenbreitsteiniana supremum diem clausit, jam pœnè septuagenarius, octavo & 40. Episcopatus sui anno, quem pauci assequuntur. Exequiæ illi Treviris institutæ solennes, sepultura humilis in occidua templi parte, sub cælato, non tamen inscripto cenotaphio. Pacificus religiosusque Princeps qui Ludolphum ab Enschringen Præpositum S. Simeonis divini humanique juris peritissimum, ut carum sibi, ita in consiliis omnibus pro Cancellarii munere adjunctum, è nobilitate, habuit. Gratus subditis: nisi quod solo tributorum onere, & sanguinis sui amore displicere postremò cœperit. Sed utrumque facilè crimen diluit, hoc, quòd dignissimum illo munere Nepotem offerret; illud, quòd oppressam ære diœcesin nactus, eidem levandæ vectigalia impenderit. Castrum Hunolsteinium, masculo herede defuncto justisque gravatum debitis, ut feudum ære vendicârit. Marcetum à Rabano Sirckiis pignori oblatum redemerit. alia ædificiis castrensique apparatui tribuerit. Colendæ Dei parenti impense deditus, Præsentationis ejusdem festum diem, primus hic esse jussit. Passionis quoque dominicæ feria sexta recolendæ gratia, triplex sub meridiem ære campano per diœcesin signum dari voluit: ad quod, positis humi genibus, Christi vulneribus honorem precantes haberent. 1503. Joannes Archiep. moritur, ac sepelitur. Purgatio ejusdem. Pietas ac religio.

Sub mortem Capitulares plerique, Hoenfeltzio Deca-

Electus à Capitulo Rheni Palatinus Jacobo impar edit.

Decano impulsore, ut Jacobum eliminarent, potentem eidem adversarium, Georgium Rheni Palatinum Moguntinensem Præpositum, collatis suffragiis postulatum, opposuêre. Sed cum Fridericus Bavarus, Damianus Helmstadius, Arnoldus de Salmis, Theodoricus Rollingen,& Joannes Wiltzius,ex eodem capitulo,pro Badensi starent, Cæsare ac Pontifice accedente, Georgius his impar ultro cessit, ac Jacobo, ad omnem eruditionem pietatemque formato, Italiâ applaudente, locum fecit. Quando tamen Alexander VI. majoris animi, quàm virtutis Pontifex, Pio III. & hic die XXVI. post moriens Julio II. cathedram reliquit.

Tritheimii laus ab ingenio & eruditione, cum infamia Magiæ discussa.

Non omittendus nobis hoc loco est celeberrimus Abbas Spanheimensis Joannes Tritheimius, ex cognomine ad Mosellam pago oriundus. Cujus admiranda ingenii vis, scriptorumque, præsertim mathematicorum monumenta, & Magiæ naturalis ac reconditarum artium in steganographia professio, homini apud summos Principes gratiam, apud vulgus autem, doctosque etiam, hæc naturæ artisque secreta non penetrantes, Magiæ dæmoniacæ suspicionem creavit. Quin & Joanni Comiti Westerburgico, & Joachimo Principi Brandeburgico, quibus ad occulta instruendis operam dabat, ea perscripsit, Bostioque Gandavensi jactabundè tam aliena à vulgi experimentis de sua arte venditavit; ut nihil infra Dæmoniacos posse videretur. Ex quibus est, quòd centum millibus passuum absenti, suam manifestare mentem queat: quòd latii sermonis expertem duabus horis ornatè disertéque scribentem inducere: quòd in omni linguâ mundi docere alios possit: quòd necromanticis possibilia, & ipse haud gravatè effecturus sit. Quâ,indignâ religioso viro jactantiâ famam integritatis haud mediocriter attrivit. Verùm hæc, cum suis principiis, denique perspicacioribus, ut Seleno in Cryptographicis, Athanasio Kirchero, & Gaspare Schotto, Mathematicarum artium peritis, inspecta patuêre: qui justis eum vindiciis, etiam contra Brovverum, ab omni calum-

calumnia eximunt. Quanquam & Sacri ejusdem Tractatus, quorum 25. facilè reliquit, omni religione & pietate instructi, traductaq; innocenter vita eundem abundè tueantur. Cum religiosæ diversis etiam locis disciplinæ instaurator, exemplo morum Benedictinæ familiæ Patribus præluxerit. Spanheimensi tamen Abbatia bello invidiaque suorum exturbatus, postquam aulas Principum Palatini ac Brandeburgici fastidiosè delibasset, quamvis & Maximiliano gratus Cæsari, Herbipolensis Episcopi Laurentii gratiâ, in S. Jacobi Monasterium, se rursus ad literarum otium recepit, ibidemque anno 1516. moriens sepulchrum habuit.

Vide Annotat. meas ad Tom. 2. Brouv.

1504. Bellum Bojopalatinum Cæsar armis ac deinde Comitiis Colonienſibus absolvit.

Bellum, quo Tritheimius pulsus est, à Georgii Bavariæ Ducis morte natum est: quòd is suis præteritis, Robertum Palatinum Georgii Comitis filium heredem scripsisset. Qui cum armata in possessionem manu irrumperet, Maximilianus Cæsar Alberto Bavaro sororio junctus, Palatinum ditione etiam patria dejecisset, nisi Jacobus Trev. Archiepiscopus cum Patre Christophoro medius partium, ut reciperet Palatinum Cæsar supplicem, impetrasset, causæque controversia comitiis sequentis anni, ut factum est, Coloniensibus finiretur.

Jus constituendæ monetæ Treviris disceptatur.

Domi verò Jacobus dum jus cudendæ constituendæque monetæ, quondam ab urbe prætensum, à Carolo tamen IV. Archiepiscopo adjudicatum, sibi vendicaret, Senatus populusque libertatis tuendæ specie obnixus est. Quâ re in præsens dissimulatâ, ad indicta Hagenoæ Imperii Comitia profectus est, ibidemque Philippum Regem Hispaniarum Maximilianum patrem invisentem salutavit, regaliumque munere ab Imperatore affectus est. Ubi & Ludovici Galliarum Regis Legati Mediolanensis ducatus beneficium, Cæsari fide clientelari præstitâ, acceptum retulêre, eâ tamen lege, ut Carolo Philippi Regis filio is denique cum filia Regis Claudia cederet.

1505. Jus regalium in Comitiis Hagenoæ Jacobus accipit.

Hinc cum Cæsar Principesque Coloniam, ut diximus, Boicis rebus componendis descendissent; inde adver-

Carolus Geldriæ Dux armis Cæsareis subditur, & Trevirensium Reliquiis ornatur.

adversus Carolum Geldriæ Ducem, suis Gallorumque opibus armisque Brabantiæ infestum, ductis copiis processêre, quibus impar ipse Cæsaris sese Principumque arbitrio submisit. Cui Jacobus B. Martyris Eusebii ossa, ex Prumiensi Monasterio concessit, Arnemiensi oppido (cujus jam olim Curio Abbas erat) inferenda, honestásque vicissim possessiones Carolus in Geldria Prumiæ assignavit.

Lis cum urbe Trev. recrudescens, pace sopitur.

Publicis hisce curis Jacobus defunctus, ad privatas cum urbe contentiones decidendas rediit, ac temporaria Joannis patrui indulta, quæ amore pacis tribuerat, rescissurus erat; nisi Capitularium intercessione, paucis solum mutatis, decreta ejusdem, temporali rursum sanctione stabilivisset: ne durum ancepsque ab armis quietis remedium petendum esset.

1507.

Maximilianus in Italiam pro corona imperiali transiturus à Venetis impeditur.

Posthæc Maximiliani Cæsaris, principumque Germanorum, curæ ad Romanam profectionem, coronamque imperialem more Majorum illic, cum justo dominatu, capessendo, versæ, eóque fine Constantiæ, propius Italiam, celebrata sunt comitia. Magnæ istic rerum mutationes proximis annis natæ invitabant Cæsarem. Neapolitanum regnum Carolus Galliæ Rex brevi magna armorum gloria nactus turpiori mox amisit dejectus infamiâ, nec quicquam præter fœdæ luis à Gallis dictæ memoriam reliquit. Ludovicus dein, cum defuncto mox Carolo consanguineo succederet, Mediolanensi ducatu Ludovicum Sphortiam Maurum, pari felicitate, dejecit, ejectusque rursum, capto demum Mauro Victor obtinuit. Quem postquam Carolo Maximiliani nepoti una cum filia Claudia detulisset, neglectâ pactione, Francisco Angolismensium Principi addixit. Unde Gallis Venetisque (qui imperiales quasdam urbes tenebant) suspectus Cæsaris adventus Et hi quidem, frustra rogati ad indulgendum transitum, Maximilianum ex faucibus alpium rejecerunt. Hinc reflexo Cæsar ad Rhenum itinere apud Jacobum, cujus prudentiâ consilióque delectabatur, Confluentiæ & Boppardiæ diver-

Rex Galliæ Ludov. Mediolanensem ducatum occupat.

1508.

tit, va

tit, variisque Moguntiæ, Spiræ, Agrippinæque conventibus Principes de prorogandis in ſex menſes auxiliis ſollicitat. Ac ſubinde pactis cum Venetis induciis, Belgium petit, ibidemque Cameraci cum Gallo celeberrimum illud fedus iniit, quo Venetorum reſp. in ſummum deinde diſcrimen adducta eſt, Pontifice & Hiſpano ad illorum potentiam infringendam, Urbiumque ſpolia detrahenda, conſpirante. Primus in illos Rex Galliarum Ludovicus exercitum duxit, ſecundiſſimoque ad Abduam prælio fractos, ad eam rerum deſperationem compulit; ut hinc Maximiliano, inde Pontifici ſimul aggredienti, ſuæ cuilibet urbes ceſſerint, ſolasque inter paludes Veneti, terreſtribus pœne urbibus nudati, hæſerint, excommunicationis etiam à Pontifice perſtricti ſententiâ, quòd Epiſcopatibus ipſi largiendis, ceu ſupremi ſuæ Eccleſiæ Domini, manus ſacrilegas admoviſſent. Unde, velut à cœlo terráque deſerti, ad Turcarum ſeſe opem implorandam verterunt, admiſſuri eandem, niſi corpus adverſariorum tot fretum capitibus, in diverſas mox abire conſiliorum vias comperiſſent. Nam Pontifex veritus, ne Galliarum Rex elatus ſucceſſibus potentiáque, reliquæ Italiæ occupandæ animum adjiceret Cæſarem Hiſpanumque ab eo ad ſe traducere ſatagebat: Cæſar, negatis auxiliis à Germaniæ Principibus Wormatiæ in hanc ſententiam coëuntibus, quòd Italicis nollent bellis, impendii quam commodi majoris exſpectatione, implicari, deſtitutus hæſit, neque partis in Italia urbibus defendendis ſuffecit; Gallus ſuarum urbium propugnatione ac ſorte lætus acquieſcebat.

Cæſar Cameracenſe cum Gallo & Pontifice contra Venetos fedus init.

Veneti urbibus terreſtribus ſpoliantur.

1509.

Pontifex Galli metu ab eo diſcedit.

Sed Pontifex hinc Ludovici vires Italis metuendas; inde Venetorum ad extrema prolapſorum calamitatem intuitus, ſupplices anathemate ſolvit, atque in fidem recepit, egitque omni ſtudio, ut Maximilianum à Gallis ad Venetos traduceret, impeditis per legatum etiam, quæ ex Germania (Comitiis rurſum Auguſtam indictis) ſperabat, auxiliis. Quanquam trecenta præſens Cæſar obtinuerit aureorum millia, Hinc verò Jacobum Archie-

1510.

Pontifex Venetis conciliatus Cæſarem fruſtra eodem invitat.

Archiepiscopum Coloniam, ad dissidium Urbem inter Principemque subnatum, sequestri nomine destinavit.

1511. Jacobus dum conciliandis Colonienſibus dat operam moritur.

Delatus ad Ubios Jacobus, dum rebus componendis sedulam navat operam, improviso morbo, ac non multo post morte in flore ætatis 27. Aprilis die, in ædibus Petri Bielsii Canonici ad Mariæ gradus, excellentissimus Præsulum, extinguitur. Cujus funus Richardus à Greiffenclau, Christophorus Rinecus, Georgius à Petra, Joannes à Modersbach, Ecclesiæ metropolitanæ Canonici, Confluentiam ad S. Florinum humandum traduxêre. Hujus Successor Richardus à Greiffenclau, Cantoris ante functus officio, omnium suffragiis delectus, eidem monumentum cum versibus. *Iacobo Badensi Archiepiscopo* dicatis & hac subscriptione, statuit: *Richardus Archiepiscopus integritatis ac virtutum defuncti memor: monumentum hoc posteritati posuit.* Certè Princeps fuit, ut in omni eruditionis excellens genere, ita variarum usu linguarum promptus, auditusque apud Cæsarem principesque imperii, quatuor aliquando diversarum gentium legatis, suâ quibusque linguâ, respondere. Neque virtutum ac religionis cura minor: ut ipsius postea imagine exemplóque à matre Anna Palatina proposito, Jacobus Badensis, ex Ernesto fratre Turlacensi nepos, ad religionem, à qua post Lutherum devius abierat sibi redeundum duxerit. Primus resipiscentium ab illo errore Principum, Matre in istâ caligine, unde filium in lucem eduxerat, relictâ: ut *lumen accendere videntibus etiam cœcus potest.* Nec Diœcesis Jacobi industriâ nihil visa levari est: Cum Meginense municipium, Cochimam, Gallobillichium, Monthaburanum oppidum, & Molsbergum octennii, quo præfuit tempore, inter varias belli profectionumque expensas, suis tamen redempta oneribus, in libertatem vindicârit.

1512. Richardus à Greiffenclau

Richardi primordia obturbasset Robertus Virneburgius Abbas Prumiensis armorum strepitu, nisi singulari moderatione consilióque illum Princeps avertisset, Se-

set, seque ad excipiendum Treviris cum Germaniæ Principibus Cæsarem comitiorum gratiâ convertisset.

Successor, Treviris Cæsarem in Comitiis excipit.

Quo tempore, evincente apud Richardum diu obnitentem Cæsare, Toga Domini inconsutilis, cum ingenti aliarum Reliquiarum thesauro in lucem producta est. Plusquam trecentis illa annis latebat recondita, à Joannis 1. temporibus, qui illam, longè ante sepultam, fortè retexerat. Religioque cunctis erat eandem producere, quod id malè tentatum, nec sine noxa, memorarent. Richardus tamen Maximiliani constantiâ expugnatus, Senatus Ecclesiastici consilio, post solennem populi supplicationem, 14. Aprilis feria 4. paschali ex latebris aræ summæ, quam monumenta Veterum designabant, sacrum hoc pignus, in cista ex ebore ligno que scitè compacta, produxit, aleâ cultroque rubigoso juxta posito. Hæc ex dextro prolata aræ cornu, ex sinistro Chrysanthi & Dariæ, Marcelli & Petri, Largi & Smaragdi Martyrum, tum & Irminæ Virginis Reliquiæ: Ex manna etiam cœlesti, veste Deiparæ, fasciarum Christi, involucro sepulchrali, præcinctio pedes lavantis, linisque SS. Paul, Silvestri, Laurentii, Georgii, Lucæ, & Apolloniæ monumentis. Aram mediam sua in arca S. Maternus, cum argentea cruce (duas ex S. Ligno partes amplexâ) obtinebat. Quæ universa in lucem educta, solennique, 3. Maji, spectaculo exhibita, præsertim illa Christi vestis, mirum est quantum lacrimarum vulgo excusserint, quantumq; conciverint pietatis ardorem, cum ad centena facile hominum millia confluxissent. Quando & basilico exequiarum apparatu Mariæ Blancæ conjugi defunctæ Maximilianus Treviris parentavit.

Toga Domini in lucem magno pietatis incitamento, producta.

Exequiæ Imperatricis.

Cum deinde insigni religione excitati viri principes, reteras quoque basilicas, eorumque gazas sacras lustrarent, evenit ut Uriel Moguntinensis, & Wilhelmus Argentoratensis Præsul, aram D. Willebrodi portatilem, quæ arcæ haud magnæ instar itineranti pro sacrificio deserviebat, recluſam intueri cuperent. Quam ubi excuserent, præter cetera sacrorum depositа, candida istic

Candida quoque Dei-

paræ toga reperta est.

Deiparæ inscripta vestis, tenui, sed floribus intertexis, filo apparuit, diúque ignorata in lucem, novamque affluentis populi venerationem producta est.

Cereus ingens à Cæsare Epternaci oblatus.

Mens præter hæc injecta Maximiliano (quæ erat optimi Cæsaris pietas) S. Willebrordum, ac D. Sebastiani Martyris Reliquias Epternaci religiosè visendi, ubi votivum huic Divo cereum 300. & 50. librarum statuit, qui etiamnum dum hæc scribo maximâ sui parte superstes egregium Austriacæ devotionis monumentum est.

Pestis causa Goloniam Comitia transferuntur.

Quod pestis avertendæ gratiâ, cujus beneficium à D. Sebastiano hoc est loco frequens, factum existimem. Jam enim ex multitudine hominum Trevirim hoc tempore, ex sparsa Reliquiarum fama, occupantium, relicta lues invaluerat, ut iccirco, post aliquot Comitiorum de bello paceque consulta, tum solennem Richardi, cum sacerdotio, Episcopalis mitræ, ex manibus Moguntinensis, Argentoratensis, & Reinardi Wormatiensis acceptationem, Coloniam Principes cum Cæsare ad tractatuum prosecutionem descenderint. Quo Richardus Cæsarem subsecutus regalium istic honore ornatus est. Actum verò de liberis imperii urbibus, quæ hinc inde ad defectionem proclives ibant, in obsequio continendis, tum viribus imperii adversus quemlibet hostem idoneo præsidio firmandis. Quòd Cæsar à Galliarum Rege, Pisano concilio adversus Julium Pontif. indicto Ecclesiam scindente, discessionem meditaretur, cupereteq; in aliquem nepotum, Carolum aut Ferdinandum, transferri imperium, cui adversaturum maximè Gallum prospiceret; fauturum tamen Pontificem; ut cujus ipse Lateranense concilium adversus Pisanum Gallosque amplecteretur,

Cæsar à Gallo schismatico discedit, Germanos illi militare prohibet.

Renuntiatâ igitur Ludovico amicitiâ, cum edicto caviisset, ne quis Germanorum militaret Gallo, Emichóque apud Treviros Comes de Linichen, hoc neglecto, militum contractâ manu ad illum transisset. Cæsar hostem judicatum, bona prædæ, possessiones verò omnes Ludovico Palatino transscripsit. Ut exigui stipendii spe exciderit universis.

Sub

Subinde Richardus, ut benevolâ sibi urbe uteretur, 1513. Richardus cum urbe pristinum fedus innovat.
fedus cum illa majorum exemplo icit, ad vitam, nequid successorum juri derogaret, valiturum, populumque cum senatu in tutelam fidemque accepit. Tum verò ad basilicam suburbanam D. Matthiæ, quam Antonius à Levven ultrajectinus, eximiæ integritatis Abbas, Cryptâ odeóque egregii operis instruxerat, & ipse vitrearum ornamentum fenestrarum ingens addidit, & publico cæremoniarum cultu, Deo cum arâ dicavit. Indè verò, cum de S. Agricii primi Trev. Archiepiscopi cineribus, quos hinc Mattheani, contráq; in oppositio suburbio Maximiniani sibi vendicabant, nata quæstio, fluctuantem populi religionem suspenderent, Richardo jubente facta inquisitio, quâ hi victores eosdem è monumento erutos observationi publicæ exposuerunt. S. Matthiæ Cryptam confecerat. S. Agricius apud Maximinianos eruitur.

Interea ob pervagatam latè famam, crescentemque populi religionem erga sacram Christi tunicam, cum Leo X. Pontifex à Mediceis in locum Julii Romæ nuper subiisset, diploma ab eo Indulgentiarum seu remissionis peccatorum omnium illis impetravit, qui in publica Togæ propositione (quæ in quodlibet septennium constituta est) venerabundi, ritéque per confessionem expiati, affluerent, fabricæque aut ornamentis templi aliquâ eleemosynâ pro facultate subvenirent. Temporaria etiam centum annorum condonatio, in festis nascentis resurgentisque Domini, Pentecostes, Assumptæ Virginis, Basilicæque dedicatæ, quartaque, quinta, & sexta feria Majoris hebdomadæ, denique & sacrificio Confraternitatis hic institutæ præsentibus, modò in usum Ecclesiæ aliquid tribuant, concessa est. 1514. Leo X. Julii Successor Indulgentias in Togæ ostensione largitur.

Quæ Leo cum insigni antiquitatis Trevericæ, & Reliquiarum approbatione 8. cal. Janu. Romæ anno salutis MDXIV. largitus est, & Richardus publica supplicatione universis, explicato diplomate, proposuit, sequentemque exhibendæ propalam Dominicæ Togæ annum promulgavit. Nec inutili eventu; siquidem infinita propemodum multitudo pœnitentium, sa- 1515. Togæ Dominicæ publicæ expositio.

crumque hoc anathema inviſentium, per octiduum affluxit, ſpectaculoque nunquam viſo, liquefactis ex gaudio animis, illacrymata eſt.

Deipara Burichii miraculis coli cœpta.

Novus & hoc tempore Deiparæ Matri honos, in agro Sareburgenſi, Burichii natus eſt. Quando iſtic Virgo in ædicula, miſerorum patrocinio implorata, frequenti miraculo adfuit; ut Richardus & templum iſtic auguſtius, &, ædificiis juxta excitatis, Curioni ſacrorumque præfectis atque hoſpitibus locum fecerit.

1516. Henricus Naſſovius à Cæſare nepoti Carolo additus. Cujus Succeſſor Guilielmus Belgii proditor.

Maximilianus verò eadem tempeſtate, ut Carolum propius aptaret imperio Germanorum, è Treverica nobilitate Henricum Naſſovium comitem, illius, in belli pacisque artibus, regendæ juventuti præfecit. Quiin Hiſpaniam eundem, reducemque pro imperiali corona comitatus, ejus deinde gratiâ Claudiam Aurangiæ principem, & cum illa principatum traxit. Unde is ad ingratiſſimum, tam ſui Regis Philippi, quàm orthodoxæ religionis proditorem, Guilielmum Aurangiæ Principem translatus eſt. Ut intelligamus *beneficia cum indignis conferuntur, facilè in maleficia converti.*

1517.

Imperator ab Ubiis redux Treviros rurſum adiit, tum viſendæ iteratò togæ, tum etiam Popponis Cineres ex veteri Auſtriacorum ſtirpe, ſanctè olim defuncti Præſulis, magnificéque ut par exceptus, utroque cum inſigni pietatis ſenſu, potitus eſt. Nam & privatim illi reviſendæ Togæ facta gratia, & poſtquam ad S. Simeonem interfuiſſet ſacris, inviſit recondita ipſius ſancti juxta interiores gradus latebras, ac deinde Popponem Archiepiſcopum, recluſo monumento, pontificali in habitu per aliquot ſecula incorrupto jacentem, cum admiratione eſt contemplatus: manus utraque etiam, cum ſuis articulis commiſſurisque integra. Quarum dextra admota pedo, patenam quoque auream ſuſtinebat, micante ex digito annulari jaſpide, læva exporrecta calicem aureum complectebatur. Tabulaque pectori impoſita hanc dabat inſcriptionem: *Poppo Trevir. Archiepiſcopus obiit XVI. cal. Iulii.* omiſſo Chriſti anno, qui Venerat 1047.

Poppo Trev. ex Auſtriaca familia Archiep. recluſo in gratiam Cæſaris monumento, incorruptus.

Venerunt & hoc tempore Trevirim quatuor Æthiopes Dominicanæ familiæ, ex India majore per tot terrarum ac marium spatia, sacrisque Chaldaico sermone magno cæremoniarum apparatu operati sunt.

Æthiopes Dominicani Treviris visi.

Clausit quoque diem extremum Trevirorum suffraganeus Joannes Helmund Episcopus Azotensis, quem secutus est Joannes Enenius, scriptor brevis historiæ Trevericæ, ædis metropolitanæ Ecclesiastes, qui annuum cursum paucis mensibus hoc in munere supergressus moriens Nicolao Schinen Cellensi locum fecit, qui sub Archiepiscopis omnino quinque eodem in officio perstitit. Adeò *vitæ munerumque humanorum varii sunt termini.*

Suffraganei aliquot Trevirenses.

Interea novis distrahebantur imperii principes curis, quod Ismael Sophi Persarum Imperator, qui religionis regnique schismate à Turcis discessérat, ingenti à Selimo clade victus, Ægyptusque tota ab eodem occupata, Pannoniæ haud immerito, Germaniæ propugnaculo, formidarent. Unde indictis Augustam Comitiis de tributis ad hoc bellum conferendis est constitutum. Maximilianus verò de Carolo Rege Hispaniarum nepote suo, aut certè Ferdinando ejus fratre surrogendo sollicitus, quamvis non omnino aversos haberet Septemviros, Regem tamen Galliarum Franciscum Leonis Pontificis fretum gratiâ, ejusdemque coronæ ambitione succensum, fortiter obsistentem habuit. Ut mors denique Lincii, pridie idus Januarii sequentis anni 1519. obita, consilii exitum præverterit. Ad quam tamen meditatò venit cum quinquennio antè sarcophagum quo claudendus erat, providè circumtulisset.

1518. Augustanis Comitiis de subsidiis contra Turcam, & Carolo V. surrogando frustra actum.

Mox in diversas itum, Wesaliæ primùm, ac deinde Francofurti sententias, prout quemque Principum ratio, favor, ac munera trahebant. Et Legatus quidem Apostolicus Robertus Ursinus, palam gratificari Gallo est visus, quod Leonis studia in conciliatum jam sedi propenderent.

1519. Cæsare Maxim. mortuo Franciscus Gall. & Carolus Hisp. Reges coronam ambiunt.

Qui Richardum quoq; Franciscí partibus addixit,

Richardus Gallo, contra alios, & fruſtra, favit.

Marchionem adhæc Brandeburgicum principio traxit, per illum ut ſperabat fratrem Electorem Moguntinenſem, traducturus; ſed ubi ad Suffragia ventum Moguntinus pro Carolo ſtetit. Quòd neque vires illi ad tuendum imperium, neque ſanguis, qui juxta leges Germanus eſſe debeat, neque virtus jam tum in adoleſcentia emicans deeſſe videatur. Richardus tamen diſertiſſima oratione pro Franciſco, & à priſcis Germanis genus ducente, & viribus ex vicina gente ad ſubveniendum promptiore, & denique virtute jam bellis Inſubricis magis exploratâ, graviſſimè contendit. Sed oppoſita ſententia pervicit, cum Fridericus Saxoniæ Elector, ad quem plerique, etiam ipſe occultè Pontifex (quod utriusque Regis potentiam nimiam formidaret) propendebat, ſuum Carolo votum, ſuffragiaque ſibi faventia detuliſſet: admirabili Dei providentia; ne cum illius Ducis Luthero Apoſtatæ adhærentis defectione, Romanum prorſus imperium corrueret: quod invicta Caroli in religione conſtantia ægrè ſuſtentavit.

Carolus electus Aquis coronatur.

Carolus igitur per Fridericum Palatinum ab Hiſpania ad coronam evocatus, Aquis illâ, quâ olim Magnus Carolus ſacrificante Colonienſi, redimitus eſt: lue, quæ locum infecerat, nihil magnanimum principem deterrente, quin Majorum ritu vellet inaugurari.

1521. Lutherus Wormatienſibus Comitiis à Richardo fruſtra ad ſaniora revocatus, damnatur.

Inde ad res imperii conſtituendas, graſſantemque latius hæreſin Lutheri comprimendam Comitia Wormatiæ celebrata, evocatus, fide datâ Lutherus ipſe, ad quem ab errore revocandum præ reliquis Richardus Archiepiſcopus, ut diſertus aptusque ad perſuadendum Princeps, in primis admotus eſt. Poſt quem cum Hieronymus Aleander Legatus Apoſtolicus omnem operam perderet, evocatus publicè & à Treverico Officiali Joanne ab Eck, Cæſaris tunc Oratore, rogatus: num ea quæ ſcriptis vulgata ſuo eſſent nomine, tanquam ſua tueri decreviſſet? Lutherusque, deliberatione habitâ, poſtridie reverſus, tuiturum ſe aſſereret, niſi è ſacris liberis erroris convinceretur: res eo loco ſtetit, fruſtra itera-

iteratam operam Richardo admovente. Cum Lutherus hoc eum Gamalielis responso dimitteret: *Si ex hominibus hoc opus est dissolvetur, si ex Deo est, non poteritis dissolvere.* Quo & olim usu Ariani, vix hodie nomen retinent: ut par exspectari exitus queat. *Actor. 5.*

1522. Franciscus à Sickingen Luthero hærens varias diœceses, & in his Trevirensem, vastat.

Reversus domum Richardus, turbas cientem reperit Franciscum à Sickingen, bellicosum è nobilitate hominem, patre Suickero non dissimili natum, qui ob injurias bello datas captus pœnas dederat. Is sive ulturus, sive imitaturus vitam Patris, Philippum primò Hassorum principem oppidò puerum, ferro flammáque prosecutus, deinde Wormatienses, postea Mediomatrices, denique Lotharingos invasit: plerisque auro vastitatem extremam redimentibus. Tantùm ubique terroris pugnacissimus homo prædatoriis cohortibus incusserat, Ecclesiasticis præcipue, sacrisque Catholicorum, ex Lutheri disciplinâ infestus. Qui libello, Magistri sui manibus exarato, gladium se Josue impietatis vindicem circumferre jactabat, Buceróque ex Dominicano, & Ulrico Hutteno ex Fuldensi Monacho Apostatis incitatoribus, Landavi in Alsatiæ finibus conjuratam ad se trahit nobilitatem (in quibus & Joannes Hilken à Lorich Trevericis nuper tumultibus armisque immistus) nec citra cladem. Unde, cum ab hoc Trevirenses quidam capti, libertatique, certo pecuniarum onere, Sickingio vafrè fidem, Prædis nomine, interponente, redditi essent: ac deinde, tanquam insontes, Richardi jussu, æris promissionem injuriâ extortam recusarent, Sickingius dissimulata re, ubi, velut pro Cæsare armandus copiosum scripsisset militem, hunc repentè in Treviros ducit: Richardo frustra ad imperialis judicii senatum Noribergam appellante.

Varia loca Trevirorum intercipit, nobilitate captâ.

Arx Bliescastellana primo occupata impetu, S. Wendalini oppidum fortioribus defensum viribus postquam triplicem muris stratis assultum sustinuisset, cum Brunone Smidburgio, Henrico à Keimt Waldecero, Ottone à Kettig, Henrico ab Eltz, Adamo à Sötern, & Antonio

tonio à Petra nobilibus in captivitatem cessit, Grimburgensi castro haud multò post accedente. Saræburgum Petro à Kaldenbron fortiter propugnante, impetum ferocientis stitit. Ut desperata illius expugnatione Trevirim ipsam obsidione petendam decerneret. Richardus cum Gerardo Isenburgico, quem militiæ præfecerat, ac præcipua nobilitate urbem ingressus, magnopere civium, haud segniter in armis versantium, & præsentiâ & oratione animos excitabat. à Colonienſi etiam Hassoque principe, auxiliares quædam submissæ copiæ spem defensionis firmabant. Ut Richardus ipse, quamvis plerisque dissuadentibus, inter parum valida mœnia infractus persisteret, moriturumque se, aut victurum cum civibus profiteretur. Quorum nomine Joannes ab Eltz vicissim Principi, omnem fidem, animique ac corporis vires addixit. Ut sanè præstitum: quando natalitio Deiparæ festo per fauces Martii montis sese urbi hostis admoverat: cùm suas quisque stationes, quas propugnandas acceperat, Richardo obeunte, non sine æmulatione virtutis, defenderet. Æneis primùm tormentis, ex ruderibus ad Montis pedem portam Coritziam munitionesque propinquas magnâ globorum vi concussere; sed quæ ex urbe contra librantium fuit peritiâ, disjecta aliquot hostium tormenta fuêre, equique ac directores prostrati, ac denique ab erumpentibus urbe civibus occupata, clavisque ad usum destructa. Hinc igitur ad D. Maximini septa, centum fermè ab urbe passibus, suggestus machinarum translatus, indeque in muros sævitum, sed illo eventu, ut diruta mœnium, vallis repentè objectis, cives instaurarent, adeóque nec hic quicquam proficerent, ex Martia urbis turri haud leviter vicissim afflicti. Tertiâ igitur in ipso Martis colle, ducentis facilè ab urbe passibus, quæsita statio, excitatusq; propugnaculi specie tumulus, qui hodiedum conspicuus *Francisci caputium* dicitur, ad quem acer ille bellator, velut scopulũ desperationis, ultimò allisus ingloriè hesit,

Treviris se ad defensionem parat, Richardo ipso persistente.

Obsidetur, & tribus è locis frustra oppugnatur.

Missi ab Agrippinensi Præsule legati, cum Francis-

cum

cum eò consilii inflexissent, ut, ducentis aureorum millibus oblatis, cessurum se addiceret, Richardus illa sibi potius in compensationem damnorum respondit deberi. Quare Franciscus ultimam mœnibus urbique vim admoturus, quidquid suppetebat à globis virium, ingessit, labantéque muro, cum paratos ad excipiendum irrumpentes stare animadverteret, nihil attentare ausus, ignitorum globorum fulmine in domos evibrato, ratus est se constantiam labefactare civium posse; sed hæc ipsis mœnibus tectisque durabat fortior. Ut postremò, ad blanditias versus, immissis jaculo in urbem schediis, promitteret immunitatem omnem incolis, solúmque sibi adversus injuriosum Præsulem dimicationem susceptam esse ostenderet. At vulgatum hi noverant carmen.

Fistula dulce canit, volucrem cum decipit auceps.

Richardi magnanimitas & hostium contemptus.

Irritis ergo machinationibus, cum Principis Palatini Hassique militem in auxilium cogi intelligeret, nobilissimo D. Maximini monasterio flammis tradito, sanctorumque monumentis violatis, viâ, quâ accesserat, reductum militem per citerioris Mosellæ limites, cum obviorum locorum, vel excidio, vel tributo gravissimo, Beronis castellum traxit. Unde tamen, Palatino jam Hassoque propioribus, Eberbergum se avertit.

S. Maximino flammis consumpto, desperatè abit.

Richardus publicâ supplicatione gratiis Deo servatori actis Limburgum ad Hassi excipiendas copias profectus, quibus Palatini Trevirique juncti, cum instaret hiems, jamque Isenburgicus S. Wendalini oppidum felici agressione hosti extorsisset, in hiberna traducti annum sequentem vindicandis hostium injuriis designarunt.

S. Wendalini oppidum recipitur.

Albertus Moguntinensium Princeps, quod Francisco Lorichioque milite & commeatu adstitisset, belli à Triumviris intentati metu, Francofurtensi comitio 25. millibus aureorum culpam redemit. Hartmannus Cronenbergius possessionibus, quas ut cliens Trevirorum obtinuerat, postquam ad Sickingum & Lutherum transisset, exutus est. Joannes Lorichius implacabilis

Triumviri Palatinus Hassus, & Trevir bello vindicias moliuntur.

Trevirorum hostis, per Wilhelmum ab Haberen Palatini Archistrategum bello victus, & cum aliis duodecim è nobilitate captivus, finem prædandi fecit.

1523. Post hæc bellorum præludia, junctis Triumviri ad Crucinacum castris, Sickingum, qui ex vastato Palatinatu ad propria se defendenda receperat, sua in sede petendum decrevêre. Is, cum ad firmissimam arcem Nanstaliam se recepisset, quæ in Wasgovia ad fines Alsatiæ ab oriente Rhenum, ab occidente Saravum Flumen, à meridie Vogesum montem respicit. Ebersbergo jam castra admoverant; quando ipsum belli caput, in his præruptis, petendum censent. Et favit consiliis Deus; cum locatis, in adversa rupe, tormentis intra sextiduum arcis mœnia, ac tecta dissecêre. Hinc, à convulsa per globum trabe saucius lethaliter Franciscus, deditionem eâ lege fecit 6. Maii, ut arx secum nobilitasque in potestate esset Principum, armisque positis miles præsidiarius abiret.

Nanstaliam arcem Sickingo inclusо, obsident.

Francisco lethaliter saucio deditur.

Franciscus in lecto desperatè procumbens Palatinum accedentem serò ut Dominum agnovit, cum utrumque jam ex vulnere amisisset oculum. Tum verò, Hasiorum Principe Henrico, & Richardo præsentibus dolens ingemuit, quod præter spem in eum se casum Deus ac fortuna conjecisset; at saluberrimus hic omnibus visus est, quo ipse ad pœnitentiam, ritu Christiano expiatus, rediit, & patria tranquillitati unius morte est restituta, Adeò *mors sæpe, quàm vita salubriora mortalibus consilia suggerit: & unius quandoque interitus, multorum salus est.* Chytræus, Brutum illum Germaniæ fuisse credit, qui cives à Principum Episcoporumq; suorum tyrannide in libertatem vendicaret, sed hæc laus à nimium simili profecto sordet. Illo verius laudatur, quòd prædatoriam licet militiam severâ tamen rexerit disciplinâ, sibique deditos fortiter tuitus sit: ut *etiam in malis utilitas reperitur.*

Pœnitens moritur.

Hinc admotæ hostium arcibus Triumvirûm copiæ brevi

brevi Drachenfeltzium, Homburgum, Dansteinium, Lutzeburgum, ac denique fortissimum omnium munimentum, Ebersbergum, in quo Franciſci gazâ, argentique ac auri vis magna, expugnata ſunt. Victoriæ monumentum, ex loci theſauris, ænea arcis, Ehrenbreitſteinianæ tormenta ſunt, & hierotheca ex argento auróque ingens, quam ſucceſſor Richardi Iſenburgicus Eccleſiæ Meinfeldiæ dono reliquit.

Cetera ditionis loca occupantur.

Hadrianus Pontifex Leonis X. Succeſſor, & ipſe moriens Clementi VII. claves reliquit. Hic ſucceſſibus Richardi adverſus hoſtes Eccleſiæ lætus, datis ad illum literis, pietatem fidemq; in armis etiam laudavit, omniaq; ſe ejus gratiâ ad ſalutem Germanorũ ac Principis velle benevolentiſſimè oſtendit: ut apud Brovverum leges.

Clemens Pontifex Richardo victori gratulatur.

1524.

Verùm creſcente per Germaniam cum Lutherana hæreſi ſeditioſorum multitudine, non in Eccleſiaſticos tantum; ſed & Principes, concitata eſt. Quorum tyrannidem in populum, tributis aliisq; oneribus exercitam, Lutherus haud leviter perſtrinxerat. Hinc Noribergæ in comitiis à Richardo aliisque, cum Ferdinando Cæſaris fratre (qui abſentis ſuſtinebat vices) ac deinde Weſaliæ etiam inter Principes Eccleſiaſticos de his componendis fruſtra laboratum eſt; utque Lutheranis varia gravamina, & Verbi Dei neglectum obtendentibus, ſpes ſatisfactionis aliqua fieret, Spira novis utriusque partis comitiis deſignata eſt. Sed cum ex Hiſpania Carolus iis interdixiſſet, juſſiſſetque ſtare decreto Wormatienſi, quo nihil in religione novandum, ad concilium usque, Luthero ejusque libris damnatis, conſtitutum fuerat, res in apertam rebellionem vulgi abiit: duobus Lutheri diſcipulis, jam ſupra Magiſtrum audacia proterviaque elatis, agmen ducentibus. Et in Suevia quidem Chriſtophorus Schapplerus, aſſeruit Chriſtianos ab omni ſervitute liberos Principum tributis non obſtringi; in Thuringia Thomas Munzerus fidem ſibi ad parem libertatem provocanti, fictis etiam Dei revelationibus fecit, ac Gedeonis enſem ad Principum tyrannidem, nobilium-

Ruſtici paſſim ex Lutheri doctrina in Dominos & nobilitatem concitati, bellum movent.

Spirenſe Comitium pro compoſitione Carolus prohibet.

Schapplerus & Muntzerus ruſticos incitant.

biliumque fastum, atque Ecclesiasticorum luxum evertendum, oblatum esse jactavit.

1525. Germaniam totam conjurati agrestes implent.

Hinc Campidunensi in agro ad 14. rusticorum collecti millia initium excidio miserandò, à nobili Campidunensium Abbatia eversa, dedêre. Quæ seditiosorum factio Rhetiam, Sueviam, Thuringiam, Franconiámq;, nobilium & religiosorum oppressione, pervagata, in Palatinatum, Hassiamque, ad Trevirorum fines usque se effudit. Unde Richardus in auxilium contra rebelles à Palatino & Hasso vocatus, Georgio à Petra militiæ Duce suppetias destinavit; quando, Winsbergo intercepto, nobilitas immani crudelitate periit. Theodoricus à Weiler ex fastigio turris præceps actus, Ludovicus Comes ab Helffenstein hastarum cuspidibus, inter quas deciesquater coactus discurrere, periit. Et jam Trevirorum affines aut subditi, ut Thanenses, Bliescastellani, Saræpontani, ac Nassovii rustici, armati libertatis vexilla explicârant. Cum Richardus collectis, quantum licuit, festinatò copiis, ipse se ductorem præstitit, junctusque Herbipolensi ac Palatino, in Nemetes, pernicioſissimè vexatos, se effudit; Brussellisque, quod oppidum insederant, occupatis, Hilsbacum movit. Ubi sub Georgio Trucsesio & Guilielmo Furstenbergio fortissimis Ducibus, Suevicæ copiæ accessêre. Hi juncti, Nicrulmâ expugnatâ, Regiovillam seu Konigshovium, ad hostem magno numero in monte collectum tendunt, atrocique cum eodem quinque horarum congressi prælio, castris denique perruptis, ad sex agrestium millia, omnibus impedimentis potiti conficiunt. Unde Bischofsheimium, Landavum, Mergentheimium, terrore magis, quàm armis victa, deditionem fecerunt. Herbipolis posthæc debellanda supererat, in cujus sese arce ægrè adhuc nobilitas tuebatur. Hic pertinaces nihil principio moti præfractè restitêre, dum suburbio cum ponte turrique interceptâ, in Principum sese gratiam submitterent. Quare Richardus datis ad Treviros literis supplicatione gratias supremo omnium moderatori

Palatino & Hasso Richardus ipse ductor succurrit, suosque fines tuetur.

Sex millia agrestium cæduntur.

ratori Deo haberi voluit. atque ex Franconia in Palatinatum arma revocavit.

Hic denuò novem facilè millium agricolarum conflata manus Federsheimium, ad Pfremum amnem, quatuor à Wormatia passuum millibus occupârat. Quod dum obsidione premit, eruptione magnam agestres clademaccepêre; ut deinde arctius pressi, gratiam, quàm extremam vim, exspectare mallent. Ergo trium, istic ut erant, millium numero armis positis urbem exire jussi, caveréque sub vitæ periculo ne ante imperata discederent. Cùm ad locum equitatu cinctum se duci conspicerent, metu mortis perculsi, in fugam præcipites abeunt, armisque persequentium obruuntur. Hinc Neostadium Weissenburgúmque exercitu cinctum, ac lege mulctáque rebellium haud levi deditum est.

Alii apud Vangiones cæsi rustici.

Spirensibus subinde in Vere comitiis, de tuendo Imperio adversus Solimannum Turcarum Imp. profligato occisoque Hungarorum Rege Ludovico, plerisq; locis receptum, Germaniæque imminentem; tum de reliqua peste rebellium compescenda est consultatum. Deinde Eslingæ hac potissimum de re actum, quòd Moguntiam, Coloniam, Trevirosque jam hæc lues afflasset, omnibus ad majorem vulgi libertatem, & adstrictionem Ecclesiasticorum conclamantibus. Et Trevirensium quidem hæc fuêre postulata. 1. Ut Clerus ex omnibus venditis rebus non minus vectigal urbi, quàm cives penderent, 2. Ut molis non uterentur præterquam urbanis. 3. Ut vectigal sextariorum, cujus dimidium ædis summæ Canonicis cedebat, publica tantùm opera verteretur. 4. Ut ne quisquam Ecclesiasticorum opifices domi aleret. 5. Ut Sacrarum Reliquiarum clavem unam Senatus, cum tertia parte donariorum, obtineret, 6. Ut Sacerdotes omnes, qui nec genere nobiles, nec summæ Ecclesiæ Canonici essent, excubiis, vigiliis, aliisque publicis oneribus, cum civibus, æquarentur. Ad hæc delata, cum nihil Antistes, nisi silentium, reponeret, donec malè multatorum rebellium exemplo formidari

1526.
Spirensibus Comitiis de ceteris rebellibus & auxiliis contra Turcam Hungaria potientem agitur.

Trevirensium postulata adversus clericos, ab ipsis ejuratur.

midari plebs cœpiſſet, & ſeditio cum autoribus oppri-
mi: tum ſuos ille Trevirenſes palinodiam canere juſſit,
publicoque ad exemplum poſterorum cavere chirogra-
pho, nihil ſeſe eorum poſtulaturos impoſterum, aut ve-
ctigalium per diœceſin immunitate, quâ cives fruun-
tur, jure carituros. Quod pridie D. Matthiæ tabulis ſi-
gnatis ſpopondêre. Ita ſuos Richardus metu, reliquos
armis debellabat.

1527, Cometa & Roma excidium â milite Cæſaris.

Annus 1527. horrendis Cometæ minacis radiis Germaniam Trevirosque etiam conterruit, tribus etiam alibi ſolibus in Cœlo ſe efferentibus. Quando Roma à Cæſareo milite, ſed Gallo Borbonio Duce inter primos per mœnia enixo & cadente, occupata, Clementem Pontificem ſuum in vinculis, ſe verò hæreticorum pœnè manibus exciſam luxit.

Haſſus dolo hæretici hominis inductus contra Eccleſiaſticos Principes arma ſumit, vixque à Richardo componitur.

Tota verò Germania ad libertatem à Luthero ſecularium, Eccleſiaſticorum verò oppreſſionem, direptionemque ſacrarum poſſeſſionum invitata, cum pleriſque Principibus tam pingui ſpolio delectatis, in hæreſin ferè præceps abiit. Stabat in priſca religione Georgius Saxoniæ Princeps adverſus minas blanditiasque Lutheri invictus, quem ut Otto Paccius illius Conſiliarius everteret, fedus confingit ab ipſo catholicisque Præſulibus adverſus Lutheranos, Haſsúmque inprimis opprimendum conceptum, ejúsque ſuppoſititias profert tabulas, ſui Principis ſigillo munitas, quas clam Haſſo transmittit. Qui, ut adverſarios præverteret, conſcripto milite Moguntinæ, Herbipolenſi, & Bambergenſi diœceſi bellicoſus juvenis imminebat Cúmque belli cauſam expromeret tabulas, eámque Principes ipſi, ceu autori, fraudem impingerent, niſi alium proderet: Otto productus, agnitáque perfidia eſt, quam in gratiam ſui Lutheri homo perditus concinnarat. Haſſus tamen armis jam promptis componi ante non potuit, quàm Richardo interveniente, cui multum tribuebat, centum ac viginti aureorum millibus à propoſito deductus eſt.

Ad

Ad Spirenſi adeinde Comitia reverſi Principes inière conſilium quemadmodum Solimanno formidabili 300. millium exercitu, Budâ Strigonióque jam captis, Auſtriæ imminenti præſidia tuta opponerent. Adfuit ille priusquã Germani juſto exercitu convenirent obſeſſaq; Vienna, ſummâ vi conniſus, viginti facilè per Octobrem inſultibus extrema molitus eſt, fortiſſimè Philippo Rheni Palatino, & Nicolao Salmenſi Comite urbem propugnantibus: ut Sexaginta hominum millibus ante urbem perditis, hieme jam altiſſimisq; nivibus ingruentibus, deſperans receſſerit. Bellum tamen, fames, peſtisq; conſecuta, perque totam à Rheni fontibus diffuſa Germaniam, plures longè, quàm gladius ſuſtulit. Ut ab exorta hæreſi, & homines, & elementa, & Superi in hanc pugnare viderentur: atque, ubi hæc deficerent, ipſi in ſe mutuò Germani ſævirent. 1529. Solimannus Viennam obſidet, ac rejicitur.

Proximo anno Carolus, rebus in Italia ad quietem compoſitis, honorificè à Clemente exceptus, imperialique coronâ Bononiæ donatus eſt. Hinc ad Auguſtana Comitia, rebellesque Eccleſiæ coërcendos, ac ſubſidia adverſus Turcam comparanda, in Germaniam profectus Confeſſionem Lutheranorum à Melanchthone Lutheri diſcipulo concinnatam excepit, quam ex Septemviris unus Elector Saxonicus, & Principes alii quatuor, cum duabus urbibus propalam ſolùm amplexi, ceteri unà cum Cæſare averſari tunc viſi ſunt. At Cæſari cùm in votis eſſet, ut frater Ferdinandus Rex Rom. crearetur, qui, ſe abſente, ſummâ autoritate Germanos regeret, eique Eccleſiaſticos potiſſimùm Electores conſilio adfuturos crederet, deſcendit cum Ferdinando Coloniam, ubi & Richardus, (quem Auguſtâ morbus diſtinuerat) cum reliquis præſens favit. cunctorumque ſuffragiis, in æde ſummâ Rex, ipſa trium Regum feſtivitate, pronuntiatus, Aquisque XI. Januarii, nequicquam reclamante Saxone, eſt coronatus. Quæ ultima Richardo ſolennia in vita fuêre; ſiquidem valetudine jam fractus, ad Witlichiam delatus arcem, XIII. die 1530. Carolus à coronatione ab Italia Auguſtam venit, Confeſſionemque Lutheranam accepit ac rejecit.

Coloniæ Ferdinandus ejus frater Rex eligitur, & Aquis coronatur. 1531.

Richardus moritur.

die Martii, anno vitæ 64. ad immortales transiit, creditus ex hausto aquæ frigidæ, Veneno infestæ, malum in arce Thaborina contraxisse. Delatus Trevirim, honorificáque inde pompâ ad portam S. Simeonis omnium ordinum exceptus, in æde summa, ante aram S. Crucis, depositus, sub lapide his verbis inscripto: *Richardus ex familia Gryfenclau à Volrats Archiep. Trev. vita functus XIII Martii subtus quiescit. MDXXXI.* Panegyrim dixit Bartholomæus Latomus, vir id ætatis versu prosaq; disertissimus, Sickingiani belli carmine eleganti, gestorumque Richardi descriptor: qui sic de illo inter cetera. *Cum præesset in amplissimo principatus munere, & quietam hanc religionis pietatisque curam, & illam turbulentam negotiorum administrationem pari fastigio consecutus est. In qua utraque re, qui excellerent, etsi tum inveniretur pauci, Richardum tamen, singulari quadam felicitate utriusque muneris, tantam adeptam fuisse laudem, ut si divinæ rei cultum spectares, cum religiosissimis; sin externarum rerum industriam, cum prudentissimis meritò dicerus comparandum. Iam verò quæ animi ejus præstantia, quæ fides in depellendis suorum periculis, quæ consilii gravitas & constantia, ab iis quæ à nobis literis mandata sunt, exempla non obscura sumere licebit. Sedem, quam exhaustam pœnè ære alieno, & implicitam gravissimis oppignorationibus acceperat, constat non modò administrasse liberaliter & munificè; sed depressam ad pristinas pœnè reduxisse facultates* Hæc aliaque de eo Latomus. Qui & hos versus monumento, cum ara, illi constituto, adjecit:

Bartholomæus Latomus ejus encomiastes eruditissimus.

Aspice Richardi monumentum Præsulis hospes,
Hic gelidâ cujus membra quiete cubant.
Quem meritò Trevir sublatum flevit, & alto
Vindicis ingemuit pectore fata sui.
Ille sed insanos motus, terrasque relinquens,
Induit æthereas, quas tenet, auctus opes.
Lustra novem, totidemque biennia duxit; at illi
Tredecimo clausit Martius orbe diem.

LIBER

LIBER XXI.

Clemens VII. Pap. Ioannes à Metzenh. Archiep.

RIchardo votis omnium è Veteri Metzenhausiorum nobilitate Joannes summæ ædis Præpositus surrogatur, qui brevi regendi defunctus periodo, tres ejusdem nominis, quorum ultimus à Petra, post se traxit. Horum acta parcè literis consignata, uno hoc libro concludemus. Augustano Joannes nuper conventu legatus, ita Carolo Imp. reliquisque se probârat, ut hunc infulâ dignum assererent, & pallio Româ à Clemente submisso, id quamprimum Ecclesiasticâ per diœcesin disciplinâ, ex cujus labe potissimùm hæresis proficiebat, instauratâ ostendit. Tunicam deinde Domini evoluto jam septennio, ad excitandam populi religionem, venerationemque, ingenti hominum latè affluentium frequentiâ publicè rursum spectandam proposuit. 1531. Joannes à Metzenhausen Archiep. ab Ecclesiæ cura incipit. Togam Christi publico cultu proponit.

Postero Carolus Imperator anno, cum ex Belgio Germaniam petiturus, transiret Treviros, Joannes Februario mense Boppardiam cum eodem ingressus regalibus ab illo donatus est. Unde reversus Trevirim 26. Maii à Tullensi, Virdunensi, & Nicolao Azotensi Episcopus consecratus, fidem à populo jurejurando obligatam accepit. Regalibus à Carolo donatus consecratur Episcopus.

1532.

Carolus verò Ratisbonam ad comitia profectus, quo eum Theodoricus à lapide, & Joannes ab Enscringen Legati Trevirorum sequebantur, compositis utcunque Lutheranorum animis, exercitum Solimanno opponendum collegit, eique in Austriam sexcentorum, ut ferebatur, millium numero properanti, vix centena objecit millia. Quibus tamen, cum, præter spem Barbarus, Carolum in iis Germaniæ turbis armatum oc- Carolus Solimannum terrore solo ad propria rejecit.

currentemque accepisset, infelici Turcarum velitatione prævia, & ardore Tyranni, ad Guntzium exilis famæ munimentum, temere infracto, is retrò pedem retulit, non armorum se vim, at Caroli fortunam dictitans formidare. Ita terror Otthomannici nominis vilescere Germanis hac expedit.one haud leviter cœpit.

Anabaptistis sub Leidano Rege Monasterii invalescentibus se Episcopi, & in his Joannes, oppositêre.

Interea ex Batavis sex quædam Sellulariorum Monasterium Westphalorum opificii, ut videbatur, gratiâ confluxerat. In his Joannes Sartor ex urbe Leida, qui Lutherana primùm, ac deinde Anabaptistarum Secta per urbem invalescente, rem aggressus est, totius posteritatis admiratione excipiendam. Fictis pro more Sectæ, & hic, & alii mentis excessibus, Deique alloquiis, homo vafer se Regem Sionis dixit, Reginamque ac concubinas legit duodecim, ceterisque parem libidinis explendæ copiam fecit, ut ferè hæreses aliquo carnis lenocinio aluntur, tum sensim autoritate fretus, ima summis, insanâ imperandi vertigine, miscuit, atque ad extremam rebellandi, eversis Christianis sacris, Episcopoque Francisco à Waldeck contempto, audaciam inflammavit. Qui cum à Rheni Septemviris ad urbem seditiosam debellandam auxilia poscerent, hi Confluentinâ diætâ congressi illa submiserunt. Quæ adjuncta Episcopalibus, urbem obsidentibus, anno denique sequenti, in natali S. Joannis Baptistæ eandem expugnarunt, & pertinacis stultræque hæresis deliria multorum internecione oppresserunt. Rex scenicus cum præcipuis duobus facinorum ministris, ignitis discerptus forcipibus, supplicio miserando interiit: hoc maximè dolendus, quod de tam infandis facinoribus dolorem nullum conciperet.

1534.

1535. Interceptâ urbe, oppressa hæresis.

Academiæ Trevirensis studia Joannes promovet.

Subinde Joannes Trev. Archiepiscopus ad neglectam sub cura civitatis, Academiam conversus, Professores ex omni studiorum genere doctissimos, operâ viri eruditissimi Joannis ab Ençringen Cancellarii legit, in quibus & Ambrosius Pelargus Dominicanæ familiæ Theologus erat, futurum huius Academiæ haud leve orna-

ornamentum; ut qui Basileæ adversus Oecolampadium Brigittani ordinis desertorem, clam palámve ex cathedra fortissimè decertârat, stylóque etiam, pro Missæ sacrificio tuendo, graphicè confixerat. Friburgi deinde Virginum Monasterium strenuè ad priscæ religionis integritatem formârat. Unde Trevirim delatus, Theologicam illius Academiæ dignitatem ac disciplinam, inter primos illius ætatis viros, ad ultimam senectam usque sustinuit, sub Paulo III. Clementis ante annum successore, auspicatus.

Pelargus ex S. Dominici familia illustris Doctor Theologicis præst.

Posthæc Joannes privatim diœcesi suæ, in sacris profanisque excolendæ intentus, orthodoxam, (adversus hæresin ubique invalescentem, & in Galliam quoque per Calvinum illatam) religionem sedulò defendit, arcesque ac munimenta collapsa magnificè reparavit. Quo illius in studio, quantum aliis in locis profecerit hæresis, quantúmque bello ac pace contentionum pro religione in Germania susceptum sit, alibi in Caroli V. historia latius prosecutus sum.

1536, &c.

Sacris profanisque Treviri se Joannes impendit.

Cum Lutheri hæresin liberiori vitæ, Clerique possessionibus inhiantes passim Principes amplecterentur, neque Concilium universale, quod diu exspectatum, ac postremò à Lutheranis spretum, controversiis finiendis adhiberetur, actum denique Hagenoæ de conciliandi remediis, arbiterque inter delectos quatuorviros unus Joannes constitutus Archiepiscopus. Qui, dum in consulta disceptatione trahuntur dies, flagrantissimâ illius anni æstate, ardenti correptus morbo, ad Dansteiniam regionis Wasgoiæ arcem, quæ ipsi Sickingiano bello cesserat, curationis gratiâ delatus, haud multò post sacris ritè munitus 2. cal. Augusti mortalia reliquit. Vanusque fuit vulgi rumor, qui, ceu reum captivumque, morte non sua defunctum sparserat. Cum & Præsulis integritas, & domestici testes obsistant. Palatiolum corpus, atque inde in Basilicam Treviricam consuetis honoribus deportatum, ante S. Helenæ aram, hanc in ipso monumenti pariete epigraphen habet. *Egregio Principi*

1540.

Hagenoæ de conciliandis controversiis arbiter delectus præst morbo correptus in Danstein moritur.

D. Ioanni à Metzenhausen Archiepiscopo Trev. Cujus virtute & industria Ecclesia Trevirensis, per novem annos & quatuor menses, feliciter administrata est. Successor Joannes Ludovicus ab Hagen *Opt. Principi Virtutis causa posuit. Periit* * *in conventu Hagenoensi inter quatuor viros componendæ religionis designatus, cum annus ferventissimus incidisset. Æger relatus est in arcem Daenstein Vasgoiæ, ubi extinctus est* XII. Julii. *Inde perlatus ad suos, hoc loco sepultus est anno* MDXL.

* *An dato ab æmulis veneno? ambiguum.*

Fedus cum urbe Antecessorum quorundam dissimulare magis, quam innovare velle est creditus; quòd occasionem captaret, pristina sub Carolo IV. Imp. Cununonis cum urbe pacta revocandi. Ceterum non liquet, cur urbi parum æquus, ut Kyriander voluit, potuerit videri. Justitiæ certè in utroque foro egregius promotor, multa in Majorum decretis ambigua interpretatus est, & neglecta æquitatis adjumenta, proscriptis Curiæ vitiis, restituit, causasque ultra diem vetuit prorogari: Decreta, moresque Ecclesiastici tribunalis à legum peritissimis expendi, reformarique saluberrimis præceptis sancitisque voluit. Sua cuique ministrorum curiæ partitus officia, suas Patronis pœnas ac præmia, Reis pro delicti meritique qualitate animadversiones. Quâ sanè curâ Ecclesiastici Principis officium egregiè est executus, cùm *prima boni Principis nota sit, æquitatem in rep. tueri.*

Ejus erga urbem affectus & Justitiæ administrandæ cura.

Undeviginti ab obitu illius fluxere dies, cum cathedralibus placuit Joannem Ludovicum ab Hagen Præpositum huic oneri honorique sufficere V. Iduum Augusti. Qui in delectu illorum, quos à consiliis habuit, Bartholomæum Latomum designavit eloquentiæ in schola Parisina novennio professorem. Is hæreticorum, & Schmidelini * inprimis, flagellum fuit, qui cum Lutheranos in diversa abeuntes conciliare studeret, hos tanquam Sampsonis vulpes caudâ quæsitæ libidinis colligatos; at superbis capitibus dissipatos, reperit. Unde scitè in illius Fabri conatum nomenque sic Vates lusit:

Joannes V. ab Hagen succedit, qui Latomum à consiliis habet.

* *ab arte fabrili dictus.*

Aut

Aut Fabrum forceps, aut ars indocta fefellit:
** Εἰρήνην voluit cudere, cudit * ἔριν.*

* pacem
* litem.

Sed, ut Comitia revisamus Hagenoana, morte illa Joannis dissoluta atque indicta Wormatiam fuêre. Quo postquâ frequentes unâ cum Principibus convenissent, Philippus Melanchthon ab Eckio oppugnatus causam, nisi pertinaciâ, sustinere non est visus Unde (cum quævis partium victoriam, in Verborum pugna sitam, suam esse jactet) conatus hic iterum evanuit. Wormatiensis disputatio evanida.

Posthæc Carolus è Belgio rursum ad nova Ratisbonam comitia tum religionis conciliandæ, tum avertendi Turcæ gratiâ contendit; sed majori frequentiâ, quàm consensu Principes adfuêre. Ut Carolus diceret: *Diæta diætam parit, sed partus devorat matrem.* Joannes cum adesse non posset, valetudinis causâ, misit Oratores Georgium ab Eltz, Joannem ab Enscringen Cancellarium, Ottonem Lengenfeld Confluentinum Senatorem, & Henricum Buchelium Jureconsultum. Qui nonnullis de religione conciliatis, cum Alberto Moguntinensi Archiepiscopo accedere detrectarunt; quòd in nullo hactenus fidei articulo universalem Ecclesiam aberrasse jure sentirent. Quâ certè ratione, ab ejusmodi consiliis, reliquis quoque fuerat abstinendum, qui imbecillitate quadam suâ alienæ malè consultum ibant. Stultum enim est hoc tempore disceptari à posteris, an tot seculis, in unâ semper durante Ecclesia, à patribus credita, posteris porrò credenda sint? quæ hæreticorum solet esse quæstio. 1541. Carolus habitis Ratisbonæ comitiis, in Africam expeditionem suscipit. Joannes conciliata in fide rejicit.

Carolus ab his Comitiis (quanquam Turcæ Buda iteratò ac deinde & Pesto potiti, Germaniæ metuendi imminerent.) Africæ tamen rursum petendæ, quam Victorioſus nuper tenuerat, desiderio, in Italiam Siciliamque se transtulit; sed cum instructissimam classem alieno anni tempore mari intulisset, gravissimâ illa, ad hostile litus, tempestate quassatâ, vix incolumem cum paucis Carolo reditum indulsit. Unde cum diutius absentem In felix Caroli expeditio. 1542.

sentem pro mortuo Europa plangeret, Franciscus Galliarum Rex quinque diversis exercitibus pacem abrupit. Unúmque ex his Carolus Francisci Filius Lutzelburgiis repentè infudit, qui Danvillerio, Virtono, Ivodioque Trevirorum in finibus, ac denique ipsomet Lutzelburgo expugnato, ingentem toti regioni vastitatem intulere. Quando & vetus juxta urbem D. Benedicti Monasterium, ab amicis, ne hosti præsidium esset funditus eversum, alio postea, sed impari magnitudine, translatum est. At Carolo Imp. sub hæc reverso, omnia post triennium rursum, præter Ivodium, cessere: Ut hic campus quidam alternantis in Marte Fortunæ, nunquam cladium expers, videretur.

Gallus bello Lutzeburgensibus infestus.

Carolus amissa recipit.

Germani interea, Comitiis Spiræ ac Noribergæ habitis, Ferdinando in Hungaria contra Turcam decernunt auxilia, quæ majori emolumento & laude Cæsari præstanda fuerant: quia ut tenuiora illa, quàm par, ita inutilia ferè & pessundata fuêre. Certè Georgius à Petra, Trevirorum ductor, plerosque suorum, cum magna nobilitatis jactura sub acinacibus Turcarum reliquit.

Ferdinando contra Turcam auxilia parum feliciter à TreV. suppeditantur.

1543.

Alia deinde Treviris ex septentrionali Juliæ regione belli tempestas impendebat, quam Guilielmi Juliæ Principis, post aditum Geldriæ ducatum, animis viribusque aucti, ardor, Galli favore accensus, concitabat.

Bellum Juliæ illatum.

Qui absentia Cæsaris fretus Martinum Rossemium Ducem strenuum Belgio vastando immiserat, ac per hunc nuper Arebergum, fortissimam in Trevirorum finibus arcem Eiflliacam, fraude armisque interceperat, malleolis ac pice valvis portarum disjectis. Inter hæc Cæsar velut è naufragio emergens, cum omnia in Europa misceri bellis videret; quanto potuit milite ingressus Germaniam, ibidemque auctior copiis, Joannem Archiepiscopum Confluentiæ, humanitate singulari, convenit. Unde ad Hermannum Colonienſem transgressus, nutantem in fide, artibus Buceri Apostatæ, sustentare egregiis consiliis, nequicquam conatus, obtinuit tamen ne armis adversantem ferret. Ergo Guilielmum

mum Juliæ Geldriæque Ducem aggressus, expugnato ad 9. cal. Sept. vi Marcoduro, & Ruræmunda deditione acceptâ, ipsum rebus suis desperantem in castris ante Wenlonam supplicem habuit: renuntiantemque Gallis, per Ferdinandi fratris filiam desponsatam, sibi etiam adstrinxit, Rossemio in suam militiam assumpto. Qui egregiam deinde adversus Gallos navavit bello operam.

Juliæ Princeps victus bello supplexque Carolo affinitate jungitur.

1544.

Ad Spirensia subinde itum Comitia, ubi exclusis Galli Oratoribus, contra illum, ut Turcarum auxiliis manifestè nuper Nicæam oppugnantem, ac mare Ligust. cum immani Christianorum captivitate infestantem promissa auxilia. Quibus brevi Cæsar, Lutzelburgensi ditione recepta, Campaniam ingressus, expugnatoque Ligniaco ac Sandesirio Parisios usque terrorem sparsit: donec, collatis exercitibus, ut parceretur humano sanguini Crepiaci pax est instaurata, animusque utriusque Regis orthodoxæ religioni firmandæ, ad Consilii Universalis celebrationem inclinatus. Et potuisset jam tum, minus adhuc firmis Sectariorum rebus, consultò institui; nisi Pontifex suæ inter exteros (ut Basileæ factum) autoritatis metuens, finibus illud Germaniæ (quam ceteri volebant) adstringi noluissent. ac volens denique, ubi Tridentum suos mitteret, Lutheranos detrectantes, reliquos verò Germanorum, ob incumbentem Turcam cunctantes, offendisset. Ut Carolus Imp. diceret: *Concilium videri, Dei esse consilium.*

Cæsar post Spirensia Comitia Gallum victor ad pacem cogit.

Concilii Trid. spes facta; sed dilata.

Dum hæc geruntur Latomus, qui Trevirorum Principi à consiliis erat, Buceri literis ac blandimentis invitatus, ut postquam jam Hermannum à Weda Agrippinatem totum hic impostor possedisset, Joannem quoque per hujus latus ad ruinam peteret.

At sensit dolum Latomus, atque ut mores Cleri potissimum culpabat, in ceteris respondit, superioris anni epistola XII. Julii. *Pessima est mens vestra, plena odii, plena malevolentiæ. Siquid vitii est in Ecclesia, tollatur, per vos, favebimus virtuti vestræ, atque etiam sortes doctosque viros prædicabimus. Quod si ea tentare pergitis,*

Bucerus religioni Trevirorum insidiatur, per Latomum, qui eum refellit.

gitis, quæ pia & utilia judicavit antiquitas, Ecclesia constituit, consensus orbis Christiani per tot secula probavit; videte, ne rem arduam magis, quam speciosam moliamini, indignam vobis, intolerandam omnibus. Num eo usque progrediemini, ut eripiatis uobis Sacramenta salutis? turbetis ordinem Ecclesiæ? disciplinam veterum supplantetis? vos solos faciatis ludices? omnem omnium temporum autoritatem convellatis? Quid enim horum negari potest? Diripuistis Ecclesias, monasteria excidistis, rapuistis bona, expulistis monachos, Virgines polluistis; nunc etiam judicia tollere conamini, ne quidsit in tanta atrocitate, quod metuendum vobis sit, quòd cursum audaciæ vestræ retardare possit. O mores Evangelicos! Hæc ille in ceteris, quæ in aliorum delapsa manus, vulgatáq; hoc anno scriptis utrumq; polemicis commiserunt, in quibus egregia Latomi, cum eloquentia, modestia eminebat, & Bucerianæ cæcitatis commiseratio. Hermannus tamen, ut literarum & eruditionis expers, ita hausti erroris pertinax, adversus Colonienses Trevericosque Doctores, tum etiam plerosque metropolitanæ ædis suæ Canonicos, defensor extitit, atque ad ipsos etiam Andernacenses, qui spirituali Trevirorum jurisdictioni parebant, suæ emissarios seditionis transmisit, quos æquo animo Joannes non sustinuit.

Hermannus Colonienſis Princeps ſimplicitate ſua à Bucero ſeductus.

1545. Wormatiæ Cæsar ad Comitia Tridentini concilii persuadendi, auxiliaque in bellum Turcicum comparandi gratiâ accesserat. paucis Principum, nisi per legatos, comparentibus. Unde cognita Hermanni pertinacia, eum intra diem 30. adesse ad causam dicendam jussit: Paulus etiam Pontifex intra diem 60. Romanam eidem curiam præfixit. Nusquam verò comparenti proscriptio imminebat. Quam hic etiam, cœpto jam Tridenti concilio, intorsit.

Hermannus à Cæſare ac Pontifice fruſtra citatus.

1546. Francofurti igitur collecti Protestantes ut & Tridentinum, Cæsarisque consilia eliderent, bello etiam, quod imminere in contumaces videbant, non imparati occurrerent, comitia comitiis opponebant, armorumq; societa-

societatem, & Colonienſi opem decernunt. Cum verò Moguntinenſes Trevirique medii, multam ad hoc bellum momenti allaturi viderentur, Palatinus, jam & ipſe in caſum inclinatus. Weſaliæ ad Rhenum ſuperiorem cum utriusque Electoris legatis egit, ut hi deſerti collegæ patrocinium apud Cæſarem ſuſciperent, Brandeburgico jam ad hoc ipſum prono. Sed his ſalutis potior, quàm iniquiſſimæ cauſæ cura fuit. Bucerus tamen ſiquid rationum ſuæ novitatis haberet, Ratisbonæ in colloquio, fide data, expromere juſſus, à Malvenda Hiſpanæ nationis Theologo, ad extremæ abſurditatis doctrinam, de nullo, niſi infidelitatis, peccato, adactus, cum ſociis, priusquam Cæſar adveniſſet, dilapſus eſt. Quod ſanè perquam moleſtè Carolus tulit: qui maluiſſet pace, quàm armis controverſiarum exitum reperiri.

Francofurti conjurant in arma Proteſtantes, Trevirenſem fruſtra ſolicitant.

Bucerus convictus.

At Lutherus harum perturbationum anteſignanus, poſtquam ſuos certâ ſpe facta Victoriæ ad bellum inflāmaſſet, infelicem animam, poſt lautiorem Islebii cœnam, noctu 18. Februarii exhalavit, deteſtabilis in omni poſteritatis memoria hæreſiarchæ apud bonos nomine recenſendus.

Lutherus jam ſuis ad bellum accenſis moritur.

Proteſtantes verò Cæſari in Germaniam adventanti, & necdum ad bellum ſatis inſtructo, priſco more Epiſtolaad amentum teli alligatâ hoſtilitatem denuntiant, facilè imparatum Ratisbonæ oppreſſuri, ſi ſua illi magis fortuna uti, Cæſar minus caſum declinare noviſſet. Qui arte ſibi, ubi vi nondum poſſet agendum ratus, publicatis literis, non religionem ſe, verùm imperii jura tueri profeſſus eſt, Colonienſem quoque, ut Septemvirum ſcripto veneratus, monuit; ne hoſtibus milite, aut commeatu adſiſteret; ſed fide ſibi datâ hæreret. Quâ re multorũ arma continuit: tum verò munitis ſeſe caſtris protexit, donec ex Italia Belgioque miles affluxiſſet. Mox in apertum progreſſus, univerſam brevi Sueviam, Urbeſque præcipuas Ulmam, Auguſtam, Argentoratum, Francofurtum in poteſtate habuit. Hinc imminente jam brumâ dilapſis hoſtium copiis, & ſuos ipſe in hiberna diviſit.

Lutherani imparato Cæſari bellum inferunt, attamen vincendi.

Appe-

1547. Joanni ab Hagen Archiepiscopo succedit Joannes ab Isenburg.

Appetente jam Vere anni sequentis Ioannes Trev. Archiepiscopus lento exhaustus morbo, in Ehrenbreitsteiniana Confluentium arce, 23. Martii fatis concessit; probi constantisq; in fide Pastoris munere perfunctus. Trevirim cadaver subvectum dextráque templi parte cum hac epigraphe collocatum est: *Ioanni Ludovico ab Hagen Archiep. Trev. Principi Electori, qui per septem annos in magna rerum Germanicarum perturbatione, per hæreticos Lutheranos excitata, Ecclesiæ Trevir. fœliciter præfuit. Ioannes ex Comitibus ab Isenburg Successor posuit.* Montis Regalis Satrapia, Cunone Virneburgico Comite, postremo illius stirpis defuncto, clientelæ jure, cum arce Eceleſiæ Trev. sub Joanne Ludovico, accessit: ut *decessio unius accessio alterius est.*

Locum illius Joannes ejus nominis V. ex illustri Isenburgicorum Comitum familia 20. die Aprilis in aræ sublatus, tenere cœpit, ex Archidiacono ejusdem Ecclesiæ Archiepiscopus. Inter quæ Cæsar Wirtenburgico Duce, ex federatis in fidem recepto, Fridericum Saxonem belli & hæreticorum caput petendum censuit. Is rerum suarum domi militiæque satagens, non tantùm à Ferdinando sibi erepta, sed etiam quæ Mauritii patruelis, à Cæsare stantis erant, per hiemem receperat. Hunc igitur trans Albim hærentem, reperto, præter Saxonum exspectationem, vado, solo equitatu aggressus, post aliquot horarum prælium conjecit in fugam, quam in multis gladius, in aliis captivitas intercepit. Dux eorum Joannes Fridericus vivus in Cæsaris potestatem constitutus, bello finem imposuit. Philippus Hassiæ Landgravius exemplo territus, cum ultro se stitisset supplicem Carolo, in vinculis tamen manere coactus est: quod has *in catenis feras facilius domari posse* crederet.

Carolus Victor Friderici eum prælio captum, & Hassum se dedentem captivos attinet.

Subinde Hermanno Colonienſi nuntiatum, ut vel hæresi vel principatu abiret. Qui eo væsaniæ delapsus est, ut, cum principatus & salutis jacturâ, hoc mallet, Adolphoque Schauenburgico Adjutori cederet.

Hermannus Colonienſis stulte Archiepiscopatu & fide decedit. 1548.

Indicta sub anni finem Augustam comitia, quæ frequent;

quenti Principum numero, ac mole negotiorum, in sequentem annum protracta fuêre. ubi Mauritius Septemvirali dignitate Friderico suffectus est, & Adolphus Colonienſis Hermanno subſtitutus, Joanne Septemvirali in cultu his actibus præsente. Tridentini adhæc Concilii autoritas omnibus Catholicis facilè persuasa. ex Acatholicis Mauritius etiam, Brandenburgicus, & Landgravius adstipulati sunt, juratíque 24. Febr. fidem addixere. *At fidem Deo negantibus, humana plerumque vilis est.*

Augustanis Comitiis de Concilio & Septemviris duobus constitutum.

Porrò Carolus cum vidisset Tridentini plerosque Concilii Patres aliquot sessionibus habitis, se ac Pontifice inconsulto, belli pestisque obtentu, Bononiam decessisse, Hispanis aliisque Carolo addictis (quod invitum hunc scirent) consistentibus, ideóque dissipatum concilium ægrè promoveri; Episcopis Germaniæ autor fuit, ut reformandæ in Ecclesia disciplinæ, clerique dissoluti moribus, unde præcipuus religionis Catholicæ manaret contemptus, ad pristinas leges revocandis, darent operam. Quocirca reversus ad suos Joannes, non nescius quàm consultò hæc sanctéque Imperator urgeret, suas huc cogitationes ac studia non otiosè contulit.

Carolus ob dilatum concilium Episcopos orthodoxos suas reformare Ecclesias jubet.

Quæ dum apud Synodum administrantur Joannes Cellensis, percelebris Maximiani Cœnobii religiosissimus Abbas, moriens Joanni Archiepiscopo, quem raro exemplo Adjutorem sumpserat, locum Abbatis, titulo Commendatarii, fecit: ut ex ipso Cellensis in Ecclesia monumento posteritati notum est, quod hac inscriptione signatur. *D. Ioanni à Cellis Abbati, reparatori hujus Monasterii, qui per annos 23. Monachorum gregi sibi commisso feliciter præfuit, atque illius commodis, quieti & fortunis vigilantissimè prospexit. Ioannes ex Comitibus ab Isenburg Arch. Trev. & prius Coadjutor, deinde Commendatarius, & successor posuit. Vixit annis 74. Obiit 1548. XI. Iulii.*

Joannes Archiepiscopus Maximinio Abbatis Successor ei monumentum statuit.

Confirmaverat vetera Monasterii privilegia Paulus III. Pontif. per Hieronymum Verallum Rossanensem Archiepiscopum legatum suum diplomate Anni 1545. pridie

pridie iduum Martii. quæ se tueri aptius, quam forti & propinqua Isenburgici manu, Cellensis posse non credidit: quanquam *gladius qui pro defensione datur, etiam possit offendere.* Christophorus tamen Rinecus Carthusiæ Prior, ac Provinciæ visitator doctrinâ atque integritate notus, in præfatione ad Berengosum de Cruce, Archiepiscopum egregiè commodis Monasterii invigilantem, ejus excitantem ruinas, mensæque Abbatialis impensas moderantem, tum pauperum ærumnis levandis intentum, præclarâ Administratoris imagine depingit. ne, ut assolet, hoc munus suo magis, quàm aliorum emolumento captasse videretur. Alias verò in eodem virtutes exhibet Principe tali dignissimas. ut, (quæ illius verba sunt) *Religiosam in restaurando ubiq; divino cultu sedulitatem, incredibilem tum modestiam, tum comitatem, affabilitatemque, quâ ultro etiam afflictis & supplicantibus obviam iret. In obeundis quamlibet arduis negotiis dexteritatem, tum vitæ continentiam, temperantiamque libidinum, quâ virtute sic excellat, ut ne sinistram quidem ejus vitii unquam de se præbuerit suspicionem.* Quæ licet magis, ut encomiastes, quàm historicus referat, nihil tamen in veritatem peccare est visus. Ostendit hoc ipsum eximio Joannes exemplo, dum cõvocatâ Trevirim Cleri ad VI. cal. Decembris frequentiâ, ad formandos totâ diœcesi Ecclesiasticorum mores, post Nicolai Suffraganei, Ambrosiique Pelargi, ac denique & suam, de necessaria morum emendatione orationem; ut ex quarum corruptione illa hæresum pestis extitisset: ipse semet Archiepiscopus ante omnes suis subditis corrigendum obtulerit, liberáque enuntiare jusserit voce: num quid ab ipso crudelius & avarius imperatum? num quid ab æquitate alienum? num quid in Dei cultu, aut publica salute neglectum? Hæc aliaque siquæ nossent vitia capitis, illa detegerent; ut qui medicus aliorum futurus sit, suis ante morbis curetur. Quam sanè libertatem, nisi rectè factorum conscientiâ fretus, toti nunquam concilio detulisset. Et verò pronuntiatum

Laus Archiepiscopi.

Provincialis Trevir. Synodus raræ demissionis exemplis celebrata.

diserte

discrètè ab omnibus. iis principem rectæ administrationis institisse auspiciis, quibus illum optent nunquam decedere. Inferior tamen diœcesana classis questa est, se præreliquis nimium hactenus tributis gravari, rogare igitur in his levamentum commune aliquod, & majorem impositi oneris æqualitatem. Quæ cum se curaturum sedulò Archiepiscopus benignè annuisset; Suffraganeus Nicolaus Schinem sui Principis exemplum secutus, & suos sibi errores detegi submissè oravit. Qui, ut sub tribus jam Archiepiscopis suo egregiè munere functus, laudem omnium merebatur; ita objici tantum auditum est, quod sacros nonnunquam ordines extra consuetum tempus conferre visus sit. Verùm ubi ad Abbates & ceteros deinde ventum est, graviores quorundam morbi detecti fuêre, calamisque Scribarum excepti, tenuitq; hæc morum censura triduum integrum, quo Archiepiscopus præsedit, fidemque ab omnibus emendationis promissam excepit. Decem verò diebus in hac similique ad Synodum præparatione consumptis, Dominica misericordiæ sequentis anni Provinciali Synodo præfixa est, in qua & Suffraganeis Lotharingiæ Episcopis comparendum fuit.

Nicolai Schinem suffraganei virtus.

Censura in delinquentes.

1549.

Venêre eo tempore Trevirim Toussanus Hocedius Leucorum Tullensis Episcopus, & Legati Joannis Lotharingiæ Cardinalis Administratoris Sedis Metensis, ac Nicolai Episcopi Virdunensis, quibuscum de summa doctrinæ Christianæ, & officio hominum Ecclesiasticorum accuratè tractatum est, salutique communi omnium consultum, iis, quæ etiamnum, si non omnino in moribus, certè in tabulis extant, sanctissimis legum Synodalium decretis ac monumentis. Esset que operæ pretium hæc quandoque publica sanctione usque ad executionem perurgeri.

Suffraganei ex Lotharingia Episcopi advocati, legesque constitutæ.

Subinde Philippum Regem Catholicum, ex Hispania Liguriaque per Italiam Germaniaque Belgium paternæ hereditatis capessendæ gratia adeuntem, Joannes Saraponti perquam honorificè excepit, atque hinc ad Lutzelburgios transeuntem deduxit.

Philippus Rex Hispan. à Joanne exceptus.

Nec

1550. Nec multò post intellectum Julium III. Pontificem datum Paulo III. successorem Tridentino concilio restituendo, cum Cæsare id impensè cupiente, dare operam. Unde ad Augustana primum evocatus comitia, post-

Joannes Archiep. ad Trident. Concilium profectus.

quam comparendum istic omnibus decretum esset, anno sequenti, cum Sebastiano Moguntinensi Archiepiscopo, magnâ instructus optimorum librorum supellectile, ne otiosus rerum fidei scrutator adesset, Tridentum se recepit, incredibili Patrum gratulatione exceptus, cal. Septembribus suum inter Electores, proximè à legatis Pontificiis ad dexteram sedentes, locum est sortitus. Cujus sessione Synodi XI memoria celebratur. At lætum quem sperabant Synodi successum Mauritii Saxonis Electoris repentina in Cæsarem perfidia rebellioque intervertit.

Mauritius Elector Cæsari perjurus bellum movet, ac Synodum evertit.

Ille enim cum eversam Synodum, ad quam se obstrinxerat, cuperet, Philippi Hassorum Principis liberandi obtentu, quod hunc præter fas à Cæsare in vinculis detentum affirmaret, cum Alberto Marchione Brandeburgico, aliisque Protestantium, Gallico illigatus fœdere proprium Cæsaris militem, quem Magdeburgo expugnando adhibuerat, astu sibi, ut ex hæreticis ferè constabat, vendicatum, in expugnandum Cæsarem, conciliumque disjiciendum vertit. Quas proditoris machinas cum plerique observarent, præter Cæsarem, qui in clientem tot à se beneficiis cumulatum hæc cadere non posse existimaret. Joannes cum Sebastiano, ad sua se tutanda, quamvis obnixo Cæsare, recepêre. Et vix ad illa redierant; cum, vernâ jam aurâ favente, Mauritius arma Augustæ Vindelicorum admovit, facilemque illic viciniisque in urbibus, jam hæresum tabe corruptis, nactus aditum, Carolum Oenoponti (ut Tridento propius abesset) pœnè incogitantem oppressit, cœnâ, quæ Cæsari ante fugam strata erat, ibidem receptus. Pari Rex Galliæ facilitate imparem hostibus Lotharingiam tenuit, Tullo Virdunoque rei frumentariæ specie admissus, Metasque velut pro transitu apertas nactus, triplicè

1552. Archiepiscopi Tredento ad sua defendenda redeunt.

Gallus tres in Lotharingia Episcopatus, Trevito-

Epi-

Episcopatum Trevirensium, citra sanguinem, tenuit. Indéque in Alsatiam transfusus Argentoratum frustra iisdem tentavit artibus; sed alieno jam periculo cautum. Quare cum Germani Principes, atque in his Joannes Wormatiæ collecti orarent Franciscum, ne immerentes bello premeret, jamque Martinus Rossemius, Cæsaris in Belgio miles, in Campaniam magnis sese cladibus intulisset, Rex ex necessitate simulaturus virtutem, ad sua se tuenda recepit. Ex itinere tamen per Lutzelburgios ducens Astenæum, Danvillerium, Montmedium, Bullionem aliáque quædam oppida, vasto per diversa fuso exercitu, occupavit. Petrum etiam Mansfeldium Ivodii, à propriis destitutum præsidiariis, cum urbe, captivum duxit.

rum suffraganeos, occupat.

Belgæ Galliam, Gallus Belgas invadit.

Brandeburgicus hunc, ut Gallo militabat, in Nemetes, Vangiones, Moguntinenses Treviroſque consecutus, quantum Ecclesiis eorúmque bonis ac sacris damnorum, ut gravissimus illorum hostis intulerit, haud facilè explicabis. Intellexerat is Mauritium jam Passavii cum Cæsare, Ferdinando potissimùm revocante, conciliatum esse, fidemque rursum, liberato Philippo, ac dissipato concilio, dedisse iis legibus, quibus sibi suisque consortibus libertatem pepigerat. Quæ res Albertonon ad quietem, sed majus odium furoremque in orthodoxos expromendum occasio fuit, nequid ipsis deinde integrum inviolatúmque superesset, adeò inhumana religionis evertendæ cupido consilia suggerebat. Ex vastata igitur Moguntinensium diœcesi Trevericam ingressus, cùm Ehrenbreitsteinianam sibi arcem dedi à Joanne arroganter postulasset, & Archiepiscopus eâ sibi possessione nunc opus esse respondisset, in Treviros copias, indignatione plenus, movit, formidansque ne resistendo moras, ad Cælaris bellum instaurantis adventum, traherent, sedemque aliquam rapinarum suarum requirens, cum iisdem liberum in urbem, sed innoxium accessum pactus est, custodiis eo fine per urbem distributis, Qua re offenso Cæsari responsum à civibus fuit,

Brandeburgicus Mauritio conciliato, bellum Episcopatibus diversis etiam Trevirensi infert.

Hispanis Urbis Trev.

Geor-

propugnationem desperantibus, hostis Brandeburgicus ex pacto admittitur.

Georgium Holium & Comitem Egmondanum, cum tredecim peditum vexillis subsidio è Belgica missos desperasse, urbem tam vastam suis præsidiis se adversus tam potentem & furiosum hostem tueri posse; adeóque hoc pacto, securitati consulendum fuisse, ipsoque hoc etiam Archiepiscopo, per Philippi Rheni Comitem, intercessore factum. Rex tamen Galliarum, ut suo urbs nomine possideretur, novem cohortium legionem submisit. Hic igitur, statione fixâ, Brandeburgicus ad vicina sese loca, sub jugum tributumque mittenda, effudit, Machera oppidum, Mosellæ ripis impositum, facilè expugnatum: Epternacum quoque captum, sex aureorum millia tributum pendit. Palatiolum infra & Saræburgū supra Treviros, firma munitis arcibus loca, subjectis flammis eversa, & ad illam, quæ hodiedum visitur ruderum vastitatem redacta, spoliis undiq; in unam Trevirorum urbem congestis; quam denique exhaustam iisdem flammis destinasse fertur: nisi, oblato demum ære, Archiepiscopus redemisset urbem diœcesimque, quam, instante jam à tergo Cæsareo milite vel invitus cedere cogebatur. Suburbana tamen D. Paulini & Maximini Monasteria, subjectis jam ante facibus, consumpserat, non passus tam nobiles Sanctorum hominum martyrumque sedes inviolatas consistere: ne cum solis viventibus bellum suscepisse videretur. Postquam Brandeburgicus in Lotharingiam ad Gallos abiisset, Burgundus rursum à Lutzelburgiis miles adfuit, vindicaturus, ut putabat, hostis admissi injurias; sed objectis portis scloporumque etiam majorum impetu ab urbe rejectus, Principisque miles evocatus, receptusque pro defensione est. Verùm tamen impediri deinde non potuit, quin Cæsar obsessurus Metas, Cæsareum per totam diœcesin præsidium, frumentandi causâ, divideret: graviusque cum eâdem urbe, ob receptos adversarios, expostulatum suos mitteret. At dolore Cæsaris maximo factum, ut Metæ à Francisco Guisio Duce fortissimè propugnatæ, & hiemis incumbentis violentiâ, inutilē ejus obsidio-

Palatiolum & Saræburgum destructum.

S. Paulini & Maximini sedes inflammatæ:

Metas Cæsar magna sui exercitus clade frustra aggreditur.

obsidionem, magnâ exercitus ampliſſimi (quem & ipſe Brandeburgicus, à Gallis ob negata ſtipendia diviſus, auxerat) jacturâ redderet; ut plerique Carolum ad Metas ſuæ reperiſſe fortunæ metas, non inani prorſus verborum luſu, dictitarent.

Quare dimiſſo ad hiberna nondum enecto milite, morbis tamen frigore atque inedia debilitato, nec Treviri hunc declinare potuerunt. Tecto igitur hoſpitioque exceptæ legiones geminæ, Arenbergii & Eberſteinii Comitum, præter ſexcentos alios ægrè animam trahentes, in D. Martini & Dominicanorum cœnobia exceptos, ut animabus non minus, quàm corporibus curarentur. Sed mirum eſt, quantùm hi milites ob dilata ſtipendia tumultuum cierent. neque menſtruo, quod numeratum, tributo contenti, Duces ſuos internecioni, urbem ſpoliis deſtinabant: & ut vires ad hanc rem ſufficerent, ſuburbanas ſibi adjungere copias moliebantur. Quod, ne fieret, ſtatione civium ad portas firmatâ proviſum eſt. naves tamen Lutzelburgenſium plenas mercibus in portu hærentes vi occupatas expilârunt: tum & Eberſteinium Comitem in vincula compegerunt. Qui ut, poſt indigniſſimas contumelias, glacios ſuorum effugeret, coactus eſt omne ſtipendium exſolvere, ac deinde juramento omnibus injuriarum obluvionem polliceri, laudabili Chriſtianorum virtute, niſi extorta ab invito fuiſſet. Dimiſſa tamen rebellis ab urbe legio, & Naſſovia in vicem advocata. Sed his, ut impaſtis bobus ad pinguiora admiſſis paſcua, difficile fuit majorem moderationem perſuadere. unde ad vicina effuſi monaſteria, prædæ, non religionis, quam plerique ejurârant, gratiâ, ſua in ſpoliis ſtipendia, lautiori etiam proventu, collegerant, Exautorati denique, mutato Cæſaris juſſu imperio, plerique ſub vexillis in cuſtodia urbis perſtitêre, ignavæ militiæ nomen ſecuti. Ita Treviri ab amico juxta ac hoſte afflicti, opem plurium, quàm deſiderabant experti ſunt, ut quâ ſe ad inopiam redigendos ſentirent.

1553.

Cæſareæ legiones Treviris receptæ tumultuantur.

Joannes inter Juliacum & Colonien-sem sequestr.

1554.

1555.

Apoplexia tangitur.

Joannes à Petra

Medio tempore Joannes Archiepiscopus ortas inter Juliæ & Ubiorum principem controversias, sequestr. cum Palatino Baccharaci composuit. Unde domum reversus, molesto sensim morbi genere, apoplecticóque membrorum, linguæque officio ita captus hæsit; ut deinceps nil nisi gestu nutibusque exprimeret, serena tamen inter hæc fronte, erectique animi solertiâ, & audiendis doctorum religiosorumque hominum, nunc de politicis, nunc de rebus sacris dissertationibus intentus, moderabatur remp. Seque etiam Sacramentis Ecclesiæ percipiendis, expiatione peccatorum, per nutus ad recitatas à Sacerdote noxas expositorum, præviâ aptabat. Joannem tamen à Petra, (vernaculè von der Leyen) ex metropolitano Clero, regendi prudentia ac virtutis æstimatione florentem, datum sibi Adjutorem, lubens volensque, summo Pontifice laudante, assumpsit, non sine felici omine; ne jactanda per hæreticos Ecclesia, suâ destitueretur, cui insisteret, petrâ. Quo tempore Julius Pontifex vitæ ac regiminis finem, & Marcellus post eundem electus, intra mensem reperit, succedente Paulo IV.

1556.

Mors aliquot Septemvirorum, & Joannis.

Sequentis verò anni decursus tribus etiam Septemviris fatalis ad Rhenum fuit, Friderico II. Palatino, Adolpho Colonienſi, & ante hunc Joanni Trevirensi Monthaborana in arce XII. cal. Mart. defuncto & Confluentina in æde B. Florini cum hac inscriptione sepulto *Reverendissimo in Christo Patri ac Dno D. Ioanni, ex generosa familia DD. ad Isenburg & Grensaun. Qui ad hujus S. Trev. Ecclesiæ gubernacula unanimi Capituli consensu adhibitus, cum Ecclesiam remque publ. inter gravissimos imperii motus, insigni pietate, & animi constantia administrasset, multisque pro Christi gloria, & Ecclesiæ suæ salute laboribus susceptis & itineribus confectis, in Concilio Trid. in adversam valetudinem incidisset, & paucis post diebus patientissimè tolerato morbo, ex hac vita in æternam requiem decessisset, Ioannes Archiepiscopus Successor ex nobili stirpe von der Leyen, pietatis & virtutis cultor, defuncto Principi posuit. Electus fuit in Archi-*

piscopum

piscopum anno Domini MDXLVII. mense Aprili die XX. Obiit anno MDLVI. mense Febr. die XVIII. in arce Montburensi, suæ ætatis XLIX. Nec longior inde vita Nicolao Schinem suffraganeo, qui plenus ævi ac venerationis suum Principem secutus in basilica D. V. sepulturam adeptus est.

Nicolai Suffraganei laudabilis vita & mors.

Comitiis deinde capitularibus Joannes à Petra Archiepiscopatum tenuit, cujus auspicatas rectè vices jam ante capessiverat. Primáque ipsius cura de submovendo ab urbe Cæsaris milite fuit. Quæ illi gratia per Christophorum Kegelium & Paulum Persæum Caroli legatos facta. Qui Treviris Joanni Cunoni à Metzenhausen summæ ædis Canonico aliisque nomine Electoris præsentibus, claves urbis per Georgium Gumpelberg militiæ tribunum exhibuêre, ut per illius manus ad Senatum urbis, cum debita obligatione redirent, quod & præstita civium ex jure veteri cautione, à Principe effectum est.

Joannes VI. à Petra Archiep. creatur, & urbem Cæsareo milite liberat.

Meditabatur eo tempore præclarum vixque auditum facinus Imperator Carolus, cum se ex potentissimo monarcha in solitarium Hispaniarum angulum, abditurus, imperium Europæ, totque possessiones regnorum in Philippum transferre filium, unâ donatione conatur. Atcollecti Moguntiæ Septemviri insolentiam facti minus probare; aut certè præ Ferdinando, Rege Germanorum jam creato, alium visi sunt nolle agnoscere.

Carolus regno in Philippum Fil. imperio in Ferdinandum Fr. translato solitudinem his præfert.

Unde Carolus Belgii quidem Hispaniæque, & regnorum ditionumque annexarum dominium stupente mundo, in Philippum transtulit, ac subinde imperii Rom. insignia Ferdinando Fratri, ex Electorum arbitrio tradenda, per Guilielmum Nassovium Legatum submisit, Pontifice hanc resignationem improbante, quæ se inconsulto, (cujus esset coronas Imperiales & dare, & recipere) facta esset. Convenêre tamen Francofurti demum Electores, quorundam ex suo ordine funeribus tardati anno 1558. mense Februario, ac Ferdinando imperium fidemq; solenni juramento reciprocam addixere. Unde vix reversus ad suos Joannes, turbatum bello

1557.

1558.

Bellum Gallobelgicum, & pax Cameracensis secuta.

Gallico Belgium, & Lutzelburgios, in Archidiœcesi Trevirica, haud levi clade reperit. Nam expugnato Guisius Caleto, ex Belgica repentè se intulit, vastatisque latè agris, Theodonisvillam supra Treviros agressus, minus illam à milite instructam expugnavit. Lutzelburgo deinde obsidione presso, & quædam ad colligendas vires mora, & gravis Francorum ad Gravelingam ab Egmondano accepta clades, ac denique insequenti anno memorabilis illa inter Henricum Gall. & Philippum Hisp. Regum Cameracensis pax, quâ omnia inter octennium occupata ad priores reducta possessores sunt, saluti fuit.

1559.

Carolo in Eremo defuncto Augustam vocata Comitia, ubi cum ceteris Protestantibus Fridericus Palatinus Calvinizatus, urget abolitionem articuli Passavienſis, de Episcoporum bonis.

Interea Caroli Imperatoris, sua in eremo, sexto die Septembris anni 58. decedentis, mors Germanis nuntiata, eosdem ad Comitia Augustam pro rebus imperii constituendis frequenti procerum numero excivit. Quando Ottoni Henrico Palatino Electori, illius stirpis nuper fecundissimæ ultimo, de Simerana familia, ex decimo cognationis gradu, successit Fridericus ejus nominis III. Calviniani dogmatis, quod ex Gallia hauserat, sectator, licet majoribus hactenus natus Catholicis. Ita infelix hæc regio paucis annis ab Apostolico Majorum instituto ad Lutheranismum, atque, eodem mox damnato, ad Calvinismum, insanâ hæresum vertigine, circumacta est: cùm nepotes, suis videlicet sapientiores Patribus, eos à quibus fidem acceperunt, audent corrigere, & discipuli suos erudire Magistros. Hic igitur reliquis Acatholicorũ suffragiis accessit, quibus illud constanter actum, ut articulus Passavicæ & Augustanæ pacis qui deficientes à religione Episcopos & Sacrorum Antistites bonis cedere jubebat, tolleretur. Quod decretum tamen, cum Archiepiscopi reliquique Præsules tuerentur, licet in sui gratiam, ac majorem trnaseundi libertatem conceptũ dolosè mutationis consilium esset, stetit inconcussum. Joanne Trevirorum Antistite in his aliisq; sententiis dicendis confirmandisque tam fortem utilemq; Ecclesiæ Rom. & imperio operam navante, ut bono-

Joannes cum laude sapientiæ resistit.

bonorum illæ voces essent, *beatum fore, & illustrem imperii statum, si plures tantâ sapientiâ in eo lucerent, ac ceteri Principes pedem in istius vestigiis ponerent.*

Urbs Trevirorum ab hæresi occupatur.

At dum foris Princeps insidias hæreticorum vitat, domi iisdem circumventus, parum abfuit, quin urbe Trevirorum excideret. Unius id factum impostoris Gasparis Oleviani artibus. Is honesta Trevirorum domo Quæstoris natus, in Galliam atque hinc Genevam effusus, juris discendi gratiâ Calvinianam istic luem hausit, transtulitque in patriam uno pestis impetu pœnè ad interitum correptam. Redux illo rem artificio auspicatus est. Dialecticæ juventuti tradendæ primò se Magistrum in Academia obtulit. Hanc deinde professionem ingressus, ubi syllogizandi rationem traderet, cœpit illa miscere argumenta, quæ Catholicæ majorum disciplinæ adversarentur, idque cum Augustanæ Confessionis commendatione, cujus jam in urbe quosdam studio, inprimisque alterum Consulum Joannem Steussium, noverat occupari. Unde mox, fautores impulsoresque nactus, affixâ publicè schedâ, ad concionem Academicam Festo D. Laurentii multitudinem invitat. Perfrequens illa novitatis amore affluxit; sive, ut confutaret, sive ut sequeretur. Et verò factum, ut cum Ecclesiæ Sacramenta cæremoniasque ac Sanctorum invocationem perstrinxisset, alter Consulum Laurentius Orbem antiquæ fidei propugnator, re deinde ad Senatum delatâ, potiorum sententiis accersitum Olevianum concione omni interdixerit. Quod Collega Steussius cum fratre, Ottone Seel, & Petro Sirckio Jureconsulto, suâ intercessione turbavit, obtinuítque, ut ex tribuum suffragiis res ageretur. Quòd cum quartâ, ab assumpta Virgine, feriâ actum, Lanifici Sartoresque pro Oleviano; Institores verò ac Doliarii contra stetêre. Artifices medii, Latinum illi in Gymnade sermonem indulgendum, vernaculum censuêre vetandum. At Steussius cum suis, licet Catholicorum vicisset in senatu sententia, quâ & Gymnasium illi occlusum, & concio vetita, perrupit tamen,

Olevianus seductor à juventutis instructione orsus hæresin.

In Gymnasio publicè altero Consulum favente, contra fidem Romanam declamat.

men; & pro Academia Hospitalem illi domum S. Jacobi aperuit, ac propalam ad populum dicentem produxit; Catholicis, ut plerumque ex Christianæ mansuetudinis indole fit, timidè propugnantibus; contráque aliis audaciâ & amentiâ, ut rebellium habet ingenium, magis animosis. Et certè nulla stultior inter Treviros disceptatio, neque illa urbe indignior suscipi poterat; quàm de religione ab ipsis Apostolorum discipulis tradita, nullâque unquam mutatione, aut hæresi, (quæ est hujus gentis gloria singularis, veterumque monumentis testatissima) interrupta: standumne in illa, an permanendum? profani Senatus, imò Lanificorum Sartorumque deliberatione agitari.

Ad Hospitale templum S. Jacobi producitur, partelicet Senatus & tribunum reclamante.

Ut prudens honoratusque Senator Leonardus Nusbaum, libello ad curiam misso, liberà voce professus sit, non interfuturum se tam indignæ de prisca in Deum fide commutanda quæsitioni; cum decretum sibi sit, nec ungue lato à Majorum institutis discedere, supra quos sapere, extraque illorum fundatissimam fidem salutem exspectare, vesanum atque impium videatur. Archiepiscopus ubi hæc accepisset, rediturus, in via præmisit ad Urbem legatos, qui & de tumultu sedando, & rebellibus investigandis laborarent; sed dum hæc agerentur, vocatusque in Senatum Olevianus, & cujus autoritate hæc ageret? rogatus, protervè Dei honorem vocationemque obtenderet, factiosi ad arma conclamant, publicáque in domo Augustanæ Confessionis formulam amplexuros se defensoresque conjurant, Senatu ad hæc, vel torpore, vel metu hærente. Ergo per alios Princeps legatos, numero ac dignitate graviores, Philippum Winneburgium, genere atque eruditione præcellentem, Georgium ab Esch, Cunonem Metzenhausen, Philippum ab Homburg, Philippum à Nassau, Nicolaum ab Enschringen, & Christophorum Humphæum, Magistratum urbis vocatum officii commonuit, & seditionibus Augustano nuper conventu severè vetitis, ussit occurrere, suam quoque ad hanc opem pollicitus. Rursum

Heroica unius sententia.

Conjurant in Confessionem Augustanam.

sum igitur indictus ad audiendas de religionis consilio sententias, compertum, ex tredecim civium Tribubus Lanificos, Fabros, Sartores, Cerdones partemque Sutorum Augustanæ Confessioni jurasse, reliquas Tribus resistere, Nauticàmque inprimis & Doliariam constantissimè. Accessêre deinde VI. Septembris, jussu Principis, ceteris Legatorum Jacobus ab Eltz ædis Metropolitanæ Decanus, Bartholomæus à Petra Scholasticus, Balthasar à Staffel, Henricus Buchelius, Theodoricus Fladius, & Jacobus Hensélius Jureconsulti, qui jussu edictoque Principis, in frequentissimo senatu, apprehendi, carceribusque tradi Olevianum postulabant. Hic verò in Senatum evocatus negabat ad carcerem se iturum; sed adstipulatus satisdedit, ad dicendam causam audiendamque sententiam, si juberent præsto se futurum. Cumque Magistratus censeret, fidejussione illius abundè cautum, legati quoque acquievêre.

Olevianus ad causam dicendam se obligat.

At ubi, propinquante jam Principe, rebelles judicio se sistendos animadverterent, missi ad Fridericum Palatinum Ducesque Bipontinos pro auxilio legati, quos hac opportunitate gavisos non solum ad præstandam opem habuêre promptos; sed etiam Conmannum Fluisbachium Superintendentem (quales pro Episcopis obtrudunt) ad alendum hoc incendium submisêre. Qui solius Zaligeri Consiliarii Friderici literis fretus, non veritus est novæ religionis buccinatorem agere. Inter hæc Antistes appropinquare V. cal. Octobris nuntiatur. Quando Joannes Steussius in Senatum progressus, ut Catholicos unà cum Protestantibus suis partibus addiceret, ostendere conatus est, *non tam de religione, quàm urbis libertate actum esse, si Principem urbe excipiant Venire illum magnis equitum peditumq; stipatum copiis, ut, quod diu cogitatum, pristinam civibus potestatem eripiat suumque adjugum arbitriumq; in omnibus cogat. Vim igitur injuriamque omnibus fortiter propulsandam, aut turpiter, quod nolint, serviendum. Agerent proinde, ac seposita religionis cura, libertatem pristinam tuerentur.*

Palatinus & Bipontinus opem urbi offerunt & Verbi Præconem submittunt.

Joannem alter Consulum urbe excludere conatur.

Quâ oratione cum suspensos spem inter metúmq; civium animos teneret, placuit per Oratores Archiepiscopi mentem explorare. Quibus ita satisfecit Princeps, ut cum dixissent; *non pristina solum jura urbis abisse intactum, sed & auctum iri: Augustana etiam Confessionis homines eo, quo imperii decreta statuissent, loco fore;* Catholicis quidem satisfactum, sed heterodoxis non fuerit. Unde Steussius, cum accedenti Principi obvius sciscitatus esset de juribus & religione; objectóque portarum repagulo, idem accepisset responsum, dexteram sibi fidei dari postulavit; sed Verbis Princeps, recusatâ manu, fidem addixit, ac solutis repagulis, admissus est. Verùm recepto in Palatium Archiepiscopo, seditiosi catenis ad claudendum exitum plateas intercepere, qui centum & LXX. tantùm equitum præsidio urbem subierat. Quin & armati sese foras efferebant, ut à parte Catholicorum, etiamnum potiore, decretum fuerit: *ne quis civium arma sub capitis discrimine circumferret.* Postquam tamen Princeps tempore quo rebelles in Hospitali S. Jacobi concionem sub Oleviano adituri essent, Petrum Faë, Curionem quondam Boppardiensem, singularis, & eruditionis, & Zeli virum immisisset cathedræ, vix ab eo manus insolens vulgus abstinuit; sed concitatis clamoribus campanique æris sono, velut ad incendium publicum, urbem commoverunt. Tum verò Princeps, Senatui injuriam frustra questus, militem urbi adversus seditiosos tuendæ obtulit; sed veriti, ne hoc admisso libertatem amitterent, licet Catholici suum offerrent Antistiti præsidium, huic tamen parum fisus, urbe decessit, præsertim cum intelligeret rebelles pro subsidio vicinos Acatholicorum Principes compellasse. Egressus, fluminis usum infra supraque urbem intercepit, navigia occupavit, venas urbani fontis intercidit, commeatumque omnem sustulit. Unde orthodoxi rebellibus indignati cœtu coacto, ubi se potiores deprehenderunt, armamentario clavibusque portarum occupatis, dominari ceteris, & ad obsequium primò, deinde & custo-

Admissus urbe Princeps cum se parum tutum intra muros videret, excessit. Urbiq; commeatum & aquas intercepit.

Catholici rebellium victores Principem revocant.

& custodiam autores seditionis, jussu Principis, coegêre. Quâ, in curia, à Doliariorum tribu servati sunt. Ita in urbem Antistes cum 200. equitibus, & peditum cohorte receptus, Bipontinum præconem ad suos, cautionibus obstrictum, remisit. Vulgus rebellium multavit exilio, reliquos justis pœnis reservavit.

Acatholici Principes pro suis intercedunt.

Quando rursum Acatholici Principes Fridericus Palatinus, Georgius à Zimmeren, Wolfgangus Bipontinus, Christophorus Wirtenbergius, Philippus Hassiæ & Carolus Badensis Legatos mittunt, rogantque, ne quid gravius in suæ religionis consortes Elector constitueret; sed templi Ministrique indulto usu, suo illos cultu pateretur vivere. Quibus cum Elector ostendisset, non tam religionis, quàm perduellionis, in se, suâ exclusum urbe, & ob rem turbatam publicam reos agi, adeóque nihil imperii legibus difforme geri, illud tamen se Principum intercedentium gratiæ daturum respondit. ut mortem infamem promeritos solo exilio, & aere trium millium multatos dimitteret. Quod cum gratum habuissent, cautione ab omnibus non vindicandi præstitâ (quam solenni Olevianus formulâ edidit, vitam se Principis clementiæ debere professus) sedem omnes mutare coacti sunt. Plerique civium facti supplices, Deóque ac Principi juratâ fide, substiterunt, totáque urbs ab exitiosæ religiosis contagione liberatâ ad antiquæ pietatis studium excitata est, anno LX. quo Pius IV. Pontificatum iniit.

Perduelles hæretici solo exilio in gratiam Principum multati.

1560.

Quod ut facilius consequeretur Joannes, natæ id temporis, ac toto brevi orbe diffusæ Societatis Jesu Patres, singulare juventutis per omne genus eruditionis pietatisque instruendæ studium professos, ad jacentis Academiæ decus excitandum, Petro Faë (ejusdem Societatis postea institutum amplexo) potissimùm suadente, accersendos duxit. Hi à Generali Præposito Jacobo Laynio, qui in fundatoris Ignatii locum successerat, postulati, ab Everhardo Mercuriano, Rhenanæ Belgicæque Provinciæ præfecto adducti fuêre, in iisque

Patres Societ. Jesu ad Academiam vocati.

Hermannus Thyreus Novesius, singulari vir doctrina zeloque; tum verò & Antonius Vinckius Belga, Rector futurus, eminuit. locus verò juxta Vetus Gymnasium, quem nunc Seminarium adolescentum occupat, angustis ruinosisque in ædibus delectus est. Unde, posteris annis, ad opportuniorem cum ipsa Gymnade sedem translati sunt.

1561. Trevericorum finem motuum, Confluentinorum ferè principia excepêre, minus tamen memoranda, quod nascentes suâ Princeps vigilantiâ prudentiáque oppresserit. Senatus urbis, quibusdam incentoribus ad majoris libertatis, velut antiquis sibi tabulis debitæ, spem erectus (qui tunc erat ex hæresum scabie pruritus) ejusdem indipiscendæ curam vulgo ad rebellionem concitato ingerebat. Quando Princeps, tempori intercedendum ratus, aditu portarum excluſus est, & familiares obnixi, cum probro rejecti sunt; silvæque & lignorum participatione prohibiti. Ergo firmatæ nondum à præsidio urbi suas Elector admovit copias. Valuitque hæc illius celeritas, ut perculsum terrore vulgus, bellique infelicem eventum augurans, Senatui contra Principem parére recusaret. Unde suo hic animadverso periculo, cùm plebem secessione factâ, abjungere consilia videret, illi accedendum potius, quàm capitis discrimen adeundum censebant. Missi igitur legati errorem deprecantur. At Princeps severitate clementiam moderaturus, admitti primùm in urbem voluit, quàm gratiam deferre. Tum supplicem Magistratum habuit, quem graviter verbis increpitum, vitâ tamen clementer donatum, aut ære, aut exilio multavit. Ita & hæc tempestas, ne in aliquam hæresis procellam erumperet, insigni Principis sapientiâ quievit. Ipse etiam Pontifex hoc rerum contra Acatholicos successu lætus, perquam honorificis literis & religionis zelum, & prudentiam actorum singularem probavit.

Confluentinorum motus exorti suppressique.

1562. Vertente dein anno, cùm Pius IV. Pontifex Tridentinum concilium instauratum vellet, Joannes Franciscus Com-

Commendonus ipsius Legatus Treviris ad Principem eódem invitandum adfuit. Qui Academiam recèns à Patribus susceptam ingressus, de literis cum pietate jungendis egregiè palam disseruit. Secutus eundem Laynius Societatis Præpositus, Theologi Pontificii munere eandem Synodum aditurus, Archiepiscopum quoque scholasque invisit, singulari & illius, & Treverici Senatus benevolentiâ exceptus est.

Pius IV. Concilium Trident. restituit.

Hinc verò Princeps illustri nobilitatis comitatu stipatus Francofurtum adiit, & 24. Novemb. conspirantibus Electorum suffragiis Maximilianum II. Ferdinandi Filium Imperatorem renuntiavit. Qui ibidem in D. Bartholomæi basilica 30. ejusdem mensis, ab Archiepiscopis, prælucente Moguntino, coronatus est.

Maximilianus Rex Rom. pronuntiatur.

Reversus ad suos, mirum est, quàm impensè se dederit litibus causisq; controversiarum in judicio expendendis absolvendisque. nemo supplicum, nullaque causarum, etiam de levissimis (quod familiares culpabant) rebus susceptarum, rejecta est. His cum ad valetudinis jacturam usque incumberet, à domesticis licet avocatus, instítit: dictitans *gloriosius valetudinem, in laboribus, quàm otio & voluptate frangi. Et, nihil leve judisandum, quod vulgo grave sit. Quò quæq; leviora, tantò discutu facilius; quò graviora, tantò majori præsidio indigere. Hinc nec illa rejicienda esse, nec hæc prætermittenda.*

1563. Joannes ad lites etiam minimarum rerum expediendas se impendebat.

Inter hæc expeditâ jam, suóque fine conclusâ Tridentina Synodo, illa animum cura subiit, ut provinciali indicto conventu, ea quæ fidei morumque decreta tulisset, in usum exercitationemque posset traducere. Quod dum molitur repentè compositi nuper Trevirorum in urbe motus, non quidem de religione, sed libertatis quæsitæ studio, rursum emergunt, cum Principis fortè vina urbi inferenda impedissent, aliasque offensionis dedissent causas. Quibus expositis, de injuria eosdem compellavit.

1564. Concilium Trid. finitum Joannes admittit.

1565. Nova urbis seditio eum distinet.

Neque

1566. Neque civitas libertatis vindicandæ negligens Imperatori se proximè subjectam asserebat; ideoque nec provincialibus tributis ceterisque id genus oneribus, perinde ut reliquos, teneri. Adhæc tutelam advenarum, Judaicæque gentis, comitiorum in urbe gerendorum, jus excipiendi, distribuendique in hospitia Principes exteros, eorumque Legatos, sibi deberi, prisco instituto contendebant. Hinc clavium urbisque defendendæ, & muneris ædilitii, Magistratus creandi, comprehendendi puniendique fontes, & capitales causas dijudicandi, rationem arbitriumque sibi vendicabant. Usum præterea fluminis ad excitandas in illo molas, reique nummariæ curam ad se pertinere, jure optimo consuetudine firmato, affirmabant, in quibus suo Archiepiscopo nulla fide obligarentur. Quæ ut reipsa tuerentur, à Lutzelburgensibus, federe jam olim devinctis, militare præsidium in urbem admisêre. Hæc cum Princeps oppositis diluere rationibus, jusque illud patrocinii ab Archiepiscopo, recepto non ita pridem Protectore, potius, quàm à Lutzelbungicis, limitato Urbi federe quondam, sed nunc exoleto, devinctis, petendum esse, contenderet: ad fori Cæsarei tribunal delata controversia est, ingentibus utriusque partis expensis offensionibusque, lite per tredecim annos producta, similique ferè exitu, quo illam Carolus IV. Imp. definierat, terminatâ. Augustanis inter hæc comitiis, & Joannes, & ceteri Principum, colligendis adversus Turcam subsidiis operam, sed irritam pro more, dederunt. neque comitiis Trevirensibus in ea quicquam tribuere placuit, quod hoc titulo ad cupiditates proprias plures abusi essent. Ad D. Maximini suburbanam Abbatiam cùm accessisset, præfixa à quibusdam Burgundicæ domus insignia, jus sibi protectionis in eandem vendicante, testibus adhibitis refixit, ne sibi præscripsisse viderentur.

Quid pro sua libertate civitas obtenderit.

Lutzelburgense præsidium in urbem admissum.

Causa ad Cæsareum tribunal delata.

Comitia irrita.

S. Maximinum sibi vendicat.

1567. Insequens porrò annus Joanni lentâ tabe IV. idus Februarias consumpto, extremus fuit. Quo tamen die, ingenti animo, pænè stans obiit. Siquidem inclinata jam

jam luce, in lectum, velut ad somnum, detractis vestimentis, procumbens, cùm Sacerdotem accersisset, ministratis ritè Sacramentis, inter pia ad Deum suspiria, manibusque & oculis in cœlum levatis, Spiritum creatori suo reddidit, Confluentiæ, mortis loco, in ædem B. Florini magnifico funere illatus. Monumentum Successor in saxo hac inscriptione erexit. *Reverendissimo & Illustrissimo Principi ac Domino D. Ioanni electo & confirmato in Archiepiscopum Trev. S. R. Imp. Electori, &c. Qui cum annis X. menses X. Archiepiscopatui prudenter præfuisset, Confluentiæ in pace quievit. Die X. Febr. anno MDLXVIII. Successor honoris causa posuit.* Extra apud Dominicanos ibidem, ante maximam aram, collocata sunt.

Lenta tabe occumbit Confluentiæ sepultus.

Mortis insperatæ nuntio, graviter bonorum in imperio animi ipsiusque Cæsaris perculsus est, ut literis ad Optimates XI. Martii datis testatus sit: *Principem & morum integritate, & ingenii doctrinæque præstantia, & insigni lenitate præditum, non Trevericæ modo ditioni, sed sibi, imperio, Reip. Christianæ, periculosis istis temporibus, maturius quàm optasset, ereptum.* Sacerdotii incundi consilium, longius, quam par erat, rejectum, cum jam, apparatu sacro instructus, destinasset ad exitum, mors prævertit. Semper tamen Sacrorum Doctorumque hominum fuerat consuetudine delectatus. Urbs illi Trevirensis antiquæ servatum religionis decus, quo propemodum exciderat, æternâ gratitudinis obligatione, debet. Patres Societatis, ut primùm complexus, ita singulari munificentiâ prosecutus est, jamque census ad vitam necessarii fundationem auspicatus, vitâ ac tempore magis, quàm voluntate destitutus est. Vixit tamen adhuc moriens in Bartholomæo fratre summæ ædis Decano, Guilielmo Quado Archidiacono, & Lothario nepotibus. Ex quibus hunc tandem egregia indoles ad eandem sedem provexit.

Elegans

Elegans aliud Joannis Epitaphium typo exaratum, nos eidem apponemus.

Hic ego Germanas, cujus spatiata per urbes
Fama iit, exiguâ sum tumulatus humo.
Terra tegit, quod terra dedit, sed Spiritus altas
Jam cœli partes liberioris habet.
Quid mortem, casusque meos, defletis amici?
Non dabitur multis, sic potuisse mori.
Petra dedit nomen, quid petrâ fortius? aquè
Sic animus fortis, sic quoque pectus erat.
Hæc satis: ast de me tibi cetera fortè loquetur
Posteritas, lethi nos vetat alta quies.



ANNA-

ANNALIVM TREVIRENSIUM.

LIBER XXII.

Pius V. Pap. Maximilianus II. Imp.

APrili menſe dies illuxerat ejus ſeptimus, quando Canonici Trevirorum ab urbe ob diſſidia Confluentiam delati, in æde S. Florini, ſuffragiis haud multùm diſcrepantibus Jacobum ab Eltz Trevirenſis Eccleſiæ Decanum, priſcâ nobilitate ac virtute illuſtriori ſpectatum, jam XV. annorum Sacerdotio piè functum delegêre, quem & religionis zelus, & continentiæ fama, & modeſti manſuetique animi decus gratum omnibus fecerat.

Jacobus ab Eltz eligitur Archiepiſcopus.

Electus, ubi ipſe ex Tridentini Concilii formula fidem profeſſus eſſet, curæ fuit, ut eandem ſua in diœceſi tueretur. Quare cum Neomagi, (loco ad Moſellam Conſtantini Magni caſtris celebrato) introductus à Comite beneficiario Doctor hæreticus fuiſſet, miſſo cum aliis Legatis copiisque Principis Hermannus Thyræus Societatis Jeſu Rector, ratione metuque comitem ad obſequium, hæreticum ad fugam impulerunt.

Hæreticum Præconem Neomago pellit.

Mox ad urbem ſibi per trium Septemvirûm Legatos conciliandam verſus, ubi imperium mitioraque conſilia detrectantem vidit, armatam vim civibus admovendam duxit. Peditum igitur hinc inde collectâ manu, cum equitatum Antonius ab Eltz ex Gallia allapſus junxiſſet, civitas improviſo clauſa milite, animos tamen ad defenſionem majores exſpectatione hoſtium attulit. Nam priusquam ſe opportunè obſidentes vallis muni-

1568.

Urbem ſuæ libertatis ſtudio reſiſtentem obſidet.

muniissent, in Marium suburbanum ad SS. Martyres pagum effusi, hunc flammis injectis, nec sine clade resistentium, consumpserunt. Deindè præsentem in urbe clerum spoliarunt armis, absentem suis in eadem facultatibus. Trigesima etiam Junii eruptione in Carthusiam, & S. Barbaram facta, quidquid istic commeatus repertum est, urbi intulêre, Kesselstadio adolescenti nobili audacius Portæ novæ flammas ingerenti, sclopi ictu trajecto. Credebatur urbs brevi commeatu remotiore intercepto, vinisque passim clausis ad obsequium cogenda; sed tamen ubi per angustias Paulini montis præsidium ducentorum militum, ponte aperto, subiisset, negavim Princeps, ab irruptione, per strata tormentis mœnia fieri vellet: ne innoxios juxta noxiosque eadem clade involveret: hæc mora civibus profuit, ut impetratâ à Cæsare, & Principibus intercessione, per eorum legatos, his legibus utrimque conventum sit. ut primùm à delectis, ex compromisso, causæ totius arbitris rationes discutiantur, lisque ex æquo componatur.

Pace facta, lis Cæsareo judicio comittitur.

Quod si minus succedat, apud ipsum Cæsarem imperiique Septemviros jure experiundum. Cui rei trimestre datum, ad actionem literis comprehendendam, quæ in curia Moguntinensi deponenda sit. Ad exceptiones deinde bimestre, alterumque ad earum excussionem additum. Tum verò Judex, utriusque partis consensu, unus pluresve; aut si in his dissentiant, ex trium Electorum arbitrio constituantur, eaque res trimestri expediatur, nisi justa causa subsit temporis ampliandi. Denique quadrimestre ad causæ disceptationem accedat, ac postremò lis contestata ad Cæsarem, instrumentis partium additis deferatur, qui adhibitis quinque aliis Electoribus litem definiat. Tantum in unius controversiæ discussione studii adhibitum est. Admissus deinde cum legatis, & duobus peditum cohortibus ad urbem Princeps, & controversia Arbitris Judicibusque comissa, postquam eam pro Archiepiscopo eruditissimè asseruisset Joannes Wimphelingus illius Cancellarius,

Ratio tempusque discussioni datum, quod in plures annos productum est.

Vir ju-

vir jurisscientia, virtute, ac religione vix cuiquam in Rom. imperio secundus. Qui agitatâ immensis sumptibus, per tot anfractus judiciorum causâ, demum post duo lustra viciſſe judicatus est. Infelici civitatis molimine, quæ veluti cassibus incluſa, quò magis eluctari conata est, magis hæsit implicata.

Guilielmus Nassovius Belgarum rebellium Dux ab Albano cæditur.

Quo tempore fax belli Belgici Guilielmus Nassoviæ Comes, Treverico ex solo, infausti sideris alumnus, Caroli Cæsaris Philippique Hisp. Regis gratiâ Aurangiæ Princeps, aureique eques velleris, & aliquot Provinciarum præfectus, cum hauſtam ex Germania domóque patria hæresin jam foveret pectore, Margaritæ Parmensi gubernatrici ob prælatum sibi Granvellanum Cardinalem, nimiamque hujus autoritatem offensus, Geusiorum, ex Calvini schola hæreticorum, amplexus est partes, Granvellano tamen amoto, surrogatóq: Albæ Duce Ferdinando, severioris ingenii homine, postquam Amuratem Egmondanum Comitem, & Montmorantium Hornanum idem ausos capite luisse crimen videret, Germanorum, inprimisque Friderici Palatini, copiis, magno numero cinctus, per Treviros Lutzelburgiosque in Belgium se transfudit, publicæ libertatis, excutiendæque tyrannidis Hispanicæ vanus præco. Sed exordio parum auspicato. Cum Albanus, Regis Catholici Archistrategus, ad Mosam Leodiensibus insidiantem adortus, per Lotharingiam in Alsatiam rursus ejecerit. Ubi stipendiorum inopiâ, vendere exercitum Gallis coactus est, aliam rebellionis alendæ opportunitatem capturus. Ad quam Germania jam à Lutheranis, Gallia à Calvinianis pœnè oppressa, omnes ad auxilium promptæ, animos erigebant. Anglia verò possessa, quanquam in Gallia, ubi paribus invidiæ facibus inflammatus Condæus, & Castilionæi fratres, dum Guisios in aulâ potentes non sustinent, hæreticorum rebelles seruti, in Franciscum & Carolum Reges, per octennium, perfidè injurii demum & suas dedêre pœnas, quando Parmensi pugnâ Condæo occumbente, magna vis hæresis

1569. Condæus Gallorum rebellium ex hæresi ductor demum occumbit.

profligata est; sed ita, ut cum amisisse hydra sua capita videretur, haud multò post alia pullularint. Spiritu illius pestilente in Scotiam usque diffuso, ubi cum Maria Regina, Catholica quoque religio damnata est.

Huic pesti antidotum Jacobus comparaturus hoc sollicitè egit, ut diœcesin suam ad Tridentini Concilii normam formaret. Quare illius actis typo subjectis, coactóque Prælatorum ac Sacerdotum conventu, Spiræque ac Leodii Episcopis, unà cum suo Suffraganeo Georgio Virneburgio, adhibitis, Episcopalem primò mitram solenni inauguratione suscepit. tum partitus in omnes exemplaria Synodi, inprimis juxta hanc clandestini matrimonii usum tolli, deinde veró Ecclesiasticam Monasticamque disciplinam formari voluit. Quem in finem lectos probatissimæ vitæ homines, sacrorumque gnaros, per utramque diœcesis partem ablegavit, qui huic reformationi navarent operam. Quando Hugonotica Gallorum factio memorabili apud Moncontu-rium prælio cæsa est. In quo Carolo Galliarum Regi Rex Catholicus Petrum Ernestum Mansfeldium Lutzelburgensem gubernatorem subsidio destinavit, Contra quem Volradus nepos ex Alberto fratre Lutherisequa, cum Bipontino stetit milite, plerisque suorum interneçione delctis, inglorius. Sed Cadmæi hi fratres ex ipsis postea sulcis, suo irrigatis sanguine, rursus in lucem emerserunt.

Jacobus consecratus Episcopus tota diœcesi Tridentini usum promovet.

Hugonotti in Gallia ope Mansfeldii cæsi.

1570.

Cererùm Jacobus utilem suæ diœcesi expertus Patrum Societatis JESU operam, ne angustiis domicilii Gymnasiique plures arcerent, ex ruinosis ædibus, in frequentiorem latioremque urbis locum, Franciscanis quondam Patribus habitatum, traduxit. paucosque illorum, qui supererant, accessione commodorum promptos, ad Parthenonem D. Germani transire jussit. Collegium deinde constitutum, ac mediocri fundatum proventuum usu reliquit, aucturus censum nisi mors propositum intercepisset.

Patres Societatis cum Gymnasio ad opportunam sedem urbis translati. Collegium à Jacobo fundatum.

Templum Sanctissimæ Triadi dicatum est. cujus

æde, ad portam veterem bello destructa, gloriosam olim memoriam hoc loco supereſſe desiderabat, Gymnasii structura, in aliud rejecta tempus, sub Lothario primum surrexit. Mox ad Spirensia evocatus comitia, quo Maximilianus Cæsar geminas secum filias, egregiâ specie ac pietate Virgines duxerat, Annam Philippo Hispaniarum Regi, & Elisabetham Carolo IX. Galliarum desponsatam, mutatis recens votis, cum illa Gallicam, hæc Hispanicam linguam didicisset. Ex quibus hanc Jacobus, quadringentorum stipatus equitum comitatu, per Lutzelburgios, in Maserias Campaniæ oppidum Novembri mense provexit; ubi perquam magnificè à Rege excepta, & per Borbonium Cardinalem matrimonio obligata est. Quæ deinde, Carolo brevi mortuo, unius filiolæ mater post Regem usq; ad 1592. annum superfuit, insigne decus viduarum. Jacobum amplissimis Rex muneribus abeuntem prosecutus est, delato abaco, quem ingentis pretii ex argenteis auro inductis vasis instruxerat.

Jacobus Elisabetham Cæsaris fil. Carolo IX. Gall. Regi adducit.

Domum reversus, cum quosdam ex aulæ suæ nobilitate hæresi addictos comperisset, hos aut Sectariorum religionem, aut suam deserere aulam jussit, *ne serpentem in sinu foveret, qui venenum pro beneficio refunderet.*

1571. Aulicos hæresi infectos amovet.

Porrò Trevirensium Senatus, ubi, post provocationum, & quæsiti patrocinii remedia, causam suam fluctuare comperisset, Præsulemque litis universæ seriem, testimoniis Arbitrorum firmatam, propediem editurum cognovisset, compromissi decreta rescidit, seque ad Electorum judicia transtulit. Indignissimè verò sustinuit, nondum terminatâ suis Judiciis controversiâ, ejus latam per Arbitros sententiam vulgari. Cumque existimarent hac nixum Principem urbem invasurum, novis utrimque odiis injuriisque collisi sunt, & nonnulli Principis clientes abstracti in custodiam. Quocirca 22. Decemb. primarium hic urbe clerum jam quoque invidiâ plebis gravatum avocavit. Quæ tamen secessio

1572. Trevirenses ex causæ desperatione rursum tumultuantur, Clerusque secedit.

haud leviter civium animos pupugit, opportunitate quæstus simul eum iisdem sublata. Quo tempore Gregorius XIII. pro Pio V. sedere cœpit.

1573. Jacobus ad sacrorum & rituum conformationem Agendam & Breviariarium vulgat.

Jacobus verò diœcesanâ, ut potuit, disciplinâ, in parœciis, Collegiis, & Monasteriis instaurata, quò conformis ubique sacrorum usus cultusque persisteret, librum sub Agendæ titulo edidit, ut in ministerio Sacramentorum, Ecclesiæque rituum, constans imposterum perpetuáque consuetudo duraret. tum deinde Martyrologium, suis ipse conscriptum manibus, Vdonis exemplo digessit, quod tamen publica lucæ caruit. Horarias verò preces restitutas emendatásque paulò antequam vita eum reliquit, prælo subjecit. Quando Ludovicus & Henricus Nassovii fratres Christophoro Friderici Palatini filio juncti, spe Belgicæ, ob Albani discessum, expugnandæ, per agros Trevirorum in Geldriam delati à regiarum copiarum Præfectis magnâ, haud procul Neomago, strage deleti sunt. Priusquam sedecim Gallorum cohortes subsidio venissent, qui, cognitâ apud Treviros cladê, se receperunt.

1574. Nassovii rursum bello victi.

1575. Jubilæus Gregorii XIII.

Sequentem annum MDLXXV. Gregorius Pontifex celeberrimi Jubilæi honore nobilitavit, effusâ in omnibus munificentiâ, & in advenis excipiendis hospitalitate. Quo Jacobus provincialia Confluentiæ Comitia habuit, tributi potissimùm ex æquo subditis imperandi gratiâ, quo æs à decessoribus contractum exsolveretur. Quod omnium, ut bono, sic ordinum quoque collatione fieri cupiebat. Sed licet duo Ordines, Clericorum ac plebis, ducenta aureorum millia Rhenanæ monetæ intra quinquennium solvenda deferrent, tertius tamen ordo nobilium hoc onus detrectabat; quod se Majorum exemplo, & militari operâ devinctum imperio, & pro reip. defensione semper paratum assereret. At Jacobus negabat pristinis pro imperio expeditionibus, jam sublatis, quenquam illorum teneri; contra verò clientelæ ac beneficiorum jure plerosque Ecclesiæ obnoxios esse sentiebat, ut, qui illius fruantur commodis, æquum sit in

Jacobus comitiis Confluentinis à tribus Ordinibus plebis Cleri & nobilium tributa exigit, sed hi negant, & ad Cæsarem appellant.

onerum-

onerum quoque participationem venire. Ergo annuos eorum reditus occupare, ni parerent, statuit. Verùm nobilitas prisca libertate, & imperialium procerum favore freta, ad Cæsaris tribunal causam avocavit, ubi hactenus mæandris forensibus, Clero vulgóque nequicquam obnitente, intercepta hæret.

Academiæ libertas vindicata.

Academiæ deinde à civibus vis facta est, dum propinquis Gymnasii ædificiis, effractis importunè claustris, trivialem excitare ludum instituit. Elector igitur violentiam ad se delatam ulturus onerariam Trevirorum navem mercibus plenam, ex Francofurtensi mercatu provectam, in flumine detinuit, donec pristinæ Academia libertati est restituta.

Ad Ratisbonensia verò comitia profectus, postquam Rudolphum Maximiliani Cæsaris filium, Regem Hungariæ ante biennium, & nuper Bohemiæ creatum, regio quoque Romanorum diademate anno ætatis 24. 1576. ornassent, proximo deinde anno Principes Urbesque Protestantium, nescio quem Maximiliani Rodulphique favorem nundinati, plenam religionis suæ per imperium libertatem exspectare ac flagitare sunt ausi, commentitiis in hanc rem codicillis productis, quibus libertatis hujus promissionem à Ferdinando factam adstruebant. Hos cum semel iterumque rejecisset Augustus, nihil se reip causa facturos comminati sunt, nisi postulatis locus fieret. Tum verò fortissimè obnixum, in ceteris Jacobum asserunt, fictamque explosisse Ferdinandi pollicitationem, ut quam tamdiu ab avidissimis libertatis reconditam, nemo prudens existimare posset, ac vitam sese prius, quàm Catholicorum immunitatem privilegiaque deserturum affirmasse. Ita his libertas servata constitit, dum eis constanter est denegata. Fuitq; hic postremus laudabiliter à Maximiliano defensæ religionis actus, quo sinistræ quorundam de se existimationi præstruxit, qui illum cum Protestantibus indulgentius egisse, non æquâ satis interpretatione ferebant, cum quod pacis gratia indultum fuerat, fidei contemptu factum

ctum sentirent, At superatus denique vi morbi Cæsar, postquam Jacobo Prumiensis Abbatiæ administrandæ jus firmasset, XII. Octobris diem extremum clausit, & Rudolpho imperium deseruit.

1577. Jacobus ad suos rediens, geminum studium, Ecclesiasticæ videlicet curiæ ad æquitatem formandæ, & Cleri ad sanctiorem vitam traducendi, suscepit. Illud verò egregiè per Bartholomæum Bodegemium Batavum, omnis liberalis disciplinæ jurisque inprimis peritum, quem suæ delegit curiæ Judicem, ut vocant Officialem, eximiæ non minus virtutis, quàm scientiæ virum, præstitit: hoc verò per se aliosque conatus est, & concubinarios, nisi parerent, ignominiâ notatos, sacris interdixit. tum retinendæ in parœciis disciplinæ hunc morem perpetuum sanxit, ut Curiones ad suos Decanos quot mensibus referrent, siquid correctione dignum occurreret; hi vero solenni quatuor temporum jejunio Archiepiscopo exponerent. Ne tamen ad pœnas, quam miserationem appareret pronior, multa in religiosorum clerique indigas domus beneficia profudit.

Jacobus Curiæ & Ecclesiæ à vitiis purgandæ dat operam.

Exeunte dein anno seculi 77. quem minaci cauda Cometes notavit, Jacobus ad Joannem Austriacum, præstantissimum bello Principem, rebus propemodum deploratis in Belgium receptum, legatos misit, de negotiis suæ diœcesis, Lutzelburgiis immistæ, acturos. Sed cum Ordines etiam Catholici Hispanos respuerent, ac fluxo cum Batavis fedære paciscerentur, Hispanis vix per Lutzelburgios digressis, recruduit seditio, nilque postea tutum, nec Joanni quidem fuit, ideóque & hoc inter adversa moriente, tractatio irrita.

Joannes Austriacus Belgio Præfectus legatione Jacobi aditur.

1578. Etenim Belgæ Matthia Archiduce ex Austria, Francisco Alenconio ex Gallia, Joanne Casimiro Palatino ex Germania, prout quique Ducem affectabant, evocatis, miscebant seditiosis consiliis omnia, cum fatalis cometæ eventu, præter Austriacum in Belgio, Wencesłaum Cæsaris fratrem in Hispania & Sebastianum Lu-

Diversi Belgarum Domini.

sitaniæ

sitaniæ Regem in Africa, contra Mauros pugnantem, mors importuna sustulit. Quando Philippus Hispaniarum Rex, ut prioris fato propemodum Belgica excidit; ita posterioris Lusitaniâ, per Albanum cursim occupatâ, potitus est: qui neglecta in Belgio (quod illius moderatione servari potuisset) hic visus est instaurasse.

Cum Austriaco plures Principes mortui.

Hoc anno 78. apud Treviros mortuus quoque est 30. Junii die Georgius Virneburgicus Episcopus Azotensis Jacobi suffraganeus, vir æternâ memoriâ ob seratam amplificatámque in tota diœcesi religionem, dignissimus. Qui cum publicis ferventissimus orator concionibus diu præfuisset, quam alios docuerat sanctioris vitæ rationem, hanc in S. Martino amplexus ipse, cœnobio denique Abbas præfectus est: triplicem meritus tiaram, sed in cœlo ultimam. Ejus loco Jacobus deinde, qui erat Principis zelus, pontificalia munera, in templis hominibusque consecrandis, & sacramentis impertiendis obiit, ratus *Pastorem bonum populi rectè censeri, qui propriis magis illum, quàm alienis manibus pasceret.*

Virneburgii suffragenei laus. ejus manus Jacobus implet.

Annus consequens 79. in Colonienſibus magna sui parte comitiis, sine fructu consumptus est. Quando Philippo Hispaniarum Rege, atque Imperatore Rudolpho adnitentibus, in magna istic Legatorum frequentia, de Hollandis certâ lege ad quietem pacemque revocandis omni studio, imprimisque Jacobi actum est. Sed hi Aurangii Alenconiique artificio abducti; illi verò circumducti, denique ventis se adstringendis operam dedisse ostenderunt. Quare præcipiti jam autumno ad suos Jacobus rediit, exoptato istic nuntio obtentæ adversus urbem, in lite, victoriæ recreandus.

1579.

Paci Belgicæ curandæ frustra Coloniæ Jacobus desudat.

Anno enim 1580. feria post Dominicam *Lætare* I. Rudolphus Cæsar Pragæ sedens pro tribunali coram Principis Urbisque Legatis, pro Archiepiscopo dixit sententiam, Caroli, ut ajebat, IV. judicio conformem. Videlicet: *Civitas Treverica plena jure possessoris, cum mero & mixto imperio, & utili directoque Dominio, &*

1580.

Trevirorum urbs sententia Cæsaris plenè Archiepiscopo subjicitur.

quacunque jurisdicundi potestate, ut semper hactenus, & in præsens, ita penes Antistitem Trev. in posterùm maneto. Idem Dominus Princepsque civitatis esto, & magistratum in ea, ut in omni memoria, supremum obtineto. Quare in omnibus ejus arbitrio subesse jussa, in tributis, nummaria re, custodia militiáque urbis, & civilibus juxta criminalibusque judiciis, Magistratu, pretioque rerum constituendo. Clero etiam vina fructusque liberè inferendi efferendique ac sua dispensandi facultas data. Jus in fluminis ripa ædificandi, molasque aquæ imponendi Principis esse jussit. Quæ tamen Urbis incolæ, seu terra, seu flumine ad usum negotiationemque inferunt, libera à portoriis, extraneis pendenda, manere prisco more voluit. Hæc in sententia à Brovvero recitata disertius exposita reperias.

Cives à Magistratu sejuncti Principi se sistunt supplices, qui eos benevolè erigit.

Non mediocriter tam inexspectato nuntio perturbati cives in suum plerique Magistratum, ceu litis autorem, hanc calamitatem rejècere: ideóque separatis ab eo consiliis suos ad Principem, Witliaca in arce agentem, legatos culpam deprecantes mittunt. Qui supplices à Jacobo in genua, & spem bonam erecti, jussi sunt *plus à clementia Principis, præsidii, quàm ab offensione periculi exspectare.* Cumque deinde suâ illos mensâ, & colloquio recreasset, Proprincipem eis ac protectorem adversus Senatum, de cujus avaritia atque inhumanitate questi erant, Joannem à Schönenberg summæ ædis Præpositum addidit. Magistratus verò legatos, minus benevolè acceptos, perplexo ad suos responso dimisit. hac illorum dissensione ad suam defensionem, urbisq; ex arbitrio possidendæ & amovendos è senatu quos lubèret, opportunè usurus: non secus ac *venator, qui captu Leænæ catulis, matrem facilè ad laqueos seducit.* Quare cunctandum non ratus, Provinciæ suæ Præsidibus, Satrapis, ac clientibus militéque stipatus, ad urbem perquam honorifico comitatu incessit. Digressus Witliaco Palatiolum hic à summi Collegii Proceribus exceptus, traductusque, equitatu sub tubarum clangore præeunte,

Urbem honorifico comitatu ingressus ab omni ordine salutatur.

peditatu

peditatu trecentorum numero, coloribus habituque municipiorum distincto, ponè insequente. Post quem Princeps, cum Episcopo Azotensi Petro Binsfeldio, nuper ob doctrinæ excellentiam ex Romano Germanorum seminario in Suffraganeum assumpto. Magister equitum Antonius ab Eltz exertum vaginâ illi præferebat ensem. Sequebantur currum Metropolitani Sacerdotes, Comites, Barones, Consiliariique ac nobiles ministriique aulici, magnâ frequentiâ. Ante portam obvius Ludovicus ab Hagen, qui Cæsaris nomine (dum lis nota fineretur) claves urbis tenuerat, easdem, salutato, cum gratulatione, Principi obtulit; cui Philippus à Reiffenberg, curiæ Trev. præfectus, pro Archiepiscopo respondit. Magistratus deinde per suum Oratorem gratulatus, felicemque ingressum precatus est; Moxq; aream summæ ædis Canonici, diverso utique animorum sensu: deniq; & Academici Petro Peraxylo, Societatis Jesu Theologo, latiâ eloquentiâ perorante. Post quæ summam ingressus ædem, hymni Ambrosiani concentu, Deo gratias persolvit, aulamque cum Proceribus adiit, basilicóque omnes epulo excepit.

Pro principe Urbis constituto, fidelitatis à civibus juramentum publicè excipit, & pristinam vectigalium immunitatem, aliaque privilegia indulget.

Postridie civilia ordinaturus munia Joanni à Schönenberg, ædis metropolitanæ Præposito, regendæ civitatis vicarium munus attribuit. tum VI. cal. Junii, publico in foro præsidens, sacramentum, à civibus tanquam absolutus urbis Dominus excepit, his verbis: *Promittimus & juramus in præsens nos esse, & velle, & debere consequentibus omnibus seculis, vigore sententiæ Cæsaris, mansuros fideles cives & obedientes Reverendissimo N. D. &c. ipsiusque successoribus Archiepiscopis, &c.*

In quæ verba, cum, erectis cives manibus, se juratos assentire testati essent, ordine deinde consecuti obligatas fidei dexteras dedêre Principi. Quibus ille ad latius exigendum diem, quinque vini plaustra & verveces quinquaginta impertivit. Ac subinde indicta sanctéque peracta versus S. Paulinum, ad referendas con-

ciliatæ pacis Deo Sanctisque gratias supplicatione, ita Cæsaris mitigavit sententiam; ut cives gaudere priscinis vectigalium commodis, aliisque privilegiis, impetratâ omnibus indulgentiæ liberalitate, jusserit, eâ lege, ut ipse posterique factæ hujus gratiæ autores simul moderatoresque perpetuò agnoscerentur. Denique illos, qui ex Senatu primæ seditionis adversæque partis Duces fuerunt, satis habuit gradu dimovisse, ne quid vindictæ cupiditati tribuisse videretur. Postremò ut monumentum aliquod publicum asserti juris existeret Urbis portis Ecclesiæ præfixit insignia, hoc programmate: *Iacobus Dei gratia Archiepiscopus Trev. Princeps Elector, sententiâ per Imperatorem Rudolphum II. latâ ad perpetuam memoriam posuit, An. Incarn. Domini MDLXXX.*

1581. Studiis & Religioni excolendæ impensè se dedit.

Hinc ad religionis studiorumque promovendorum curam se retulit, & quamvis afflictus podagræ doloribus, adesse tamen frequenter Ecclesiæ, & in Academia bonarum artium studia, suâ præsentiâ visus est opportunè promovere. Ita ex Cancellarii Universitatis, quod Elector sustinet, munere Adolescentibus, Philosophiæ spatia emensis. Licentiæ ut vocant Magisterii que honores impertiri suo judicio fecit, & decimo ante calendas Februarias die, quod tempus, illâ ætate, ornandis suis præmiis Philosophiæ alumnis dictum erat, ipse & exercitationi gymnasticæ, & epulo Academico, privati more, interesse dignatus est. Porrò ad fovenda Theologiæ Cleróque digna studia, atque exercitamenta Seminarii Ecclesiastici, ex Synodi Tridentinæ præscripto, instituendi consilium susceperat, quod mors interceptum Carolo Casparo à Petra, hujus cum hæc scribo temporis Archiepiscopo, servasse videtur, dum suis illud nunc tectis, & juventutis receptæ exordiis, consurgit. Interea fractis jam ævo morbóque viribus contineri non potuit, quin suis ipse manibus sacros ordines impertiretur, quod postremò in æde SS. Trinitatis, apud Patres Societatis, apparatu vestium & altarium splendido, cum præsti-

præstitisset, hunc discedens templo reliquit. Quo velut ultimo, exactæ laudabiliter ætatis & administrationis, actu, vitam ægritudini succumbenti m pridie Non. Junii clausit. Viscеribus in æde SS. Trinitatis, ante exornatam à se aram, dexterum juxta cornu Evangelii, depositis, corpore in Metropolitana æde, ante aram quoque Sanctissimæ Triadis, in sinistra chori parte, cum hac epigrapha, collocato: *Anno Domini MDLXXXI, die 4. Junii obiit Reverendissimus in Christo Pater ac Dominus D. Jacobus ab Eltz S. Trev. Ecclesiæ Archiepiscopus & Princeps Elector, & Administrator Prumiensis, cujus anima requiescat in pace, Amen.* Adjecit denique successor in tabula operis statuarii, aræ veteri imposita, hoc elogium: *Reverendissimo Archiepiscopo Trev. & Illustrissimo Principi Electori Jacobo ab Eltz, Deo & hominibus dilecto, ut qui gloriæ Divinæ, Religionis Catholicæ, & reformationis zelum habuerit, non dominans; sed forma gregis factus, cujus virtutes, non angusta hæc tabella; sed fama publica, & cœlum habet. Posuit tanti Principis amantissimus successor Ioannes à Schonenburch. Vixit annis LXXI. rexit annis XIV. Obiit an. MDLXXXI. IV. Junii* Et certè præclarum in eo illuxit Archiepiscopi exemplum, qui & suos doceret facienda, & docenda faceret. Manè antelucanas ipse vigilias horis ritè psallendis quotidie prævertebat, psalmodiæ peritus, si quisquam alius: tum verò, aut sacris operabatur ipse, aut intererat, profanos labores hoc pietatis studio præmunire solitus, quotidiana prope noxarum expiatione purgabat animam. Neque Cleri sibi commissi à scelеribus avocandi cura minor. Et si quempiam à vitæ sordibus avocatum sensisset obsequi, hunc singulari gratia ac dignitate ornabat; secus, ubi persisterent, pœnis ignominiáque coërcere non destitit. ut amicus Principis esse non posset, nisi Dei videretur: non homines sed flagitia odisse solitus. Insidiarum non omnino, expers; cum ob Abbatiæ Prumiensis administrationem opesque diœcesi ex Gregorii XIII. autoritate rursum addictas, disciplі-

Moritur.

Elogium & laus Principis.

à pietate.

à studio salutis proximorum.

Calamitatum minimè expers, alio-

rum sublevabat.

disciplinamque loci à noxia licentia revocatam, non defuerit qui mortem intentaret. Quâ tamen spreta, aiebat: *suam diu Ecclesiam nullos tulisse Martyres, quorum ipse caribus inferi non recusset.* Cæterùm aliorum calamitati miseriisque ut poterat obviare solitus, vix afflictum absque solatio auxilióve à se dimittebat, ultróque etiam multorum sibi perspectam egestatem liberali beneficentia sublevabat.

Joannes à Schonenberg i succedit.

Capitularium subinde pridie cal. Augusti votis Joannes à Schonenberg Metropolitanæ ædis Præpositus, Urbis Gubernator, Magnificusque Academiæ Rector, dignus infulâ judicatus est. Quàm, accepto Româ pallio, Augustanis in comitiis, consecratus à Madrutio Cardinale, & Boxhomio Vercellensi, Spurenoque Episcopis, & Legatis Apostolicis, induit. Quos cum Matthia & Maximiliano Austriæ Archiducibus, Wolfgango Moguntinensi, Joanne Argentoratensi Julioque Herbipolensi Antistitibus, præter ceteram nobilitatem, epulo perquam magnifico excepit pridie iduum Augusti. Porrò vigesimo ejusdem die regalium honore hoc ritu donatus est. Accessêre primo Cæsarem Augustali in sede habituque conspicuum Joannis Legati Arnoldus Comes à Manderscheid, Ecclesiæ Trev. Præpositus, Antonius ab Eltz aulæ Marescallus, ac Joannes Wimphelingus Cancellarius, qui post debitam venerationem postulata sui Archiepiscopi exposuit, Pontificiis de pallio tradito literis exhibitis: cui, cum Moguntinensis Præsul respondisset, nihil Joanni, si coram adesset peteretque, à Clementissimo Cæsare negatum iri, his reversis, ex proximo conclavi Antistes suâ nobilitate stipatus prodiit, iteratáque supplicatione in genua procubuit, ante quem cùm Julius Herbipolensis, & Joannes Argentinensis explicassent Evangelii librum, Joannes Cæsari sacramentum, verba Moguntino præeunte, dixit: Mox Cæsar acceptum ensem, civilis potestatis insigne Joanni tradidit. Quem capulo apprehendens exosculatus est, ac prævia veneratione regressus, Septemviros Electores inter haberi cœpit. Inde

1582. Augustæ in Comitiis consecratur, & donatur regalibus.

Ritus conferendi.

Inde domum reversus, ex Cæsaris voluntate Gebhardum Trucsesium Colonienſium Antiſtitem illicitis Agnetis Georgii Mansfeldii Comitis amoribus implicatum, adeóque cum illa, ex Monaſterio ad ſe traducta, nuptias in Epiſcopatu meditantem, à ſacrilego auſu revocare nequicquam conatus eſt; cum flagrantiſſima amoris cupiditas rationem plerumque ſanam excludat. Favebant huic Trucſeſii propoſito, factioſi Agrippinatum cives, qui religionis libertatem, libera in urbe, flagitabant. Sed hic ad animandum Senatum, nequid ſeditioſis indulgeret, potentius fuit Joannis conſilium. Cum nihil, quod ad infringendam perduellium audaciam faceret, vigil in vicino incendio præteriret, iis verò qui ab hæreſi ſe reciperent benevolentiam ſingulatim impenderet.

Joannes Trucſeſium Colonienſem Archiepiſcopum Apoſtatantem retinere conatur.

Quin & muniendæ contra hæreſin inferiori diœceſi, Societatis Jeſu Patribus Collegium Gymnaſium apud Rheni Moſellæque Confluentes, juventuti per humaniores literas, religionisque noſtræ inſtituta, erudiendæ conſtituit, à Jacobo cogitatum, à ſe perfectum opus. Quo tempore & occidentalem Trevericæ Archidiœceſis partem, eidem, per Gymnadem Lutzelburgi metatam, tueri Patres cœperunt, poſtquam auditus iſtic ex Academia Trevirenſi Peraxylus mirabilem pro concione fructum & Societatis exiſtimationem concitaſſet: Licet tardis collegium incrementis adoleverit. Quòd vota quorundam promptiora, quàm facultates eſſent.

Coloniam nutantem cohibet.

Interea cum Trucſeſio quâ arte, quâ vi certatum eſt, cum is implicatis ſuſpenſisque inter ſpem metumq; reſponſis Legatos Principum diſtineret: donec Hollandorum, & Palatini fretus opibus, Colonienſem mitram nuptiali thalamo ſociaret. Verùm, quod mireris, nec Auguſtus quidem Saxoniæ Princeps id factum probabat. Quod Eccleſias Electorales cælibes, totique nobilitati aperiendas eſſe ſentiret, non certæ addicendas familiæ. Unde & ſua contra obnitentem Trucſeſium auxilia detulit. Poſtremò, ut potente adverſus contuma-

Trucſeſio exautorato ſubſtituitur Erneſtus Bavarus, non ſine armorum vi.

tumacem brachio uterentur, Pontificiâ autoritate dejecto, Ernestum Alberti Bavariæ Ducis filium, ex Leodiensi Antistite, suffecerunt. Tum verò repentè arma Casimirus Ludovici Palatini frater corripuit, cui principio Fridericus Saxo-Lavvenburgicus Ubiorum Chorepiscopus, qui pro Capitulo arma circumferebat, impar, vastitatem à Trevirorum & Colonienſium agris arcere non potuit: donec Ferdinandi Bavari, & Regis Catholici copiæ exultantem insigni clade ad suos rejecerunt, & sua in sede Ernestum, Trucsesio profugo, constituerunt. Profectus verò Leodium Joannes, juratam ab Ernesto fidem, quâ Septemvirali accenseri ordini posset, excepit, ac subinde per Treviros Moguntiam ascendit, ut præter Archiepiscopum, Augustum Saxoniæ Electorem eidem addiceret. Quocum deinde exmandato Cæsaris, ad grave Aquisgranensis reip. & urbis discidium avertendum se contulit. Ubi cum sensim Acatholici, negotiandi specie illapsi, numero audaciaque freti invaluissent, plerosque Senatorum Catholicos, aut religione, aut urbe dimoverant. Sed illis, in pristinas sedes ac jura per utrumque Principem reductis, major his absentibus tempestas incubuit. Quâ in exilium cum præcipuis Clericorum ejecti sunt, donec validiore Rudolphi Cæsaris vi, atque autoritate reponerentur.

Joannes Leodii ab Ernesto sacramento fidem accipit.

Aquisgranenses quoque hæreticorum tumultus componit.

1585. Gregorio XIII. Papæ novi Calendarii autori succedit Sixtus.

Sequens annus Gregorii XIII. præstantissimi Pontificis morte, admisso in cathedram Sixto V. funestus est. Novum ille ex emendatione temporum Calendarium introduxit. Quod licet hæretici improbare nequeant, sequi tamen detrectant, ne quid Romanum admisisse videantur. Juventus Catholica æternam Gregorio ob diversa Seminaria, eruditionis religionisque gratiâ per Europam excitata, debet memoriam. Venerat ab eodem Pontifice in Germaniam missus Joannes Franciscus Vercellensis Episcopus, qui Treviros appulsus Joanne obtinuit, ut solenne Togæ Dominicæ exhibendæ tempus indiceretur, quod sub Veris exitum magno popu-

Toga Domini solenniter exhibita.

populi affluentis frequentiâ ac devotione, constitutum est. Quo tempore adfuit quoque de Friderici Palatini familiâ adolescens, ex concubina genere ac religione spurius: qui cum aliis S. Hostiæ in templo Patrum Dominicanorum de theca excussæ, illudere deprehensus, carceri à Joanne, ignibusque demum, licet hæretico Principe deprecante, addictus est. Quos tamen, ubi per Societatis Jesu Patres orthodoxam religionem amplexus, venerabile Sacramentum ex S. Gangolpho delatum, palam in foro adorasset, mitiori capitis supplicio evasit.

Divini Sacramenti illusor punitus.

Labantem quoque eisdem temporibus Prumiensis Abbatiæ disciplinam, ex administrationis munere, Joannes instaurare aggressus est, Petro Binsfeldio Suffraganeo, viro, ut eruditione, sic religione eximio, in hanc curam, cum duobus è Societate Jesu Patribus ablegato; quorum operæ pretium annis etiam consequentibus exploratum fuit.

Prumiensis Abbatia reformata.

1586.

Veneficia sub hoc tempus Treviris exorta, horrendisque exercita sceleribus fuêre. Nam & fascinandis pecoribus, & tempestatibus ciendis, frugibusque ac hominibus vitiandis adhibita, denique suos autores prodidere. Cum viri feminæque libidine ac cupiditate variâ cœci, à dæmone, diversis pro ingenio diversorum formis apparente, seducti; ut desideratis potiantur, illi, abjurato clam palamve Deo, se dedunt. Quibus nocturnis plerumque, vel traductionibus, vel certè imaginibus, per loca consortiaque voluptatum carnalium plena illudit, inducitque ad varia damna cædesque in proximum, propriosq; etiam, si alii desint, liberos patrandas. Quo maleficio ipsum appetere Principem anno proximo ausi, per conscium facinoris puerum, incautéque vulgantem, proditi, nihil effecêre. Quanquam nonnihil afflatum pestiferi noctu mali Princeps sensit, cum solitum amuletum agni Dei fortè ex collo deposuisset. Alia quoque ex Galliis allapsa pestilentiæ lues haud leviter Treviros afflixit. Quando duo nobilissimi Lotharin-

Veneficia reperta, & plexa.

1587.

Archiepiscopus veneno appetitus.

tharingiæ florenti ætate Principes, Carolus Lotharingiæ Ducis ex Claudia Henrici Regis filia, & Antonius Vaudemontius Reginæ Frater, Metropolitano Trevirorum admissi collegio sunt. Sed mors hunc immatura ipso in flore demessuit. Quam suo funere ejusdem frater Carolus cardinalitia jam purpura, Virdunensi ac Tullensi mitra decorus, ingenti religionis studiosissimè, ab illo cultæ detrimento, auxit. Felicioribus post triennium auspiciis eandem tyrocinii Ecclesiastici probationem Treviris anno seculi 91. frequentarunt, nobilissimi duo, & moribus, & studiis, ibidem cultis, adolescentes, Philippus & Ferdinandus, Guilielmi Bavariæ Ducis filii, qui perstitere quidem in Residentia Gymnasióque diœcesis Trevericæ, non tamen consenuêre, honoribus alibi delatis abstracti. Quæ hoc loco adjungere placuit, ut appareat Trevirensem insulam à Principibus etiam æstimari.

Flures Ducum filii Trevirensis Ecclesia residentia excipiuntur.

Porrò Joannes in illa populi, lascivientis cum inimico, corruptela, ne quid mali in Sanctimonialium consortia penetraret illarum disciplinæ advigilabat. Quare S. Medardi extra urbem Parthenonem numero cultuque deficientem, Urbano S. Agnetis, ubi exculta & custodita magis vivendi est ratio, sociavit. Quo nomine, & Virgines Andernacenses ad Confluentinas S. Martini transire jussit; illas sub D. Augustini, has junctim D. Dominici regula victuras. Nec religiosorum tantum hominum, sed & Ecclesiarum fordescentem diversis lociscultum egestatemque extollere conatus est. Quanquam belli Trucsesiani reliquiæ, Gallorumque ac Hollandorum cum Hispanis infesta sæpius agmina, haud leviter diœcesin attererent. Martinus Schenkius certè, prædo id temporis celeberrimus, post occupatam nocturnis insidiis Bonnam, gravis huic diœcesi incubuit. Nec leve Germanorum copiæ in Galliam ad Hugonotorum, quibus Rex favere credebatur, castra, adversus Duces Guisios Henricum & Ludovicum, transeuntes, detrimentum adferebant. Quanquam ea fuerit Henrici

Joannes Sanctimoniales reformat, transfertque.

Trucsesiani belli reliquiæ, Galliq; & Hollandi cum Hispanis Treviros premunt.

Lotha-

Lotharingiæ prælio, cum paucis suorum attriverit. Quibus successibus & inter Catholicos quos tuebatur autoritate Henrico Valesio Galliarum Regi metuendus, in Blesensibus Comitiis, evocatus in aulam, per immissos sicarios occisus est, Ludovico Cardinale ejusdem fratre pari immanitate jugulato. Sed hoc facinore, cum Rex, & Pontificis excommunicationem, & Catholicorum grave odium incurrisset, sicâ religiosi hominis Jacobi Clementis, anno sequenti, Guisiorum manibus immolatus est. Magno tamen religionis orthodoxæ periculo, cum Henricus Borbonius, Navarræ rex hæreticus, sanguine aliis propior, id occupaturus, his Parisiis expugnatis, fuisset. Quibus liberandis cum Alexander Parmensis è Belgio Hispani Regis mandato devenisset, Henricus rem saluberrimam penè coactus omisit, Catholicam, cum regno, religionem.

1588. Guisii in Gallia per Valesium Regem, Rex per sicarium tollitur.

1589.

Henricus Borbonius ex hæreticâ Catholicus & Rex.

Quo tempore & iidem Hispani Regis milites Bonnam lenta obsidione pressam, denique è manibus Batavorum prædonum extorsêre, finesque Trevirenssium, post toleratas Gallorum excursiones, & hiberna Hispanorum, respirare liberius cœperunt, & Joanni Ecclesiarum suarum indulgere curam, quàm dum in re Christiana impensè per diversos, inprimisque Societatis Patres, promovet, horum Antesignanum id temporis Theologiæ & Collegii moderatorem Joannem Gibbonum, natione Anglum, Himmerodii divertentem amisit. Gratiâ Joannis Rudæ Abbatis ibidem, & in mortuamanter habitum, & à morte honorificâ sepulturâ, ante D. Bernardi altare, depositum. Cujus ingenii haud inde opus de concertatione Anglicanæ Ecclesiæ, typis abditum, ac posteritati relictum est. Porrò ad fovendum Joannis Archiepiscopi Zelum Sixtus Pontifex beneficiorum per Cathedrales Saxoniæ Ecclesias conferendorum potestatem eidem contulit.

Treverica diœcesis, à bellis respirans, in disciplina Christiana promovetur.

Gibboni Jesuitæ mors.

Beneficia Saxonica Joannes distribuit.

Quando rursum domestica Magorum infamia Trevirîs, in præcipuæ etiam dignitatis persona, Theodorico eorum Judice, atque urbis Prætore, ipso non diffitente, emanavit,

emanavit. Qui quidem, ut ex Actis Judicialibus notum, rudibus annis, curiositate libri, quo Dæmon, ad secretas artes tradendas evocabatur, ductus, cum legeret mox præsentem, honestâ viri specie, Dæmonem habuit. Qui ad studia, quorum amore tenebatur, se eidem promotorem obtulit: nec quicquam postulavit obsequii, nisi, ut cum sermo ita ferret, diceret: *Infernum non adeò esse calidum, nec Dæmonem tam nigrum esse, quàm vulgus fingeret.*

Magiæ compertus ipse judicii præses, pœnitens obit.

Et quidem tantùm literis jurisque demum scientia excelluit, ut Principi à consiliis factus, Judiciis demum etiam præsideret. Sed cum sensim eum abduxisset Dæmon longius, impetrassetque, ut Magorum conventibus, larvâ ipse tectus, interesset, ideóque in quæstionibus exercendis à se conspectos facilius convinceret, fefellit denique pleno in consensu Dæmon, larvamque detraxit; unde à suis consortibus in societatem criminis vocatus, licet diu restiterit; quod ab invidia, non veritate, profectam accusationem sontium examinatores crederent: tamen postremò testimoniis obrutus, postquam sine noxa cujusquam se hoc crimen admisisse diu frustra contendisset, cessit justitiæ, suppliciumque publicum magno animo ac detestatione sceleris, tum verò exhortatione ad populum flagrantissima, quâ insidias Satanæ declinandas omni studio monebat, imperterritè subiit. Tantisque pœnitentiæ argumentis Presbytero Societatis Jesu stimulos subjiciente, atrocitatem culpæ infamiæque diminuit. Cognomentum tamen Rei, munerumque quæ obiit gravitatem, quanquam typis vulgata, consultò quorundam in gratiam dissimulamus: exemplo criminis suppliciique aliis cautum esse volumus; ne, vel serò cum hoc Phryge sapiant, vel forte nunquam.

1590. Pontifices creati mortuique vanitatem hono

Annus dein Christi 1590. Sixto, moxque etiam Urbano VII. mortuo, novum Pontificem orbi dedit Gregorium XIV. exercitu adversus Gallorum hæreticos submisso memoratum. Qui & altero post anno defun-

ctus

ctus summos hos orbis honores quæri angusta mortalium in vita diutius, quàm possideri ostendit; ut caducarum rerum vanitas in primo etiam capite emineat. Post quem Clemens VIII. principatum Ecclesiæ tenuit.

ris ostendunt.

Anhaltinus inter hæc Princeps formidabilem Protestantium in Galliam transfudit exercitum. Christianus, ita dictus erat, Christianissimo (ut malè nonnunquam quadrant nomina) opem laturus, quâ hæresis triumpharet, nisi aliter Deo visum esset. His accessus Hollandicus ductor Templius ex Aquensium se finibus Andernacum, illóque, admotâ sulphureâ machinâ, per vim fraudemque nequicquam tentato, Cardonum, habitatum Canonicis pagum, se transfert, prædéque exhaurit. Cum Mosellani, ne totum litus spoliatur pervaderet, objecto juxta Clottenum vallo, interceptâ viâ strenuè se tuentur, hostemque alio in Palatinatum itinere avertunt, in ipsis Galliæ faucibus, vel à fusticis, vel à milite trucidatum. Cum *prædarum rarò inturna sit impunitas.* Manifestius ejus rei exemplum edit Gaspar Bujus, Beforti ac Buii in Lutzelburgico lo Dominus; qui per absentiam Petri Mansfeldii (lo- Farnesii nuper mortui, Belgio apud Bruxellenses præsidentis) Hollandicis Philippo Nassovio Ductore mus auxiliis, latè omnia per agrum Lutzelburgicum ullabat, præda cum Batavis divisa. S. Viti oppidum amen frustra expugnare conatus est: Nam licet, portis jam pyroclastro disjectis, ingressus pateret, eum tamen, oppidanis, media nocte ad defensionem instructis, perrumpere non potuit. Supervenit tandem instruori Belgarum exercitu Florentinus Barlemontis Coes, quem Batavi subterfugere, quàm sustinere maerunt. Bujus astu denique quorundam interceptus, rædandi in morte infami finem reperit, quæstionibus dicioque perduellionis reus, & nocturno apud Luelburgios supplicio, post seriam tamen malè exactæ itæ pœnitentiam, sublatus, atque in peristylio Franiscanorum tumulatus. Prædatorum alii ordinis infe-

1591. Protestantes in Galliam se effundunt, non sine damno Trevirorum.

Templius his illata damna luit.

1592.

Bujus perfidè Lutzelburgicos deprædatur, ac plectitur.

1593.

rioris, aut enſe, aut laqueo facinora luerunt: præmio, quo ejusmodi militia ſolet ornari.

1594. Erneſtus Auſtriacus in Belgium profectus Treviris excipitur.

Erneſtus ſub hæc Auſtriacus, germanus Cæſaris, Belgium aditurus, per Treviros iter habuit, cui licet Erneſtus Bavarus Colonienſium Princeps, honoris causâ, excurreret obviam, Joannes tamen Archiepiſcopus Confluentiæ ægritudinis, veræne, an fictæ? obtentu hæſit. Sed Treverica nobilitas in occurſum miſſa, & diſtributa per urbem gratuitò hoſpitia, Palatiumque Erneſto cum omni obſequio apertum fuit. Quin & Tunica inconſutilis Domini, extra ordinem, raro officii genere, eidem exhibita. Hinc verò Lutzelburgum ad Belgicam gubernationem, ingenti ubique excipientium plauſu, apparatuque, profectus, clausâ intra biennium vitâ imperioque, Alberto ejusdem gentis Archiduci locum fecit.

Albertum brevi à morte ſucceſſorem nactus.

Joannis deficiente ætate Comitiis adeſt Ratisbonenſibus.

Interea fatiſcente Joannes ætate publicis laboribus intereſſe, & celebrare parcius viſus eſt. Quamvis Comitiis Ratisbonenſibus 18. Maii cœptis adfuerit, uſitato capitum diſſidentium eventu, quo multa in conſultationem afferuntur, concluduntur, aut obtinentur pauca, & poſtquam ſalutationibus mutuis & commeſſationibus indultum eſt, diſceditur: impenſis vulgi magnis, fructu nullo. De Belgica in ceteris pace, Turcicóq; bello deliberatum eſt; cum à Strigonii obſidione Matthiæ Imperatoris frater recèns depulſus, auxilia flagitaret.

1595. Carolus Mansfeldius contra Turcam victor moritur.

Impetratum tamen eſt, ut bellator è Lutzelburgia fortiſſimus Carolus Mansfeldius, Petri Erneſti filius, qui adverſus Gallos Batavosque victoriis celebratus erat, exercitui præeſſet. Quod, Strigonio rurſum obſidione preſſo, magnâ virtutis commendatione, & præclaro contra Turcas certamine victor præſtitit. Ipſe magnâ ſucceſſuum, quos morbus morsque inſperata præſtantiſſimi, & ad pietatem non minus, quàm arma facti, heros invidit. Strigonium nihilominus Chriſtianis partum eſt, majori laude digna, ſi occupata tuerentur conſtantius poſſent.

No

Nec Treviris, quamvis bellorum inter Batavos, Gallos, Hiſpanosque mediis, diù tutis eſſe licuit: ut *ex malorum vicinia pronum eſt malum participare.* Ita Eduardus Fortunatus Badenſis, Philippo ejusdem ſtirpis Marchione defuncto, ſanguinis jure proximo ſucceſſurus, cum Archiduci in Belgiò Catholicus ipſe hæreret, Fridericus ejusdem gentis princeps, quòd Acatholicus eſſet, favente nobilitate admiſſus in bona eſt, quæ ad Moſellam quoque ex Spanheimenſi tetrarchia occupabat. Unde, inſtructo exercitu, poſtquam Edvardus adveniſſet, juſſu Imperatoris Joannes interceſſit, obtinuitque, ut res judicio Cæſareo committeretur. Quod, lentâ ductum æquitatis definitione, Eduardum hereditate excluſum deſtituit: ut *bonis conſilius, exitu ambiguus, obſequi, non ſemper bonum ſit.* Trevericam ditionem tamen à prædone Cornelio Hartio (ob promiſſum capillitium Langhar compellato) vi armisque vindicavit. Huic ſuas ipſe abſens vices in arce Moſellana Caſtelluno, commendarat. Quam cum, nec Domino, nec viciniæ fidus, collectis paſſim ſpoliis impleret, neque Edvardum venientem admitteret, arte ac vi poſtremò, capto Langhario, occupavit, eiq; pro miniſterii præmio, crines unà cum capite demeſſuit, ac Trevicos hoc vaſtatore liberavit. Sed Batavicarum Harpyiarum nidus fertilior erat, quàm ut tam facilè exhauriri poſſet. Hinc in Trevericos Vicinosque Lutzelburgiorum agros effuſi Prædones Epternacum, S. Willibrodi quondam ſedem, effractis pervaſere portis, & præter locupletis Monaſterii ſpolia, Abbatem ipſum Joannem Bertelium in captivitatem abduxêre, unde niſi ingenti lytro, quod duodecim millium fuit Dalerorum Impetralium, exire non potuit, pretiosâ nimium religioſis ceteris libertate, qui ſe ſuumque Abbatem tanti ab Hollandis æſtimandos non putabant.

Edvardus Badenſis poſſeſſione ſua excluſus, Langharium tamen apud Treviros frangit.

1596. Batavi Epternacum invadunt, captivumq; Abbatem non niſi ingenti lytro dimittunt.

Quo tempore præſens admodum amittendæ quoque ſub Gallis libertatis periculum Lutzelburgum

1597.

Lutzelburgo Bironius Gallorum Dux insidiatus cum clade rejicitur.

adiit. Nam Bironius Francicorum armorum moderator, ex Ambiano per ancipites viarum flexus, repentè allapsus mœnibus adstitit, noctisque beneficio tectus portis propior, ad has amoliendas pyrias machinas expedit; sed ab Agricolis Merlienſibus præmoniti haud multò ante cives tanto accedentes glanditim imbre perfudêre, ut intelligerent se ad Martis officinam appulisse, & pontibus, scalis, malleis, sarcinisque post terga relictis discrimini se properè eriperent. Oppidani eventu læti, ob discussam non sine Dei auxilio ferream hanc tempestatem, & in hostes tam feliciter aversam, XV. ante calendas Decembres diem annua supplicatione venerandum instituêre, Albertique Archiducis literis haud multò post laudati sunt. Hic verò cum Regis Catholici militem, ad levandum Belgium, in transrhenanas quoq; imperii oras pro hibernis, indulgente Cæsare, partiretur, imperii Principes id minimè ferendum rati, alienæ liberalitatis præmia exsolvere recusârunt.

1598. Binsfeldius Trev. Suffraganeus raræ laudis vir moritur.

Mortalium hoc tempore consortia deseruit, immortalis memoriæ vir Petrus Binsfeldius, Episcopus Azotensis & Metropolis Trevericæ suffraganeus, qui suam de rebus divinis jurisque Canonici peritiam diversis librorum monumentis testatam reliquit. Solo Enchiridio Animarum Curatoribus elaborato facem accendit, nullo ævo extinguendam. Homo opum honorumque, tam fugiens, quèm dignus, æquitatis rectique non minus sciens, quàm tenax. Luxus delitiarumque osor. Disciplinæ tam strenuus seriusque sectator, ut adulari neminem, etiam se eminentiorem, soleret, cum illius esset decus tuendum. Pestifera correptus lue, debitam naturæ 14. Novembris solvit, in æde S. Simeonis, cui Præpositus fuerat, juxta limen templi inferioris (quod illius modestiæ votum fuit) proximè tres infantes ex uno partu lavacróque depositos, tumulatus, ut cum parvulis ad Deum evocari posset, qui ut virtute magnus, sic demissione parvulus in vita fuerat. Tam

1599. eximium ministrum Joannes Archiepiscopus jam se-

ptuagen-

pragenario major ponè secutus est. Qui Confluentiæ morbo sensim ad extrema devolutus, non imparatus mortem cal. Maii excepit, viscerâque unà cum corde Societatis Jesu in templo tanquam fundator istic depositi corpus verò Treviros ad Monumentum juxta ostium summæ ædis Septentrionale nuper magnificè excitatum transmisit. nobilius, ut spes fuit, in cœlo, ex virtutum suarum æstimatione, habiturus. Ceterum quod Monumento ad perfectionem deerat, Lotharius post annos XIV. cum hac inscriptione supplevit.

Joannes Archiepiscopus moritur quoque, successoremque habet Lotharium.

Ioanni à Schonenberg Archiepiscopo Trev. Electori, fidei, pacis, & publicæ rei studiosissimo Principi, Sacrarum idium cultori & autori maximo. Collegii Societatis Iesu in Confluentibus Fundatori. Evocato à mortalibus ad immortales cal. Maii 1599. regiminis 18. ætatis 74. Hoc monumentum notæ virtutis jam penè perfectum, ponebat Lotharius Antecessori successor.

Conspirantibus deinde suffragantium votis Lotharius à Metternich, ex Juliaca nobilitate, postea Winneburgum traductâ, Matre verò de Petra editus, cathedræ Trevirensis honore VII. Junii potitus est. Materni ille avunculi Joannis de Petra Archiepiscopi curâ, sub Patrũ Societatis Jesu institutione, ad eruditionem virtutemq; formatus, ubi primario Trevirorum clero adscriptus fuisset, singulari ceteris ejusdem ordinis frequentiâ in divinis templi officiis prælucere cœpit. Unde Scholastici, ut vocant, dignitate ornatus est: Mox legationibus muniisque publicis, vario industriæ prudentiæque experimento probatus, ut erat omni genere eruditionis, jurisque scientiâ & linguarum, præter Latinam, vernaculamque, Gallicæ etiam Italicæque usu excellenter promptus, dignissimus ante omnes visus est, qui Schonenbergici jam ætate morbisque fracti partes sustineret. Quibus officiis ita functus est, ut eidem deinde perpetuâ esse, in Archiepiscopali mitra, vellent. Unde Sacer-

dotio Treviris in domo probationis Societatis Jesu, à Coriolano Auserensi Episcopo Apostolicæ sedis legato, post excultum octiduanis S. Ignatii exercitationibus sacris animum, ritè initiatus est. Romamque Georgum Helffensteinium, ex Decano S. Simeonis in Suffraganei munus assumptum, virum integritate vitæ & doctrina eminentem, Pallii impetrandi gratiâ ablegavit. Quod, creatus istic Episcopus Azotensis ipse, pro Lonatio, à lubente Pontifice Clemente VII. retulit: qui dignis impendere hunc se honorem posse, gavisus est.

ANNA.

ANNALIVM TREVIRENSIUM.

LIBER XXIII.

Lotharius Archiepiscopus.

BEnè auspicatum Lotharius exordium à seculari anno Christi MDC. duxit, utq; Romæ se probatum vidit, pontificiâ Confluentiæ tiarâ die Julii XXX. ab Auserensi Romanæ sedis legato, & Moguntinensi ac Trevirensi Suffraganeo, in æde S. Florini ornatus est. Vir, ut cultissimis moribus, ita personæ dignitate ac gratia ad principatum natus. Frons illi amœna atque exporrecta, genæ leni suffusæ purpurâ, læti sub nigricante supercilio oculi, nasus mediocriter elevatus, tota facies ad serenitatem explicata, capillus modestè demissus, statura corporis moderatè crassi media, prompta adhæc oris facundia excelsis illum muneribus aptaverant.

1600. Anno seculari bonis auspiciis Lotharius fit Episcopus.

Jam ingressurus administrationem, multa sibi, cùm privatim, tùm publicè, deesse comperit. Vacuum domi exhaustúmque cum penu ærarium; publicum verò tam calamitate temporum, quàm malè administrantium fraudibus attenuatum. Quare Comitiis Confluentiam indictis, patriæ suisque necessitatibus consultum voluit, utque promptioribus uteretur ceteris, Procerum ante gratiam ad consensum tributorum liberalem conciliavit. In quibus cum Reinerus S. Maximini Abbas haud illiberali adstipulatus suffragio fuisset, ratus sibi ob hanc promptitudinem indulgendum, priscæ immunitatis obtentu: ubi denique se in partem exsolvendorum promissorum

Regimen à Comitiis Confluentiæ ad levandam aulam patriamque necessitatibus instituit.

missorum vocari sensit, deprecari primùm, mox obluctari, nec quicquam, nisi juris sententia damnatus, velle exsolvere. Unde lis gravissima, jam triginta facilè annis sopita, non levibus utriusq; partis damnis, concitata est.

Abbas S. Maximini subesse recusat.

A comitiis Lotharius ad œconomiam instaurandam versus, ministeria ad ornatum aulæ magis, quàm necessitatem instituta submovit, Quæstoresque cùm domesticos, tum provinciales ad rationes evocavit, quosque ex his minus reperisset fidos, vel officio submovit, vel gravioribus etiam pœnis castigavit haud magnâ invidiâ, cũ depressis aliis velut in bilance alii extollerentur. Domesticorum verò imposterum rationaria in dies volunt exhiberi; ne fraudes temporum tenebris involverent.

Oeconomiam ordinat.

Jubilæus inter hæc Romæ annus, qui plenâ remissionis scelerum pœnarumque indulgentiâ vulgatus erat, ingenti ex nostris etiam oris populi frequentiâ volvebatur, tantâ pietate Clementis procerumque Ecclesiæ Romæ obitus, ut primæ notæ hæretici, qui curiositatis gratiâ affluxerant, cum illos, ad pauperum servitia, pedesque etiam abluendos osculandosque, abjectos cernerent durum pectus emolliti, ad Romanæ orthodoxæque Ecclesiæ matris gremium prodigi filii redierint.

Jubilæi Romani celebritas & fructus.

Lotharius, ut & suos ad sequentis anni Jubilæum disponeret, post accepta à Cæsare regalia fidemque à subditis, diœcesi, sese lustrandæ, atque ad disciplinam formandæ impendit, hunc laborem cum Helffensteinio Suffraganeo ex æquo partitus. Qui juncta deinde operâ Limburgense trans Rhenum, Hassos inter Nassoviosque, periclitatum ab hæresi territorium, atque inprimis Collegium illic haud infrequens Canonicorum, orthodoxæ religionis moribus, à discrimine revocare conati sunt.

Ecclesiastica disciplina per diœcesin, & inprimis Limpurgi instaurata.

Quando Ibraim Bassa Turcarum, post occupatam in Hungaria Pappam, fortissimum Stiriæ munimentum Canissam præsidiariis ære corruptis, invasit, Michael Moldaviæ, & Batorius Transilvaniæ, fidem Deo ac Cæsari obnuntiarunt. Carolus Suecus Sigismundi patruus, ut hunc eliminaret Suecià hæresin bonorumque Ecclesiasti-

siasticorum rapinam indulsit. adeóque hos inter destituta jam olim Germanorum salus fluctuabat, nisi hanc Principum ad Rhenum fides constantiáque inprimis sustentässet. Emmanuel etiam Dux Lotharingiæ, suis ac Trevirorum armatus copiis, semel iterumque Turcarum Victor, Albam illis Regalem in Hungaria eripuit; sed aurâ loci Germanis iniqua afflatus Norinbergæ, dum novum cogit militem succubuit. A Persarum Imperatore quoque Legati, Anglo quodam Sirleo Duce adfuêre. Qui Cæsaris Principumque imperii arma in Turcam secum jungi rogabant; sed licet Lotharius & plerique Catholicorum Principum cum Rudolpho prompti essent; Protestantes tamen, qui Austriacorum per Hungariam vires nolebant invalescere, id consilium averšabantur. Porrò Lotharius, cum hinc Palatini, inde Hollandorum medius, Ehrenbreitsteiniana in arce sederet, hanc quibusdam muris labantem, omni diligentiâ instaurandam censuit: ne quis illud Mosellæ Rhenique claustrum hostis interciperet.

In periculo à Turca & hæresi vicinorum imminente, Germaniæ per Ecclesiasticos ad Rhenum Principes, & Lotharingum adsistitur.

Ehrenbreitsteinium instauratur.

Subinde, vertente anno, Jubilæi in suam quoque diœcesin fructum gratiamque derivaturus Princeps, vulgato Pontificis suoque diplomate, ipse Treviris cal. Novembris, à supplicatione solenni, exordium duxit. Visumque id placere Superis, qui antecedentium aliquot annorum sterilitatem, hiemisque asperitatem proximam, mitiori ac fertilissimo tempore pensarunt, ut consueta vini mensura, uno denique væniret sestertio. At mulieris istic Elisabethæ & Jacobi Muller apud Limburgenses fecunditas malè ominata fuit, dum prolem ex partu geminam, ventre tamen coalescente unam fudit. Quæ, ut erant ex Lutheri & Calvini schola juncti, has quidem cohærere ventre sectas, capitibus tamen manibusq; ac pedibus dissidere non inani symbolo arguebant. Uti alius id temporis partus androgyni militis, in Christianorū adversus Turcam castris, eorundem velut exviris in feminas degenerantium ignaviam præfigurare est visus; quando Turcis rursus, Albam Regalem, Pestum,

1601. Jubilæum Treviris piè celebratum rara ferilitas consequitur.

Prodigiosi & malè ominati partus.

Christiani Turcis multa loca cedunt.

Pestum, Strigoniumque in Hungaria deseruêre. Fell.

Galli & Hispani felix partus ac pax

ciorem Gallia ex Maria Medicæa (quam Henricus IV. Margarita Valesia, ut consanguinea & sterili, relicta, duxerat) Ludovici XIII. partum vidit, & Hispania eodem Septembri mense Annæ Mariæ, Ludovici posteæ conjugis, tanquam in ipso natali tempore ad connubium destinatæ, quod communi gentis utriusque pace auspicatum fuit. Quâ & Treviri gavisi sunt.

Natalitiis sua etiam funebria mors in Treviris junxit. Et Henricus quidem Nassovius ex domo Spur-

Domus Spurkenburgica & Seinensis comitum Trev. herede destituta. Unde lis nata.

kenburgica ad S. Lubentium Archidiaconus vetusti generis stirpem, fidemque moriens clausit. Henricus etiam Seinæ Comes ex Decano Agrippinensi, generis in matrimonio futurus propagator, sterilis occubuit, variisque hereditatem possessoribus diripiendam reliquit. Cumque hinc Palatinus, inde Wirgensteinius Comes involarent, Lotharius feudi jam caduci Dominus Seinam, arcesque Friesbergæ & Burgbrulæ occupavit. Unde disceptata res lite, cum alii mixtum, Lotharius merum esse feudū contenderet, quæ judiciis usque ad hoc ævum sine exitu ventilata, nuper denique sub Archiepiscopo Carolo Casparo, mutua conciliatione quievit. Hæc de bonis. Quo anima Henrici transierit magis incertum. Illud constat, non à Colonienſi solum Ecclesia, sed & Romana abiisse, priscaq; majorum fide, aut illos degeneri hoc facto damnans, autipse damnandus.

1602.

Reliquiæ Veneficorum Treviris proditæ & sub latæ.

Expurgata dehinc reliquiis Veneficorum Treverica diœcesis, fuit. cum rea hujus flagitii mulier, postquam à complicibus instigata, magicis proprium filium artibus sustulisset, parricidii atrocitate perculsa, se complicesq; Judicibus aperuisset. Quibus convictis, omnes ignibus addicti sunt. Sed educenda ad supplicium mulier, tantâ in consortes indignatione flagrabat; ut obluctata, vix denique per Sacerdotem ad ignoscendum, seque lictoribus permittendam inflecti potuerit. Illi paribus deinde flammis consumpti, funestâ hac mortalium lue patriam liberarunt.

Domus Probationis Societatis Jesu Patres eodem tempore primæ Proba-

Probationis domum, Treviris Lotharii Principis operâ, moliri cœperunt, oblatâ ad hanc rem Mediolacensis Abbatiæ domo vineáque intra urbis pomœria neglecto sterilique agro, atque alieno præter hæc ære gravato. Quam possessionem justo comparatam pretio, novo ædificio agrorumque cultu tyrones illustrarunt, Principe quinque florenum millia, tum ad loci amplificationem, tum Sacelli instaurationem conferente: cujus liberalitatem alii vicinorum Prælatorum inprimisque D. Maximini Antistes imitatus est, ut collatis ad domesticas facultates exterorum opibus, ad præclaram amplamque habitationem emerserit, qua diu utriusque Rheni Provinciæ tyrones educati sunt.

cietatis Jesu Treviris constituta.

Profuit deinde Trevirensibus pacem Anglos inter Hispanosque sanciri, quam Jacobus Angliæ Rex, post Elisabetham Hollandicæ rebellionis facem adjutricemque sepulchro clausam, amplexus est. Quâ, accisis Batavorum viribus, arctioribus sese spatiis continuêre. Quanquam alibi per Germaniam Calvinistarum vires audaciaque crescerent. Illi enim, cum se Passavicæ transactionis legibus excluſos memorarent, Episcopatus ad se diversos religione mutatâ translatos (quod istic vetitum erat) antiquæ fidei possessoribus negabant; recusatóque tribunali Cæsareo, aliud suæ factionis hominum erectum ibant; cui Palatinum, ut caput supremum directoremque præficiebant. Quòd negarent in causa religionis solos Catholicos debere esse Judices; sed ex utraque hos parte deligendos.

1603. Batavorum vires separatis Anglis accisæ sunt, sed Protestantes Calvinistæ per Germaniam junctæ vires invaluêre.

Lotharius igitur cum Moguntinensi Electore, quibus Saxo aliique Catholici adhærebant, ad comitia imperii provocabant. Et his Calvinistæ, licet inviti, adesse coacti sunt. Ubi cùm ostendissent Catholici, ex utriusq; religionis Catholicæ & Lutheranæ Jurisperitis, decreto Cæsaris anni 1598. in Camera Spirensi admissis, abundè justitiæ religionique provisum videri: nihil tamen ab Adversariis obtineri potuit. Quod tali judicio Calvinistæ, à quo ipsi Judices excluderentur, parere nollent.

Comitiis non acquiescunt; & aliud in causis Ecclesiasticis tribunal volunt.

Unde

Unde neque ab his quicquam auxilii contra Turcam impetratum est, Saxone licet ad hoc bellum accedente.

Lotharius nimium in Ehrenbreitsteinio firmando festinat.

Lotharius ex his nubibus secuturam armorum tempestatem auguratus, cum toto impetu ad castri Ehrenbreitsteiniani munitionem, continuato etiam festis diebus opere incumberet, ipsa demum omnium Sanctorum nocte aggerum eductorum moles subsidit in fossas & pleraque in priorem faciem rediere, ut neglecti suis festivitatibus Superi has de se vindicias exegisse viderentur. Provisum inter hæc à Rheni Electoribus rei monetariæ variorum numorum corruptelis pessundatæ. Quare & Mittelburgici Rosæ-nobiles proscripti sunt, aliisque numis inprimis Philippeis, aureisque diversorum, definitum pretium constitutum est.

Fons Schweichii salubris multa frequentia aditur.

Quo tempore saluberrima fontis scaturigo Swveichii, sex passuum infra Trevirim millibus exorta, celebrari cœpit. Rusticus loci, qui gravi in morbo ex eo sanitatem hauserat, revulgatâ plurimos sensim afflictorum traxit. Is vicinum ad consulendum de valetudine necromanticum ablegârat, cum octo vini sextariis, quod muneris loco esset. Hic aversatus factum, vino domi transfuso, congium proximi fontis aquâ, sibi quondam ad scabiem abstergendam utili, explet; reduxque nuntiat, hanc aquam à fatidico submitti, quâ sensim hausta salutem recipiat. Et verò id factum, hausit, convaluitque. Quod, ut vicinus conspexit, fraudem fontémque detexit. Quo eventu prædicata aquæ virtus multis languentium ad valetudinem profuit, sensimque tanta remotis ex locis etiam frequentari multitudine cœpit, ut ex Julia Dux ipse Joannes Wilhelmus, ejus stirpis ultimus, jam delirantis cerebri aliquot petiturus remedium accederet, ex quibus licet alii sanitatem referrent, ut illustris Dominus Guilielmus Walderdorfius, de Limburgensi desperatè ægro testatus est; alii tamen spe sua destituti, ut & Juliæ Princeps, ad patriam rediére. Nec mirum, cum nec omnium morborum una sit medicina: nec ejusmodi fontes, eadem

mineralium vi, (quam hic aluminis aurique repererunt Medici) sensim exhausta, semper abundent. Unde hac ætate evanuisse deprehendimus: *ut nihil ferè excellens in humanis diuturnum est.*

Amisit & hoc tempore Lotharius fratrem uterinum Guilielmum Quaed, Dominum in Landscron, Cardonensis Ecclesiæ Archidiaconum, & Limburgensis Præpositum, virum omnis historiæ & antiquitatis rerumque civilium apprimè peritum. Qui maturus ævi, cœlo jam dignus piâ morte visus est. Mors Domini Quaed, ex Landscron.

Quem duæ eodem anno Virgines, quodque admiteris Lutherana ex his altera, mundo in Parthenone mortuæ, sunt consecutæ. Illa Clusam unà cum parentibus amicisque profecta, postquam Deiparæ sese illic devovisset, redux, instructis, velut nuptialibus, epulis, ad has pauperes duodecim invitari voluit. Qui à mensa liberali etiam eleemosyna donati rediere. Hæc tam illustri exemplo, aliam genere nobilem, heterodoxis editam parentibus ad imitationem traxit. Importunis illa opportunisque genitores sollicitare cœpit precibus, sibi ut in illo Virginum contubernio, quod ad S. Claram sanctitate Deo castè servientium eximium est, vivere, Deique obsequio consecrare ætatem liceret, pervicit denique ut ab ipsismet parentibus ad Societatis Jesu Sacerdotem deducta, Trevirim in Catholica primùm religione (quàm plerique Protestantium in Romana Ecclesia ritè observari posse autumant) orthodoxè formata est, deinde etiam Parthenone recepta. Quo, ut ab iisdem se parentibus introductam lætabunda conspexit; tum in genua ante eos provoluta supplex oravit: ne quam aperuissent filiæ ad salutem viam, hanc sibimetipsis, à Catholica extorres fide, intercluderent. At cum facilius sit suadere recta, quàm exequi, ancipiti hæsere diu consilio, quod tamen postremò genitor imminente jam morte amplexus est. *Mori* enim *plerisque cathaliè, quam vivere est suavius.* Virginum duarum, in quibus hæretica & nobilis, ad religionem transitus.

Apud Belgas alternante fortuna dimicatum est. Osten-

1604. Ostenda ab Hispanis occupata.

Ostendam, post triennalem obsidionem, Dux Hispanus magno Acatholicorum dolore Spinola occupavit: Cassandam insulam, Isendicam, & Seluſam Hollandi. Unio Protestantium adversus Catholicos, Ecclesiastica bona repetentes, Heidelbergæ sub Correspondentium nomine concluſa, federisque ac supremi judicii caput delectus Palatinus. apud quem singuli statuum hoc ordine suum quique Legatum possidere atque alere jussi, Brandeburgicus, Hassus, Badensis, Anhaltinus, Comites Wetteravici. Hollandi; reliquisque accedere volentibus promiſſus aditus. Quibus primò in causis religionis, deinde in omnibus Evangelicorum statuum libertatem concernentibus, tertiò in incivilibus, quartò in rebus ad concordiam federatorum, postremò ad conciliationem finitimorum pertinentibus ultima decidendi facultas, conſciis tamen principalibus, conceſſa est: aulico etiam Cæsaris judicio in his causis obnuntiatum: Cui solum pacis communis violatæ controverſiasq; de Principatibus ditionibusq; conferendis volebant competere. Ita subditi Imperii suimet Imperatoris facti Domini, post eversam Majorum religionem, occupatáque Ecclesiarum bona, negatum de his Cæsari judicium, sibi protervè vendicabant, propria ipsi in causa Rei simul fururi & Judices, consilio vel extremis barbaris erubescendo, quo tamen ad graviſſimam bellorum calamitatem devoluta cœcè Germania est.

Protestantium sub Palatino Principe unio & institutum judicium.

Mauritius Hassiæ Calviniſmum pro Lutheranismo inducit.

Quo tempore, cum defuncto Ludovico Hassorum Principi Mauritius nepos Calvinizans succeſſiſſet, hic apud Marpurgenses receptus, suæ omnes religionis esse jussit, & quotquot Academicorum obluctarentur, excedere, qui magno numero Geiſſenæ à Darmstadianis admiſſi sunt. Ipse dein Mauritius Prædicantis loco ad vulgus pro concione dicere auditus est. Ita Vertumni isti brevi tempore triplici religione transformati nihil priscæ germanæque constantiæ retinere visi sunt.

Lotharius cum eo ra-

Cum hoc Mauritio ratione finium regundorum quibus permiscentur, Lotharius per Legatum Melchiorem

Elztium

Eltzium transegit, comperitque Hassis deficientibus Saxonem ex pacto successorem relinqui, sub quo ad Lutheranismum utique remigrandum foret. Ita pro ingenio Principum de religione in Germania luditur, Dominique credunt quod volunt, subditi etiam quod volunt.

tione finium transigit.

Mortuus est supremus Lutzelburgensium Gubernator Petrus Ernestus Comes Mansfeldiæ. Cujus ex concubina prodiit in fide ac moribus degener Mansfeldius fax illa rebellionis Germanicæ. Iste Deo Regique fidus, plurium bellorum, aut miles, aut Dux, utráque exercitatus sorte, non agendo minus, quàm patiendo fortis extitit. Memorabilem, juxta urbem, hortum, duobus cum valle amœnissima montibus, longo murorum ambitu, inclusis, excitavit. Quo omne voluptatis, etiam obscœnæ, genus, in statuis ex prisca gentilitate productis, captabat, fontesque ac balnea, quæque avibus, piscibus, ferisque alendis facerent, cum insigni ædificiorum varietate concluserat: ut paradisum in terris instruxisse sit visus. Sed hunc illi mors brevi; nobis quinquaginta post illum anni pæne totum ex oculis sustulerunt. Ita præter vastitatem loci rudera-mque acervos, vix quicquam admiratione dignum supereſt. Ut appareat *quam fluxa mortalium rerum voluptas sit, quâ vix fruimur, & evanescit.*

Petrus Mansfeldius Lutzelburgi Gubernator obiit, cuius amplissimus & ad omnē voluptatem instructus hortus brevi concidit.

Clementi posthæc Romæ defuncto Leo XI. aliquot ejusdem Aprilis Diebus, successit, Paulo mox V. locum facturus, qui Venetos, immobilia Ecclesiasticis bona prohibentes, sacris interdixit, haud levi reip. perturbatione, quâ Societas Jesu Pontifici obsequens exclusa est, quam septentrio variis locis recepit, Lotharius etiam Treviris frequenti beneficentiâ, eáque fere annuâ, ut auctiores numero invalescenti per viciniam hæresi opponeret. Quamvis impunè hujus insolentiam, nec Deus ipse sustineret. Siquidem Marpurgi Crucifixi imaginem deturbans, ab eadem oppressus intra triduum exspiravit: alter Iconomachus è sublimi præceps,

1605.

Paulus V. in sede Rom. succedens Venetos sacris interdicit. ubi Societas Jesu exclusa Treviris promovetur.

Iconomachi variè puniti à Deo.

fractâ tibiâ, prostratus est: tertius in agro Treverico dum statuæ Deiparæ in lutum abjectæ resumendæque illudit, incurvatus in terram obriguit, & ceu statuâ, in domum curru relatus est. Franckenbergæ verò in Hassia dum Prædicans pro concione fulmen Ecclesiæ suæ, nisi veritatem assereret, imprecatur, templum igne tactum consumptūq; est. Secus in Trevirorum suburbio D. Barbara honorata suo ex fonte bibentibus periculosam vicinamque lepræ scabiem absterst. Lues etiam pestifera, quæ gravissimis in Treviros cladibus latè fusa grassabatur, supplicatione publicâ, ad Dei Divorumque opem implorandam institutâ, remedium invenit.

Ecclesia Prædicantis execratione fulminata.

S. Barbaræ patrociniū.

1606.

Verùm alia conjuratorum in religionis novæ unione pestis cum per Rhenum Mosellamque latius indies serperet, Lotharius in arce sua Confluentina, cum Suichardo Moguntinensium, & Ernesto Colonienſium Septemviro, de opportuno sibi defensionis præsidio, hoc est, unione Catholicorum alteri opponendâ providendum esse statuerunt. Cujus rei gratiâ, postquam Fuldensibus inter orthodoxos comitiis disceptatum esset, facilius cunctis fuit morbum, quàm remedium invenire: Cùm per hoc illum magis crederent exasperandum.

Electores sacri consilium unionis adversus Protestantes suscipiunt.

Suffraganea Virdunensiū Ecclesia, in causarum provocatione metropolitam Trev. sequi & audire debet.

Eodem tempore Metropolitani apud Treviros judicii autoritas à Provincialium Virduni Judicum exceptione fuit oppugnata; quod ad hanc provocantes Clerici, indicias tantùm delictorum, in Ecclesiasticæ disciplinæ ruinam quærerent, causæque æquitati per circuitus judiciorum, inusitato hactenus more, illuderent. Quibus cum Bodechemius Justitiæ Præses, non minus sciens, quàm amans æquitatis, morem hunc, & Majorum exemplis, & Apostolicæ sedis institutis conformem tradidisset, repertumque, tam ad meliorem causarum discussionem, quàm inferiorum Judicum temeritatem infringendam, mansit hæc appellandi libertas.

Non omittam prodigiosæ magnitudinis repertum hoc

hoc tempore ad Loganam, in prærupto amnis Elbæ loco Monocerotis cornu, quod minerale putant Medici, tantæ molis, ut justum unius hominis æquaret pondus. Dolendum verò quod cupiditate invenientium in plures dissectum partes, oculis posteritatis servatum, oblatumque, ut decebat, Electori nõ fuerit, qui haud procul Confluentinis Principum Comitiis intererat. Aliud tunc quoque Rhenum Germaniamque inferiorem Ventorum immane prodigium tenuit.

Cornu ingẽs juxta Loganam supra Confluentiã repertum est.

Qui tantâ in homines, arbores, tectaque vi irruebant, ut avulsa quæque sedibus, ad loca procul dissita, transferrent: Ita inter ipsa Ubiorum mœnia, è grandioribus arboribus facilè octoginta novo in foro evulsæ radicitus, repertáque domorum tecta, quæ sublata trans Mosam ventus avexerat, ut taceam homines procul deportatos, quibus Dædalus hic alas fecerat.

Ventus insolẽs qui evertit, transtulitque tecta & arbores.

Pontifex, ut pacem conciliaret Ecclesiæ, jubilarias rursum supplicationes indulgentiasque ritè expiatis concessit, eo quidem successu, ut Turca Cæsari viginti annorum induciis conciliatus sit. Moscovita tamen, Demetrio Magno Duce interempto, Ecclesiæ Rom. ut spes erat, conciliatus à Possevino non est: nec Batavi Hispano ad pacem inclinati; Cum libertatem religionis Indicamque navigationem nollent amittere. Denique igitur cum tanto sibi Christianorum hoc bellum sanguine, & centum ac viginti facilè consumptis auri millionibus stetisse, & absque fructu, intelligeret, post biennium duodecim eis annorum inducias detulit. Quanquam dum hæc agerentur, prædatricibus inter se collisi turmis, & cruenta quidem in Clivia dimicatione fuerint, ubi primo victi Hollandi amisere Ducem suum Adolphum Nassovium, postea victores Hispanos captivitate deditos in ultionem Nassovii perfidè sustulerunt: Quies tamen hinc major Trevirorum finibus parta est.

Jubilarias Indulgentias Põtificis pax cum Turca consequitur.

1607

Hollandi induciis conciliantur.

Mutua ante clade utrimque collisi in prædis.

Tristior his mors accidit laudatissimi Ducis Catoli Lotharingi Cardinalis, Metensium atque Argentinensium Episcopi. Qui virtute suâ, ut notissimus, sic carissi-

Carolus Lotharingi filius & dein Pater moritur.

clariſſimus omnibus, generis decus, religionis cultu, & beneficentia in ſubditos vincebat, immaturo floreti adhuc ætate fato patriæ ereptus. Quem Carolus Pater, annis meritisque plenus, anno proximo eſt ſubſecutus. Uterque vita longiore dignus, ſi ſolis illa virtutibus impenderetur.

Improviſa ſed pia Concionatoris mors.

Alterius, ſed minoris è Societate Jeſu viri, non minus inexſpectata mors fuit. Is erat Lucas Ellents Eccleſiaſtes diſertiſſimus, qui cū pro concione ſumma in æde calendis Januarii de ſuaviſſimo nominis Jeſu cultu quamque is morientis in ore præſtans eſſet ardentiſſimè diſſereret, probaturus orationem re, catarrho oppreſſus mori hac in voce cœpit, ac vivere deſiit, ut alibi incipe-ret, poſtquam annis ſex & viginti de cathedra Treviros docuiſſet, ægrisque ac pœnitentibus indefeſſo labore adſtitiſſet. cujus ſepulchrū anno toto floribus lacrymisq; civium, mortem dolentium, aſperſum eſt. Qui cum olim veneficii ream ritè diſpoſitam ad ſupplicium eduxiſſet, grandinis procellâ (quam mulier præmonuerat à Dæmonibus in ejus perniciem conjuratis excitandam) pænè obrutus, cum reliquis fuiſſet niſi quæſito perfugio ejus vim declinaſſet, meliori ſorti reſervandus.

Dæmonis arte excitatam procellam vitat.

1608.

Plus calamitatis anno proximo intulit hiems rigidiſſima, quæ vites apud Rhenum Moſellamq; & ipſa apud Hollandos gramina radicitus ſuſtulit, ut, deficientibus pro pecore alimentis, caſeus butyrumque iſtic, hic vina interciderint. Hungariam diverſa armorum tempeſtas perculit, quando Hæretici libertatis cupidi, turbarum magis, quàm religionis fautorem nacti Matthiam Rudolphi Cæſaris fratrem, eidem magnis copiis hæſerunt, ut fraternæ Auſtriacorum, novo exemplo, acies in campo opponerentur, donec Pontifice & Hiſpano arbitris Auſtriâ Hungariâque Matthias, Rudolpho cedente, potitus eſt, audaciæ ſuæ præmium, ſed aliena indulgentis fratris virtute, conſecutus. Qui pacem regionibus prætulit, fratremque ſibi devinctum, quam tetras habere maluit.

Inſolens hiemis aſperitas

Matthias frater rebellis, Rex evadit.

Comi-

Comitiis interea Ratisbonensis imperii Principes convenerant, quibus Ferdinandus Archidux Cæsaris nomine præsidebat. ubi varia quidem in deliberationem adducta, inprimisque de conscribendo exercitu, qui adversus quoslibet imperii hostes serviret. Verùm Protestantium confederati, quicquam se præstituros negabant, nisi devolutis ad suos Ecclesiarum bonis frui quietè possint, & erectum à se Justitiæ sub Palatino tribunal probetur. Quod cum non solùm Catholici ordines, sed Augustanæ etiam Confessionis plures, indignum censerent, majori, quàm convenerant, dissensione animorum comitia sunt dissoluta. Quo tempore virum Treviris incomparabilem tribunalis Ecclesiastici Præsidem Bartholomæum Bodechemium Delpho-Batavum morte amisit. qui præter eminentem juris peritiam, novem facilè linguarum cognitione pollebat, illustriori tamen super hæc virtute spectandus. Collegium Societatis, in quo sepulchrum ad lævam aræ maximæ nactus fuit, dono bibliothecæ instructissimæ, ac decem facilè dalerorum millibus, in sua paupertate erexit: dicere solitus, *illis sese omnia debere Patribus, à quibus primam rectè vivendi disciplinam hausisset*, argumento paucis usurpato.

Comita Ratisbonensia irrita, propter Confederatorum Protestantium pertinaciam.

Bodechenius Officialis Treviris magnâ laude defunctus.

Clausit diem extremum quoque Joannes Comes Nassovico-dillenburgius. Mercurii dies, qui eidem fatalis fuit, perpetuâ celebritate quot mensibus comprecationi publicæ solennique est consecratus, ne quid Catholicis in memoria mortuorum viderentur concedere; fastos brevi completuri festivitatibus si parem ejusmodi sanctis venerationem deferant. Sex ille filiis hereditatem partiendam reliquit. Comiti Wilhelmo Dilleburgum, Joanni Sigena, Ernesto Dietzium, Georgio Dridorffium, Ludovico Hadamaria, Casimiro Rosbachium & Throna cessit; divisione opinor ultima; cùm eis à Canonicalium Ecclesiarum consortio digressis vel heredes, vel hereditatem deficere, necesse sit, nisi redierint unde egressi sunt, & matres devorare cessent, à quibus tales pulli alebantur.

Joannes Comes Nassovicus sex heredibus relictis moritur, & festo die honoratur.

Religio erescit in Indiis, deficit in Europa.

Creſcebat per orientem occidentemque ſolis plagam religio, cum Paulo V. ſuperiori anno per legationem Rex Congi, hoc etiam Rex Perſarum Xa-Aba obſequium detulerit; quando per ſeptentrionem eadem peſſum ibat, parteſque hæreticorum ipſi etiam fovebant orthodoxi. Joanne enim Wilhelmo Juliæ Cliviæque Principi, ſine liberis defuncto, ſucceſſuræ ex privilegio Cæſaris ſorores, litis ingens argumentum dabant, quòd ex quatuor natu major, Maria Eleonora ante fratrem mortua, Annâ neptē Joan. Sigiſmūdo Electori Brand. nuptam reliquiſſet; altera fratri ſuperſtes Wolffgangum inſuper Wilhelmum ex Philippo Ludovico Neoburgico heredem oſtenderet. Magdalena Joanni Bipontino tradita pecuniariam dotem exſpectaret, Sibylla Carolo Auſtriaco data ſuo ex ordine jure frueretur, quod denique pacti lege Wolffgango ceſſit. Sed & præter has Albertus Saxoniæ Electror, tum ex diplomate Friderici & Maximiliani I. Impp. tum ex pactis dotalibus, cum Sibylla Clivenſi, ſanguine proxima, quam Fridericus Elector duxerat, jus ſibi vendicabat. cui Rudolphus Cæſar favere viſus eſt, licet ſibi etiam, ut feudum caducum, vendicaret. vnde Leopoldum Auſtriacum patruelem cum expedito milite ad occupandum Juliacum deſtinavit, qui eodem, ſequeſtri tamen nomine, receptus eſt. Adverſus quem Brandeburgicus cum Neoburgico conſiliis armiſque ſociatis, unitorum Proteſtantiū (ex quorum hi numero) tum Hollandorum, & Henrici IV. Galliarum Regis opem implorabant.

Juliacenſis belli origo poſt Joan. Wilhelmum defunctum.

Rudolphus Cæſar per Leopoldum patruelem Juliacum occupat.

Eccleſiaſtici igitur ad Rhenum Electores rurſum Confluentiæ apud Lotharium excepti, de federe Catholicorum Unioni Proteſtantium opponendo, jam denique concludendo agunt, cui Bavariæ Ducem Caput præficiunt, recipiuntque, cum Ordine Teutonico, ceteros Romanæ Eccleſiæ per Germaniam Epiſcopos, Cæſare ac Pontifice vehementer hanc Ligam (ſic enim appellabant) probantibus, quæ maximis deinde bellis eſt celebrata. Inter hæc, cùm etiamnum quiete fruerentur,

Lotharius cum aliis Catholicis Ligā conflat adverſus Proteſtantes.

rentur ; Treviri, Lotharius metropolitanæ ædis instaurandæ curam suscepit, quod opus memorabili cæmentariorum lapsu signatum est, qui rupto cui innitebantur tigno, ex fornice in imum templi pavimentum devoluti, licet nonnihil læsi, vitam omnes incolumem Divis tutelaribus imputarunt. Et Reinerus ad S. Maximinum Abbas, nobili basilica in suburbio excitata hoc tempore sui memoriam reliquit, illustriorem futuram, nisi ingenti Monasterium ære prægravasset. Unde, ætate jam fracto, cum res ac disciplina neglectæ jacerent, Attilius sedis Apostolicæ Nuntius adfuit, probatumque ejusdem collegii virum, Nicolaum Hunthemium cœnobitis, ad meliora reducendis, præfecit.

Summam ædē reparat.

Reinero Abbati S. Maximini succedit Hunthemius.

1610.

Subinde Halæ Suevorum collecti Protestantes, Hollandorum Gallorumque ope freti, obsidendum Juliacum, armisque extorquendum Cæsari statuunt; sed cum Henricus Galliarum Rex in procinctu expeditionis, instructissimo, quem legerat, exercitu staret, à perditissimo Sicario gemino cultri ictu XIV Maji in rheda conficitur. Protestantes tamen, junctis inter se Batavósque armis, mensis Julii fine Juliacum circumdant. quibus Regina Galliæ rogata Chatræum Marescalcum, cum delectis Francorum copiis, adjunxit, mediis inter hos Treviris haud leve damnum sustinentibus. Ligistæ verò Herbipoli, junctis consiliis, statuerunt Protestantibus occurrendum. At priusquam hi tanto exercitui pares copias opponerent, Juliacense, cum oppido, castrum Septembri mense occupatum est. Quod, Cæsare ac Saxone excluso, duo sibi Principes Brandeburgicus Neoburgicusque, cum Cliviæ Montiumque ducatu, vendicabant. Miserat Lotharium Principem Cæsar, cum Joanne Georgio Comite Hohenzollerano Coloniam Agrippinam, pro adversarum partium conciliatione. quâ impetratâ, se Juliaco cessurum ultro Rudolphus profitebatur, sed cum Saxonis rationem, quam Cæsar postulabat, ceteri nollent haberi, religionisque constituendæ penes se arbitrium esse vellent, frustra laboratum est.

Protestantes cū ope Gallorum Juliacū occupant, Ligistis serius auxilia parantibus.

Lotharius nomine Cæsaris Coloniæ frustra conciliare illos conatur.

Licet ceteri denique vicinorum utriusque religionis Principum, cum ipso etiam Saxone affluxerint. Et Protestantium quidem is conatus fuit, ut vicinas his regionibus imperii urbes, Aquisgranum ac Coloniam, in societatem, non belli tantùm, sed & fidei, ab orthodoxis ad se traducerent. Quod illo successu actum est, ut Aquis Præfectus Cæsaris, quem Majorem vocant, officio atq; urbe pulsus, cum Societatis Jesu Patribus, fuerit: hæreticis, si non jure & numero, certè violentiâ potioribus. Et ne idem Coloniæ fieret parum abfuit, nisi cum Clero & utroque Consulum Lotharius omni vigilantiâ restitissent. Quod præcipuum suæ tulit legationis emolumentum.

Aquisgranū & Colonia in fide periclitantur.

At neque, occupatis jam Ducatibus Protestantium, secuta est quies, cum Brandeburgicus Neoburgicusque inter se commissi, utri potiori jure deberentur, impensè certarent. Illo contendente quod soli primogenitæ sororum competat successio, quæ licet ante fratrem mortua sit, heredem tamen successionis capacem reliquerit: hoc contra nitente, quod sorore primogenita ante fratrem mortua, jus ad secundo genitam devolutum sit: quæ etiam heredem tulerit masculum successionis capacem, cujus filia primogenitæ fuerit incapax: cum indultum Caroli Imperatoris ad omnes Wilhelmi sorores, eásque solas, extendendum sit. Quæ lis per varias ducta judiciorum ambages nondum exitum reperit, Gallici Legati (quem Cæsaris, qui feudi Dominus erat, præhabuêre) industria neutri Principum satisfecit, Fridericus Palatinus, ut supremum unionis, & Judicii factiosorum caput, denique autor fuit, ut dum lis definita esset, vel ipsas inter se partirentur provincias, vel eorum proventus annuos, qui centum Imperialium Dalerorum millibus æstimati erant: quorum prius denique, at non sine bellorum collisione, obtentum est. præsertim, ubi Neoburgicus ad Catholicorum & Hispani partes orthodoxæ fidei amore transîsset, quòd Juliam Mô-tesque ipsi commissos, sibi Protestantes eripi gravatè ferrent.

De Juliaco Brandeburgicus cum Juliacensi certat.

Provinciis divisis Clivia Brandeburco, Julia & Montes Neoburgico cedunt.

Floren-

Florentissima hoc tempore Trevirorum juventus millenis facilè capitibus censa, vix priscæ Academiæ cõtineri angustiis poterat; cum Pater Joannes Macherentius corrogato ære, collectoque favore plurium, in quibus Lotharius Princeps, & Philippus Christophorus à Söteren ejus Successor eminebant, Academiam juxta ipsum Collegium novam auspicatus est. turri antiquissimâ, quam Gratiani quondam Imperatoris triumphalem arcum fulcisse memorant, in ruinam, lapidumque transferendorum usum abstractâ. Cujus Academiæ principia, cum D. Ignatii Lojolæ, inter Beatos à Paulo V. relati, festivitate, magno apud Treviros honore plausuque, conjuncta fuêre.

Academia Treviris juxta ipsum Collegium Soc. Jesu excitata.

Leopoldus interea Archidux exercitu è Julia per Treviros in Alsatiam & Episcopatum Argentinensem, ad occupata à Palatino recipienda ducto, cùm Pragæ seditio contra Cæsareos orta esset, repentè adfuit, urbemq; minorem sub anni 1611. principium invasit; sed implo-
ratus à Bohemis Matthias, cum instructis ex Hungaria copiis advolasset, huic frater Rudolphus, jam in senio armorum regnique impar, victoriam coronamque ultro cessit. Quare in turbato imperii statu Lotharius cum ceteris Electoribus Noribergæ convenerunt, statuerúntque, anno proximo de novo Imperatore eligendo consilia Francofurti ineunda esse: ne Matthias, qui diu jam fratri regna, armis magis, quàm ratione extorserat, Romani quoque imperii fasces injussus occuparet.

1611.

Leopoldus Bohemos invadit, sed Matthiæ defensori ipse denique & Rudolphus regnũ cedit.

Reversus ad suos Limburgum Lotharius (nam Treviris Confluentiæque pestis atrox sæviebat) supplicationes ad Deum electionis novæ rectè instituendæ gratiâ, tum etiam avertendæ pestis causâ, indixit. Et sanè utrique Deus periculo adfuisse est visus: hæc discussa; illa præter spem optatiori eventu terminata est.

Lotharius supplicationes pro novi Imperatoris electione indicit.

Quorundam morte expeditior ad hanc via facta est. Jam ante annum Fridericus Palatinus vitâ initio Septẽb. excesserat, cum hac Monumenti sui epigraphe. *Fridericus IV. D. G. Comes Palatinus S. R. I. Archidapifer &*

Multorum Principum fata imperii

faciem mutant.

Princeps Elector. Qui unionis pro libertate & Religione apud Principes Imperii prima fundamenta jecit &c. Præsenti anno, ab hac unione alienus fidusque Cæsari, alter Elector Saxoniæ Christianus defunctus vitâ est. Sequenti verò anno hujus seculi XII Rudolphus Imperator X. Januarii die mortales deseruit, quem Ernestus Bavarus Colonienſiũ Archiepiscopus secutus est. Et Friderico quidem Palatino Fridericus V. filius, Saxoni frater Joannes Georgius, Bavaro Ferdinandus nepos successit, de successore Rudolphi comitiis Francofurtensibus ancipiti deliberatione certatum est. Quamvis enim unus esset Matthias, qui suis hanc imperii molem viribus sustinere posse videretur; tamen inquietum audaxque viri ingenium, qui olim Hollandis, postea Hungaris, deniq; & Bohemis, spretâ domo patriâ, & religione susque deque habita, in rebellione adhæserat, Catholicis bonæ electionis spem, quàm Protestantibus fecerat, haud immeritò adimebat. Verùm tamen sagacius Matthiæ indolem explorantibus hæc dominandi magis Acatholicis, quàm favendi studio politicè facta, visum est, ideóq; se ad electionem Matthiæ cum Protestantibus inflexerunt. Pronuntiatus igitur XIII. Junii Francofurti Imperator est, & XXIV. solenni à S Wickardo Moguntinensi, Lothario assistente, cæremoniâ coronatus, Annæ Reginæ inauguratione postridiè consecutâ. Neque sua Catholicos perspicatiores exspectatio de Matthia fefellit; ita, cum imperii Romani administratione, subitò alius, ejus dignitatem, nisi cum prisca religione, stare posse, mox, velut apertis ad sacram unctionem mentis oculis, intellexit.

1612

Rudolpho Cæsari defũcto post ancipitem deliberationem auspicatò Matthias frater substituitur.

Turcarum pænè arma ipso imperandi exordio concitasset, quod Battorium Transilvaniæ Principem ad se cõfugientem tueretur. Ille enim prius contra Matthiam sibi integrè jus Transilvaniæ vendicaturus Andream Gietzium clientem Constantinopolim destinarat, qui fide Turcis obligata, quædam eis propugnacula deferret, si eorum ope Transilvanis præesse liceret. Sed Gietzius,

Turcarum arma pœnè concitata,

tzius, hoc pro se beneficium eâ lege pactus, cum Mahometem Bassam adversus Battorium obtinuisset, hic suâ captus perfidiâ, rebus desperatis ad Matthiam confugit, eique debitum obsequium detulit, quod Achmeti vix poterat improbari. vnde hic Turcæ metus intra minas conquievit, & reliquum tantum Matthiæ fuit, ut turbas ex Imperii Principum divulsione imminentes componeret. Jam enim interregni tempore quando vices administrationis Palatinus & Saxo adierat, is, obnitentibus licet orthodoxis ad Rhenum Principibus, Calvinistarum, Aquisgranensem Magistratum Catholicis eliminatis occupantium, facinus autoritate suprema confirmaverat; nec dissimilia Friedbergæ & Biberaci ausus, jus supremum in causis religionis, quod legitimo Cæsari negabat, ipse vicarius protervè usurpaverat, innovarat telonia, feuda imperii contulerat, jusque Cæsareum in favorem suæ sectæ converterat. quibus cum Lotharius, Ferdinandúsque Colonienſis, & alii Catholicorum reclamarent, provocarentque ad Cæsarem, Comitia is Ratisbonam anno sequenti celebranda indixit.

Palatinus & Saxo, interregni tẽpore, multa de religione statuendo, imperium turbârant.

Lotharius verò domum ab electione reversus, pietati istic sacrisque locis excolendis operam impendit. Beurichium aliquot supra Treviros horis, locum Deiparæ cultu miraculisque celebratum Franciscanos de Observantia Patres traduxit, Ecclesiâ domóque ad eorum usum suis sumptibus accommodatâ, ut sacrorum istic cultui, ac peregrinorum commodis deservirent. Quo loco, ut suæ per intervalla pietati solitariè indulgeret Princeps, aulam sibi ac conclavia apud Religiosos instruxerat, alibi cum hominibus, hìc cum Deo potissimùm acturus.

Lotharius Beurichium Deiparæ cultu celebratũ Observantes traducit.

Quo tempore illustri quoque Pœnitentis mulieris exemplo ac morte Trevirorum urbs gavisa est. Fuit hæc Margarita Douma honesto quondam loco nata in hæresi, educatáque, quæ inauspicatis nuptiis suæ religionis homini tradita fuit. quam deinde leno iste ut

Memorabile pœnitentis feminæ Margaritæ Documæ exemplũ

insignis formæ erat, aliis amatoribus, quamvis reluctantem, quæstui obtulit. vnde sensim illa ad quendam militiæ delatâ Principem, ut in deliciis ejus fuit, ita suis cumulata opibus, Treviri ex Belgio venit, cultúque & formâ eminens, plurium repentè procerum oculos animósque tenuit; ut Ecclesiastes summæ Ædis, hanc levitatem correcturus, eam verbis primum familiaribus ad concionem pertraxerit; sed non facilè expugnabilem denique P. Macherentinus, cujus supra memini, tam ignitis cor ejus vocibus, ceu jaculis, confixit: ut cum Paulo exclamaret: *Domine, quid me vis facere?* Tum ille, *pœnitentiam,* inquit, *volo, pœnitentiam. Si Magdalenam secuta es errantem, sequere & pœnitentem.* Expugnata his telis est. cessit monenti: & tam seria admirabilíque commutatione vitæ: ut superbiæ luxuriæque apparatum omnem, qui aliquot millium æstimationem nummûm æquabat, in Dei honorem, per urbis templa sparserit, sibi tenuem solum pannosumque servârit. Domi illa deinde inter mendicabula vivere, cibumque illis meliorem partiri, oleribus ipsa secundarioque pane contenta. Corpus deliciis innutritum flagellis lacerare, cilicióque idem genuum tenus operiri. Et hoc peregrinationes sacras obire habitu soleis etiam calceorum subtractis, ut humum asperam lapidesque non observata calcaret. Domus illius officina pauperum ægrorumque, labor eis deservire, infimaque famulatum impendere officia, & his simul obsequiis, præsertim lubricæ vitæ puellas, ad honestatem pietatemque traducere. Cui ipsa tam impensè dedita, ut septenas ferè ante prandium horas soli Deo orationique impenderet. Si quid à prandio vacuum esset labori temporis, id manupictis, quibus excellebat, dare, alias etiam docendo, solita: at non aliâ lege, nisi ut templorum ornamentis consecrarent. Ponè domum D. Annæ Sacellum erexerat, & duobus ibi, qui sacris operarentur, vespertiníque cantibus, stipendia constituit: ut minus observata istic opportunè divinis

divinis adesset. Ita triginta facilè annis, excellentissimis pœnitentiæ studiis dedita, postquam legata pro sexaginta pupillis viduisque, octo Monasteriis impendissent, cum perennis eleemosynæ fundatione, heredem reliquorum Societatem Jesu, cui se debere salutem fatebatur, Treviris instituit, ac sancto fine quievit, in templo SS. Trinitatis, quod Collegii est, magnâ omnium Ordinum frequentiâ terræ mandata. *Raræ pœnitentiæ exemplar, quod plures peccatores admirantur facilius, quàm imitantur.*

1613. Lotharius Ratisbonæ in Comitiis excludit à sessione imperialiũ Abbatẽ Sancti Maximini.

Lotharius sub hæc, vertente jam anno, Comitiis se Ratisbonensibus aptabat. Quo cum perveniisset, unáq; eum secutus S. Maximini Abbas Nicolaus Hontemius, imperii ordinibus sese immiscere. Lotharius illum, jure sibi superioritatis vendicato, excluſit. Mox de animorum conjunctione frustra laboratum. quòd imperium tres in partes divisum, hinc Catholicorum federatis, inde Calviniſtarum (quos inter Saxo & plerique Lutheranorum medii) pertinaciter dissideret; cum Palatinus & Correspondentes (ut vocabant) nollent comitialium sententiis in ulla re accedere, nisi prius approbarentur interregni tempore acta, & sublato judicio Cæsaris aulico, in rebus Ecclesiasticis, Cameralis Judicii præses, tam ex Protestantibus, quàm Catholicis, & utrobique pares utriusq; religionis causarum in eo arbitri deligerentur, Archiepiscopus etiam Magdeburgensis, pari cum reliquis Archiepiscopis suffragii autoritate in comitiis audiretur, ac Religioni sua ubique per imperium constaret libertas, neq; usquam Protestantibus ad senatum dignitatesque præcluderetur aditus. At Cæsar ceterique, extra hanc unionem Principum, ante de communibus Reip. bonis, quàm de commodis Correspondentium laborandum esse, nequicquam suadebant: ac proinde frustrato Comitiorum successu, propria quisque, & Lotharius Treviros, jam à lue purgatos, repetiit. Ubi mortis consideratione motus, post absolutum Antecessoris monumentum, suum,

Cõmitia, ob insolentia Calviniſtarũ postulata, sine fructu dissolvuntur.

Lotharius reversus monumentum sepulchrale decessoris perficit, & novum constituit sibi.

cum ara ex marmore & alabastro, ad mediam Ædis summæ, quà meridiem spectat, columnam, egregio opere excitavit. Assumptæ in hoc Virginis in cœlos, inter octo beatitudines figura eminet, cœna Domini imum aræ locum, inter Fidei Speique statuas, occupante. Ex cujus operis fundamentis ingentis magnitudinis repertus columnæ scapus, marmoris variegati, etiamnum ad templi vestibulum, admirationi omnium exponitur. Deinde ad illustre Palatii Electoralis ædificium excitandum conversus, illam, quæ ad orientem est hodierni apud Treviros operis, alam ante fata perfecit, reliquum successorum curæ daturus.

Wolfgangus Wilhelmus Juliæ Princeps, mutata religione, à Brandeburgico Hollandisq; bello petitur, defenditur ab Hispanis.

Quo tempore novorum in vicinia bellorum nata occasio, quorum incommoda ad Treviros sese effundebant. Wolffgangus enim Wilhelmus, Juliæ Montiumque Dux, Magdalenâ Bavariæ Ducis filiâ, egregiâ pietate ac fide ductâ conjuge, ex qua Philippum Wilhelmum numerosæ hodiedum parentem sobolis genuit, sensim orthodoxâ Romanæ fidei veritate captus, eidem accessit: cum mox Brandeburgicus Hollandorum ope, totâ illum possessione deturbare nisus, æquitatem zelo religionis posthabuit. At cum Albertus Belgarum Princeps, Duce Spinola, ejus partes tueretur, non sine armorum contra Mauritium Batavorum Ductorem successu; tum Correspondentes graviora minari, legatisque ad Cæsarem missis, queri: Imperii per externum militem introductum leges violari, & ut remedium fiat, flagitare, protervià certè singulari, cum illis nuper autoribus, non Batavicus tantùm, ut nunc rursum, sed & Gallicus introductus miles fuisset: adeóque sibi omnem libertatem indulgeri, etiam ad offendendum; Catholicis ac Cæsari ne ad defendendum quidem vellent. Nimirum *per quæ quis peccat, per ea & punitur*. Brandeburgicus ereptâ per Hispanos Wesaliâ, reliquas etiam urbes Cliviæ in manibus Batavorum, ceu operæ navatæ præmium, reliquit,

Au-

Augendæ inter hæc & stabiliendæ apud Treviros religionis pietatisque studiis intentus Lotharius, Fratres Minores D. Franciſci Capuccinorum Treverim in ædes Guthæ Naſſoviæ, viduæ Hatzſteinianæ, admiſit, Monaſteriumque eiſdem ac Baſilicám excitavit, ante quam ſupplicatione prævia, ſolenni ipſe pontificióque apparatu ductus, Crucem, Ordinis ſymbolum, fixit. Quando ad eundem ex Chinis remotiſſimis appulit, P. Nicolaus Trigautius è Societate Jeſu, qui admiranda de Chriſtianæ religionis propagatione, & gentis illius ac regionum ingenio retulit, ſcriptísque libris per Europam divulgavit: ut intelligeres detrimenta Europæ fidei, iſtic magnis lucris, providente Deo, rependi. Quanquam Angli Batavíque, tanquam Zizaniorum ſeminatores, in hanc aliamque ſementem, ut illi nuper in Virginia, hi in Japonia, ſeſe ingererent; ſed non uſque ad martyria. ut iccirco intentatos gentiles relinquant, Catholicis tantùm inſidientur. quod hæreſum, ex quo noſci queant, ingenium eſt. Trigautius à Lotharío inſigni Reliquiarum ſacrarum, quas inferret redux, theſauro donatus eſt, quòd ab his mortuis vivos potiſſimùm expugnandos putaret. Ceterùm eadem tẽpeſtate Ludovicus Galliarum Rex, jam maturus thoro, Annam Mariam Hiſpaniarum Regis filiam, ſorore Eliſabethâ viciſſim ad Philippum miſsâ, conjugem duxit. quo velut reciproco pignore utrimque firmata pax conſtitit, milesque ab illo dimiſſus eſt. Ex quibus Joannes Naſſovius è Gallia redux, cum ſuos in Trevirorum finibus dimiſiſſet, hi inopiam ſtipendiorum queſti, in omne ſe rapinæ genus effundebant: ut quod alieni peccaſſent, immerentes Treviri luerent. Qui hoc tempore in urbe, ſub Damiano à Petra Proprincipe, Caroli Caſpari Electoris hodie regentis parente, manſuetè regebantur.

Lotharius Treviris Patres Capucinos admittit.

Trigautius eodem ex Chinisappellit & variis Reliquiis SS. donatur.

Hæreſis Catholicis ubiq; inſidiatur.

Venus Martem Gallico-Hiſpanum componit.

Proprinceps Trevirorum à Petrâ.

At Matthiam ſollicitum magnoperè tenebat diſſipata per diverſorum federa imperii unitas, minima occaſione in graviorem armatamque civilis belli diſcor-

1616.

diam

diam eruptura, ut in Juliaco discrimine jam visum. Legatis itaque ad Correspondentes Protestantium missis, omni contentione egit, ut à mutuo fedère discederent, pollicitus idem Ligistas Catholicorũ facturos. æquum esse, ut unionis pactis renuntient primò, qui priores auspicati sint. At nihil actum; cum hi suum fedus ad injurias tantùm avertendas, pacemque stabiliendam repertum esse assererent, à quo discedere propositoturpe sit, & à bonis alienum.

Mathias Cæsar frustra Protestantes à noxio federe avocare conatur.

Cæsar igitur cum videret hæc sensim ad Imperii potestatem ab iisdem, si quo bello prævaleant, occupandam spectare, & herede se fratresque Maximilianum & Albertum destitutos, ætate prægravari, cum iisdem, & Septemviris orthodoxis, per Maximilianum aditis (quem in Belgium ad fratrem hoc nomine euntem redeuntémque Lotharius humanissimè Confluentiæ excepit) consilium iniit, Ferdinandi Archiducis, patruelis ex Carolo, in Hungariæ Bohemiæque regna substituendi, unde ob mutuæ opis necessitatem gradum illi ad imperium strueret. Quâ in re, cum præcipuum causæ momentum sustinerent tres Ecclesiastici ad Rhenum Electores, S W icardus, Lotharius & Ferdinandus, convenêre eidem apud Confluentes, operamque contulêre ad parandum Archiduci eligendo aditum efficiendúmque, ut reliqui indictis Comitiis, in eandem, ita necessitate imperii exigente, sententiã adducerentur.

De successore Ferdinan- patruele cõstituendo, in Bohemiæ & Hungariæ regnis statuit ut hinc illi ad imperium sit aditus.

Ecclesiastici Septemviri consilium promovent.

Et Lothario curæ erat, ut cum vicina Lutzelburgiorum Provincia, quam in spirituali foro regebat, in temporali quoque, ob permixtos jurisdictionis terminos, non dissideret. imprimisque, ut quæ, ratione Abbatiæ Maximinianæ (cujus Hispani tutelam susceperant) cum Archiepiscopo, supremum sibi in eam jus vendicante, intercedebat controversia, æternâ pace finiretur. Albertus Belgarum Dux rogatus, lubens arbitros in eam rem submisit DD. ab Aichlen, Hatstein, Wilremium & Neufforge. Quibus ad S. Maximinum, pro quo stabant, receptis, Lotharius alios suam causam acturos oppositi,

Lotharius cũ Lutzelburgicis & Maximinianis cõtroversiæ exitum, sed frustra, quærit.

oppoſuit, eo eventu, ut, anno propemodum exacto, re infecta diſcederetur; retectis, ſed non ſanatis diſcordiæ vulneribus. cum indultis ſibi quiſque à Cæſaribus Pontificibúsque quæ inter ſe, ob diverſorum rationes temporum pugnabant, privilegiis inſiſteret.

1617.

Paulus Romanorum Pontifex cum intelligeret, quãti ad bonum Eccleſiæ commune intereſſet, ut ſucceſſor Germanorum Regi optatus daretur, communi precum, & pœnitentiæ jubilariæ indictione placandum Dei Numen cenſuit. quam Lotharius totâ Archidiœceſi indictam, alteri Lutheranorum per viciniam Jubilæo (quo centeſimum ſuæ ſectæ recolebant, magno ſcriptorum apparatu, annum) oppoſuit. Interea Ferdinandus à Matthia Imp. cooptatus in filium, heredemque eſt, Hiſpano jus ſuum, quod ſibi in Bohemiam ratione Annæ Maximiliani II. filiæ vendicabat, in eundemque reſignante. quem iis legibus, & ex eodem Annæ ſanguine Bohemi ſibi in Regem propoſitum, cum obluctari jure non poſſent, inviti licet, 9. Junii admiſerunt, coronâ ex more donatum.

Jubilæus Catholicus Lutheranorum Jubilo oppoſitus.

Ferdinandus à Matthia adoptatus, fit Rex Bohemiæ.

Quo tempore cum Philippus Chriſtophorus à Sôteren Spirenſium Epiſcopus, & Præpoſitus Trevirorum Udenheimium, in validæ munitionis ſpeciem, erigeret, Palatinus ſibi vicinum munimentum non ſuſtinens, immiſſo milite funditus illud ſubruit, majori audaciæ hac minore præluſurus.

Udenheimiũ à Sôteren excitatum Palatinus diruit.

Jam enim ſenſim Martis de cœlo aſtrũ afflare mortalium animos ipſamq; paſſim in ſcholis juventutem ad prælia & dimicationes cœpit accendere. Ita Treviris ejusdem Academiæ juventus, ut per claſſes, ita velut per cohortes diviſa, in ſe mutuò primùm, deinde & contra ipſos Magiſtros armari cœpit, Rectore etiam id temporis Magnifico Joanne Guilielmo Huſman à Namedey in certamen parum honorificum adducto. Qui tamen pace interventu Principis reſtituta, egregiè pro Academiæ promovendæ commodis ſtetit, quando Lotharii Principis aſſenſu obtinuit, ut pro-

Bello juventus ſcholaſtica præludit.

Academiæ Trev. beneficia Eccle-

siastica assignantur.

ximè vacantia per Trevirorum præcipuas Ecclesias beneficia, juxta Nicolai V. Sixti IV. & Clementis VII indultum, in usum docentium converti, irrequisito etiã Archiepiscopo, possent, excommunicatione in quoscunque resistentes Ecclesiasticos latâ.

Brovverus autor historiæ Trevir. piè defunctus.

Et hic annus postremus vitæ Christophoro Brovvero Geldro-Arnheimensi fuit. Qui per triginta annos Historiæ Trevericæ operam impendit. Quæ tamen, sub Philippo Lotharii successore, typis, per invidorum subducta calumnias, lucem, dissipatis lividorum nebulis, rursum, sub Carolo Electore auctior, conspexit. Pluribus ille scriptorum monumentis celebris, & Sidera illustrium Germaniæ Sanctorum, Antiquitatum item Fuldensium volumen, Notasque in Fortunati, & Rabani Mauri poëmata vulgavit. Nec virtute, quàm eruditione minor, à Fuldensis Rectoris officio, ad historiæ absolutionem Treviros reversus, anno seculi 1617. ætatis 58. in hoc labore, calculi arthriditisque doloribus, per longa patientiæ experimenta, confectus est, suisq; nobis in scriptis superstes relictus.

1618.

Bohemi hæretici ob negatas sibi Ecclesias, conjurant, & Proceribus regni præcipitatis, novã remp. constituunt.

Bohemi sub novo Rege, ceu furore quodam correpti, quod excitatas nuper Ecclesias in alieno fundo, sibi intercluſas, vel dirutas, molestissimè ferrent, Comitiis privatis conjurant, Proceresque regni in Senatu adeunt, postulántq, sibi reddi Ecclesias, qui, cum sui illos obsequii commonefacerent, Comitem Schlabatæ Cameræ Præsidem, Comitemque à Martinez, & Philippum Fabricium Secretarium arreptos de fenestris in subjectas arci fossas, per cubitos quadraginta, præcipites, egêre, tanto, quod miraculi instar fuit, lapsu non attritos, sed incolumi mox passu, licet sclopis à tergo impeterentur, digressos. Conjurati tamen progressi, reliquos quos deprehendere poterant, in quibus & Sternebergus regni Præfectus, carceribus incluserunt. ac sub Comite Turriano, rebellium Principe, novam mox constituêre remp. triginta Proceribus pro regni administratione delectis, & Jesuitis intra octi-

duum

duum, sub pœna capitis proscriptis. Quæ res triginta annorum cruentissima in imperio bella concitavit, per Cometam, ut cæleste vexillum, triginta inter Martem Mercuriumque diebus ferali caudâ rubentem, præsignata. Cometa belli prodromus

Interea, licet in Hungaria quoq; Ferdinandus in regiam sedem admissus esset, per hos tamen motus eidem quoque cum magna Austriacæ nobilitatis parte, Silesiâ, Lusatiâ, Moraviáq; exciti, ad eandem aspirare libertatem cœperunt. præsertim cum Mansfeldius natu spurius, audaxq; miles, ex Sabaudicâ redux militiâ, sub Turriano, Præfecti tormentorum titulo, admissus Pilsnam intercepisset, per quam opportunus ex Germania commeatus esset. Cæsar igitur ad Catholicæ Ligæ Principes repentè pro auxiliis legatos destinat. Deinde ad Electorem Saxoniæ, Hispaniæ, Polonorum ac Galliæ Regem, ut si minus opem sibi, hosti saltem ne præstent. Et Damperium quidem, pace cum Venetis initâ, tum Carolum Buquoium ex Belgio submissum, impari quidem numero, sed non virtute, Duces Turriano & Mansfeldio Ferdinandus objecit. Cumq; Saxo Bavarus, & Lotharius, cum Svvickardo Moguntinensi Principe, frustra in conciliandis utrisque laborassent, ad arma quoque inter Correspondentes (ut se Protestantes vocabant) & Ligistas ventum est. Nec territi Grisonum nuper rebellium interitu sunt, quorum oppidum Pluretum ruinâ montis oppressum, cum omnibus præsentibus incolis, æternam sepulturam habuit. Hungari, licet Ferdinãdum Regem admisissent, cum aliis, rebellant. Catholicæ Ligæ Principes adsistunt Cæsari. Lotharius cum aliis Electoribus frustra pacẽ suadet.

Juvit verò rebellium propositum fatalis plurium ab hac vita discessus. Nam Maximilianum Austriæ Archiducem, Annamq; imperatricem superiori anno defunctam, hoc anno Matthias Imperator XX. Martii secutus est. Unde Bethlemius Gabor Transsilvaniæ post Battorium debellatum Princeps, ad Hungariæ regnum adspirans, Hungaros in societatem Bohemicorum armorum secum traxit. Turrianus verò jam Moravis Silesiisq; 1619. Matthia Cæsare defuncto, Vienna Austriæ obsessa cum Ferdinando periclitatur, cui non sine

Dei ope, subvenitur, cæso Mansfeldio.

lesiisq; potitus, ipsam Imperatoris sedem & Austriæ caput Viennam exercitu adducto circumsedit, in qua plures hæreticorum, ad accipiendum mœnibus hostem proni, Ferdinandum in discrimen summum adduxere. Qui pro consueta pietate ante Crucifixi imaginem pronus supplexque, divelli, nisi spe divinæ opis plenus, non potuit. Et sanè quàm primum eâ gavisus est. Nam Buquoius per absentiam Turriani Bohemis infestus, cum Mansfeldius eductis Pilsnâ copiis eidem occurrisset, ingenti clade profligatus, vix ipse incolumis per medios hostes penetravit. vnde Turrianus à Bohemiæ directoribus revocatus, Viennam deserere coactus est.

Francofurti de electione Ferdinandi actum.

Hæc inter, Comitiis Francofurtensibus, pro novi Imperatoris electione certatum est. detrectantibus hæreticis, tum ut interregni tempore, prout actum proximè res suas firmarent, tum ut ex successu rerum Bohemicarum electionem dirigerent. Nam cum Legati Bohemorum urgerent, ne Ferdinandus, ut Elector & Rex Bohemiæ, quem ipsi jam abjecissent, audiretur, idque tamen, ut fieret, evicissent Catholici, suâ illi temeritate progressi, Fridericum Palatinum, Dano, Saxone, Sabaudo, Bavaróque ante frustra ad coronam invitato. Regem, conjuge Elisabetha Angla cunctantem impellente, tandem elegerunt, & Novembri mense, cũ eadem, coronarunt. Tum repentè, quantâ vi poterant, armorum convenerunt Et Bethlemius Gabor quidem Cassoviâ Posonióq; in Hungariâ fretus, illius Princeps creatus est, ut gradum ad coronam, quam in potestate habebat, sensim strueret. Interea pervicêre Catholici Electores, ut potioribus votis Ferdinandus in Rom. Regem electus, coronatúsq; Francofurti sit. Quanquam à seditione vix abfuerint Protestantes, nisi Lotharii solertiâ effectum esset, ut hi à vi & armis abstinuerint. Cùm hic industrio, sed quibusdam orthodoxis inviso labore, pro Bohemis aliisque Protestantibus, humanitate quadam conciliandis, impensè egerit, existimaveritque legatos Bohemorum, quos alii, ut rebelles aspernan-

Bohemi ejus loco Regem Palatinum Comitem eligunt. Hungaricæ coronæ Gabor incumbit.

Ferdinandus tamen Rex Rom. eligitur. Tumultum Lotharius avertit.

pernabantur, esse audiendos: eóque studio molliores eorum ad parendum honestis consiliis animos impulerit, ut quod primùm reprehensioni, deniq; laudi versum fuerit, eventu laborem probante.

Protestantes tamen cum Friderico Noribergæ collecti, arma Cæsari intentant, nisi & suam Bohemis Hungarisq; eligendi liberè Regis potestatem faciat, & Spirense judicium, abrogato Cæsâris aulico, utriusq; religionis Judicibus ex æquo committat, pactumq; de Ecclesiasticis bonis, misso bello, rescindat. Quibus Ferdinandus Imperator respondit, Bohemiæ Hungariæq; coronas, sibi per vim ereptas, absq; dedecore & injuriâ, negligi non posse, ceteris eorum postulatis, hac cõtroversia discussâ, quantum fas, obsecuturum. Protestantes bellum Cæsari denuntiant.

Maximilianus verò Bavarus Ligistas ad parandum militem incitavit, ac Protestantes monuit, nisi arma prius sumpta, ipsi priores deponerent, se justæ defensionis gratiâ eadem arrepturos. vnde ad arma toto imperio conclamatum. quorum furori præluit anno sequenti, qui XX seculi fuit, insolens per imperium & Rhenana præcipuè loca terræ-motus, bis Januario, & toties Martio mense ipsis calendis latè omnia concutiente. Palatino Transsilvani, Hungari, Bohemi, cum Lusatiis, Silesiis, Moravis, ac Correspondentibus hærebant, Ferdinando Poloni Pontificiique, cum Belgis & Ligistis juncti sunt. Rex verò Galliarum per Ducẽ Engolismensem legatum hoc egit; ut salvâ per imperium pace, mutua Bohemis auxilia pro Ferdinando, aut Friderico præstarent. Pro hoc Christianus Dux Anhaltinus Confederatos, pro illo Bavarus sub Joanne Tillio ductore Ligistas in hostem ducebat. Et hic quidem per Austriam superiorem incedens, rebelles ad obsequium, & tradendum Imperatori militem inflexit; moxq; Bohemiam & Pragam regni caput petiit. Quem cum Anhaltinus præoccupasset, seque in Monte vrbe propinquo tueretur, ratus Ligistas defectu annonæ hiemisque acerbitate facilius, quàm armis frangi posse: Ligistæ contra, Bavaro Duce, armãtur. utrisque diversi hærent.

1620.

Rex Galliæ suadet, ut salvâ Germaniæ pace pro Bohemiæ corona tantùm certetur.

Protestantes à Ligistis fædâ clade cęsi, Palatino ex Bohemia profugo.

Cæsariani Aragonio Carmelita, viro sancto, cum cruce præcedente, montem, hostesq; in eo aggressi, quâ arte, quâ vi federatorum copias profligarunt, pluribus in fugâ, quàm prælio confectis. Hungari fugientes à Polonis, ad Moldavam amnem ferro, aut aquis periêre. Ceteri à Ligistis oppressi, Anhaltino & Turriano, Junioribus Ducum filiis, cum Stirum Comite, Reingravio, Schlickio, & Wimariensi Duce captis. signa militaria plusquam centena, cum totius belli apparatu occupata nobilissimam Ferdinando victoriam peperêre octavâ omnium Sanctorum die, quo ante annum illorum ædes sacris imaginibus spoliata fuerat, Evangeliumque legebatur: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei Deo.* Ut appareat, quantum in Catholica illa Liga, cujus, inter præcipuos, machinator Lotharius, emolumenti domus Austriaca habuerit.

Palatinus hac victoria consternatus raptim se Pragâ cum uxore & liberis Vratislaviam recepit, jam quoque exclusus Palatinatu per Bavarum & Ambrosium Spinolam, Hispanicæ militiæ Ducem, & Deo ordinante alieni principatus invasor, excidit etiam proprio. Quo tamen nihil territus exemplo (tanta regnâ di libido) Gabor, Hungariæ se Regem Novidomi pronuntiari est passus: donec Buquoius, occupato Posonio, eidem instabilis fortunæ metum incussit, quanquam Turcæ Tartarorúmq; præsidiis niteretur. Electoris Saxonici Georgii inter hæc fides in suum Cæsarem eminuit; cum Lusatiam armis sibi, Moraviam, Silesiámq; Ferdinando vendicarit; ut neuter fidelitatis præmio destitueretur. Nec Trevirenses ab his turbis intacti. Nam & impensæ Ligistico militi præstandæ, & amicus Hispanorum exercitus hospitio excipiendus, inimicus verò Batavorum sustinendus erat. ægri vulneratique magno numero nosocomiis, etiam hostes (quæ Principis fuit humanitas) excepti. quorum non corporum minus, quàm animorum est salus curata. ut quibusdam ad immortalem vitam profuerit mortali hic vitâ

Gabor hoc nihil exẽplo territus Hungariæ Rex salutatur.

Saxo fidus Cæsari,

Trevirenses ab amicis & hostibus passi, utrisque Benefaciunt.

vitâ defungi. Sigismundo Poloniæ Regi exitiale propemodum fuit Ligistis & Ferdinando adstitisse. Cùm vulgus illum Turcam Tartarósque in se regnúmque, hac ope, provocasse, spargeret, & Warsaviæ Comitiorum tempore repertus Sicarius fuerit, qui Regem templum subiturum lapide propemodum oppressérit; captúsq; inter summa tormẽta hoc maximè doluerit, quod fructu cogitati sceleris careret, ac Rex sibi supereſſet.

Sigismundus Poloniæ Rex ob favorem Cæsari præstitum periclitatur.

Annus proximus multorum funeribus Principum nobilitatus est. Paulus V. Januario mense defunctus, Gregorium XV. altero post mense successorem admisit, Philippus III. Hispaniæ Rex in filium Philippum regni onus transtulit, graviúsque hoc esse sensit cum deponeret, quàm cùm ferret, testatus maluisse se ex ignoto Monasterii angulo, quàm ex aula Hispanica ad æternitatẽ transire. *Tam facilè honores cõtemnimus, cùm amittendi sunt; novo tamen, nec indigno Christianis honore.* Hunc Albertus Austriacus, Belgarũ amor, secutus, cũ induciis bellorũ propemodũ exspiravit, quæ posteris dum ad quietẽ abiret, reliquit. Et hæc nõ immeritò funera Catholici per Germaniã planxêre, tantum Ligistis, cum eis, robur subtractum est. Memorabilis etiam fuit apud Trevi-

1621.

Diversorum Europæ Proceerum funera.

ros Nicolai Hunthemii ex S. Maximino Abbatis mors, qui in publica processione promulgati Jubilæi à Gregorio XV. concessi, postquam sacrum Eucharistiæ ferculum, supplicatione jam conclusá, in summæ basilicæ ara deposuisset, tanquam ultimo functus vitæ munere, caput in mortem, vicinis illatus ædibus inclinavit, & pontificali in habitu, ut Christi miles, decessit. Cui Petrus à Freudenberg, cum invitus succederet, honorem in morte quoque, non multò post secuta, depositi, aut verius secum transtulit ad immortales; cùm *fugientes honor maximè insequatur.* Certè biennale, quo præfuit, tempus ita sibi suisq; impendit, ut legatus Apostolicus domesticam religiosorum disciplinam arbitratus, *domum pœnitentiæ, & sanctitatis* Monasterium appellarit, sub cujus auspiciis illustris loci basili-

Mors inopina sed honorifica Abbatis S. Maximini.

Et successor brevi non impari honore defunctus.

Laus illius Monasterii;

& basilicæ consecratio.

ca sacris ritibus D. Maximino post Deum dicata est, corporáque Sanctorum Weomadi & Basini Episcoporum, ex cryptæ subterraneæ tenebris, in apertam lucem, nobiliúsq; ante chorũ monumentũ delata sunt.

Lotharius solitariè pietati vacat.

Et Lotharius tot magnorum Procerum fatis suæ mortalitatis commonitus, ne imparatus discederet, solitudinem XII dierum amplexus, sub Societatis Patrum cura D. Ignatii commentationibus sacris animum excoluit, eo ad pietatem fructu sensúque, ut nullum sibi in vita tempus jucundius utiliúsque fluxisse, etiam cum lacrymis testaretur. Et opportunè quidem cum haud longè à porta mortis consisteret. Interea Palatinus licet subactus, tamen, ut interceptus leo, nondum quietus, quòd excluſus pænè omnibus, spe ac desperatione

Anglus Danus pro Palatino frustra intercedunt, cum arma nollet ponere Regisque titulos.

experiunda censeret extrema. Angliæ Daniæq; Reges miseratione sortis, & religionis sanguinisq; affinitate ducti, per legatos Cæsari pro ipso offerebant preces, arma juncturi, si has aspernaretur. At respondit Ferdinandus par esse ut Fridericus ipse positis, quæ adhuc Mansfeldius circumferebat, armis, regiiq; nominis abjecto titulo, coram supplex adsit, non defore clementiam, ubi delicti pœnituisset. Sed, cum Mansfeldio, auxiliorum spes animabant Palatinum, Elisabetha conjuge identidem inflammante, cui Reginæ nomen placuerat. Et Mansfeldius quidem cum prædatorium ex Bohemia per Catholicorum agros circumferret mili. tem, brevi auctus Protestantium copiis, postquam Anhaltinus jam ab armis ad Cæsaris gratiam, & Correspondentes à fedære abiissent, in Palatinatum ad colligendas reliquias se effudit. quem Weidhusii ita Tillius

Mansfeldius à Tillio pressus, fide datâ, elabitur sine fide.

pressit, ut deditionem pactus, certâ pecuniarum vi se ab armis discessurum reciperet, dimisso ad sua milite, Sed hunc repentè, ut aliquam libertatem nactus est, in Palatinatum inferiorem fugæ specie traduxit, ubi Britannicis ad se receptis copiis, Franckentalio adhærentem Spinolam depulit, Alsatiámq; ac Franconiam po-

Spinolam Franckentalio pellit.

pulando est pervagatus; Spinola ad Batavos bellum instau-

instaurantes, revocato. Qui tamen parte exercitus Neoburgicis junctâ, Juliacum, quamvis lenta obsidione, suo Duci restituit, victoriæ commodo ad Trevirorum servandos agros, quo se Hollandi effundebant, transeunte.

Juliacum Spinola Neoburgico recuperat.

Novi inter hæc, contra Ligistas Cæsarémque, hostes emersêre, Christianus ante omnes Dux Brunsuicensis Halberstadianus Episcopus, Mansfeldici furoris æmulus, qui, raptâ è manibus Elisabethæ chirothecâ pileoque affixâ, juravit, hanc, nisi restituto in solium Pragense Friderico, se non positurum. At tumor ille animi mox resedit. Nam Monasterienſem ac Paderbornensem hic primò diœcesin ingressus, prædandi, licentiâ, exercitum milite ac spoliis auctum, juncturus Mansfeldio, à Jacobo Comite Anholdio intervenienteın Westphaliam, non sine clade, rejectus est. Quanquam spem brevi erexerint, Anglorum ac Batavorum copiæ, qui Pfaffenmutzio infra Bonnam jam nuper excitato, Confluentiæ Trevirorum insidiabantur, ut Rheni ad se Mosellæque usum cóntra Ligistas traducerent. Ut iccirco Lotharius, quanto posset, colligendo militi operam dederit, Trevirisque etiam magno numero Academica juventus, per signa cohortesque distributa, primis militiæ rudimentis, ad omnem casum exercitata fuerit; ut armatæ jam istic Palladis nova imago recurreret. Fridericus quoque Elector ex Anglia per Galliam ad Mansfeldium in Palatinatum allapsus, Georgio etiam Friderico Marchione Durlacensi auctior. qui, postquam Tillius à Mansfeldio, ex angustiis desperatè erumpente, cladem aliquam ad Wimsenam accepisset, in spem novam erectus, Ligistis metuendus imminebat. Quod ut Tillius animadvertit, junctis Cordubæ legionibus hostem statuit operiri. Quo jam præsente, ut suis timorem eximeret, ipse prior hostem aggreditur, tanto utrimque certantium ardore, ut productum ad vesperam certamen, Tillio victoriosum, hostibus exitiale fuerit. Cum succensus apud Durlacenses pyrius

Brunsuicensis novus ac furiosus Cæsaris hostis, Westphaliã vastat.

Cæditur ab Anholdio.

1622.

Batavi Confluentiæ inhiant.

Durlacensis Mansfeldii partes auget, quem Fridericus Palat. accessit.

Tillius Cordubæ jũctus hos profligat

pulvis, disjectis ordinibus aditum Ligistis sterneret, Protestantibus fugam suaderet. Quâ sparsi, gladio plerique, aut captivitate rebellionem expiârunt. Wirtenbergicus & Birckfeldensis Duces cum aliis intercepti, commeatusq; & apparatus instructissimus Durlacensis ad Mansfeldium, Ladenburgo intentum, pervenit. Nec dispar Brunsuicensem pugnæ sors perculit. Hic in Westphalia sine adversariis impunè grassatus, Lipstadio, Susato, ac Paderbornæ dominabatur, spoliis dives in quibus S. Liborii auro argentóq; gravis tumba fuit, cui per ludibrium gratias retulit, quod se exspectare dignatus esset, monetamque ex hoc alióque conflavit ære, cum armatæ manus symbolo, ac lemmate: *amicus Dei, & Sacerdotum inimicus*; sed & manu, & præda brevi destitutus. ac primò quidem cum ad Hochstium Mœno instratum pontem transiret, à superveniente Tillio cæsus est, ponte numero militum obruto, ipso tamen, reperto vado, ad Mansfeldium evadente. Qui, desperatis Palatini rebus, cum ad Hollandos transirent, juxta Namurcum deinde à Corduba profligati sunt, lævamque in hoc prælio manum Brunsuicensis, quamvis armatam, perdidit; ut si hanc in symbolo ad scopũ exposuisset. Tillius sine hoste principem inferioris Palatinatus urbem Heidelbergam, Britannico defensam milite, oppugnare cœpit, expugnavitque Septembri mense, salvis tantùm rebus hominibusque, qui in arcem se receperant, postea ex pacto relictam. Nobilissima tunc Germaniæ bibliotheca, magno eruditorum dolore, distracta est, Romamque ex parte delata, jacturâ vix à posteris instaurandâ. Manheimio denique ad Rheni Nicrique confluentes dedito, solum Franckentalium hiemis incumbentis beneficio evasit. quod cum anno sequenti spe pacis Jacobus Angliæ Rex Hispanis cessisset, nihil reliquum Palatino mansit.

Brunsuicensis à Tillio primum cæsus; postea à Corduba cũ Mansfeldio.

Tillius inferiorem Palatinatum occupat.

Franckentalium reliquũ ab Anglo spe pacis Hispano traditur.

Nec feriatus inter hæc miles Cæsareus Leopoldo fratre Imperatoris Duce Hagenoam, Spiram, Wormatiam,

matiam, aliáque per Alsatiam loca ad obsequium revocavit. Cæsar etiam Bohemiam Ministris Protestantium, præcipuis rebellionis autoribus, quamvis intercedente Saxone, purgavit, Societatis Jesu Patribus ad Pragensem Academiam & collegia, Pastoribus verò ad suas Ecclesias revocatis, quod negaret aliter tutâ se pace frui non posse, nisi hos seditionum fomites submovisset. Gregorius quoque Romanus Pontifex, ut detrimenta religionis instauraret, Romæ Congregationem de propaganda fide instituit, utque excitaret Christianorum, inter illud hæresum frigus, pietatem, quinque illustris vitæ homines Isidorum, agricolam Hispanum, Philippum Nerium Oratorii ordinis repertorem, Ignatium Lojolam Societatis Jesu autorem, Franciscum Xaverium ex eadem Societate Apostolum Indiarum, ac Teresiam Carmelitarum instauratricem, Sanctorum albo solenni ritu adscripsit. Cujus solennitatis promulgationem Lotharius totâ Archidiœcesi celebrem esse voluit, & Confluentiæ, ubi tunc substitit, institutâ singularis magnificentiæ supplicatione, omnium ordinum concursu VIII Maji ornari gavisus est. Quod è cælo Divis placuisse, quorundam ad S. Ignatii implorationem insperata sanitas, & ad Xaverii nomen perditorum repentina conversio, persuadere sunt visa.

Alsatiã Leopoldus recipit.

Bohemia Prædicantes restitutis Jesuitis pelluntur.

Congregatio de propagãda fide Romæ, & Canonizatio quinq; Sanctorum.

Celebris supplicatio in Sanctorum honorem Cõfluentiæ.

Indicta hujus anni Comitia, tarditate Protestantium, quibus parum auspicata futura videbantur, in proximum annum XXIII rejecta, Ratisbonæ celebrata sunt, Saxone & Brandeburgico per legatos demum adductis, Lothario ob valetudinem per eosdem comparente. Actum hic de Electorali dignitate rebellis Palatini in Maximilianum Bavarum transferenda, cui licet præter Acatholicos, etiam Princeps Neoburgicus, ut sangvine propinquior, obsisteret, ac Protestantes contenderent, filios heredes ob delicta Patris immeritò excludi: tamen potentior ad persuadendum illorum fuit oratio, qui ejusmodi rebellionis scelus, siquæ supersit

1623. Comitiis Ratisbonensibus, exautorato Palatino Bavarus Elector creatur.

in imperio æquitatis cura, negarent, impunè sustinendum: nisi apertam cujuslibet audaciæ januam velimus esse. In transferendo verò principatu non sanguinis tantùm sed & meriti rationem habendam. quo utroque cùm Bavarus hoc in bello excelluerit, non videri prætereundum. Quocirca suffragiis plerorumque inauguratus loco Palatini Maximilianus Bavariæ Dux, publicè Archidapiferi munere perfunctus est. Lusatiam verò Cæsar ex suis ditionibus Saxoni in præmium fidelitatis cessit. Casellensis quoque ditio, abjudicata Mauritio Hassorum Principi, Ludovico Darmstadiano addicta est. In Friderici verò Durlacensis sedem Wilhelmus nepos admissus, exclusit patruum. Tillius ob fortissimè navatam militiæ operam ex Barone Comes pronuntiatus est, & adversus Brunsuicensem novo XXX millium exercitu Westphaliam vastantem missus, illum prope Statloum assecutus, tantâ rursum clade multavit, ut peditatu cæso captóve, Wilhelmus Wimariensis, & Fridericus Altenburgicus Duces, Comitesque Isenburgicus, Rheingravius, Witgensteinius & Schlickius, cum 70 vexillis, totoque apparatu belli, Ligistis cesserint. Brunsuicensis cum paucis effugit in Hollandiam, & Mansfeldium in Frisia sibi metuentem cum suis eodem rejecit.

Lusatia Saxoni in præmium fidelitatis concessa. Hassus & Durlacensis suis etiam terris multati sunt.

Brunsuicensis rursum ingenti clade cæsus.

Lotharius interea Trevirorū Archiepiscopus, postquam Collegiatas Ecclesias Academicis beneficiis restitantes, excommunicationis fulmine intentato terruisset, sententiamque Gregorii XV. confirmantem Nicolai, Sixti, & Clementis Pontificum bullas de translatione ejusmodi beneficiorum impetrasset, hoc ultimo studiorum promovendorum affectu, publicas curas testatus, ad privata se pietatis officia transtulit, atque in eis haud multò post decretorium mortis diem VII die Sept. anno XXIII. seculi excepit, vir terris cæloq; dignus. Illis quidem eximia eruditione rerumque, ac linguarum peritia, qui & acerrimo ingenio difficilia penetraret discuteretque, & humanitate singulari animos

Lotharius post Academica promota studia, ad pietatis officia versus, in iis exspectavit mortem, cœlo suâ ætate & virtute maturus.

mos se audientium devinciret, ad labores intricatasq; etiam res expediendas promptus esset: unde non paucas suæ diœcesis lites discussit æquitatis citra dilationē, in cōtroversiis absolvēdis, cupidus, pacisq; cū proximo, & religionis cū Deo apprimè observans: ut his virtutibus immortali jam vitæ propior discederet. Cor suum Societatis Jesu basilicæ, quam vivus amaverat, moriens legavit. Monumenti perquam illustris, summâ in æde, ubi corpus depositum est, inscriptionem neglectam hactenus, talem suppeditamus. *Sta, lege, bene precare, viator, Hic jacet ex nobili stemmate nobilior Princeps Lotharius, ex Patre Metternich, Matre de Petra. Is ætatis 75. regiminis 4 & 20. anno, à terreno principatu ad cælestem, ut spes est, transiit, Fide erga Deum, Ecclesiam, & Imperium Rom. semper integrâ. Prudentiâ, humanitate, clementiâ, pacis studio, pietate in Deum filiali, in subditos paterna, dignus Principe virtutibus, posteris reliquit exemplum, Trevericæ infulæ decus, gloriam immortalem sibi, & gaudium suis. Fave Lector, applaude, sequere.*

Cor apud Patres Societatis, Corpus in æde summa Trevtris sepultum.

ANNA-

ANNALIVM TREVIRENSIUM

LIBER XXIV.

Philippus Christophorus à Söteren Archiep. Trevir. 81. *Episcopus* 107.

ARchiepiscopum à morte Lotharii exceperunt Treviri Philippum Christophorum à Sôteren, antiquæ nobilitatis virum, summæ ædis Præpositum, & apud Nemetes Episcopum, ac tribunalis imperialis Præsidem. Quæ in illum officia insignis viri eruditio, quâ per omnes pæne studiorum gradus inter æquales semper eminere visus, tum rara eloquentia, quâ pertractare animos nôrat, & mens excelsa, infractáque virtus, agendi juxta patiendique in arduis prompta. Quæ tamen decora nonnihil obscurabat, decolor atque inamœna oris species, oculis sub lata fronte introrsum velut è caverna scintillantibus, supercilio minaci, naso gracili, raris propendulisque ex mento pilis, oblongo capite, ac facie, illo calvo, hac pallida: ut anima indigens, minus idoneum hospitium nacta videretur: nihilque ab eo mediocre, alii in virtute, alii in vitiis exspectarent. Et illorum pars major; quòd apud Spirenses egregia domi parsimonia, foris liberalitate, & gravatum alieno ære Episcopatum levasset, splendidisque ædificiis, atque inprimis dignâ Principe aulâ, fortissimóq; Philippiburgi munimento exornasset. Quare in regalibus eidem conferendis ipsam etiam electionem Cæsar præverterat, & citra cunctationem Urbanus VIII Pontifex (& ipse recèns creatus) confirmato pallium submisit, qui dum Romæ curando Metropolitanæ ædis

Philippi Christoph. Archiepisc. electi indoles.

Spirensem' Episcopatũ alieno gravatum ære sublevavit.

Decanus

Decanus D. Joannes Wilhelmus Husman dat operam, Abbatia S. Maximini, Petro à Freudenberg Præsule non sine veneni suspicione, robustâ adhuc ætate sublato, vacare cœpit. cujus in locum, cum sine Pontificis assensu Agritius Cœnobitarum suffragiis delectus esset; irritam voluit electionem Urbanus, & Husmanno illius administrationem commisit. Qui dignitatis contra Hispanos Protectores tuendæ impar, Archiepiscopo eandem transcripsit. vnde gravissimæ in Principem patriamque calamitates sunt derivatæ.

Pro Agritio S. Maximini Abbate Cõmendator substituitur.

Quæ ex alio etiam Protestantium, Angli, Galli, Danique auxiliis, contra Austriacam potentiam insurgentium, fonte manarunt. Quibus & Hollandi, Palatini, ejusque Ducum receptores, cùm imperiales ab iisdem Cæsar urbes repetiissent, fautores accedebant, ne incumbentem sibi belli molem soli sustinere cogerentur. Ecclesiastici igitur Electores tempestatis imminentis avertendæ, aut certè infringendæ gratiâ, datis ad Galliæ Regem literis, eum ab hoc, tam noxio religioni Catholicæ, federe revocare conati sunt, suadereque, ut causa Palatini non armis; sed & æquitati comitiorum imperialium decidenda committeretur; nihil aliud habuêre responsi, nisi quod se apud Jacobum Angliæ Regem offerret sequestrum, federis, ut postulabant, abjiciendi dissimularet memoriam, adeóq; nihil sibi præter verba dari intelligerent. Sed Jacobum sequenti anno mors sustulit, Carolo succedente in regnum & consilia patris, non eodem exitu.

1624.

Plurium Regum Principumq; Acatholicorum contra Austriacos conspiratio. Quibus Gallus accedit.

Brunsuicensis igitur cum Mansfeldio, Anglicis ac Hollandorum firmatus opibus, in Monasterienſem & Ubiorum se rursum diœcesin populabundus effudit. Danus verò, inferioris circuli Saxonici delectus protector, justæ tantùm defensionis præ se speciem ferre visus est; cum tamen initi federis ratio non lateret. Hunc ergò Tillius cum parte exercitus observare jussus. Brunsuicensi & Mansfeldio jam ad Osnabrugensem ditionem progressis, Anholdinus opponitur. qui eosdem

1625.

Daniæ Regi armato Tillius opponitur.

variis

variis artibus detinuit, impari utrisque milite: donec Albertus Wallensteinius, novis præfectus delectibus, copias auxiliares suppeditaret. At Tillio otiosè observare Danum non libuit, sed Hoxterâ, Hammelîâ, Mindáque occupatâ, felici passu victoriam proferebat: donec ad Nienburgum Lunæburgicorum quatuor millium cladem, irrita oppugnatione, sustineret, quam tamen mox cladem magnâ exercitus Danici parte ad Hanoveram, Anholdio subveniente, cæsam reposuit. Wallensteinius interea parato & ipse exercitu Brunsuicensem ditionem Halberstadio, & Hallâ occupatis, frustra obnitente Duce, pervasit.

Wallensteinius, novo Cæsaris exercitui præfectus, accedit.

Quo tempore Philippus Trev. Archiepiscopus variis domi quoque controversiis implicatus, jacturam haud levem nō famæ tantùm, sed & rerum ditionumque adiit. Obtinuerat pontificio diplomate trientes proventuum, qui sex millium ducatorum auri censebantur, duos: tertiâ illorum parte ad religiosorum alimentum relictâ. At cum Cæsar imploratus negaret Pontifici & Archiepiscopo fas esse partiri ex libitu temporalia, supremo sibi jure subjecta, ideóque Hispanorum armis Abbatem in possessionem reponi juberet, impar Philippus, postquam haud levem ab eis diœcesis cladem accepisset, Commendatoris in Abbatiam officium Witlichii in manus Pontificis, unde acceperat, resignavit.

Archiepisc. Trev. oppugnatus ab Hispanis Commendatoris S. Maximini beneficium resignat.

Sed alia mox tributorum importuna nimis exactione subditorum animos offendit. In electione, status patriæ centum illi imperialium millia ultro detulerant, per sexennium exsolvenda. Verùm anno jam evoluto, cum excisâ infra Ehrenbreitsteinium rupe novam arcem habitationi non minus suæ, quàm Rheno Mosellæque ostio propugnando opportunam, tum & Palatium Trevirense à Lothario cœptum suscepisset festinatis operibus perficienda, militumque pro diœcesis custodiâ, delectum urgeret, atque hanc in rem præstari sumptus vellet, Ordines patriæ, neque ædificia, neque militem

Præter oblata à Statibus tributa: cum alia exigeret, recusatione indignissimè tulit.

militem hunc, adeóq; neque expensas hasce necessarias esse sentiebant, cum Ligisticus miles pro totius imperii tutela aleretur, privatusque ad exhauriendam magis, quàm defendendam remp. assumendus videretur. Sed is Philippus non erat, qui his excusationibus aurē daret. Quare ex dięta Trevirensi profugos, quosdam Confluentiæ suo obsedit milite, alios Treviris, nec, nisi præscriptis, & à se dictatis assentientes decretis, liberos dimisit. Qua re omnium sibi ordinum, ipsiusq; etiam Metropolitani Capituli, quod negabat citra assensum suum hæc imperari posse, offensionem collegit. Accedebat indignatio adversus Metternichios Lotharii nepotes, Carolum S. Petri Archidiaconum, & Emmericum Scholasticum concepta, quos repetundarum, ob bona Ecclesiæ, legatumque Comitissæ de Sein, ad eos à patruo derivatum, reos agebat: qui Cæsare favente freti sese tutabantur. vnde Capitularium pars eis hærens à Principe divulsa, noxium huic Ecclesiæ schisma induxit. postquam Elector demum vindicandi cupiditate Gallorum sese protectioni commisit.

Metternichios insuper repetundarū accersens, originem noxiæ scissioni præbet.

Felicia etiamnum Cæsaris & Ligistarum arma rebelles Protestantium premebant. Ex quibus geminæ belli faces Mansfeldius prosequente Wallensteinio in Turciam usque profugus, illorum moriens religione periisse creditur: Brunsuicensis verò regionibus ac vitâ ætatis anno trigesimo dejectus, non sine violentia corrodentium interiora lumbricorum, qui ingentis in eo magnitudinis reperti sunt, occubuit. ut quod aliis jam mortuis, huic vivo sustinendum à vermibus exitium fuerit. Additus iisdem Ernestus Dux Wimarienſis, Silesiæ Moraviæque vastator, quem Cæsar imperio, Deus vitâ proscripsit. Tillius verò postquam gravissima rursum clade Danum ad Luteram vicum cecidisset, inferiorem Saxoniam obsequentem, ipsumque etiam Ludovicum Hassiæ Principem habuit. Papenheimius autem ab illo ad rebelles Austriacorum rusticos magnis copiis collectos, & Bavarorum qui relicti erant, viribus

1626.

Mansfeldii & Brunsuicensis rebellium infelix exitus.

Ernestus Vimarienſis Dux etiam mortuus.

Tillius Danū. Pappenheimius Austriacos Rusticos cædit.

potiores digressus, triplici eosdem ac funestissimo attritos prælio domuit, reliquiasque seditiosorum ad hostium castra ejecit, vnde Austriæ, velut misso sanguine, melior deinde sanitas constitit.

Svvickardi Electoris Mog. mors.

Porrò Catholici indoluere Schwickardi Cronenburgici Moguntinensis Archiepiscopi, viri prudentissimi juxta ac religiosissimi morte. Cujus Philippus noster censuram verebatur, quâ ipsius indolem jam olim penetraverat, ut legato Capituli electionem nuntiante dixerit: *periculosum vobis. & imperio virum cooptastis.* Et jam magis indies gliscebant dissensionis igniculi.

Ferdinandi II. Imp. contra Trevirensem Principē pro Abbate Maximinia-no sententia.

Ferdinandus enim II. Matthiæ Imperatoris sententiam, qui judicium Spirense anni 1570 pro Archiepiscopi supremo in Abbatiam dominio latam, anno hujus seculi XIII confirmaverat, oppositio decreto sustulit, jussitq; imperialis illam Abbatiæ libertate frui. Quare ab hac Cæsaris, velut malè instructi, sententia, ad imperiale Spirensium tribunal Philippus provocavit, quò etiam post quadriennium remissa fuit. Pontifex etiam Cæsarem arguit, quod Abbati jus Regalia administrandi, priusquam à sede Apostolica probatus esset, præproperè indulsisset. Sed factū ita à Moguntinensi est Principe excusatum; ut in transmontanis, ne ob dilatam confirmationem, justitiæ cura deesset, usum regalium certo tempore indulgeri assereret, fueratque in ipso hoc Archiepiscopo usurpatum, qui regalia ante Romanæ sedis approbationem, acceperat, ut, nisi inverecundè, obluctari Philippus hac in re non posset.

Pontifex Abbati adversatur.

Elector Trevir. in hæreticis reducēdis zelosus.

Et certè, quo erat religionis zelo, Romanorum favorē merebatur. quando tam ad sui principatus, quam Ecclesiæ propagandos limites, comitatum Cattemeleboci, unà cum civitate Limburgensi 24. aureorum millibus oppignoratum redemit, & Freusbergensem satrapiam, cum paroeciis quatuor, ac denique comitatum Veldensem ad Palatinos translatum, ære ac jure orthodoxæ rursum diœcesi, per multa resistentium obstacula vendicavit, evicitque, ut antiquæ religionis libertas subditis fieret. Incli-

Inclinatis porrò rebus Protestantium ad ruinam, ultimam adhuc Rex Daniæ Anglicis Gallicisque adjutus copiis, & reliquiis Germanorum, experiri aleam statuit. At his sub Baudisio collectore cæsis; cùm hinc Tillium inde Wallensteinium ad se constringendum progredi intelligeret, firmatis, ut potuit, præsidio urbibus, trans mare ad tutiores Daniæ recessus abiit. Durlacensem verò Holsatiæ tuendæ relictum, Schlickius ex Wallensteiniana militia graviter multavit. Tum divisis inter se Catholici muneribus, alii alias sine hoste urbes occuparunt. In quibus Anholdius Nienburgum, Furstenbergius Northeimium, Pappenheimius Wolfenbuteliam, & hic, quod mireris, sine armis, solo Ochera flumine interlabente per objecta valla in urbem regesto, expugnavit, tantò majori gloriâ, quantò labore minori.

1627.

Danus victus rejectusque suam in insulam.

Variæ urbes expugnatæ.

His tot cladibus fracti Protestantes ad pacem cum Cæsare aspirabant. Igitur Mulhusii in Thuringia convenientibus eâ lege pax defertur, ut bona Ecclesiastica à Passavienſi transactione occupata restituantur, Palatinus quoque inferiori palatinatu recipiatur, modò salvam istic religionem Catholicam, à Patribus Societatis reductam, consistere patiatur. Quorum cum nihil à Protestantibus acciperetur, Cæsar tamen executioni mandabat, Hallæ Suevorum, apud Argentinenses, Halberstadienses aliósque Ecclesiasticos dejectos restituit, Ferdinandum etiam III filium Bohemis Regem dedit, à sua primum morte regnaturum.

Pax Protestãtibus optata, quæ tamen respuitur.

Ecclesiastica bona restituuntur.

Elector Trevirensis inter hæc subditos variis ad tributa insueta artibus sollicitare aggressus, Ecclesiasticos inprimis invitos experitur; ut qui se quintâ solvendorum parte immeritò gravari, nec alimenta vitæ necessaria relinqui quererentur: cum interea nobilitas immunitate fruatur. Quare in diæta Confluentina aliquot articulos sub titulo gravaminum exhibuêre. Et 1. quidem, ut pro Ligæ milite alendo ex suo quoque ærario vi pactorum subveniret. 2. ut quamdiu nobilitas,

Ab Electore Trevir. gravantur.

Singularia Statuum patriæ gravamina, quæ moderari postulant.

pendente lite, à tributis immunis est, non teneantur illius onus sustinere ignobiles, sed tertia parte solvendorum, ut in tributis imperialibus receptum, liberetur. 3. ut conscriptus patriæ miles, cum hostis desit, missionem habeat. 4. ut dum Ligistis penditur, debita Cameræ differantur, ne utrisque patria succumbat. 5. ut tributa frumentaria pro Unitis exacta tollantur, aut reliquo demantur ex onere. 6. Ne insolita servitute populus ad præstandas vecturas laboresque sumptuosarum arcium excitandarum cogatur. 7. Ne Prætoriano milite, assecrisque Electoralibus alendis, extra ordinem moremque, complures graventur. 8. Ne obligentur subditi ex certis Oenopoliis Electoris tantùm vina coëmere. 9. Ne tributorum Receptoribus per Status designatis Electorales ministri vim manusque admoveant. 10. Ne Quæstores & Ministri Principis à lege contribuendi eximantur. Quæ postulata ut Princeps vidit, non hæc subditorum, verùm rebellium esse contestatus est. quorum proinde conatibus occurrendum sit. At rejecti Status, ad Cæsarem graviori longè Electoris indignatione appellarunt. Quorum Advocatum ubi ad Ferdinandum transisse intellexisset, mense Julio ad Patriæ Satrapas literas dedit, ac proditionem adversus se Capitulumque & Patriam, detectam esse memorat, eóque fine & hos & status Confluentiæ adesse jussit, ubi concluso eò adduxit, ut assentirentur in omnibus Principi, solam contributionum mensuram modumque, non in solius Electoris arbitrio, sed Ordinum patriæ, qui illius vires nossent, consensu quoque libero, reponi postularent. Sed hoc ipsum etiam cum recusaret, sigillatimque ad urbes diversas Præfectos suos mitteret, qui omnes, quà promissis, quà minis ad consensum, & appellationis revocationem inducerent: Cæsari impetrata, aut verius imperata, transmisit, ac quorundam solum rebellium esse appellationem docuit. Verùm cùm & ærarii iisdem communis potestatem eripuisset, ne quid expensarum pro alenda lite

Non auditi appellant ad Cæsarem.

Coacti submittunt se, si tributa ex eorum simul consilio imponat.

suppe-

suppeteret, vellet etiam Confluentinos, tanquam perduellionis læsæque fidei reos, iteratò sibi fidelitatis sacramentum dicere; de tot injuriis, & interceptæ ad Cæsarem appellationis viam, questum rursum Cæsari miserunt, opemque sibi, adversum oppressorem Principem, exhiberi demissè orarunt, qui nisi omnium facultates sua in potestate haberet quieturus nunquam videretur. At milite is, subditorum ære conscripto, ad imperatas passim contributiones exigendas usus, dupli pœna restitantes multabat. Præpostero consilio; cùm, quod per vim supra æquitatem exigeret, in alendum militem profunderet, unde subditi exhaurirentur, ipse non ditesceret.

Milite ad solvendum coguntur.

Ligisticus sub Tillio miles progressus, cismarina Dano oppida, præter Gluckstadium, eripuit omnia: ut si ad hanc urbem Fortuna, à qua dicebatur, tanquam ad metam, impegisset. Et Dano hic consistere visum est, pace à Cæsare, post ingentem rerum jacturam, impetrata. Wallensteinius etiam in Pomeraniam, usque ad maris litora, victor grassatus, Rostochio, & Vismariâ expugnatâ, solâ Stralsundâ, Suecorum per mare auxiliis confirmatâ, excluſus est: ingentia suæ militiæ assecutus præmia, Fridlandiæ ducatui Megapolitanum, Alberto Duce excluſo, & in Silesia Saganum adjecit: ut sibi non minus, quàm Cæsari militasse videretur. Cæsar verò post erectam Pragæ, in pugnæ ante octennium habitæ loco, basilicam, quam S. Mariæ de victoria dixit, dicavitque, edictum de restituendis bonis Ecclesiasticis, post transactionem Passavienſem ab utraque Protestantium secta, occupatis promulgavit. Licet pars utraque reclamaret, & Calviniani, se eâ pace negarent comprehendi; Lutherani se huic articulo per Regem Ferdinandum I. inserto contradixisse asserent. Sed illis responsum est, quòd hujus pacis legibus omnes imperii status, atque inprimis tunc adhuc Catholici, obligati fuerint: ipsa subscriptione assensum testati sint. vnde Episcopatus varii repetiti. Nam Fri-

1628.

Ligisticus miles Danũ Cæsareus Suecum ad extrema cogit.

Wallensteinii honores & munera.

Edictum de restitutione bonorũ post pacem Passavienſem occupatorum.

dericus Brandeburgicus anno salutis 1570. uxore ducta cum Archiepiscopatu Magdeburgensi pluribus Canonicis Ecclesiæque bonis ad Lutheranos transiit: eodem Archiepiscopus Bremensis Albertus Holsatiæ Dux anno 1600, ductâ Regis Daniæ sorore; Mindensis, & Halberstadianus Episcopi ex Ducibus Brunsuicensibus abiêre. Verdensem & Lubecensem Episcopatum Eberhardus ab Halle pari licentiâ transtulit anno 1568. Ita Episcopatus Ratzenburgicus à Schnellenbergio, Misnensis ab Haugitio, Mœrsbergensis & Naumburgicus à Ducibus Saxoniæ; Havelburgicus, Libussensis, & Brandeburgicus, ab his Marchionibus, Caminensis à Ducibus Pomeraniæ transcriptus est, ut aliarum imperio subjectarum terrarum sedes, variosque per Germaniam principatus, cum suis Ecclesiis, Catholicis ablatos præteream. Nec paucas ab Archidiœcesi Trevirica, per Nassovios, Hassos, Palatinum, Bipontinos, Witgensteinium aliósque Comites, traductas fuisse Ecclesias compertum est. Quare & iisdem ad orthodoxam religionem sedemque pristinam reducendis Philippus Societatis Jesu Patribus ad hanc rem adhibitis, diligentem operam impendit.

Vicini Protestantes Trev. diœcesi varia ademerant.

Et inprimis Satrapiam Freusbergensem trans Rhenum Nassovicis ab ortu ab occasu Colonienſi Archidiœcesi clausam; tum etiam Veldensem Comitatũ Rhenum inter Mosellamque, dorso ut vocant Canino incumbentem, vel jure vel ære ad se reductum, iisdem excolendum tradidit. Durus principio contra obstinatos in errore animos labor. Quos tamen sensim humanitate ac solertiâ, tum pietatis Catholicæ emollitione frangi posse eventus docuit. Freusbergensem agrum Patrum quatuor in totidem Parochias divisi sex & quadraginta pagos complexas, adeò secundo eventu excoluêre, ut plerosque à Luthero, aut Calvino, ad Christum reduxerint, suisque deinde Parochis reliquerit excolendos. tantâ demum amoris significatione divulsi, quantâ odiorum prius accesserant; templis à vastitate in pri-

Freusbergẽses Satrapiæ & Comitatus Veldensis ad Treviros & fidem reducitur.

in pristinum cultum restitutis. Veldentium pertinaciã quamvis Palatini ex propinquo foverent, salus tamen per sanctiorem Catholicæ religionis disciplinam promota est; ut insignis pœnitentium ad ædes sacras cõfluentium numerus probabat.

Tranquillis hisce consiliis turbida rursum Princeps miscuit, ut Treviros quoque ad subscribendum decretis suis, renuntiandúmque appellationi ad Cæsarem induceret. Quare superioris diœcesis Ordinibus Witlichium evocatis, Trevericos Senatores reliquis dimissis attinuit; cumque postulatis assentiri nollent, carceribus inclusit, donec libertatis gratiâ simulatè decreta consignarent. Sed mox libertate freti solenni revocatione subscriptionem, ut coactam, revocarunt. Cum verò deindè Cæsar offerret discordiæ arbitros, negavit Elector his locum esse, quòd controversiæ inter Ecclesiasticos & seculares Status, de methodo contribuendi agitatæ, ipse præsideret arbiter. cùm tamen hac sola litis contentione non dissiderent.

Trevirorum Senatores ad subscribendum decretis suis frustra adigit.

Arbitros litis à Cæsare oblatos respuit.

Hæc inter nihil à conceptis operibus remittebat. Palatio Treviris absoluto, solenni nobilitatis & procerũ inter epulas & pocula consensu *Petriburgi* nomen, ipsâ D. Petri Apostoli festivitate, imposuit. Confluentinæ arci Mosellæ ostio oppositæ à se *Philippi-vallis* titulum fecit, sub mulctâ pecuniariâ imperatum. Et, ne cui autoris memoria excideret posterorum, singulis fenestrarum capitibus *Philippus Christophorus* incidit. Udenheimensi etiam apud Nemetes castro *Philippiburgi* appellationem reliquit, plus honoris habiturus, si minus ambitiosè quæsîsset.

Tria splendida ædificia perficit, eisque donat nomina.

Quo tempore Societatis Jesu domus Probationis Treviris magno aucta Novitiorum numero, & alimentis impar, divini Numinis providentiâ reconditum in horti agro per Tyrones suffosso thesaurum, necessitati levandæ invenit. Vas lapideum inter eruta fodientium rudera compertum, quod submoto operculo, cibariam claudere supellectilem visum. Lances in hac magnæ ex

Tyrones Societatis Trev. invento thesauro alũtur.

argento fuêre decem, illusæ auro, variisque emblematum ex antiquitate figuris. vna grandior XXIV librarum effigiem in umbilico Cæsarei capitis, alia venationem sparsis etiam ferarum per marginem formis exhibebat, cum inscriptione AUDENTIA NICETIO. Tertia binas facies viri ac feminæ in medio sociabat, ut connubiale donum fuisse autumem. Quarta in umbilico pugiles, in margine alia gentilium ænigmata complectebatur. Præter has decem, octo aliæ lances concavæ poëticis intus emblematibus, foris parergis illustratæ; tum situla aureis hominum ferarumque simulacris aspera, disci recentioris operis gemini, quorum cælati margines quatuor sibi opposita exhibuêre capita, cum epigraphe *Petrus* & *Paulus*: *Iustus* & *Hermes*. ut priora sub gentilibus, hæc sub Christianis, & illa quidem nuptialibus *Audentia* & *Nicetii* muneribus destinata viderentur. Minora ex argento vasa omisero, universa supellex ad ducentas quinquaginta libras pervenit, & quatuor imperialium millibus æstimata suo fuit pondere: majus longè habitura pretium, si integra cum figuris suis ad Principum manus pervenisset, cùm temerè liquatione transfusa sit, ut *præsenti necessitati* consuleretur, *quæ optimi non semper consilii est capax.*

1629.

Signa prodigiosa belli imminentis.

Inusitata subinde anni XXIX per Germaniam spectata prodigia, & pugnarum simulacra, quibus in aëre, velut in theatro, locis diversis præludebatur ingenti bello. Tres præterea visi in cœlo soles, & in castris Tillianis miles sangvine inter nocturnum terrorem sudans, mali ominis spectacula passim habita. Nihil tamen his commotus Cæsar, quamvis obnixos Protestantes, & ad publica provocantes comitia, Ecclesiasticis possessionibus depulit. ut proinde hi ad Suecorum Regem, victorioso exercitu Poloniæ dominantem, versi, magnis illum promissis ad pacem cum Polono, bellum cum Cæsare induxerint. Gallus etiam ad societatem armorū provocatus, cum Anglo Rupellâ domitâ

Suecus & Gallus in Cæsarem à Protestanti-

Hugo-

Hugonotisque inimicitias posuerit; ut crescenti sibiq; formidandæ Austriacorum potentiæ obicem poneret. Qui principio quidem aurum, postea etiam arma huic militiæ commodavit; jam tum cum Imperatore in Italia, commissus, ratione Mantuani ducatus, quem Dux Vincentius moriens Nivernensi Duci, Hispanis & Sabaudo invito, consignarat: Cæsar jure feudi non contulerat, Hollandos quoque in se provocarat, Montecuculi Duce in eos imperii urbibus repetendis misso. Qui feliciori principio, quam exitu, Isalâ ponte strato, in ipsa se Hollandiæ infudit viscera, Amersfortio occupato, jam urbium Principi Ambstelrodamo metuendus. cùm repentè à tergo malè custoditam Wesaliam, commeatus bellici sedem, Batavi per insidias obtinent, simulque spem tutò progrediendi præscindunt; ut jam non de promovenda victoria, sed reditu ac salute Cæsareanis cogitandum esset. Et per imperiũ gravis quoque omnibus esse Wallensteinius suo exercitu cœperat. Qui totius militiæ dirigendæ potestatem nactus, Tillio in angulum quempiam Frisiæ, aut inferioris Saxoniæ, ablegatò, ipse optima terrarum, eâ lege pro hibernis insidebat, ut & alimenta & stipendia militi hinc solvenda essent, nisi prædandi huic licentiam indultã vellent. Unde cum quorundam Electorum Principum querelæ audirentur, & Wallensteinius se reducturum eosdem ad præstandum Cæsari obsequium olim debitum comminatus diceretur; exarsêre videlicet animis, eique potestatem omnem derogatam voluêre. Ita cum hostilem per imperium desiissent formidare militem, amicum timuerunt. adeò *nihil in rebus mortalium, nec in secundis quidem, securum est.*

bus concitatus.

Hollandi irrito successu oppugnati.

Wallensteinius diversis gravis est.

Quod Trevirensibus sub proprio etiam Principe ac defensore patriæ, in hostem & oppressorem suorum conversum, experiundum fuit. Datis ille ad Cæsarem literis persuaserat, sibi neque ad Ligisticum militem, neque ad privatas patriæ necessitates, suppetere, quæ ex usu bonóque reip. impendat; idcóque sperare, ipso

Ligistis à Principe evocatis Treviri Hispanos opponunt.

minimè invito facturum, si plaustris vini singulis unius imperialis daleri tributum imperet. Cui assensus Cæsar, ordines tamen convocati reclamarunt. Ergo Ligisticum Princeps militem evocat, quem, ubique receptum, Treviri sua urbe excludunt. cumque obsessos Elector omni commeatu spoliaret, Hispanum Lutzelburgo, majori numero evocatũ opponunt. Unde querelis utriusque partis ad Cæsarem delatis; Bavarum ille, ac Moguntinensem septemviros, causæ arbitros designavit.

Archiepiscopus Bliescastellum, numerato ære, reducit ad se, & fidem.

Utiliorem Archiepiscopus eodem anno in Bliescastellana Satrapia vendicanda industriam collocavit. Saræpontanis hæc Comitibus hypothecario olim jure tradita, ad hæresin cum iisdem deflexerat. oblatam illi redimendæ pecuniam jam multo detrectabant tempore; cum evicta demum Spirensi in judicio (quod etiamnum absenti Philippo multum deferebat) controversia, æs solutum, & Satrapia Trevirensi Archidiœcesi restituta, tanquam ex letargo, ad Majorum rursus fidem salutemque suam evigilavit. Fuêre etiam quæ in Dadenensi Freusbergensium parœcia, Witgensteinio licet Comite restitante, ad resipiscendum plures impellerent: quando vir istic ætate ac morum gravitate spectatus, palam testatus est, se inter preces Deum, pro vera fide, obtestantem, per cælestem adolescentẽ commonitum, venturos brevi, qui saniora docerent. Quod oraculum, quamvis multatus carceribus à Comite, reticere jussus esset, venientibus Patribus, inter proximos fidem reperit, salutemque multorum promovit. Nec prodigio caruit Ansbachensis & Oberstenianæ Parochiæ in Weteravia ad orthodoxos sub Comite Dilenburgico, temporali tantùm Domino, reductio. Priusquam enim Archiepiscopus, Spiritualis hic Dominus, Catholicos instructores ablegasset, jam palam in coacta populi concione trifidus Paschalis cereus in omnium accendi ac lucere oculis conspectus erat, idque inusitato istic tridui spectaculo, ut, ni desiperent, cœlitus

Aliæ Protestantium Ecclesiæ, non sine Prodigiis, ad fidẽ revocatæ.

litus se revocari ad Ecclesiæ Romanæ ritum, in hac luce, agnoscerent. quanquam *noctuas ad lucem etiam caligare videamus.*

1630.

Fatigatis jam imperialium subditorum, ex diuturnæ militiæ sustentatione, opibus animisque, cum querelæ tam Ligistarum, quàm reliquorum sub Fridlandi dominatione oppressorum invalescerent, Ratisbonam Cæsar evocavit Principes, Saxone & Brandeburgico, nisi per Legatos non comparentibus, quod Gustavi Suecorum Regis consiliorum gnari, ex ipsius successibus, res suas moderari statuissent. Prior tamen in cœptis mense Junio anni XXX. comitiis liberè contestatus est, nisi edictum restitutionis Cæsar revocaret, aut certè in annum sequentem ad Francofurtensia comitia (quando paratiores ad resistendum Protestantes fore augurabatur) pro opportuniore deliberatione suspenderet, sibi non defore justæ propugnationis auxilia. Neglectius hæc excepta à Cæsare, qui à proposito restitutionis deflecti non poterat; tum quod æquissimum esset sancitæ olim Passavii Augustæque pacis leges tueri; tum quod præsens Dei Numen hisce in bellis non alio sibi fine adfuisse crederet, quàm ut Ecclesiæ religionisque eversæ bona instauraret, Graviores illæ omnium justiorésque querimoniæ visæ sunt, quæ tantum imperii, & jam sine hoste propemodum, militem ali immensis sumptibus privatim publicéque jactabant. quas tantò ardentius urgebant Protestantes, quod Catholicorum hac in re assensu Principum freti, sperarent imperium, suo præsidio nudatum, Suecorum Regi aliisque confederatorum Principum armis pervium fore, occupatósque cum Principatibus Episcopatus retineri, aut recipi posse. Et tanta erat Catholicorum id temporis, & cæcitas, & ex victoriis obtentis securitas; ut licet in ipsis Comitiis nuntium de Suecorum in Pomeraniam ingressu, intraque Stetini mœnia receptu, felicique, quà se effunderet progressu (cum ut redemptor servitutis ubique exciperetur) ad Cæsarem Electores-

Cæsar in Comitiis Ratisbonensibus querelas Protestantium quoad bona Ecclesiastica negligit, de Wallensteinio abdicando, quod Catholici idem urgerēt, malè admittit.

Nec Sueci jam progressibus cognitis movetur.

ctoresque referretur, insisterent nihilominus Wallensteinianæ exautorationi perurgendæ, quod unus contra hunc hostem Tillius sufficeret, atque Electori cuipiam supremum militiæ imperium, præ Fridlando periculoso homine, credendum esset. Addebat momentum postulatis, altera Cæsari nuntiata de Mantuano principatu, jam cum urbe occupato, victoria, quo Collaltum Ducem exercitus destinârat. tum Bethlemii Gaboris mors cum insigni etiam legato voluntatis ultimæ, in domus Austriacæ honorem obsequiúmque, anno superiori, præter exspectationem, facto; atque ab devincta rursum, ut tamen falsò sperabat, Hungaria: cum successor Ragotzius possessionum juxta odiorumque erga Austriacos heres factus sit. Evicere igitur cõmunes Principum querelæ, missúsq; à Cæsare qui Wallensteinio militem exautorandum esse nuntiaret, quem Dux non solum actis Imperatori gratiis, sed & muneribus ornatum excepit, gnarus quantã invidis hac abdicatione, quâ potens feroxque Catholicis hostis incumberet, plagam infligeret: neque enim magna apud ipsum religionis propugnandæ cura, quam ex suis emolumentis metiebatur, serviturus illi, quamdiu serviret sibi. Unde ab eo etiam præcipuus miles ad Suecum, magnis se passibus imperio inferentem, transibat. Is mense Junio, secularis festivitatis Lutheranorum die, quo, exhibitam Augustæ Carolo V. Confessionem recolebant, in litus exscenderat, quod in omen secundæ expeditionis tractum est, ipso statim initio probatum: Cum geminæ venienti insulæ, Usedomia & Julinum, malè à Cæsareanis defensæ, adcóque Pomeraniæ ora patuerit: Moxque Stetini Ducum sede excepto, Stargardia, Anclanica, Ukermunda, Wolgastum, cum milite fortunam secuto, commeatúque accesserint. Hìc vulgatis, quas ante ad Electores perscripserat, belli causas literis cõplexus est. Nimirum, *Epistolam à se Transsilvano inscriptam Principi, à Cæsareis interceptam malevoléq; expositam Polonis, contra se missa sub Aldringeri*

Victoria Mãtuana, & legatũ Gaboris pro Austriacis.

Wallensteinii abdicatio simulato ab eo excepta gaudio, Acatholicorũ res promovit.

Succi imperiũ subeuntis felix auspicium.

Literæ belli-

gero auxilia. Maris Balthici imperium hactenus Suecia Regibus proprium, imperatoriâ per V Vallensteinium classe occupatum, non levi suorum Mercatorum jacturâ. Stralsundam, ad Regis Suecia opem confugientem, miserè vexatam. Megalopolitanos, sibi agnatos, Duces patriis dejectos possessionibus: Legatosque suos, contra jus gentium, Danica, sibi vicini Regis, pacificatione exclusos Augustana Confessionis sua consortes ad unius Cæsaris arbitrium, jugumque, amissis bonis, libertate, & patriâ compelli. Verum illi, ex Ferdinandi sententia, ab Electoribus Ratisbonâ responsum est. *Causas illas, vel nullas esse, vel ejusmodi, quæ Regem non tangerent. Quid enim Regi Suecorum magis, cum Stralsundanis imperii membris, quàm Cæsari cum Suecia incolis? Quid cum Polonorum auxiliis, quibus prisco fedære, & mutuâ fide Cæsar obligetur? Quid cum navigatione finitimarum maris Germanici urbium, quibus non minor navigandi libertas (imò potior, cum imperiales sint) quàm Suecis à Deo, & natura, jure gentium competat? Quid Suecorum, insulari Regi, cum Rom Imperii Statibus, eorumque legibus, & pactis religionis? An si justitiam inter hos administret Cæsar, id integrum erit homini extraneo aut examinare, aut convellere? Suadent igitur, ut pacem & amicitiam malit, quàm Cæsaris arma experiri.* Plures interea Protestantium, quam verbo suadebant pacem, lecto pro Suecis milite, eversum ibant. In quibus cum Franciscus Dux Lavenburgicus, & Christianus Magdenburgensis administrator præproperè nimium hostilia meditarentur, uterque à Tillianis, hic etiam cum funestissimo excidio amplissimæ urbis, oppressus est. Sed ne Comitia adhuc Ratisbonensia deseramus Philippus Christophorus Elector Trevirorum facit. Hic solus inter Archiepiscopos Sacerdos (quod, non sine admiratione ad Apostolicam sedem Aloysius Caraffa Legatus ejusdem præscribit) cùm Eleonora Imperatrix coronanda esset, sacras hujus inaugurationis cæremonias obiit. Ferdinando Cæsaris filio coronam

geræ ad Electores.

Electores ex Cæsaris sententia contemptim respondent.

Archiepiscopus Trev. solus sacerdos Imperatricem coronat.

nam pariter impositurus, si illius ex voto conclusum fuisset. Deferebat hoc tantò promptius officium Cæsari, quod 18. Martii Viennâ mandatum impetrasset, ut controversia Maximiniana, jam in aulico judicio pro Abbate definita, ad Spirense tribunal, ubi quondam agitata fuerat, transferretur. Quod haud multò post 23. Julii Archiepiscopo causam addixit, jussitque sub gravi pœna Monasterium sententiæ anno 1570 latæ acquiescere, omnique exterorum ope renuntiatâ, Principis sui imperio parere.

Causam Maximinianam Spiræ obtinet.

Ceterùm Bavariæ ac Moguntinensis Electoris Legati, ceu medii partium, inter Principem Trev. subditosque, ratione tributorum dissidentes, Bingium ad Rhenum destinati, post longam molestamque disceptationem, id solum impetrarunt; ut Clerus, Secularibus in tribuendi methodo sociatus, unum numum solveret, cum hi quatuor & dimidium, adeóque ex undenis imperatis penderet duos. At ut tempus mensuramque contributionum, ex consilio Canonicorum summæ ædis, & subditorum arbitrio definiri Princeps sineret, huc induci nunquam potuit. cum absoluta se tam Canonicis, quàm reliquis imperandi potestate contenderet præsidere: & siquas in leges (quas opponebant) electus jurasset, has ea ratione intelligendas, quâ receptis Electoris & Archiepiscopi juribus non derogent. *Fas esse regenti, ut necessitatibus, quas unus optimè norit, opportunè queat providere, militis scribendi exautorandiq; facultatem possideat, ideòque & ærarii publici claves gerat. Minus rectè subditorum inservire commodis posse, qui subditus his in rebus illorum arbitrio deserviat. In unum Principis caput malè convenire servitutem & imperium.*

Controversiam cũ subditis frustra Principes sequestri componere conantur.

Salubrius consilium à Philippo de Nassovica ad fidem Ecclesia reducenda conceptum est, sub auspiciis Joannis Ludovici Comitis, ac postea etiam Principis, Hadamarienſis. Quæ cum Lutheranam primùm, ac deinde Calvinianam fidei libertatem degustasset, neutram

Hadamarienſis ditio

tram denique ad salutem profuisse sensit. Missi in hanc messem Societatis quatuor, pluresque Patrum, eo cùm docendi publicè, tum privatim ægris miserisque inserviendi fructu : ut comparati cum horum studio moribusque Prædicantes Acatholici vilescerent, Patresque ubique & Moguntiâ & Coloniâ plures (quod Confluentini non sufficerent) evocarentur. At prædones Batavi hunc profectum turbaturi, ex Patribus (quibus Henricus Prackius præerat) Wilhelmum Holthausen, Steinbachium excurrentem, intercepêre. quem per invia aviaque raptum, & verberibus pessimè tractatum, dimittere, nisi lytro imperialium dalerorum 1500, noluerunt. Sed Attendorniæ, Colonienſis Archidiœcesis oppido, cùm Patrem militari secum habitu ducerent, agniti ex ipso, deprehensique, tres, aliorum quoq; scelerum rei, suspendio facinus luerunt: tribus aliis, quòd incolumi vitâ, Susatum, ad Hollandorum, unde exierant, præsidium remitterentur, lætis. Profuit hic eventus ad terrorem ceteris prædonibus ; incolumitatem verò Patribus conciliandam. Ad Vedanum hi quoque Comitatum, jurisdictioni spirituali Trevirorum subjectum, missi, invito licet Comite fidem, Principis milite tuti, propagarunt. Non multò tamen post, Parochis jam introductis, Batavorum cohors adfuit, fugatisque Pastoribus, unum captivum traxit. Quando Ludimagister Veldtkircanus, procax homo, extractis de templo Sanctorum simulacris, pyrio in cavitates inserto pulvere. *Euge*, inquit, *ego vos ad saltum instruam*, admotóque igne, risum in plurium conspectu movit, dum subsultantes cremarentur, at repentè furiatâ mente subsilire ipse, ceu admoto ab hostibus igne cœpit, ac susque deque ferri, donec ex Rheni ripa, ceu ignes extincturus, præcipitem se in flumen ageret. felix, si æternos etiam ignes his aquis extinxerit. Adeò *periculosum non minus est Sanctis illudere, quàm Principibus, quibus vindicta in promptu est.*

ad fidem reducta.

Patres Societatis malè tractati, sed cũ Prædonũ supplicio.

Pastores Cathol. in Vedanum Comitatum inductos Hollãdi capiunt.

Iconoclasta cælitùs plexus.

Primus

1631.

Primus deinde & trigesimus illuxit seculi annus toti propè Germaniæ fatalis, quando Protestantes Lipsiæ in Saxonia collecti, novo se federe mutuæ defensionis, nisi edictum restitutionis militemque suis è finibus Cæsar tolleret, obstrinxerunt. Unde cum passim ab eis conscriberetur miles, neque Cæsar voluntati eorum, aut ipsi Cæsaris obsequerentur, Tillius jam utriusque Austriaci & Ligistici militis Imperator, jussus in Saxonem duxit, Lipsiámque obsessam, exemplo Magdeburgi nuper per vim occupati, funditúsque ferro ac flammis eversi, territam, oppugnatione bidui in potestate habuit. Tum verò Saxoniæ Princeps Joannes Georgius ad Gustavi Regis Sueciæ opem confugit, provocavítque ad opportunum cum eodem prælium, priusquam venientibus Aldringeri ex Italia, & Gronsfeldii ex Hassia copiis firmaretur, suasq; Sueco in auxilium obtulit. Quibus utrisq; cùm Tillius se inferiorem non ignoraret, castra ad Lipsiam pugnæ declinandæ gratiâ fixit. Sed Papenheimius cum equitatu explorandi hostis gratiâ egressus, dum à quibusdam occurrentibus ardore pugnæ abstractus, in ipsam Suecorum, jam instructam aciem, fertur, Tillius aliis aliísque subvenire coactus, totam denique invitus aciem, reliquis servandis objicere compellitur: principio non infelici, cum Saxones sub Arnheimio Duce sinistrâ in alâ pugnantes facilè impulit. Sed ubi Pappenheimianis jam dissipatis, Sueciæ militiæ veteranum robur incumberet, numero ac virtute impar, tribus ipse vulneribus saucius campo cessit, tormentis commeatúque omni in manibus hostium relicto. Rex victoriâ usurus, Saxone ad recuperanda propria remisso, Tillium insequitur, ac post Hallas & Mersburgum occupatum, ab Erfurdiensibus receptus, hinc in Franconiam effudit sese, &, Herbipoli cum arce expugnata, maximis in ære & annona spoliis potitur.

Saxonis & Protestantiũ fedus contra Cæsarem.

Tillius Lipsiam occupat.

Rex Sueciæ adjuncto sibi Saxone Tillium fatali prælio cædit.

Victoriam prosecutus ad Rhenum usque effunditur.

Tillius inter hæc ad Visurgim auctus Lotharingi Principis & Aldringeri ex Italia copiis, jam Sueco superior

perior, ad reponendam cladem intentus ibat. cum allatus à Cæsare ac Bavaro, metuentibus ne se contra illos Suecus effunderet, nuntius adest, jubetq; abstinentem prælio ad utriusq; tutandos fines transferre exercitum, summo & Tillii, & militum, ac Lotharingi etiam dolore. qui nullo operæ pretio, ex amico repentè Gallorum Suecorúmq; hostis ad sua se propugnanda recepit. indignantibus jure etiam ad Rhenum Electoribus, militem sese aluisse hactenus, qui incumbente suis terris hoste, eosdem destitueret. Vehementissimè ante omnes Tillius indoluit, tot victoriarum ante partarum famam, unius adversi prælii timore obrui, spemq; præsentis victoriæ, & reparandæ cladis de manibus, tam inconsulto imperio, extorqueri. Quod Wallensteinio deinde ad arma revocato exemplum fuit, non admittendi exercitus, nisi absolutâ potestate cum hoste pugnandi, pacificandique concessâ; ne cœcis quandoq; aliorum mandatis subjaceret, qui solo rumore, agendi cessandique causas distinguerent. Et parum hoc ipsi Bavaro profuisse imperium deinde compertum est, cum Tillianus miles, per devia asperaque traductus loca, stipendiisq; ac commeatu malè instructus, ac recipiendæ ab hoste prædæ exspectatione dejectus, magnâ parte defluxerit, fortunamque Sueci secutus, aliis Tillium Bavarumq; cladibus fecerit opportunum.

Tillius rursum exercitu superior pugnare inconsulto prohibetur.

Et Rex quidem depopulatus Franconiam ad Mœnum progreditur, Francofurtóq; excipitur, soluto illic Catholicorum & Protestantiũ conventu, de bonorum Ecclesiasticorum restitutione suscepto, causam hanc gladio definiturus: ubi, Hochstâ occupatâ, Guilielmum Hassiæ Landgravium, inter primos federatum, cum auxiliari ad se milite recepit, Noribergæ, quam Tillius premebat, subventurus; nisi hanc ultro, suæ gnarus imbecilitatis, deseruisset. Ergo Suecus transmisso, contra obnitentes Hispanos, Rheno, Oppenheimióq; ac Moguntiâ, illo vi, hac deditione potitus, columnam, ubi Rhenum transierat, ceu Germaniæ triumphatæ monumentum

Suecus partito in varia loca exercitu, Rhenum transgressus columnam erigit.

mentum erexit simul & terminum, cui inscribi poterat *Non plus ultra.* Nam fixis hoc loco hibernis victorias ultra non protulit; licet paucis suorum per Rhenum diffusis evagatus sit. Ceterum Gustavus Hornius contra Tillium missus. Bannerius Ducibus Megapolitanis rursum instituendis relictus. Inferior Saxonia cũ Brunsuicensi & Lunæburgico, unáque Bremensi ad Suecum ultro transiit, Gronsfeldio istic, nunc cædente, nunc cæso. Saxo in Bohemiam usque, Ægrâ Pragáque turpi deditione patentibus, se victor effudit, & ad solum Bodovicium velut ad scopulum allisus hæsit, in magnis victor, in minimo victus.

Brunsuicensis & Lunæburgicus cũ Bremensi Sueco adhærent.

Trevirensis Electoris animum publica hæc discrimina à privatis controversiis non avertebant, quas hactenus cum Provincialibus, nunc etiam cum Metropolitano Capitulo inconciliabiles prosecutus est. Carolũ & Emmericum Metternichium Lotharii nepotes repetundarum, ut supra dixi, arcessebat. Quos ad Cæsaris judicium provocantes, ut ipse fortius premeret, suoq; adstringeret damnaretq; judicio, visitationẽ Archidiœcesanam, probante Urbano Pontifice, indixit, atq; hujus anni XXXI principio XI Januarii, suâ in aulâ, cum utroque Episcopo, Georgio Trevirorum, & Gangolpho Spirensium Suffraganeo, & Auditore Nuntii Apostolici Joanne Baptista de Ninis, Capitularibus eodem vocatis, exorsus est. Ipse gravi omnes oratione ad pacem concordiamque, præcipuum Ecclesiasticæ disciplinæ fundamentum, hortatus. Tum deinde monuit, ab eis, qui in Clero principatum teneant, jure se visitationem institutam ordiri, quod non dignitate minus, quàm morum exemplis præesse ceteris debeant. Deniq; quosdam, ut ajebat, jurata fide Husmano Præposito, Metternichiisque adhærentes obligatione absolvit. Probatáq; à præsentibus visitatione, hanc XVII Januarii die, velut altera sessione, continuari voluit. Verùm sentientibus jam quibusdam quò spectaret Princeps, par videri asserunt, ut in generali visitatione citentur universi,

Princeps Trev. Capitularibus offensus Visitationem contra eos indicit.

ne vi-

ne videlicet Metternichios excluderet. At sine his convenêre. cùm iteratâ dissertatione, ab Ecclesiasticorum disciplina & Ecclesiæ tranquillitate, ad Metternichiorum, velut hanc dissolventium, causam dilapsus, hos jure à se ab ingressu Capituli suspensos, ait, quòd infami apud Imperatorem libello sibi Capitulóq; honorem abstulerint, Pontifice, ad quem hæc causa spectet, neglecto, ideóque suffragante Auditore, suspensionis approbationem à præsentibus impetravit.

Visitatio hæc ad Metternichiorum accusationem instituta.

At injuriâ hæc in se decerni Metternichii contestati sunt, qui non in causa ad mores disciplinamque Ecclesiæ, sed usurpatæ possessionis bonorum ad Cæsarem appellent Judicem, & perversa ejus contra diœcesin consilia in vectigalibus teloniisque impositis, & in societate cum Gallo adversus Hispanos imperiumq; agitata, aliasque opprimendorum subditorum machinationes Imperatori justo titulo manifestent. Verùm his neglectis Princeps, vel ficante illius votis Decano Metzenhausen, egit, ut libellus Accusationis Cæsari oblatus sub nomine Capitularium, tanquam famosus, inscióque Capitulo protrusus, discerperetur. Cui tamen actioni, tanquam à Visitationis instituto, quale Tridentinum concilium spectaret, alienæ, adesse Philippus à Kerpen, & Damianus à Beissel Canonici detrectarunt, citatique, negarunt se visitationi à præscriptis Ecclesiæ sejunctæ quâ Archiepiscopus susceptas jure secum lites, & Reus, & Judex, decidat, adfuturos. vnde & eosdem illâ quâ alios suspensionis sententiâ perstrinxit. ac denique summæ ædis Præpositum, Joannem Wilhelmum Husman à Namedey, creatum nuper Episcopũ Lubecensem accersivit, variisque comparentem quæstionibus, & nonaginta articulorum accusatione, per Fiscalem Fischerum, obruere conatus est. At intrepidè is, ut audacia cum eruditione non deerat, ipsius Philippi ad Pontificem Cæsaremque de se data laudis testimonia his criminationibus opposita exhibuit. contestatusque est, *indignum esse Fischerum, nuper ab hæreticis*

Qui se in cõtroversia politica, huc non spectãte versari cum Principe protestati sunt.

Canonici reliqui à Principe ob iniquã causam deflectunt.

Husmannus Præpositus liberè contradicit & Romam appellat.

reticis traductum, nec in sacris adhuc Catholicis versantem, qui Episcopo injuriarum actionem hoc loco intentet. Visitatores tales justa ante purgatione lustrandos, quàm purgandæ Ecclesiasticæ disciplinæ admoveantur, & privatas sui Principis injurias prosequantur, idque in visitatione publica, concordiamque turbent, ubi instauranda sit. Non declinare se suosque tribunal Pontificis; & in his irrogatis clam palamq; contumeliis ad hoc etiam provocare.

At dum huc causam transferunt & Anselmus Casimirus Moguntinus Præsul eorũdem innocentiam commendat Pontifici, Baptista de Ninis Auditor Rotæ Electoris favori inclinatus, & neglectâ in accusatione Archiepiscopi Romanâ hactenus curiâ, moram injecère, ac Philippi stimularunt audaciam, ut severiori Husmannum & Metternichios excommunicationis sententiâ sacris consortioque fidelium arceret, bonisque ac diœcesi proscriberet. Quæ ut indigna plerisque contra innoxios visa, ita neglecta passim sententia est.

Dum Romæ res hæret Philippus eos excommunicat.

Neque ex voto Principis Moguntinus Bavarusque sequester, in controversia tributorum Electorem inter Ordinesque Patriæ agitata, statuerunt. I. *Defensionis justæ titulo Hispanos à Trevirensibus in urbem admissos.* II. *Injuriâ declinasse Electorem Cæsaris arbitros, provisionem negasse debitam, subditis intercluisse ad hos aditum.* III. *Variis iniquisq; subditos oneribus gravasse, quibus illos natura, ratio, jus patrium & Imperii eximat.* IV. *Obstinationem Principis illam esse, ut pacifica & æqua transactio vix queat sperari.* V. *Adeò manifestæ iniquitatis causam argui, ut justè adversus illum decidi possit. Et si differatur sententia, ærarii potestatem subditis indulgendam, ne damnentur ante judicium.*

Moguntinus & Bavarus arbitri Treviri contra Principem favent.

1632.

Nihil his motus Elector, Gallici exercitus præstolabatur adventum, cujus Richelius Cardinalis (qui, pulsâ nuper Regis matre ac fratre, omnia pro arbitrio moderabatur) opem addixerat. & urgebat Succi ad Rhenum usque explicata potestas, ut ab hac tutior sub

Elector Trevir. Gallicam protectionẽ

Galli

Galli protectione consisteret; quo nomine apud Romanos facti etiam laudem tulit. Nam licet Galli ceteris Ligistarum protectionem adversus religionis hostes deferrent, si vel sibi adhæresceret, vel certè, ab Austriacis divulsi, neutrarum starent partium: illud quidem aversantibus, hoc impetrare salva fide per Suecos non licuit, qui libertatem suæ esse religioni passim volebant, neglexerantque, quamvis ære Gallico militassent, pactum, quo quidquid Germaniæ cis Rhenum Gallis erat, hoc iisdem relinquendum statuerant. At Suecus factum excusavit; quòd, illis tempori non præsentibus, hostis submovendus à Rheno fuisset, Argentoratúmque in oblatam fidem recipiendum. Cum verò intelligeret, Archiepiscopum Trevirensem Galliæ Regis admisisse protectionē, urbibus & Ehrenbreitsteinio Rheni Mosellæque claustro eidem ad defensionem oblatis, indignissimè hoc factum tulit, atrocia etiam quæque, nisi pariter ad possessionem admitteretur, comminatus, vnde Confluentiæ, unà cum Gallis ad occupandum pontem receptus est; quòd liberum ad Colonienses transitum flagitaret. Hos enim in spem prædæ sibi inter ultimos labores sepositerat. Gallo igitur, ut adversus Hispanos arma sumeret, Germania sibi relicta, cujus ipse libertatis protector venisset, persuadere conatus est. Verùm ignorabat infelix, & sua sibi fata properari. Wallensteinius ab Imperatore ad arma revocatus, illa quidem cunctanter; at omni denique libertate castra metandi, & cum hoste dum visum pugnandi, atque etiam si liberet pacificandi oblata, admisit. Quem dum Rex Sueciæ in Bavariam, post Hornii cladem, profectus, ultùsque ipsa etiam morte cadentem Tillium, Bavariæque occupandæ ac spoliandæ intentus negligeret, collecto ille intra trimestre milliū facilè triginta exercitu Saxonem aggreditur, Pragáque, Leitmarizio, & Egrâ expugnatis, Noribergam ad præcludendam Regi viam tendit. Sed re animadversa Rex vicina urbi castra metatus, præoccupavit. Wallenste-

accipit, ut suos hac via premeret.

Sueci etiam Confluentiâ admissi.

Wallensteinius rursum militiæ præfectus Saxonem Suecūque oppugnat.

nio fixis juxta castris eundem premente, dum copiis Suecus auctior, Noribergâ annonâ copiisque instructâ, in Franconiam, non sine clade, oblato frustra prælio, quod ante declinaverat, sese transfudit. Quare remisso ad sua tutanda Bavaro, contra Saxonem propria in sede expugnandum reversus, autorem defectionis justis cladibus multavit.

Trevirensibus Cæsareisque indignantibus Ehrenbreitsteiniũ Gallis panditur.

Interea Trevirorum, tam ex Nobilitate Cleróque, quàm è vulgo proceres Gallicam servitutem respuebant, inprimisque ne arx munitissima, imperii & libertatis suæ propugnaculum, illorum potestati traderetur, qui ultro reddituri nunquam essent, obnixè contendebant. Sed his spretis Elector Gallos, Suecico comitatu munitos, in aream quinta Junii die, magno Cæsaris totiusque imperii dolore admisit. vnde Confluentia deinde expugnata, tam Suecum, quàm Gallum recipere coacta est. Cùm verò deinde Philippiburgum ditionis Spirensis iisdem transscribere Gallis vellet, obnixus Philippiburgo eidem consultius à Gubernatore excluduntur. Gubernator arcis, Ehrenbreitsteiniano dispar, negavit soli se postulanti Principi, nisi Imperator simul jubeat, Castrum pandere: cum utrique partium fide datâ obligetur. Ita hinc exclusis abeundum fuit. Et hujus ab omnibus, præterquam Episcopo & Gallis, laudata detrectatio; alterius obedientia à prudentibus reprehensa fuit: quòd *salus publica privatæ sit præferenda, & minoris Domini imperium majori posthabendum.*

Post Confluentiam Treviris expugnatur.

Gallis Suecisque jam Confluentiâ admissis, Treviri, Hispano freti milite, deditionem, nisi coacti, non cogitabant. Quare Comes de Estre exercitum vimque urbi admovit. cùmque prostratis ad centum passus mœnibus, impares Hispani resistendo essent, quiq; Lutzelburgo opitulatum veniissent à Gallis occurrentibus rejecti abiissent, certis legibus, quibus pristina Clero civibusque promissa immunitas, urbem tradidêre. Quanquam vulgus mox in seditionem versum, agricolarum secum plurimos, egressum urbe traxerit, postquam intellexit articulis insertum non esse, ut Rex Galliæ se defen-

Populi Trev. seditio pau-

defensurum cives adversus Principem, in lite oborta, reciperet. Sed cum tumultuariæ agrestium turmæ facilè dissipatæ autores seditionis ad furcam abreptos vidissent, hic calor resedit, jugóq; collum submiserunt, quod excutere non poterant.

corum suspendio sopita.

Et Hispani vix jam suis defendendis pares, Trajecti ad Mosam arcta Hollandorum obsidione ad extrema vergentis premebantur. Ad quos cum victoriosũ Pappenheimius ex inferiori Saxonia militem, Duce Lunæburgico, Landgravio Hassiæ, Baudisio Sueco, cæsis fugatisque, traduxisset, illa fuit Hispanorum vel invidia, vel ignavia; ut castra Batavorum ex mutuæ opis pacto invadentem destituerint, totámq; obsistentium vim in hunc unum, magna ipsius clade ac dolore, averterint. Quâ opportunitate Rex Sueciæ usus, Wallensteinium, jam Lipsia Halláque expugnata Saxoniæ gravem, juxta Lutzam aggressus, in certamen, at sibi non minus quàm hosti fatale, pertraxit. Stetit uterque in acie exercitus; cùm Rex dexteræ Præfectus alæ, exploraturus viam, in fossam ab hostibus interjectam, ut plures ferunt, incidit, acceptóque à latentibus insidiis vulnere, in receptu, aliâ turmâ hostium circumventus, ante prælium occubuisse ignotus dicitur. Certè desideratus suos tamen in prælium provocavit. Quo tantâ, Bernardi præsertim Wimariensis ductu, fortitudine à Suecis pugnatum est, ut nisi Pappenheimius, cum delectu equitum festinus interveniisset, ultima Cæsareanorum clades exspectanda fuisset. Ipse tamen animosus & nimium præceps ceterorum ductor, primo ruens impetu, fessorum simul militum animos roburque infregit; ut denique solo Octavio Piccolominio, quinq; equis dejecto, & sex vulneribus saucio, ad tenebras usque stationem tuente, victoria, cum tormentis bellicis impedimentisque, Suecis, relicta sit. Cæsareanis tamen victoriæ instar fuit Regem cecidisse. Funus tanti Regis, regii, tam funesto marte, nominis consectator, Fridericus Rheni Palatinus cumulavit morte sua; quorũ dam

Hispani parum gloriosè Trajectũ propugnant amittuntq;.

Rex Sueciæ in Saxonia cadit cum Pappenheimio, Suecis tamẽ prælio vincentibus.

Friderici Palatini, belli

autoris, mors.

dam dolore, plurium gaudio. Uterque Astrologorum vaticinia, tanquam alter sectatus Icarus, elevatus est ut caderet. Gladium post se *Gustavus* peregrinis fortunæ notis signatum reliquit, quas talis mors docuit Regem fefellisse. hoc quoque in solo reconditum nomine omen mansit quod diceretur *Augustus*; sed spe magis, quàm re, perturbato nimium, ut literarum, sic rerum ordine.

Gustavus. Anag. *Augustus.*

1633.

Nondum tamen spes Suecorum cum Rege sepulta est. cum deliberatum de pace esset, soli præ ceteris Protestantibus maluerunt bellum, & parta tueri, quàm reddere. Ergo Oxenstirnio moderante coactus Stockholmiæ Procerum conventus, idem statuit. ac, ne caput belli deesset, Christinam filiam Regis septennem solio imponunt, eique sacramentum nuncupant. Unde & Heilbronnæ Protestantium plerique novo fœdere sociantur, Saxone tamen averso, quòd in se potissimum primumque damna, ad Suecos verò Gallosque emolumenta belli recidere animadverteret, qui alienis regionibus ditarentur, cum ipse etiam amitteret proprias. Hinc ad pacem sese inclinatum per Arnheimium Ducem Wallensteinio notum ostendit. Qui dein averso à Saxone in Turrianum & Tubadelium exercitu, hos impares ad deditionem & sacramentū sibi dicendum impulit, Silesiaque ac Misnia brevi potitus, Francofurtum quoque aliaque ad Oderam loca tenuit. Alibi tamen Ducibus ipsius adversus hostem minus feliciter rem ex ipsius imperio agentibus, Cum datam sibi pugnandi facultatem illis adimeret, ac nonnunquam victoriâ hostium magis, quám amicorum gauderet. Wimarienſis Bavariam, haud invito Wallensteinio, divexabat. Et Hornii in Alsatia pleraque occupantis victoriis, ut par erat, non occurrisse constat. ubi Monteculus iniqua sorte ex Brisaco repugnabat. Aldringerius postea submissus, cùm ex Italia Dux Hispanus Feria accessisset, promptúmque esset profligare hostem, pugnandi sibi facultatem negatam asseruit. ut iccirco

Christina puella Regina Sueciæ patri substituta bello præest.

Saxo à fœdere Sueco-Germanico alienus à quo Wallensteinius quoque bellum aliò trāsfert.

Wallensteinii miles variè divisus parum feliciter pugnat, ipso non invito.

Feriâ

Feria, in tam præsenti victoriæ occasione, doloris indignationísque impar, morbum lethalem contraxerit. hostis Heidelberga, & Philippiburgo potitus sit. quod à Gallis, quibus Trevirorum Princeps tribuerat, magno ære redemptum est. Res quoque ad Visurgim Cæsareanis parum secundæ. Nam cùm lectissimum à Rheno exercitum Comes de Merode, Buninchusio & Gronsfeldio junctis, ad liberandam Hammeliam, à Georgio Lunæburgico & Cniphausio Sueco obsessam, ducerent, jam propinqui in angustiis pagi Allendorpiani ab hostibus intercepti, ipso Merodio cadente, periêre, apparatu omni cum vexillis 70 in manibus hostium relictis, qui præter Hameliam, Osnabrugum etiam tenuêre. Quæ ferè clades Wallensteinio, alibi magis, quàm ubi hostes erant, belligerante, parúmq; Catholicis Principibus amico, sunt imputatæ. quod suæ quondam abdicationis autores his artibus ultum iret, & cùm posset consiliis ac milite dissipatum Suecũ vincere, negligeret, quo oppresso, cetera ad victoriam cum Protestantibus prona erant.

Merodianus exercitus in Westphalia cæsus.

Et Gallus jam Lotharingiâ ad se, cum Spirensi ac Treverica diœcesi adductâ, ad Hispanum debellandum opportunis sibi locis acquieturus videbatur, nisi ampliora ipsi spe sua delata fuissent. Trevirensis Archiepiscopus, ipsius ope nixus, impositа hactenus tributorum onera tam à Clero Religiosisque (quibus hucusque parcitum) severè exegit; ut à pluribus solvendi impotentibus æs alienum magno incommodo contractum sit, lamentationes miserorum, ceu rebellium, explosæ: Vastata circa Treviros monasteria, & militũ habitationi prædæque relicta. Monialium ad pontem Leonis Asceterium, cum templo inflammatum, & Carthusiæ juxta Confluentes pars magna incendio hausta, quo ibidem in Philippina valle Monasterium D. Augustini prorsus absumptum est. Nec minus aliæ Ecclesiæ ad profana traductæ. Fabrica D. Stephani sub gradibus S. Simeonis Treviris in armamentarium versa.

Princeps Trevir. subditos Clerũque tributis & milite Gallico premit.

Sacra loca evertuntur.

S. Nicolai ad pontem ædes militum excubiis conceſſa. Monumenta & aræ veterum Archiepiſcoporum dirutæ, Campanæ atque æs ſtannumque in urbe, vel dejecta, vel pretii æſtimatione redempta. Nullum nec Clero, nec Religioſis ab inſolenti tributorum onere refugium. Ad Capitulum Metropolitanum Lutzelburgi profugum, ad Galliæ Hiſpaniæque Reges, ad Cæſarem Pontificemque diverſis nequicquam appellatum literis eſt, cùm aliis poteſtas auxiliandi deeſſet, aliis voluntas. Societatis Jeſu Patres ſcholis, Novitiatu, adeòque & urbe plerosque ſubmoviſſet, niſi patrocinio Galliarum Regis incolumes ſtetiſſent. Extera tamen juventus proſcripta, & Collegium bis vim ab invaſoribus paſſum fuit.

Patres Societatis Jeſu inſectatur.

Denique cùm per ſatrapias diviſim 20 vel 30 millium tributum imperaſſet, & Clerum ſeorſim inferioris, ac dein ſuperioris, diœceſis, impuliſſet, ad revocationem querelarum Viennam Romamque, ex præſcripta Archiepiſcopi formula, deſtinandam: tum velut miſeratione afflictorum tactus, univerſalem diętam pro onerum ſublevatione indixit: ad quam cùm prompti ac ſpe remiſſionis pleni confluxiſſent, pro alenda militia quovis trimeſtri triginta præſcripſit Dalerorum millia. Cui tributo deputabat, undecimam vini ac frugum partem, & vendibilium nummum quartum ac vigeſimum, binosque quotannis ex camino quolibet imperiales. Huic geminos Abbates ex S. Matthia & Martino eâ lege præfecit, ut ſiquid deeſſet, ex ſuis ipſi facultatibus ſufficerent, donec rationes à Statibus æquarentur. novâ ſcilicet munerandi laborem exigentium ratione. Diploma deinde à ſe formatum vulgavit. quo jus omne tempusq; ac modus contributionum Archiepiſcopo conſignabantur, quod omnium ſubſcriptione, vel ab invitis, firmandum erat. Mandatumque, ne quis alium ſupplicibus, præter unum ſe, libellis adire præſumat. Quod cùm poſtea omni ab eis ſubmiſſione præſtitũ fuiſſet, brevi reſponſo abjecti ſunt: *præſtare Reip. membra, quàm caput afflictari.* Ulti-

Seorſim quoslibet ad tributa impellit, & ad retractandas querelas apud Papam & Cæſarem.

Diæta doloſa, & fraudulentæ violentæque artes.

Ultimâ demùm Junii die Magistratum Civesq; ad Palatii majorem aulam evocavit; sed hac tantâ mole hominum fatiscente, in area collectos, militaribusq; stipatos copiis, abjurare palam Hispani ac Lutzelburgensium opem, præeunte conceptis verbis Suffraganeo Senhem, coëgit.

Postremò Metropolitanis Canonicis Lutzelburgum profugis amicitiam, si iisdem secũ consiliis insisterent, obtulit; sin obsisterent omni beneficiorum fructu spoliavit. Non obsequentes verò Husmannum, Metternichiósque dignitate & Canonicatibus spoliatos in aulico concilio pronuntiavit, ac pro alterius Præpositi electione, & Canonicatuum collatione trimestre Capitularibus reliquis spatium præfixit, quo neglecto, jure ad se devolvi hanc potestatem declaravit. Sed Petrus Aloysius Caraffa Nuntius Apostolicus datis ad Electorem literis admonuit, ne suæ potestatis limites excederet, jusque Apostolicæ sedis occuparet, lite etiamnum Romanâ in Curiâ pendente. Adjecitque mandatum inhibitorium. quod cum publicus Notarius Joannes Moriau Treviros detulisset, solis literis exhibitis, tanquam venenatas dedisset, custoditus variisque quæstionibus vexatus, parum abfuit, quin ad patibulum abriperetur: ut his territus mandatum post scrinium in Præfecti Urbis ab Hausen domo reliquerit: dimissus denique ob salvi conductus Embdani Comitis Gubernatoris Lutzelburgici literas: Canonicis tamen de veneficio, & meditato electoricidio accusatis, adeò varios malitia, cum vafricie conjuncta, recessus in homine, & artificia nocendi obtinet. Quo spectat. quod libellos Supplicum ad Cæsarem aut Pontificem insidiosè interceptos, tanquam famosos Carnifici publicis flammis traderet cremandos. quodq; Cleri Syndicum D. Joannem Linden, multis ante obsequiis sibi cognitum, ubi Legatum Apostolicum Caraffam intercessionis nomine pro Clero impetrandæ adiisse compertus esset, tetris carceribus damnatum incluserit,

Metropolitanos aliquos suis beneficiis spoliat, licet Nuntius Apostolicus reclamaret.

Conflictis criminibus illudit variis.

post quadriennium libertati, captivo jam Principe, suâ industriâ redditum. Ita in aliorum innocentûm pœnis ludere solitus, qui nec justam quidem suorum scelerum accusationem sustineret.

1634.

Wallenstenio sublato Ferdinandus Cæsaris filius exercitui præfectus Suecos cædit.

Subhæc annus seculi quartus & trigesimus volvi cœpit, quo fortuna domus Austriacæ imperiique Rom. in apice præcipitii constituta, uno cadente rursum erigi cœpit. Is fuit supremus copiarum Cæsaris imperator Dux Fridlandiæ Albertus Wallensteinius, ex imo nobilitatis gradu ad summa provectus. Qui cum, ob suspectam rursus fidem, sibi Ferdinandum Regem Bohemiæ, in militiæ præfectura, surrogandum sentiret, Protestantibus occultâ novarum rerum molitione colludere deprehensus, suorum, fidem Cæsaris præferentium, ferro concidit, Ferdinandusq; exercitui præsse bonis auspiciis cœpit. Ille enim Bavaris junctus, Ratisbonam, valido Suecorum præsidio munitam urbem, duorum mensium obsidione expugnavit, moxq; Hispanis, sub Ferdinando Cardinale Infante ex Italia adventante, firmior Nordlingam aggressus est. quē cum Hornius & Wimarienſis omni Suecicæ militiæ collecto robore, decretoriâ adorti pugnâ, post anceps atroxq; certamen, illustri victoria ornassent, tormentis bellicis 80. & XII millium cæsorum numero in campo relictis, Rheingravium quoque in auxilium properantem Joannes à Werd, animosus felixque ex Ubiis miles, internecinâ clade profligasset, tum & Nordlinga, & Heilbronna & Heidelberga, ac Herbipolis Ferdinandi victoris obsequium amplexæ sunt.

Princeps Trev. ignobiles Canonicos pro nobilibus substituit, Gallumque

Qui tamen successus Principem Trevirorum à proposito Canonicorum, Metternichiis, pro quibus Cæsar stabat, sufficiendorū dimovere non poterant. Quin & inhibitoriis Nuntii Caraffæ literis ad Capitulum datis, (quæ electionem aliorum vetarent) neglectis, & dissuasoriâ ejusdem Epistolâ sine responso, præteritâ, cum excommunicationis quoque sententiam in electuros pronuntiasset; ad electionē tamen, & plerorumq; quidem

quidem ignobilium, ex suo servitio assumptorum, processit: Canonicis persuadens, sibi (Nuntio ignorante) hanc à sede Apostolica facultatem delatam esse. At verò ubi deinde Richelium Cardinalem è Galliis in Spirensis & Trevirensis principatus Adjutorem statuisset assumere: tum non solum Cæsar reliquique Germanorum Principum; sed & ipsi hactenus ejus deliratione obsequentes Canonici, sibi suisque spem successionis eripi conspicati, omni sese conatu objecêre. vt ex Wilhelmi à Metzenhausen Decani literis purgatoriis quas Viennam 3. Novemb. dedit, haud obscurè compertum est.

in Adjutorē destinat.

Sed & sua cælitus parabatur, ad castigandam Archiepiscopi insolentiam virga. Jam labantibus Suecorum in Germania rebus Galli pro antiquo erga Germanorum concordiam, & domus Austriacæ incrementum affectu, solliciti, ne illis obtritis, pax tam imperio secunda, quàm adversa Francis consequeretur: armis sociatis, vires illorum instaurandas esse censuerunt; titulo tamen belli, quod pro religione susceptum à Suecis fuerat nonnihil inflexo; ne deinceps, nisi pro regionibus, certare dicerentur: ut si illi regionibus occupatis, religionem suam in iis propugnaturi non essent: ac referret, quo res quæque nomine compelletur, modò eadem persistat, & Catholici suis pro quibus pugnabant, Episcopatibus spolientur. Philippiburgum sibi ad Rhenum igitur in belli annonæque militaris sedem delegerant, quando Casparus Bambergus ut hoc ipsis præsidium eriperet, milites agrestium habitu, rerum venalium sarcinis onustos, immisit urbi, jussitque prima noctis vigilia certo loco adesse. quando superatis ipse vallis vigilium stationem, & hi portas aggressi perfringunt, arcem occupant, collectóque armorum & alimentorum apparatu potiuntur. Augusta Vindelicorum etiam Boicis copiis pressa cessit, extremâ, quæ ad canes muresque rapiebatur, fame compulsa. Tantò facilius est dulci libertatis illecebrâ captis grave hostium

1635.

Galli ut fractas Suecorum res erigerent, arma jungunt.

Philippiburgum illis dolo eripitur.

stium, quàm imperii & religionis Catholicæ suave jugum sustinere. Saxo denique vacillanti Protestantium fortunæ metuens, parúmque amans Gallorum, pacem cum Cæsare, moderatis ad anni 27 possessores legibus restitutionis, amplexus Pragæ est, & cuique partium loca ab anno 1630 occupata, etiam reliquis ad hanc concordiam accessuris, concessa, salvo tamen Cæsari Philippiburgo.

Saxo cum Cæsare Pragæ paciscitur.

Non mediocriter hæc res Principis Trevirorum Gallorumque consilia turbavit; sed & gravior mox illum fortunæ ictus perculit. Nam firmandæ Treviri intentus, S. Simeonis ex porta olim nigra urbisque propugnaculo templum, rursus in illius speciem formare instituit, ideóque Canonicos, in Novitiorum Societatis locum, eis urbe pulsis, translaturus, præcipuum utrisque, & his inprimis metum incussit: cùm P. Joannes Panhaus Tyronum Rector, in Deo quàm hominibus plus solitus præsidii collocare, biduum, quod migraturis supererat, precibus 40 horarum indictis cum Novitiis transigebat, ac 25 Martii diem, qui passioni Dominicæ sacer erat, noctisq; bonam partem, jam divinæ protectioni implorandæ absumpserat; cum admotus Urbi Hispanorum miles, insidiis ac vi portarum aditus penetravit.

Princeps Trev. de munienda urbe sollicitus, cùm Religiosos pellere urbe nititur, ipse capitur, Hispanis in urbem penetrantibus.

Allapsi primùm navibus per Mosellam ad minorem Tympani portam, hanc pyroclastris affixis succensisque perfregére, antequam par his repellendis miles Gallicus affluéret, vnde ad Pontanã digressi portam, nec observati quidem, dum Galli ad Tympanum sat feliciter propugnant, insperatò perrupêre, acceptoque in urbem equitatu facilè rerum potiti sunt, Gallis plerisque in captivitatem abstractis. Princeps dum hæc attonitus suo in palatio secum exigit, adfuit cum milite ingressus Carolus Metternichius Archidiaconus, jubetque Electorem Cæsaris ac Hispani Regis nomine, illorum se custodiæ defensionique committere. Qui irrito excommunicationis fulmine terrere frustra aggressores cona-

conatus, his præsentibus, vidit militem toto effusum palatio pretiosissima quæq; in prædam trahere, & ipse dein, sub Comite Embdano copiarum ductore, ejectus eodem vrbe die est, quo Novitios, & plerosque Religiosorum, quatuor tantùm in quovis Monasterio relictis, proscribere constituerat. vt in foveam quàm aliis effoderat, turpiter prolapsus sit: tantò acerbiore dolore sui, quantò liquidiore subditorum gaudio.

Gubernatoris Ehrenbreitsteiniani D. de Bussy filius inter captivos milites aliquâmdiu detentus, testimonium innocentiæ Patribus Societatis dedit, (quorum in vinculis charitatem expertus fuit) cum ob 40 horarum preces rumore iniquo traducti fuissent, ac si quadraginta Hispanorum militum, in portam pontis immissorum, hospitio excepissent. Quâ de causa, cùm Treviris non possent, proscribendi Confluentiâ ferebantur. Et reversus à captivitate Elector, tanquam eorum depulsus precibus, haud leviter eosdem est insectatus; ut si ad Deum in necessitate confugere, nefas periclitantibus fuisset. Ita *Deum voluntati nostræ, quàm nos illius subservire malumus.*

ANNA-

ANNALIVM TREVIRENSIUM

LIBER XXV.

Philippus Christophorus Trev. Archi-Episcopus captivus.

Princeps in Belgium abductus, regimen Capitulo cedit.

IAM in procinctu suæ in Belgium deductionis stabat, cùm rogatus à Proceribus, quem relinqueret successorem? *Capitulum*, inquit, *receptо ex more regat.* Quam magnanimi Principis vocem admirati sunt, quâ adversarios sibi surrogaret. verùm *prudentis erat, quod impedire non poterat, ultro etiam deferre.* Triumviri igitur ex Capitularibus lecti Joannes Wilhelmus Husman Præpositus, alterque Electoris fautor (ut & hoc darent Principi) Joannes Wilhelmus à Metzenhausen Decanus, tertius Carolus à Metternich Archidiaconus. Ex quibus hic eodem anno excessit vitâ, ille Treviri Viennam æmulatione Gubernatoris ejectus, adeóq; penes Decanum ferè, regimen stetit. quod Cæsar probavit, Pontifex toleravit.

Elector Gandavum abductus non infrequenti Hispanorum septus custodiâ joco asserebat, magis diligenter se ab illis, quàm ab Angelis custodiri; quod etiam non rogati plures quàm vellet, circumsisterent. Mensam sæpius opiparè, & Hispano more instructam neglexit, coquo suo mandans, ut Treverico sibi apparatu (qui ex aqua & pane tenuis est) offam exhiberet, frugali assuetus epulo ac condimento.

Saxo pacem cum Cæsare.

Publicata inter hæc pax Bohemo-Saxonica pleráſque liberarum Urbium Principumq; reliquos in societatem

tatem abstraxit, ut Sueci de sua hæsitarent fortuna, accessuri, nisi Galli suis copiis, & Wimarienſis sub horum auspiciis, promissáque è Suecia auxilia sustentassent. Et hic quidem Spirâ, Wormatiâ, Moguntiáque expugnatâ, haud levem principio terrorem ingessit Rhenicolis, nisi Ferdinandus mox valido incubuisset exercitu, cedentésque ad Mediomatricum fines repulisset. Trevirensis verò Princeps, licet Gallus cum eodem bellum inferret Belgio, pacem tamen Pragensem amplecti cum Saxone, quàm incertis maluit Gallorum successibus niti: ideóque in sua illam diœcesi jussit promulgari, ac deinde vi ipsius admissæ petiit libertatem. Neque hæc recusata, modò Ehrenbreitsteinianum castrum imperio redderet. Invitatus verò ea spe in Germaniam, ad indicta Ratisbonam Comitia, novi Regis creandi gratiâ se credidit transiturum. Sed Dux illius Gonzaga Donawerdæ monuit, Lintzium ad Cæsarem evocari. vbi non minori, quàm prius, consternatione intellexit carceres sibi esse paratos. Neq; enim Philippus is esse existimatus est, qui acceptas offensiones inultè laturus foret. vnde minus, tanquam in cavea feram, nociturum continebant. Interea ab Husmanno jussu Cæsaris Electorale archivum excussum est. Quo Princeps cognito, Gubernatorem induxit, ut nisi is & probaret acta Principis, & revocatis contumeliis etiã acta restitueret, captivum attineret. Verùm ille Viennam tempestivè se subduxit, vanásque jam hominis sine viribus iras facilè contempsit. Tres verò à Capitulo legati Husmannus, Cratzius, & Erasmus ab Horst, qui nomine Electoris suffragium electionis Ferdinando III. Ratisbonæ deferrent, admissi per ceteros Electores non fuêre; quod exemplum facti non suppeteret: absenti tamen Septemviro sua est sedes collocata, & Romanus Pontifex electionem XXII Decẽbris factam, ceu legitimam, probavit: frustra, & Archiepiscopo, & Palatino reclamante. Cæsar domum reversus, sequentis anni 37 principio, innocentem Deo animam reddi-

is Pragæ sancit, quam Philippus spe libertatis admittit.

Ex Belgio in Germaniam, tanquam ad Comitia, traductus Lintzii attinetur.

Ferdinandus III. eligitur frustra Trevirensi & Palatino reclamante.

dit, pace, quam terra negabat, in cœlo fruiturus.

Bannerius in Saxonia, & Wimarienſis in Alſatia pro Sveco feliciter bellum gerunt.

Bannerius inter hæc, Suecorum Dux auctus copiis, Saxonem pacis autorem aggreſſus eſt, ac primò quidem ab Hatzfeldio bis repulſus; at mox confirmatus, ubi Cæſaris Saxonisque copias, ſimulatâ in anguſtias fugâ ductas, memorabili clade profligaſſet, latè per Thuringiam, Miſniam, Franconiam victor graſſatus eſt, Haſſiæque Principem Guilielmum, pacis inter bellique conſilia fluctuantem, rurſum in arma traxit. Qui Hannoviâ, cæſis Ligiſtis, redemptâ, in Monaſterienſes ac Paderbornenſes effuſus, Haſſiam Götzio Bojorum Ductori vaſtandam reliquit. domi plexus, quod foris peccabat. Gallaſſius quoque miles ſub Wallenſteinio, quàm Dux, poſt illum felicior, in Alſatia Wimarienſem impunè Tabernas occupare paſſus, auctus deindè Butlerianis & Lotharingicis copiis in Gallias recedentem, velut aſſecla, ſine ullo emolumento conſecutus, ſuſpicionem plerisque fecit, quòd Gallaſſius denique re & nomine gallizaret. Tot bella demum peſtis famesque per Germaniam latè tam atrox ſecuta eſt, ut ad obſcœna quæque, canes muresque, & hominum quoque cadavera, infantesque devorandos abjiceret. Apud Treviros quibusdam locis ex ſexcentis incolis vix ſuperfuere viginti, peſtilentiæ ac fame ſubducti. In uno Societatis Collegio XIV Patres extincti ſunt.

Fames & peſtis per Germaniâ horrenda.

1637.

Ehrenbreitſteinium fame expugnatum.

Profuiſſe tamen hæc calamitas ad Ehrenbreitſteinianum munimentum Gallis extorquendum viſa eſt. Siquidem annonâ iſtic militari conſumptâ, cum Bavari pro hibernis diœceſim arcemque circumſediſſent, & recèns, pro ſenis frumenti modiis, Saludi arcis ſuperioris Gubernator 360 daleros imperiales obtuliſſet, Buſſi verò Campi Mareſchalcus ibidem in arce inferiori extrema pateretur, poſtquam equis, canibus, ac gliribus demum abſumptis, (quorum 80 ſingulos XII facilè ſeſtertiis emerant) 60 aſinos pluresque canes, devoraſſent, Hollandi denique Haſſique junctis copiis inferre alimenta conati ſunt; At Joannes Werdius, ſagax atque

atque impiger miles, ubi Coloniæ rem per exploratores cognovisset, prævolat, lectóque cum rusticis milite, retro montem Grentzhausanam, non procul ab arce venientes inopinatò aggreditur, & post aliquod certamen clademque fundit fugatque, totóque commeatus apparatu, aspectantibus ex arce, atque ingemiscentibus Francis, potitur; ut jam spe omni auxiliorum succisâ, deditionem vitamque pacti, mortuis quàm vivis similiores excesserint, ad Batavos pro alimento dimissi. Ita hoc Rheni Mosellæque propugnaculum 27 Junii, tanto Cæsareanorum plausu, quanto Gallorum mœrore receptum est.

Philippi Archiepiscopi mixtum dolori gaudium fuit. Nam spes illi redemptionis visa affulgere propior, cum Gallicis jam amplius pedicis non teneretur. vnde & hieme jam incumbente Lintzio, ad propinquam, ubi Cæsar agebat, arcem, quendam ex ordine Capuccinorum notum gratumque illi virum misit, qui calamitatem Principis explicaret, & præsentem ejus in custodia inopiam; fortè nondum suppeditatis duodecim, ut convenerat, à Trevirensibus, & quatuor à Spirâ, quotannis millibus, neque etiam illis ad suam ministrorumq; necessitatem sufficientibus. Imperator igitur, postquam, his expositis, opem Princeps sollicitasset: respondit, justiorem se causam habere postulandi aliquod pro bello subsidium, ex thesauro auri Metas quõdam, & nunc Lutzelburgum à fratre translati. inde sibi pro necessitate saltem decerpat. Tum enimverò miratus Elector hoc arcanum ad Cæsarem quoque emanasse: ubi intellexit Hispanos adhibitis testibus partem æris in suũ quoq; usum, cum obligatione tamẽ restituendi, transtulisse, dolor confusioni mixtus docuit, *infelicem auri possessorem esse, qui hostibus illud potius, quàm sibi coácervavit, & plerumq; avarè congesta, prodigè dissipari.* Porrò cùm liberandum se Philippus speraret, intercessione præsertim Romani Pontificis, geminâ cœpit pro beneficio captivitate teneri. Ille enim questus jus suum

Princeps Trev. à Cæsare subsidiũ aliquod suæ tenuitatis postulans, ad thesaurum suũ Lutzelburgicum remittitur.

Viennã ductus Pontificis simul captivus fuit.

in Archiepiscopi comprehensione violatum esse, obtinuit, ut Viennam adductus Princeps, sub Legati quoque Apostolici custodiâ servaretur; vt quà Ecclesiasticus Pontificis, quà secularis Cæsaris captivus esset. Quibus titulis oneratus tunc magis, quàm ornatus fuit. Expertus *officia humanitatis nonnunquam deferri, quibus carere tutius sit.*

Treviris in populum & Clerum seditio.

Neque Treviris, ipsius, seu præsentiâ, seu absentiâ, ad quietem consultum satis: quando vulgus Clerum par militum hospitandorũ onus sustinere voluit. Quare cum senatu assentiente, & milite cupiente, hominũ sacrorum diversoriâ vi occuparentur, Ecclesiasticus Judex Clero ad se provocanti immunitatem sancivit, reliquis hanc violantibus anathema dixit. Unde Senatus illius decreti autor perstrictus, vicissim Clero Religiosisque foro venaliumque commercio interdixit: ut, nec prece, nec precio quicquam eis concessum, forisque advectum fuerit: donec Metropolitanorum Procerum (penes quos imperium) interventu, æquis pars utraque legibus conciliata est. Infelicior id temporis æstus tumultuantis plebis Leodium in cædem Warfusæi Comitis, qui Ruellium Gallicarum partium Consulem oppresserat, parum consultò abripuit. Hinc spretus quoque Ferdinandus Elector, Leodiensium Episcopus, vrbis subigendæ, arce impositâ, occasionem duxit. Hispanis in Belgio quoque Hollandorum obsidione erepta Breda est, Lutzelburgiis Damvillerium, aliis per Gallos alia: Wimarienſis tamen à Rheno per Joannem Werdium rejectus, Bannerius è Saxonia cum Vrangelio in extremas Balthici maris, plerisque receptis urbibus compulsus, ut nisi Brandeburgicus & Saxo suis magis recipiendis, quàm commeatu Cæsareanis suppeditando intenti, defuissent victoribus, quos inopia præ quovis hoste afflixit, debellatum adversus Suecos fuisset. At dum privatarum, neglectis publicis, rerum satagunt, utrisque brevi rursum, firmatis ex Suecia hostibus, exciderunt.

Tumultus Leodiensis in vicinia magis cruentus.

At Pa-

At Palatini fratres Carolus ac Rupertus, cùm, Anglicis Germanisq; freti copiis, Meppenam annonâ probè instructam belli gerendi sedem destinant, Velenius Cæsaris miles locorum peritus, intempestâ nocte fossas vallumque transgressus, illam cum omni apparatu tenuit. Hatzfeldius deinde etiam, in campum ad Lemgoviam obsidendam effusos, internecinâ propemodũ clade confecit, Ruperto cum impedimentis capto, & Carolo ægrè Mindam elapso. 1638. Palatinis nova expeditio malè cessit.

Wimarienſis sors felicior. hic à Werdio à Reinfeldæ obsidione rejectus Laufenburgum, quod cum ponte occuparat, qui dum postridiè in securos Cæsareanos, sparsosque rediisset, omnes vel oppressit, vel cum Ducibus (in quibus, cum Werdio, Sperreuterus, Furstenbergius, & Enkefordius) captivos Lutetiam transmisit. Unde illi ad Rhenum aperta omnia, nec Reinfelda tantùm, sed Brisacum inexpugnabile ejus loci munimentum fame, postquam Gotzius frustra subvenire conatus esset, interceptum est, auróque deinde ad Gallos translatum, quo firmam sibi in imperio sedem vendicarunt. Et hoc casu territi Trevirenses, hortante Cæsare, de castro Ehrenbreitsteiniano annonâ ac milite instruendo solliciti, frumenti quemvis modium XI vel XIII daleris (quæ frugum erat, ob patriam exhaustam, penuria) emptum inferre coacti sunt. In qua calamitate repetendi Principis, quo averti tam frequens miles posset, desiderium subiit, placuitque, & Capitulo, & populo eundem repetere. Sed tardioribus ea res machinis promota est; quòd restitutus libertati, Philippus nullâ satis obligatione Cæsari imperioque adstringendus esset, quàm non ipse aliqua, vel legis, vel necessitatis interpretatione perfringeret. Wimarienſis victus astutè & gloriosè vincit, Brisacumque occupat. Desiderium sui Principis ob varias afflictiones, Trevirensibus injectũ.

Jam annus volvebatur nonus & XXX, quando Trevirorum stringebat fines hinc Wimarienſis ad Rhenum, inde ad Mosellam Gallicus in Theodonisvillæ obsidione miles, qui uterque vindicandæ ejectionis Francicæ cupidus imminebat Treviri. Reliquiæ, & 1639. Theodonisvilla periclitante, Treviri pretiosa

quæq; transferunt, sed hostium brevi vires rursum dissipatæ.

quidquid præstantioris ornatus Ecclesia Metropolitana possidebat, tribus inclusa Cistis ad Patres Carthusianos Coloniam translata sunt, religioséque illic, cum Toga Christi, asservata. Divina tamen providentia Wimarienſis in flore ætatis, trigesimo quinto vitæ anno Neoburgi in Alsatia non sine veneni suspicione periit, lectissimæque sub Erlachio, Nassovio, Rosa, & Oehmo Ducibus copiæ, hinc Cæsare, illinc Palatino frustra sollicitante, Gallica, (quæ potior erat) pecunia ad Francos transiere. Quin & Palatinus, ne rem turbaret, Parisiis detentus in custodiâ, liber tandem ad preces Suecorum dimissus, præter has nil admodum subsidii ab iisdem obtinuit. Cum quisque inprimis sibi in hoc bello navaret operam. Theodonisvilla quoque, Piccolominio cum Beckio, ex agro Treverico felici castrorum expugnatione victoribus, Duce etiam Fequerio intercepto liberata est. Quem Theodonis villam introductum falsè monuerunt, Regi suo perscriberet (quod nuper futurum venditârat; *Vrbem jam à se occupatam esse.*

Svecorum exercitus è Pomerania rursũ victor provolat.

Bannerius rursùm confirmatus è Pomerania in Cæsareanos, sub Gallasii inertiâ languidos, uno alteróve victor loco incurrit, latéque diviso exercitu per Misniam, Marchiam, Franconiam effusus, Bohemiam denique invasit, &, quanquam irritâ Pragam oppugnatione tentarit, multa tamen regni oppida tenuit. ac denique victor Cæsari honestam pacem obtulit, quâ (reductis omnibus ad statum anni XVII) Svecis pro belli impensis maritima cederetur Pomerania. Sed quod hæc vafrè crederetur moliri ad illudendum Cæsari, ne instaurato per hiemẽ milite sub Leopoldo fratre, quem Gallasio abdicato suffecerat, metuendus rursum incumberet; neglecta fuêre, reparatúsq; sub novo ducè exercitus. Quo tẽpore Angli, Trevirorũ quondã, per Willibrodum aliósq; submissos viros Apostolicos, in religionis veræ studio promotores, nunc hæresibus diversis, ad eam turbatæ Ecclesiæ, everſæq; Reip. & æquitatis

Angliæ infelix perturbatio Regis supplicium infert.

insaniam

insaniam præcipites abiêre, ut Regem proprium, tanquam veritatis & publicæ quietis hostem condemnatum, ferro Carnificis, inaudito crudelitatis spectaculo, subjecerint. Tantas, in Europa, Apostata quondam incestuosusq; Monachus, incredibili stultitiâ mortalium, tanquam novus Apostolus religionisq; sacræ reformator admissus, ciére turbas, & tragœdias excitare potuit, quas nemo prudens conciri posse crederet, nisi jam factas intueretur. Quæ me causa Trevirorum in fide constantiam felicitatemq; sæpius admirari ac laudare cogit, quam ab ipsis Apostolorum ad nos usque temporibus, nunquam penitus labefactatam, licet sæpius oppugnatam, animadverto.

1640.

Hispanis sors in Belgio & Italia parum favit.

Quadragesimus seculi hujus annus Hispanis parum felix illuxit, quando gemina ab illis regna, Catalauniæ ad Gallos, Lusitaniæ ad Brigantinum Ducem, iisdem Gallis velificantibus, transiêre, dominos mutatura non servitutem. Sed *ægris subindè placet mutare latus, æquè duriter cubaturis.* Atrebatum in Belgio iisdem adspectantibus ademptũ, & in Italia, Casalis obsidio à Gallis soluta. Austriacorum in Germania sors aliquantò melior, cùm à Leopoldo Bannerius totâ ejectus Bohemiâ, fugiens in Thuringiam ad Longovillanum Gallum, Wimaricis præfectum, transiit, quos deinde Mercius Bojorum fortis ductor, tamdiu sustinuit, dum à tergo rursùm imminerent Austriaci. Tum Bannerius in Hassiam delatus firmis istic se castris adversus insequentes inclusit, ac subindè pacis iterum agitata memoria, quam Galli, ut affectare visi, sic varia ludificatione declinabant. Treviri votis ardentibus, inter perpetua militiæ ac tributorum onera, exoptabant. Nam cùm Gallus varias fugitivorum civium domos evertisset, Hispanus reliquos tanto majori numero molestiáque opprimebat; ut Capitulares Domini Clerum quoque Religiosósque suâ sententiâ gravandos hospitali milite statuerent; cùm adversus hostes (utrosque præ secularibus, opprimentes) defenderentur, adeóq;

Austriaci cõtra Svecos rursum prævalent.

Pacis cogitationes. sed inanes.

Cletus Treviri premitur

ad quos commoda pervenirent defensionis incommoda quoq; derivanda viderentur. Beckius tamen in urbem contra Wimarienses receptus, iisdem aversis, & ipse reversus, litem cum onere sustulit, brevi tamen cum eodem resumendam.

1641.

Princeps è carcere suos Proceres Treviris excommunicat, diverso diversorum sensu.

Sequenti anno novum excommunicationis fulmen è carcere Philippus Archiepiscopus Trev. in Husmannum & Metternichios, tanquam suæ libertati, per instructas calumnias, obnitentes, detorsit. Quod licet ipsi ac plerique ceterorum, ut brutum exploderent, neque illius, vel gratiâ, vel minis tangerentur, tamen cùm idem tribus DD. Capitularibus, Damiano Henrico à Metternich Decano, Hugoni Eberhardo Cratzio, & Hugoni Friderico Eltzio, tanquam diœcesin se invito administrantibus intentasset, Eltzius seu religione, seu tædio molestissimi regiminis tactus, illud aversatus est. Jusserat enim hoc obire Proprincipem Elector, qui illud suo & nomine & sigillo in decretis (non Capitularium, ut factum hactenus, & à discedente Philippo probatum) administraret. Unde Gubernatoribus Hispanorum, qui præerant vrbanæ ac diœcesanæ militiæ, plurimum adversus Capitulares tribuere solitus, ut hoc veluti freno utrosque in majori sui observatione contineret; Hispanos benevolentiâ, & delato, quo gaudent, honore; Canonicos Hispanorũ ad Principis consilia attendentium metu. Quod si tamen aliquid querelarum contra Hispanos oriretur, id in tacitam Gallorum, minus sub se gravantium, commendationem detorqueret. Ita politicarum subtilitatum non ignarus Philippus, etiam regebat suos ex carcere, dignitatesque, Ecclesiarum beneficia, atque officia reip. sibi eripi nunquam passus, inter suos captivus absensque partiebatur. Unde miseri Trevirenses sub Cæsare, Hispano, Principe, Capitulo, diversis Dominis, tanquam naves sub pugnantibus inter se ventis, jactabantur. Quibus cùm denique Lotharingus, ceu vehementior quîdam Auster, in totam, præter Beckium Lutzel-

Sub multis Dominis Treviri jactantur.

Lutzelburgicum, effusus patriam accessisset, & defensoris adversus hostem admissus nomine, obrueret, vastaretque, cæde, incendiis, & direptionibus universa (ut collecti Ratisbonæ in Comitiis Principes literis ad Ferdinandum Infantem Belgii Gubernatorem acerrimis questi sunt) tùm Princeps hanc suis non occultè adversariis, atque inprimis Capitularibus, imputare calamitatem, Gallorúmque humanitatem, & consultiorem longè protectionem cœpit extollere. ac demũ, vel invitos, sua probare facta, meritóque his jactabat castigari virgis subditos, quas sibi plexuissent.

Vide literas in Annal. ad annum 42.

Ratisbonenſibus interea Comitiis universè de pace concilianda, est constitutum. ad quam tamen Galli se accessuros negabant, nisi prius libertati pristinæ Archiepiscopus Trevirorum restitueretur. Locus geminus designatus, Monasterium pro Catholicis Principibus, Osnabrugum pro Acatholicis. Militiæ verò per imperium consultiùs promovendæ, Ducum Præfectorúmque in ea numerus imminui, augeri militum jussus, gemina Romanæ contributionis pensione imperata: tùm hibernorum onere sic divisо, ut qui illo non gravarentur, subsidium ex ære conveniens præstent; quò disparium quædam sit paritas. Querelæ etiam ad Belgarum Proceres destinatæ, tùm contra Bruxellense tribunal, tùm ad avertenda illorum, à Trevirensibus potissimùm, hiberna. Inter quæ Cardinalis Infans in ætatis flore immaturâ morte raptus, Leopoldo Wilhelmo laudatissimo Cæsaris fratri gubernacula Belgarum reliquit. quæ majori capessiverat laude, quàm deseruit.

Ratisbonæ in Comitiis de pacis tractatibus Monasterii instituendis concluſum. quos alia lege, nisi restituendi ante Trev. Principis Galli ordiri noluerunt.

Bannerius dùm Ratisbonæ de pace consultant, pænè eandem armis obruit, palmario facinore, si Cæsarem imperiique Principes intercepisset. Favitque audaciæ fortuna. Cùm militi ex Suevia Franconiáque repentè contracto, Chamum, Glataviam, Sulsbachium patére raptim, seque ad Ratisbonæ mœnia præter spem videt consistere. At dùm Schlangium cum lectissimis equitum operitur, hunc à Mercio & Piccolominio in

Bannerius dum Cæsarẽ Ratisbonæ premit, mox, Schlangio victo, fugit.

subsidium properantibus juxta Neoburgum interceptum, adeóque quatuor millibus suorum concluſum intellexit, ut coactus se dedere in Cæsaris potestatẽ transierit. Quo territus eventu festinatâ in Misniam fugâ, & hinc prementibus à tergo Cæsareanis elapsus Halberstadium, morbo illic per viam contracto succubuit, postquam suos ad pacem hortatus, Leonardum Dorstensonium, tanquam bello administrando parem, successorem dixisset. Cujus Suecia sententiam probavit. Ligistis hujus mors terrorq; ad aliquam victoriam profuit. Nam Dorstenam egregiè munitam Hatzfeldius expugnavit; Wolffenbuteliam Reuschenbergius contra Lunæburgicos Hassos ac Wimarienses egregiè tuitus, nec undarum quidem, obstructo fluminis ostio, eluvione, quâ eam Pappenheimius fregerat, territus.

Moritur regimine penes Dorstensohnium relicto.

1642.

Infelicior iisdem sequens annus fuit. Nam Galli & Wimarienses sub Comite Guebriano, & Hassi sub Ebersteinio Rhenum Vesaliæ, Hollandis indulgentibus, transgressi, Ordingam Linnamque Colonienſis agri occuparunt, occurrentemque ex Belgio Lamboium, ut junctus Hatzfeldio hostem averteret, in loco parùm munito incautum oppressêrunt, priusquam superato tardius Rheno Hatzfeldius adesset. Centum illic & 40 vexilla militum, cum ipso Lamboio, apparatúq; bellico, intercepta haud levem Hispano cladem intulêre. Subindè unius diei oppugnatione Novesium turpem deditionem pactum est, ac Marcodurum in ducatu Juliæ, prædis per omnem latè ditionem in Treviros usque cogendis opportunum, accessit. Undè & hic auctus miles, querelæque subditorum, qui præter Hispanum, Lotharingicum, & Ligisticum in imperio, domesticum quoque sub Metternichiis alebant, vix quo se alerent, in terra silvarum, quàm frumentorum feraciori, amplius reperturi.

Lamboius in Coloniẽsi diœcesi profligatus, Novesium & Marcodurũ in Gallo-Hassorum potestate reliquit

Imperiales ergò Hispanorum urgebant discessum. At hi defensionem sibi prisco commissam jure obtendebant, & par esse, ut tributa atq; alimenta perciperent ab eis,

Treviri oppressi Hispa-

ab eis, quibus militem vitamque impenderent. Quanquam non tam Trevirorum, quàm suum, quo imperio & Palatinatui jungerentur, emolumentum spectarent. Sed Trevirenses respondebant, jus protectionis, quod cum Henrico Lutzelburgi Comite anno 1302 institutum esset, solam urbem Trevirorum spectare, vnde ad Sarburgum, Palatiolum, Grimburgum, Hammersteiniúmque, quod cum telonio possideant, extendi non posse. Admissum I. in Urbem Comitem, ut civem, cum obligatione fidelitatis eidem præstandæ. II. Libertatem commerciorum ditionis Lutzelburgicæ viciſsìm datam. III. Defensionem in sua addictam provincia, & contra externos auxilium. IV. Postulante civitate, quinquaginta Cataphracti equites promissi, stipendio urbis. contra quoscunque, proprio Archiepiscopo & Rom. Rege excepto. V. Comiti 300 librarũ monetæ census annui, cum domo in urbe, & mercatu rerum libero delata esse. Ex quibus manifestum sit, in urbis arbitrio esse, vel poscere, vel etiam rejicere militem, nec invitis hunc esse obtrudendum; neque Gubernatoribus Cherfontainio, Pestacaldæ, ac demùm Beckio retinendo fuisse obligatos. Verùm Hispani Archiepiscopi voluntatem suam defensionem probantis obtendebant, cui hac in re obsequi par videretur. Qui Capitularium suorum, durum subditis ingratúmque sibi, atque ab ipso damnatum Clero, sublatum cupiebat imperium, Præfectumque à se urbi impositum dominari.

nos frustra amoliri conantur.

Jam enim, secularium querimoniis, atque indigentiâ moti Capitulares Domini, consueta tributorum & hospitiorum onera etiam in Clerum derivabant. Unde hic nequicquam obluctatus, vimq; à militibus passus, & his, & Dominis Moderatoribus per Judicem Ecclesiasticum denuntiavit excommunicationis sententiam. quæ ab ipso etiam Archiepiscopo regentium capitibus, nisi jussi potestate abirent, est intentata. At hi Cæsaris Pontificisque voluntatem oppositêre, votáq;

Clerus Trevirensis à Capitularibus milite pressus, illos Archiepiscopo probante, excommunicat.

etiam sua ad eosdem obnixè data, quibus suum sibi Archiepiscopum restitui desiderarent. *Nihil* igitur *malle se, quàm Principem suum in regimine, se in obsequio utrosque extra hanc jactationem in quiete consistere. Amicos jam hostibus graviores toti diœcesi incumbere, & tutelam Lotharingorum in rapinam verti. Ceterùm excommunicatione neminem tangi posse, nisi prævaricatorem. Perquam se cupere, ut Elector suis adsit, cùmq; id impetrari nequeat, orare, ut Adjutorem eligi substituique patiatur. Esse Leopoldum Cæsaris fratrem, Franciscum Lotharingiæ apud Vbios Principem, Franciscum Wilhelmum Osnabrugi, huic officio pares, opportunosq; qui postulentur.* Verùm neque Philippo, neque aliis, visum id probari. quod non tàm facilè à potentiorum manibus hi principatus transferantur, quàm conferri possint. Actum proindè apud Pontificem de potestate Adjutoris à Capitulo deligendi, nisi Archiepiscopus propediem restituendus sit; sed cùm pacis tractatione hæc res expediri facilius citra querimoniam posset, consultò est procrastinatum.

Archiepiscopum omnes repetunt, vel ejus loco Adjutorem.

Richelius Cardinalis belli hujus federisque Gallo-Suecici præcipuus moderator, ingentium coram Deo factorum rationem daturus, ex hac vita decẽbri mense evocatus est. Quem, ut vaticinio præcognitum, Regis Ludovici parens Maria Medicea exul Coloniæ, eodem anno præcesserat, Rex ipse haud multò post est consecutus. ut quos vita non poterat, mors inter immortales sociârit, conditionibus olim faciliùs, quàm nunc, inter variantes nationum sententias, cognoscendis. Mazarinus Cardinalis Richelii in locum artesque, quas probè ex hoc Magistro didicerat, successit. Trevirorum verò, ab alterius morte, timor expugnandæ rursùm urbis imminutus est, præsertim cum Marcoduro Wimarienses ejecti, & Guebrianus trans Rhenũ effusus, ipse ante Rotweilam tormento tactus periit, dissipato & confecto brevi milite, solis Hassis, Gallorum asseclis, Novesio ad Rhenum inhærentibus. At repentè

Richelii morte Trevirenses gaudent.

1643.

Gallorum Dux quoque Gebrianus eisdem lætis cadit, sed brevi gaudio

repentè spes rursùs Trevirorum decollata jacuit, cùm Condæus, Francisco de Melo ad Rocroam cæso, Theodonis supra Treviros Villam aggressus, bimestri, suorum & hostium magna clade, expugnavit. vnde cùm Treviris indies metuendus immineret, Capitulares se Archivúmque Confluentiam transtulêre.

Suecorum sub Dorstensohnio & Conigsmarckio sors etiam felix. Is enim in Lusatiam, Silesiam, Saxoniamque, novis militibus animisque progressus, omnia ad deditionem prona habuit, cùmq; Lipsiæ expugnandæ intento sub Leopoldo Cæsareani incumberent, hi eodem pænè loco, ubi quondam Gustaphus Tillium straverat, haud minori clade obtriti sunt, impedimentis omnibus machinisque pyriis facilè 40. hosti relictis. Unde Lipsiâ deditâ, firmandis deinde per Silesiam, Moraviamque, ac Pomeraniam sedibus, hic per Conigsmarckium, istic per se operam dedit, nè facilè parta, facilè intercideren.

Quando Urbanus VIII Pontificatum supra XX annos, raro temporis exemplo, administratum, oppugnatæ per Germaniam religionis otiosus spectator, deseruit moriens, & Successori Innocentio pacis, licet Romanis parum secundæ omen attulit, quam Europa, in olivifera insignium illius columba, præsagire est visa. Qui vix sedem ingressus, de restituendo Trevirorum Archiepiscopo, eumque cum Imperatore Capitularibus ac subditis conciliando, curam suscepit. At cùm neque ad horum preces amnestiam exorantium, neq; ad cohortationes Pontificis Cæsarisque emolliri Principis animus posset, ut Husmannum & Metternichios in gratiam reciperet, nisi ipsius ante postulatis satisfacerent; quod non ignoraret Gallum, nisi restituto in sedem Archiepiscopo, omnem pacis tractationem, maximè Cæsari & imperio necessariam, recusare: animadvertit denique à Cæsareo ad Pontificium carcerem, hospitio jam Bononiæ præparato, se destinari. Quâ re territus, veritúsque ne difficilior hinc pateret exitus, oblatas

1644.

Innocentius Papa Vrbani successor denique cum Ferdinando III. Imp. Archiepiscopũ libertate donarunt.

latas à Ferdinando libertatis conditiones, Pragensis simul inclusus pacis legibus, admisit, exorato tamen antè Pontifice, ut sibi tanquam jure restituto innoxióq; testimonium daretur. Qui ad Legatum suum Camillum Meltium rescripsit, nihil *probatum fuisse, propter quod, juxta canonicas sanctiones, retineri, & custodiri debeat*: quâ testificatione deinde adversus Cæsarem, Hispanum, Canonicósque suos usus, innocentem se ab eis oppressum memorabat. Ex quo, tanquam injusti processus testimonio pacta reliqua, ceu iniquitate nixa irritabat: cùm tamen, non de captivitate; sed de retentione, nec de politico delicto, sed de Ecclesiastico (cujus judicium Pontifex sustinebat,) testificatio hæc procederet, gratiáque exoratâ magis, quàm æquitatis rigore niteretur.

Ragotsius Hungariam Svecus Daniam invadit.

Novis hic annus 44 bellorum auspiciis insignis fuit, quo Sveci, excitato contra Cæsarem Ragotsio ex Transilvania in Hungariam irrumpente, ipsi Danum, ob favorem Moscho Cæsaríque præstitum, insperata irruptione terrâ maríque premunt, illâ Dorstenſohnius ad Juthlandiam usque victor, Kilâ, Christianopoli, Flensburgo occupato effusus; hoc, in Scaniam classe appulsus Hornius, Elsinburgum Coronamque præter alia invasit, Danorum etiam classe profligata. Sed ubi in Moravia Silesiáque jam rursùm dominari Austriacos compererunt, revocati sunt. Ad Rhenum quoque à Ligistis parùm feliciter pugnatum est. Nam Condæo Turrenius junctus, postquam Mercium Friburgi in Brisgoa, viribus imparem, frustra, nec sine magnâ suorum clade, oppugnassent, reversi, Wormatiam, Spiram, Moguntiam, ac Philippiburgum ad Rhenum, nullo resistente, expugnarunt, non exiguo Cæsaris dolore; sed occulto Philippi, & manifesto Gallorum gaudio. Ille enim amicitiam Cæsaris umbratilem, Gallorum veram spectabat, istam necessitate, hanc voluntate admissurus, & Philippiburgum, raro benevolentiæ exemplo, Gallis magis fayebat, quàm sibi.

Unde à Svecis tantisper imperiū non tamen à Gallis respirat, qui præter alia Philippiburgum occuparunt.

Pacta

Pacta verò quibus à Cæsare libertatem anno 1645 accepit, ista fuêre. I. Ut in pacis Pragensis societatem legesque probatas admissus, electionem quoque Cæsaream Ferdinandi III ratam habeat. II. Castrũ Ehrenbreitsteinium in Cæsaris potestate, usque ad Germanici belli compositionem, relinquat, & Philippiburgum è manibus Gallorum ad imperii commodum transferre omni viâ conetur. III. Ut conformiter amnestiæ Pragensi, quidquid offensionis, sive ab imperii Principibus, sive à Capitularibus aliisque Trevirensis ac Spirensis diœcesis subditis datum, perpetua oblivione sepultum sit, nullóque titulo vindicetur, sigillatimque Husmanno & Metternichiis eorúmq; fautoribus ignoscat. Et his legibus vicissim illum pristinæ dignitati & gratiæ, regalibus etiam Viennæ in magna Procerum corona XXV. Aprilis collatis, restituit, suæque adhibitum mensæ, & muneribus honoratum, navi commeatúque instructum, ad Francofurtensem diætam, Judiciorum per imperium rectiùs formandorum causâ institutam, transmisit. Ubi bimestri moratus Confluentiæ in urbe sua Septembri mense ipsis calendis, tanquã exoptatus Patriæ Pater salutatus, Chrysostomi ab exilio reducis in scena spectaculo delectatus est. quanquam dispari ipsius imaginem exemplo imitatus, alios quoque in culpam malè adornatæ scenæ vocârit.

1645.

Leges quibus Philippus libertati à Cæsare est restitutus, & regalia accepit.

Hispanis Treviris mandatum, ut venienti claves deferrent, cederéntque ad nutum jubentis. At hoc illi ad restitutionis honorem satis visum non fuit, sed Turrenium cum exercitu invitatum, vi armatâ deditionem vrbis postulare jussit. Cui cives Hispaniq; respondent, suo hanc ultro patere Archiepiscopo, quem supplicibus etiam literis invitârunt. ut Turrenius anceps hæreret, vímne in volentes expromeret, suumque non necessariæ lanienæ objiceret militem. Quare post insidiosam irruptionem frustra ad S. Martinum tentatam (quod Elector in urbem Gallicæ potestatis reduci, novis restitutionis pactionibus, maluisset) destitit, Principemque

Reversus nõ nisi per Gallos urbi reddi voluit.

pemque adventantem in S. Maximino exſpectavit. Huic venienti obvius Comes de Laverne, Gubernator urbis militiæque, claves Regis Hiſpaniarum nomine obtulit. At his, poſt quietem nocturnam in Monaſterio D. Martini extra muros urbis, manè admiſſis, non niſi per Turrenium, Gallósque, tanquam ſuæ reſtitutionis in pacificatione Monaſterii-Weſtphalica autores, reduci in Palatium ſedemque Epiſcopalem volebat. Quibus etiam poſtridiè, Hiſpanis Lutzelburgum remiſſis, urbem conceſſit. Ne tamen repentè adverſari Cæſari imperióque, urbe Gallis traditâ, videretur, militem ex illis Germanum, ſub nobili Tribuno Weiler delegit, qui Gallo juxta Principiq; juratâ fide teneretur: quàm Elector fictam Cæſari, Gallo veram præſtabat: ut ipſi jam nulla haberetur.

Quibus Urbem quoq; Hiſpanis dimiſſis credidit.

Adhuc, inter pacis conſilia, Svecorum Gallorúmq; paſſim arma, & victricia plerisque locis, circumferebantur; quòd reliqui ſpe pacis lactati bellarent langvidius, bellumque negligendo, pacem differrent. Dorſtenſohnius, relicto contra Danum Vrangelio, Gallaſium primo egreſſu, Hatzfeldium cum Götzio Werdioque ad Olomutzium cecidit, hoc ſolo cum Reuſchenbergio ſalvo, cadente Götzio, & Hatzfeldio intercepto. jamque Auſtria trepidabat, niſi Brinna Moravorum, Comite de Suſa fortiſſimè propugnante, ſtitiſſet impetum. Mercius etiam ex victore Turrenii, mox juncto Condæo victus cecidit, Nordlinga aliisque locis amiſſis. Leopoldo demùm, rejectis trans Rhenum Gallis, cladem inſtaurante. Qui, alibi feliciores, Mottam in Lotharingia, Mardicum in Flandria, Roſæ portum in Catalaunia occuparunt, tantò ad pacem duriores (quā variis Monaſterii artibus ſuſpendebant) quantò in armis feliciores. Quorum ſucceſſibus Trevirorum Princeps ferocior, ſibi quondam adverſantes, tum Proceres, tum ſubditos, Religioſosque juxta & Eccleſiaſticos, victimam conceptæ indignationis deſtinabat. Propugnaculo igitur intra mœnia, ad infringendas urbis vires,

Dorſtenſohnius ex Dania victor cum gemina Cæſareorum clade imperium repetit. Galli quoq; victores cōtra Bavarum & Hiſpanum locis variis.

vires, excitando sacrum Ecclesiæ Melitensium delegit agrum, juxtáque muros horti Novitiorum Societatis demoliri jussit, quanquam operarii anathematis intentati minis primùm, sed frustra, rejecti sint; cùm immobilior Philippi voluntas esset, quàm quæ sacris his terroribus percelli posset. At tamen rursùm hæc Principis ad Novitios turbatos machinatio, in propriam denique autoris perniciem versa est, ut suo loco constabit. Aliud propugnaculum in area S. Martini urbis portæ imminens, ut & tertium, ex oppositа urbis parte; ad portam Amphitheatri, quam Albam olim dixêre, institutum est. ut triangulari munimento inclusa urbs, expugnari à seipsa, novo consiliorum artificio posset. Ita, quod alii contra hostes, Elector contra subditos moliebatur. nescius suo se laqueo captandum esse. His intenti præcipuorum Capitularium Coloniæ hærentium animi, cùm de Condæi quoque filio in Adjutorē assumendo Philippum jam senescentem meditari audissent, ipsi inter se, ex Cæsaris Pontificisque voluntatē, alium suo ex corpore deligendum statuebant.

1646.

Philippus his fisus diversis in urbe propugnaculis sibi adversantes subditos affligit.

Quæ dum utrimque agitantur, Archiepiscopus, Visitationis resumendæ titulo, Capitulares summæ ædis Canonicos adesse jussit. Restitantibus verò Husmanno & Metternichiis publico rursum excommunicationis decreto Ecclesiâ, redditibúsque ac bonorum omniū consortio interdixit: reliquis, nisi propediem compareant, idem fulmen interminatus. At nullis (nisi paucis, offensionis datæ non conscіis) ad fictæ visitationis simulacrum accedentibus, gravissimum in ceteros accusationis libellum vulgavit, quo illis *totius Archidiœcesis ruinam, decem & amplius auri millionibus non reparandam, spolium fideicommissi & hospitalis, ut ajebat, Philippici, à se & proavis in usum familiæ gentisque constituti, aurique talento æstimati, tùm aulæ suæ peculii, Gallicique Gubernatoris, coronatorum 50. millia complexi, imputat. ut jure tamdiu Ecclesiæ bonis priventur, dum ablata reparent. Quod verò priscis ca-*

Visitationis repetitæ titulo Capitulares persequitur.

lumnis novum commentum de Condæi subrogando filio addant. iccircò pro infamibus statuit eos, vocisque tam activæ, quàm passivæ electionis incapacibus, habendos. Monetque ex Capitulo præsentes, ne quenquam residere, nisi sua in Ecclesia Trevitis patiantur, suosq; adstringant Collegas, ut pacta cum Rege Christianissimo ad conservationem diœcesis necessaria, secum approbent.

Omnes è Capitulo se subducunt.

Hujus in Capitulo libelli probationem cùm Archiepiscopus postulasset, exhorruêre præsentes, & petito ad deliberandum tempore, negotiorum prætextu se subduxere. In quibus Decanus Damianus Henricus à Metternich, & summæ Ædis Custos, Metternichius quoque, Lotharius Fridericus, qui sig llum Capitulare unà secum Coloniam transtulit. Carolus item Casparus à Petra modernus Archiepiscopus: cujus frater Damianus Hartardus, nunc Metropolitanæ Ædis Præpositus, aliquamdiu captivus, tandem & ipse evasit. Solus Wolffgangus Fridericus à Coppenstein, rerum tamen suarum amore magis, quàm Principis substitit. Publicatam deinde accusationis damnationisque sententiam, insigni Capitulares modestiâ ac ratione confutarunt.

Respondent modestè accusationi Principis. rogantque ut stet pactis.

Orare primùm se, ut memor jurata abs se fidei, in rebus Archidiœcesis gravioribus, Capitularium suorum consilia admittat. qui tuto iidem adesse loco non graventur. Deinde Cæsarei pacti, & Christiana pietatis sensum admittat, neque oblatam Husmanno & Metternichiis gratiam retractet. Illata Archidiœcesi damna aliunde quàm à se manasse, seque ipsos inprimis tangere. Direptionem aulæ Confluentinis nuper rationibus compensatam. Fidei commisso & Hospitali Philippico nihil officisse sese, neq; contra æquitatem quicquam derogatum iri. De subrogatione Condæi in sedem publicis variorum literis jure metum iis incussum esse, qui cogitatã Richelii Galli non ignorârint: non tamen sperare se hunc Germanicæ nobilitatis annulum Gallorum Principum manibus consignandum: cùm amicos illos, quàm inimicos haberi malint. De nova cum Rege Christianissimo trans-

transactione, Capitularibus utique ex more communicanda, nihil sibi compertum, ut probare aut damnare ignoratam non possint. Orare igitur, ut videndi illius copia fiat, antequam postuletur sententia.

Sed explosit hæc Archiepiscopus, & Cæsareum pactum, cui præcipuè innitebantur, Laicum vocabat, quo ipse, dùm Ecclesiæ suæ consuleret, non teneretur. Sed nec ipsius Imperatoris dimoveri à proposito cohortatione potuit, ut cœptas urbis munitiones ære Gallico desereret. quamvis denique mandatoriis literis, & obligationis Gallicæ leges communicare, & desistere à cœptis, nisi imperio probante, juberetur: confisus fore, ut articulis pacis Monasterienſis liberum Imperii Principibus fedus, cum exteris, modò imperii Rom. commodis non adversentur, proprio cujusque bono, indulgeatur; ne, cùm remota à Cæsare auxilia in necessitate desunt; propinqua etiam, quæ ratio concedit, eripiantur. Quare, cùm per Gallos suorum potissimùm consiliorum speraret exitum, his adhærere decreverat. Quorum ope S. Maximini Abbatiam, Commendatoris sibi quondam titulo à Romanis concessam, & adjudicatam à Spirensibus, jam se tutò quoque aditurum sperabat. Judices igitur hac in causa à se constitutos, sed à juramento sui Principis tantisper absolutos constituit, per quos atroci sententia, *rebelles illos, & belli nuper ab Hispanis illati, ac libelli Zylesiani falsitatum pleni autores, suoque Commendatori à sede Apostolica Præpositi refractarios damnabat, adeoq; non solùm patrias contributiones præsentes neglectasque hactenus, sed etiam damnum provincia, ex hac obtrectatione belloq; creatum jussit rependere. Et nisi quamprimũ obsequantur, exterminationem omnium, aliorumq; ad obedientiam promptorum substitutionem, minatur.*

Negavit Princeps Imperatoris Laici pacta, se Ecclesiasticum obstringere.

Gallorum ope fretus Abbatiam Maximinianam sibi vendicat.

Religiosi, cùm Archiepiscopum obnixè rogarent, ut *Witlichiana transactionis, quâ suo juri renuntiârit, memoriam revocet, patiaturque sub Abbate Agritio, Capitularibus votis electo, pro more vivere, ac libertate*

Resistentes Cœnobitas ejecit, aliis in locum introductis.

tot Cæsarum Pontificumque decretis concessa frui, quâ nequeant decedere, nisi suæ posteritati injurii: non tulit recusationem Philippus; sed inclusos cellis aquâ tantùm ac pane, sat parcè ministrato, aluit, & demùm aliis ejusdem ordinis Cœnobitis ex SS. Matthia, Martino, Martyribus, ac denique Prumiensi Benedictorum Abbatia suffectis, migrare omnes atque exulare totâ diœcesi Trevirorum compulit, opes postea Monasterii ex arbitrio partitus. Ita nihil erat, quod ingenio viri resisteret, quo, quæ penetrare non poterat, perrupit.

Vrangelius Suecis præfectus latè populatur.

Svecorum inter hæc Gallorúmque fors ubique melior. Illis, pro Dorstensohnio morbis fracto, Vrangelius trans Visurgim Hoxteræ, Paderbornæ, & Statbergæ cum locum feciſſet, cedens venienti Leopoldo, Melandroque, in Franconiam, ac deinde trans Danubiũ, atque, istic occupatâ Reinâ, in Sueviam, Bavariam, Helvetiámque se effudit, locustarum omnia more depastus, Cæsareanis post terga sequentibus reliquit stipulas; ut hi in proprio egerent solo, illi abundarent in alieno.

Galli Dunckerca aliisque locis potiuntur.

Galli in Belgio præter Cortracum & Winocibergam, Dunckercâ, cum celeberrimo ad mare portu, potiti sunt, hactenus maritimis Gallorum ac Hollandorum spoliis ditatâ. Cui damno accessit Neopolitana rebellio, quæ unius Piscatoris Masanielli, vectigalia importuna detrectantis, ac rebellantis, subitò imperio totum pęne regnum Hispano abstraxisset. In Germania cùm hinc Galli, inde Sveci Bavaro metuendi incumberent, inducias cum utrisque, dùm pax concluderetur, pactus, unà cum Colonienſi imperium reliquum destituit, Joanne Werdio fortissimo ipsius milite, cum paucis ad Cæsarem transeunte, cui se tanquam primo capiti majori fide obstrictum adserebat. Quem deinde Bavarus, has inducias parum fidas expertus, revocato obsequio, secutus est, exemploque laudavit, quod voce improbaverat.

1647.

Bavarus inducias Gallo-svecicas pactus mox rursum abjicit.

Quo tempore Philippus Trevirorum Archiepiscopus, ad nobiliora sensim perversæ administrationis facinora

cinora instructus, ostendit, *magna ingenia* (inter quæ ipse hoc seculo, cum Richelio in Gallia & Wallenstenio in Germania habitus) *vix, sine mixturâ dementiæ, reperiri.* Etenim ad Capitulares suos Canonicos opprimendos, ut quandam justitiæ imaginem secutus videretur, Judicium Camerale, seu aulicum instituit, ad quod specie expediendarum litiũ Procurator Fisci causas avocatas, tanquam accusator, instruebat, ac nemine licet ad defensionem comparente, Officialis à Principe Ecclesiæ causarum Judex institutus, suâ sententiâ, absolvebat. Ita quidem, ut hanc non minus, quàm accusationem Elector dirigeret, adeóque ex unius Principis, accusatoris testis, Judicisque arbitrio regerentur universa. qui ipsas etiam judiciorum formulas dictare consueverat; ut hac æquitatis administratione nihil posset iniquius reperiri. Unde ex hac officina juris XV Junii sententia adversus Capitulares prodiit, quâ omnes *schismatis in regimine autores, cum excommunicatis cõmunicantes, novi Adjutoris, se inconsulto, intrudendi machinatores, Ecclesiaq; suæ desertores, fructibus beneficiorum, vocisque tam activæ, quàm passivæ,* (ut vocant) *potestate excidisse, ideoque excommunicatos, privatos, amovendosque beneficiis declarabat.* Quâ tamen à sententiæ jam latæ, pœnâ eximebat illos, qui adhuc *mense Septembri, Husmanno & Emmerico à Metternich deserto* (quos perpetuò execratos volebat) *Treviris comparerent, nec rescriptis Laicorum* (Cæsaris videlicet) *immunitatem Ecclesiasticam substernerent, & ejusdem familiæ Canonicis non nisi unum in Capitulo votum, juxta Julii* III *& Sixti* V *Pontificum decreta, admitterent. Archiepiscopi arbitrio tres minimùm beneficiorum collationes, indulgerent. Ex pactis Capitularibus æquitati Canonibusque sacris adversantia tollerent, atque electoralia juxta & patrimonialia Archiepiscopi bona, eo vivo mortuoque minimè violanda esse, sancirent. Hæc nisi ante festum omnium Sanctorum præstent, latam ante sententiam, hoc etiam à se indulto confirmari.* Ad quæ

Novum à Principe institutum aulæ judicium, in quo vnus ipse agebat omnia.

Sententia damnationis in Capitulares hinc prolata.

Capitulares se jure purgant.

à Capitularibus ita responsum est; ut *se neque compertos schismatis, neque excommunicatis (cùm Husmannus Metternichiique à sede Apostolica omni censura absoluti sint) hærere testarentur. Suam adire Ecclesiam paratí sint, si tutis esse liceat. De Adjutore, præsertim extero, nihil abs se actum. Laicum Cæsaris mandatum de propugnaculo ære Gallico in urbe surgente jure audiendũ; neque Gallicæ confederationi, illo seque inscíis, adhærendum. Suffragia etiam consangvineorum more Apostolico jure plura tolerari, quod in ipsius Philippi electione quoque observatum sit. Capitulationis verò pacta, à Majoribus recepta probataque nihil æquitati adversari. De bonis patrimonialibus frustra sibi legibus cautum velle; cùm si æquitate quæsita sint, ipso jure tribuantur, si iniquitate nixa, nullis queant promissis satis stabiliri.*

Alibi residẽdi facultatẽ à Pontifice impetrant.

Animadvertebant facilè Capitulares, quod hæ tam iniquæ pacis oblatæ conditiones non aliò spectarent, quàm ut recusantibus, quod par erat, tam indigna, alios in Capitulo Princeps substitueret: ideóque ne ob absentiam proscribi ab Archiepiscopo possent, à Pontifice Rom. impetrarunt, ut salvo beneficiorum ac fructuum jure, abesse Treviri liceret. At his nihil motus Philippus, Canonicatus duos, Husmanni & Metternichii, ceu caducos, & nescio quibus à se titulis locupletatos fundatósq;, ut ait, transferre in alios statuit. Et primum quidem, literis collationis 7 Septembris anni 1647, ut in Annalibus hoc loco referuntur, in D. Ottonem à Senhem Episcopum Azotensem Suffraganeum suum, professione Dominicanum, & genere ignobilẽ, cum jure solius activæ vocis in Capitulo (ad quod statim immissus est) transtulit; hoc vel invito in hanc scenam protracto, quod recusationem beneficii maleficii loco habendam provideret. Et mallet servire tempori, quàm intractabilem consiliis Principem offendere.

Alios quosdam Archiepiscopus Canonicos eligit.

1648. Octavus & quadragesimus hujus seculi annus Palladis non minùs hastâ, quàm oliva celebris, à Marte inchoatus, pace concluſus est. Ligisticus circuli Westphalici

phalici sub Lambojo miles, cum Ernesto Hassorum Principe congressus prælio, victor hunc ipsum cœpit; sed Geisecam importuno aggressus loco ac tempore vicissim cladem retulit. Hinc in Juliam transiens Bredenbenda Hassos ejecit, sed cum eisdem arce Grevenbruchanâ commissus, à, quærentibus fugam, &, ob dejectum Erftæ pontem, præcisumque effugium, desperatè pugnantibus, victus est. didicitque *hostis retrosum inclinato sternendum potius esse pontem, quàm eripiendum; cùm desperatio fugæ incitamentum victoriæ sit.* Marcodurum postea victoribus in præmium cessit. Svecorũ res, post Melandrum in prælio occisum, Bavariamque Vrangelii & Turrenii irruptione vexatã, ad Oeni transitum frustra, obsistente Piccolommio & Werdio, quæsitum, hæsit; in Bohemiâ verò urbis Pragæ oppugnatione, (cujus jam arcem novamque urbem Konigsmarckius invaserat, & Carolus Gustavus, novâ Svecorum accessione viribus extremis premebat) ad conclusæ pacis nuntium, finita est: non absque *singulari Numinis providentiâ, illic belli triginta annorum calamitates absolvente, ubi inconsultâ Bohemorum rebellione fuerat inchoatum.*

Bellum Germaniæ exspirans, & post annos 30 pace finitum.

Multæ hac pace ditiones Germanis belli autoribus ablatæ, transcriptæque adjutoribus, pro libertate scilicet vindicata, &, ut paucas memorem, Svecis Pomerania, cum quinque myriadibus dalerorum imperialiũ tributa, Bremensi Verdensique Episcopatibus adjunctis. Electori Brandeburgico, Halberstadianus, Mindanus, & Caminensis Episcopatus vicissim cessus, cum Magdenburgensi, à morte Augusti Saxonis tribuendo; ut manifestum sit, quo emolumento religionis Galli Svecis, ut sub Carolo olim V. Protestantibus, arma sociarint. Retulerunt tamen & illi præmium operæ, trium Episcopatuum Metensis, Tullensis, & Virdunensis confirmatam possessionem, Archiepiscopali tamen his in locis jure Trevirorum Metropoli, antiquissimo ex usu, relicto. Utriusque Alsatiæ & Suntgoviæ etiam Comi-

Vi pacis multa à Germanis ad exteros Reges Svecum Gallumque translata.

tatus, decémque ejus urbes imperiales, exceptâ libertate, iisdem Gallis transcripti sunt, cum onere trium millionum librarum Turonensium Carolo Ferdinando heredi solvendorum, Brisgoâ insuper, Ortnaviáq; cum quatuor Silvestribus urbibus relictâ. Philippiburgum titulo protectionis Gallis ad hæc mansit, jure proprietatis Philippo, & Successoribus Spiræ Episcopis non adempto. Superior Palatinatus Bavaro, cum electoratu, tributus; inferior Carolo Palatino, cum octavi Electoris titulo, restitutus, Franckentaliiq; ab Hispanis reducendi facta promissio. Qui hujus anni principio infelici pacis conditione Hollandis sociati, omnia per rebellionem occupata cessêre; ut Gallis, nimio cum iisdem armorum pondere incumbentibus, pares esse possent. magis tamen dolenda Hollandorum sorte, quàm Hispanorum; quòd in victoria fidem amiserint, turpiori clade vincentium, quàm devictorum.

Accessit pax Hispano-batava.

Huic paci, quamvis Philippus (Pragensi jam inclusus) non subscripserit, decretum pro eodem tamen est, ut pecunia Lutzelburgi detenta integrè restitueretur. Præfectura Bruch Archiepiscopo, & pars dominii S. Joannis maneat D. Joanni Reinardo à Söteren. Electoralia & patrimonialia bona, cum sequestratis fructibus, Philippo constent. Arx Ehrenbreitstenia & Hammersteinia Cæsareo liberatà milite, alio custodiantur, qui tamen Cæsari, ut Archiepiscopo Capitulóque, juratâ fide obligetur. Ceterùm federa cum exteris sanciendi pro conservatione sui jus cuique imperialium sit, modò salva fide, quâ imperio Cæsariq; tenetur, nullo cujusquam detrimento id fiat. Quod his tamen impetratis Philippus non acquiesceret, Capitularium præcipuè ultioni intentus, Legatos quos ad pacem Monasteriensem destinarat anno 45, tanquam officio malè functos, graviter persecutus est: inprimisque D. Hugonem Fridericum ab Eltz summæ Ædis Archidiaconum virum integerrimum autoritate legationis exuit, Coloniam ad reliquos divertentem. Tùm verò Officialem suum D. The-

Decreta Monasterienſia pro Trevir. Principe, huic non ſatisfecerunt, quod miniſtris luendũ fuit, licet inſontibus.

D. Theodorum Bruerium, hactenus in gravissimis quibusque per fas nefasque usurpatum, ceu minus hoc loco obsequentem, domi rebus omnibus spoliatum, revocavit ad rationes; sed quas ille Romæ, quò profugit, quàm Treviris è vinculis dare maluit. Deniq; Joannes Anethanus ejus Cancellarius, magnæ experientiæ vir, postquam inter æqua & iniqua Principis sui postulata, illâ quâ poterat moderatione rerum ad finem Comitiorum durasset, redux ad Principem actorũ conscientia fretus, carceribus destinabatur, nisi sagax, animadverso discrimine fugâ periculum imminens antevertisset. Ita vix quisquam è primis ministrorum repertus est, qui gratiâ officióque denique non excideret; quod plerisque uteretur, ut virgis, quas, cùm alios castigasset, abjiceret. Ceterùm religionis toto imperio forma libertasque cùm ad annum Christi XXIV. reduci jussa esset, Labor per Archidiœcesin Trevericam ad diversorum locorum hæreses abolendas impensus, præterquam in Hadamariæ comitatu, irritus penè cecidit: quòd subditis plerisque ex Dominorum arbitrio credendum sit, postquam Ecclesiæ judicium rejecerunt.

Religio ad 24. annum reducta Trevirensium diœcesi nocuit.

1649.

Angli subinde, ne soli insanire Germani in fide viderentur, religionis diversæ gratiâ collisi, Regis sui, sub Lictore cadentis, morte delirium hoc luerunt. Leodiensibus etiam, Trevirorum affinibus, pugnandi adversus suum Principem Ferdinandum spes majoris libertatis, causa fuit, quam in legendo Consule & judiciis exercendis, secuti, denique sub propugnaculo custodita urbe concluserunt. ut *plerumque libertas armis quæsita servitute graviori absolvitur.* Apud Treviros, fidei divinæ tenaces, humana inter ejusdem Ecclesiæ Metropolitanæ viros labefactari cœpit; ut nec pacis quidem universalis legibus adstringi dissidentiũ animi possent, quemadmodum *delirante capite, reliqua aptè membra regi nequeunt.* Princeps enim, ubi se Gallum in successorem cooptare vix posse animadverteret, laudatum sibi à Gallis, & ingenio magis, quàm eximiis cultum moribus

Anglici & Leodici tumultus.

Reiffenbergium Trev. Princeps in

Adjutorem assumit.

ribus Philippum Ludovicum Baronem à Reiffenberg conatus est sufficere. quem gradatim primò in Capitularem, deinde & Præpositum, loco Husmanni, postremò in Adjutorem gemino, hoc est proprio ipsius Reiffenbergii, & Ottonis Senhem suffragio assumpsit. nam tertiũ, quod subsistentis hactenus Friderici à Coppenstein fuisse interpretatus Princeps est, is, electione instante, Coloniam ad reliquos Capitulares fugiens declinârat; ne insolentissimæ cooptationis particeps haberetur. At Philippus nihil his territus 28. Aprilis solenni Reiffenbergium programmate Coadjutorem suũ renuntiavit.

Capitulares strategemate urbem, cum milite invadunt.

Capitulares animadverso discrimine, in quo, si Princeps, jam morbis curisque & senio fractus, larvæque, quàm homini similior, decederet, resp. versaretur, sub protectione Gallorum; præclaro strategemate, & Principem & Gallos cum urbe in potestatem redigunt. Militem occultè per diœcesin cogunt inferiorem, favente Hatsteinio Confluentinorum Gubernatore, illumque, post Meginam & Cochemium interceptum, duobus Capitularium animo & autoritate præstantium Carolo Casparo à Petra, & Hugoni Eberhardo Cratzio ductoribus Trevirim destinant. Quo ad suburbanos D. Paulini hortos subsistente, Carolus ad portam urbis, civesque pro excubiis stantes prævolat, monetq; apposita oratione aliquo se venire militum comitatu, ut his in urbem unà cum Dominis Capitularibus admissis, pax tandem securitasque pro Ecclesiæ patriæq; commodo stabiliatur, ne postquam illa jam toto imperio recepta sit, Treviri eâdem excludantur: nihil, aut civibus, aut urbano militi ab his copiis metuendum, cùm pro sola Capitularium tutela accedant. Cùmque respondissent cives, obstare Dominis se non posse, quibuscum nulla ipsis intercedat hostilitas, signo dato, portarum aditu miles receptus, composito ad medium forum incessit agmine, ac mox in præcipuas vigilias portarum urbisque distributus, hanc in potestate sine tumul-

tumultu habuit, Electore ad hoc nuntium in Palatio attonito, quò Prætorianus miles, cum Tribuno Alberto Weiler, Gallicæ in propugnaculo legioni præfecto, se recepit, ut ex voluntate Principis rem ageret. Qui cùm, legatis missis, causam adventus sciscitaretur, responsum est, venire illos ad sui Archiepiscopi, Capitulique atque urbis defensionem securitatemque, citra cujusquam injuriam. Quâ re intellectâ miles quoque Prætorianus arma posuit, nihil, si resistere voluissent, profutura. Major difficultas in propugnaculo, Gallisque expugnandis supererat. qui ex illo, cui incumbebant, urbis muro aliud quoque præsidium ad mittere poterant. Et si vi dejicerentur, vis & hostilitas, tanquam in Galliarum exercita Regem, formidanda erat. Sed tria rem proniorem fecêre. Tribunus militū à propugnaculo jam, ob detinentem Principem, exclusus; tum neglecta pyriorum tormentorum inductio, (quæ à Gallis, reliquas propugnaculi expensas sustinentibus, Elector subministranda esse speraverat, ut suis in palatio parceret) denique propugnatorum munimenti responsio, qui rogati cujus illud nomine tuerentur? dixerunt Principis, cùm huic juxtà Regique sacramentum nuncupassent. Quare eosdem tanquam Principis milites aggressi, nihil se in Regem hostile moliri contestati sunt. Tùm verò, suggestu excitato, ipsius Principis tormentis in eundem eductis oppugnationem tam feliciter exorsi sunt, ut, quo unico in propugnatione utebantur, tormenti os, primâ machinarum displosione everberarint, adeóque imparibus diu armis, incertisque consiliis, cùm subsistere Galli non possent, de traditione paciscì cœperint. Quo tempore Francicus Legatus ad Electorem & Capitulares missus, vesperi urbanum hospitium subiit, ut manè Principē conveniret; at is tam liberaliter hospitis industriâ in multam noctem habitus est, ut producto sub lucem somno, ante Galli, hujus legationis ignari, decimâ Junii circa horam 9. munitione excesserint; quam Electoris conspe-

Significant Principi se pacis communis gratiâ adesse.

Propugnaculum Gallorum in urbe expugnatur.

Francorum legatio irrita.

conſpectum, graviſſimè ob ejus tarditatem indignantis, ſubiret. Ita ex voto oppugnantium fluxêre univerſa, evenitq; prorſus novum ac memorabile illud, quod machinæ bellicæ, munimento expugnando adhibitæ, poſt ejus deditionem, pluteis ſuis axibusq; exciderint, tanquam ſuo jam functæ officio, paci opportunam viam feciſſent.

Machinæ bellicæ re peractâ decidunt.

Philippus igitur, cùm ſe rurſum in ſuorum Capitularium poteſtatem redactum, ultionemq; ereptam cerneret, diſſimulato vultu pacem, humanitatemque præ ſe tulit, donec novum ab aula Galliarum impetraſſet militem, quem Roſa duce ex reliquiis Wimmarienſium diœceſi infudit. Is nequid adverſus pacem Monaſterienſem audere videretur, Archiepiſcopalem ſe profeſſus eſſe, Zellenſes occupandæ urbis adjutores, Satrapâ intercepto deprædatus, Moſellanis latè terrorem & arma intulit; ut Metropolitani pro defenſoribus Lotharingos potiori numero in patriam evocarint; nullo, niſi ut ab utrisque exhaurirētur, operæ pretio: adeóque Dominorum pertinax diſſidium infelices ſubditi rerum ſuarum jacturâ luerent, alienæ offenſionis victimæ. Neque Corvallius legatus Reginæ, Reiffenbergium & Fideicommiſſum Soterianum ſtabilire pro Archiepiſcopo conatus, ſtudia Capitularium inflectere ad Principis arbitrium potuit. cùm illi opes ſibi, quàm æquitatem eripi mallent, ut ipſi denique Galli, re penitius inſpectâ, unius capitis, jam ad tumbam inclinati contumaciam deteſtati, imperii Principibus cauſæ totius deciſionem reliquerint.

Philippus alium Gallorum exercitum evocat, cui Lotharingi opponuntur.

Ipſi denique Galli Principis cauſam deteſtantur.

Annus itaque ſequens 50 Jubilæi Romani ex veterum more gratiâ inſignis fuit, quem pax univerſalis illuſtriorem Romæ, atque in Germania effecit. Trevirenſibus quoque provinciali ſuorum Procerum conciliatione longè gratior, tanquam ſerenitas à tempeſtate, affulſit. Poſtquam enim Carolus Caſparus à Petra, Metropolitanæ Ædis Cantor, ad Comitia Noribergenſia, exequendis Pacis articulis indicta, Legatus abiiſſet,

1650.

Annus Jubilæus pace univerſali illuſtrior.

set, Cæsareique ab Ehrenbreitsteinio militis deductionem impetrasset; eorundem Comitiorũ decreto, Moguntinus & Colonienſis, cum Principe Bambergenſi, Elector, ad ſtatuendam inter Archiepiſcopum Trevir. ejuſque Capitulares pacem deſignati fuêre. Quos Philippus deſperatione magis rerum ſuarum, atque ætate jam in tumulum propendente, quàm voluntate ſequeſtros admittere coactus eſt, ſatiusque duxit aliquo fortunas ſuorum ſtabilire pacto, quàm moriens omnium invidiæ ſpoliisque obnoxias relinquere. Quare per Legatos Moguntini D. Fridericum Greiffencla W à Wolratz, Colonienſis D. Adolphum Beckerer, Bambergenſis D. Henricum ab Hinsberg, ſic denique, expenſis utrarumque partium rationibus, XXIII Auguſti menſis pronuntiatum eſt.

Trevirenſis Legatus Carolus à Petra Noribergæ diductionẽ militis & Arbitros pacis cum Principe ſtatuendæ, obtinet.

I. *Amneſtia, juxta pacem Monaſterienſem, antè actorum eſto omnium, inter Principem, Capitulares, & Ordines patriæ: ſingulique in eum reducantur ſtatum, quo ante hos motus fuêre.* II. *Externa ne porrò adhibeantur auxilia.* III. *Electori ſit imperium in Conſiliarios, Præfectosque militiæ, militesque ac miniſtros ſuos inviolatum. qui tamen ut Principi, ſic & Capitulo fide juratâ obſtringantur.* IV. *Captivi libertatem habeant, inprimisque Electorales, Graſs Procancellarius, & Moëlbaum Conſiliarius; &, ſi perſiſtant in munere, fide etiã Capituli teneantur.* V. *Electio Reiffenbergi, ut difformis antiquis legibus, irrita ſit, nec deinde, niſi Capituli ſuffragiis, ut Archiepiſcopus ſic Coadjutor Præpoſitusq; eligantur, Præbendæq; aut dignitates conferantur.* VI. *Norma obligationis Archiepiſcopalis ſit recepta Capitulatio. vi cujus, in rebus gravibus, & cum patriæ diſcrimine conjunctis, nil ſine Capituli aſſenſu conſtituendum ſit.* VII. *Reducendam priſcam judiciorum, inprimis Treviris Confluentiaque, formam, noviſſimâ rurſum abolitâ.* VIII. *Metropolitanæ Eccleſiæ ſua beneficia proventusque reſtituendos, inprimisque pagos Satrapiæ Grimburgenſis, domum & Satrapiam Hunolſteinianam, Communitatẽ*

Pacis Trevericæ leges.

Mertzigii & Sargavvi, ad Soterianum fidei commissum traducta. IX. *In Præbendas quoque redditusque, cum Husmanno, reliquos Canonicorum reducendos esse.* X. *In tributorum indictione sua Ordinibus suffragia concedenda, dispositionesq; circa formam & modum consuetas, salvo tamen supremo Principis jure, autoritatem suam judiciumque, præsertim in dissidio, interponendi.* XI. *ut nova vectigalia vino, frumento, ceteriisque commerciis imposita, & ministeria extraordinaria tollantur, ne immodicè graventur subditi.* XII. *Ne Iudæorum numerus contra præscriptum augeatur ordinem: receptis verò justitia, quemadmodum Christianis administretur.* XIII. *Vt Civitatis Trevericæ, & Berencastellæ munimenta recèns excitata diruantur, possessionesque ad suos Dominos redeant, ceteraque per vim & injuriam hoc belli tempore ablata restituantur.*

Pacificatio firmata & publicata, cum novi Adjutoris propositâ Electione.

Quæ deindè pacificatio, ut par erat, subscripta, in Capituli Ordinumque patriæ conventu, omnium gaudio publicata, exspectatam tot annis tranquilitatē tantò optatiorem fecit, quod cum novi Adjutoris electione, ut convenerat, fuerit sociata. Videbatur is futurus Hugo Eberhardus Comes Cratzius, Electori non ingratus, eâ spe, quod à Cæsare ob fratris necem alienior, ad Gallum, & sui Fidei commissi defensionem inflecti posse crederetur. quanquam aliis ea visa sit viri constantia ac virtus, quæ à memoratis pacis articulis non esset discessura, & cui munus Archiepiscopale tutò credi posset. Sed ut plures erant in Capitularibus jam probatis ad hanc dignitatem moribus formati, ita aliorum aliò vota, ad firmiorem præsertim ætate virum, spectabant. quamvis Principis de Cratzio exspectationem, ne indultam electionem revocaret, cautè alerent.

Quartâ igitur Junii, post firmatum scripto consensum, recitatúmque, in Capitulo statuerunt electionis diem XI Julii, quò & opportunæ deliberationi, & absentium

sentium congregationi tempus locusque daretur. Adfuerunt verò constitutâ die Joannes Wilhelmus à Namedey Præpositus, Damianus Henricus à Metternich in Borscheid Decanus, Hugo Fridericus ab Eltz Archidiaconus major S. Petri, Hugo Eberhardus Cratz Comes à Scharffenstein Archidiac. S Lubentii, Wolfgangus Fridericus à Coppenstein Archid. S. Agathæ, Emmericus baro à Metternich Scholasticus, alterque Carolus Henricus, Damianus Hartardus à Petra, Joannes Ludovicus Wilhelmus ab Eltz, Joannes Philippus à Wallerdorff, Joannes Conradus à Petra, Rolandus Antonius Zand à Merl. Quibus jam ad eligendum procedentibus, sacrâ exomologesi, Synaxi, & S. Spiritûs invocatione, ut solet, prævia, supervenit Lotharius Fridericus à Metternich Thesaurarius. Duo præter hos justo titulo absentes Wilhelmus à Furstenberg, & Carolus Casparus à Petra, sua aliis suffragia commisêre. Tùm verò coram duobus Notariis, & testibus, ac Cancellario D. Anethano Syndici vices implente, omnes sese, præeunte formulam Decano, jurejurando obstrinxêre, electuros, quem *meliorem, digniorem, utiliorémque* suæ Ecclesiæ fore judicarent: postquam tres è suis Hugonem ab Eltz, Emmericum à Metternich, & Joannem Philippum à Walderdorff, secreti fide obligatos, præfeciſſent scrutinio, suffragia quique suâ voce, aut scripto, edidêre. quorum cùm sex Hugoni Eberhardo Cratzio, novem verò Carolo Casparo à Petra, utrisque tantæ dignitati idoneis, obvenissent, frustra qui pro Cratzio stabant de votorum præstantia disceptantibus, concluſum denique est, Carolum jure præferendum, atque usitatâ formulâ promulgandum, quod Joannes Philippus à Walderdorff pro more executus est. Quamvis huic proclamationi, contraria eligentiū pars, & Archiepiscopus atq; ipse etiam Cratzius, suam de qualitate, seu, ut ajunt, sanitate votorum, protestationem opponerent. Quæ deinde ad Imperatorem ac Pontificem delata quæstio, illo potissimùm impellente, ac de-

Præsentes electioni.

Carolus Casparus à Petra Cratzio plurium votis præfertur. & Adjutor confirmatur.

ac denique ipso etiam Cratzio ultrò concedente, decisa pro Carolo est; quod gravissimis impeditum tricis negotium sentirent, nisi ex votorum pluralitate in electionibus procedatur. Ita destinatum sibi à Deo locum Carolus tenuit, quem Pacifici Principis titulo hactenus, cum magna reip. quiete, laudabiliter tuetur. Ita *plerumque dirigentibus Superis, ut post tempestatem serenitas affulgeat.* Quam ne qua à meridie tempestas aliquando evertat, Deus rogandus est.

1651.

Reliquiæ bellorum inter Brandeburgicum & Neoburgicum tolluntur.

Sequenti anno, qui à quinquagesimo primus ibat, adhuc quædam se bellorum nubes in affini Trevirensibus Juliâ movere sunt visæ, quæ pacis Germanicæ tranquillitatem obfuscarent. Cùm Elector Brandeburgicus Fridericus Wilhelmus, religionis studio æstuans, neque ex communis pacis legibus illam ad annum 24, neque etiam ex privato anni 9 pacto, quo in suo religio statu manere jussa, illius exercitium adstringi pateretur, ideóq; Sparrium Ducem hostili exercitu Montium finibus, contra Wolfgangum Juliacensem Principem, immitteret: cui tamen, cum hic Lotharingos non impari numero imponeret, sub auspiciis Philippi Wilhelmi Neoburgici Junioris, pax denique, imperante Cæsare, per Legatos Melchiorem Hatzfeldiū Comitem, & Joannem Anethanum Trevirensem Cancellarium II Octobris eâ lege constitit; ut Episcopo Monasterienſi, & Duce Brunsuicensi Arbitris, religionis quies statu certo firmetur, aut si id nequeat, Cæsareo lis decidatur judicio, reusque violatæ pacis sit, ac suo jure excidat, qui ad vim armáque se converterit.

Ex Gallia Angliaque turbata, inde Mazarinus ac mox Cōdæus, hinc Rex ad Rhenum ejicitur.

Hinc igitur in Gallias Angliámque se Mars transfundere visus est, & istic æmulatione atque invidia regii inter se ministri collisi, liberatus è carcere Princeps Condæus, in quem à Cardinale Mazarino coactus fuerat, hunc toto ejecit regno, ad Colonienſem Archiepiscopum fugientem. Unde tamen Condæi formidati metu, propter arma, quibus se contra reducendum munire

nire cœperat, in aulâ crescente, revocatus abs Rege, brevi fortior Mazarinus, Condæum in Belgium ad Hispanicam protectionem expulit. In Angliâ verò Cromvellus militiæ Princeps, Anabaptistarum, seu Independentium, amentiâ correptus, Carolum Scotorum Regem Episcopalium fautorem, ad debitum sibi Angliæ regnum aspirantem prælio victum, tantùm non tenuit, patris utique exemplo plectendum. Qui clam in Franciam elapsus, nec istic quidem inter consangvineos securus, suum denique ad Colonienses perfugium reperit, unâ defensus urbe, quem regna integra, adversus Cromvelli ministri sui potentiam (cui Hollandia imparem se multis cladibus experta est, Gallia Hispaniáque benevolentiam, vel invita, deferebat) tueri satis non poterant. adeò *Superis promptum est, ima summis, & summa imis exæquare: ut mortalis homo discat, nihil, nisi in regno immortali, stabile reperiri.*

Lotharingi Trevirensibus graves tandem studio Caroli Adjutoris submovetur.

Iridem interea tranquillitatis, in bellorum tempestate, nuntiam Treviri viderant; sed integram nondum pacis serenitatem, quamdiu Lotharingicus miles, accessu, quàm reditu, facilior, patriam, ex Hispanica militia pro hibernis recurrens, onerabat, eâ lege, ut miles pro se suóque etiam Duce, variis hanc molestiam ære redimentibus, stipendia conficeret; quibus utrosque novo bellandi artificio, locupletabat. Et dux quidem illa se officiis, Imperio adversus hostem præstitis, promeritum esse contendebat; excluſum verò universali pace, in manibus hostium derelictum, ex Imperio repetere, quod pro illo amisisset. Treviros ergò, ut Lotharingis viciniores, ita hoc onere magis pressos, levare Carolus Adjutor conatus, conspirantibus deniq; Rhenensium Principum studiis assecutus est, minus ut imposterum molestiarum ab his vicinis incumberet.

Julii Ducis conjux gaudio exspiravit.

Quo tempore infra Treviros Coloniæ Anna Catharina Constantia Regis Poloniæ soror, cùm Philippum Neoburgi Principem & maritum ex bello reducē com-

plecteretur, gaudio exanimata concidit, postridiè multorum dolore extincta. morte tamen, quàm sæpius optârat, ut conjux alterius felicior thalamo, prolem de quâ desperabat, acciperet, quam de cœlo nunc septem una serie filiorum parenti impetrasse, quâ erat pietate, videtur. Accessit Maximiliani Bavari Ligisticæ militiæ Præfecti, & in senio duorum adhuc filiorum parentis, funus. quorum alteri electoratus abs se bello parti successionem reliquit: amittendi, nisi ex Austriaca peperisset.

1652.

Ernestus Hassiæ Princeps ex S. Goare ad fidem orthodoxam reversus cum conjuge.

Proximus annus LII. Ernesto Hassiæ Casellensis Principi, sub Archidiœcesi Treverica, ad S. Goarem præsidenti, natalis in Ecclesia Romana fuit; si rectè dicatur nasci, qui orthodoxæ religionis exors eidem autoratur. Controversiarum ille inprimis gnarus, quâ Catholici ab Acatholicis secernimur, dum alios suis addicere partibus nititur, reperit suos in hac pugna victores, qui veritate freti se conjugemque fortiùs stringerent. Unde, cùm nec Hassorum Prædicantes in auxilium vocati expedirent sese, publicâ denique professione Coloniam à Philippo Neoburgensium ducti Principe, summâ in æde, Maximiliano Archiepiscopo, sacris operante, frequentissimo hominum concursu, Romanam fidem amplexi sunt. Quos ad S. Goarem revertentes Carolus Princeps, Confluentinâ in arce, eximiâ liberalitate complexus, gratulatus illis sibique est, de tam illustribus membris suæ Ecclesiæ, meliore nunc titulo, sociatis. Quibus opem benevolentiamque suam profusè addixit.

Philippus Christophorus Trev. Archiep. moritur.

Nec multò post Carolus Trevirim avocatus est, quando Philippus Christophorus à Söteren, octogesimo septimo ætatis suæ anno, & Archiepiscopatus XXIX paucorum dolore extinctus VII Februarii sub noctis initium est. Exspectatâ diu ex morbo diuturno morte; sed tamen id temporis improvisâ, cum ministris baptismalis epuli in Antecineralibus celebrandi gratiam fecisset. Supervenit tamen Cubiculi custos jam sudore lethi-

lethifero defluenti. Is, proclamato discrimine, paucos, & in his Confessarium, attraxit. qui in ultimo agone deficienti adstitêre; triduo, tamen ante expiato, divináque cœnâ refecto. Emanavit repentè ad Capitulares rumor, qui frustra tentato ad clausas Palatii fores aditu, immissis per muros satellitibus noctis undecimâ penetrarunt, obsignatisque conclavibus, cùm pleriq; ministrorum benè poti circumfluerent, fidâ res præcipuas custodiâ munierunt. Mors hæc ancipiti hominum interpretatione in laudem reprehensionemve, pro diversorum affectu, tracta fecit, ut nil temerè, nisi quod à præsentibus accepi, de illa pronuntiârim. Quorum fide mihi infelicior ipsius vita, quàm mors fuisse videtur. Certè inter illos jactationum æstus, quos non minus à propriis affectionibus, quàm adversariorum afflictionibus passus est, pietatis sibi consuetæ usum nunquam deposuit. Canonicarum illi horarum lectio, tam recepta pertinaxque fuit, ut neque jam diu clinicus, & ex chiragra manuum usu destitutus, eam desereret, sed adhibito, qui folia versaret, ministro, religiosè persolveret. Sacris eodem quo jacebat conclavi operari Sacerdotem indies voluit, Sacerdos jam dudum, inter Archiepiscopos, solus ipse, ut quod re non posset exequi, voto & adoratione mysterium prosequeretur.

Mors minus infelix, quàm vulgò, habita.

Pietas ac religio.

Incredibili præterea adversarum rerum impetum patientiâ, magnique animi constantiâ excipere solitus. Primâ occupatione palatii irrumpentem in conclave armatum, intentóque in pectus sclopo, ni se dederet, minitantem, interrito vultu ac voce excepit, dimisitque tanquam sui & aliorum dominus, cùmq; ad spoliandam aulam diffusos ex fenestra prospiceret, *Vestem hanc spero*, inquit, *mihi relicturi sunt*: altera, minùs etiam exspectata, invasione vrbis æger nudúsque in lecto decumbens, pellem emaciati corporis vellicans, *hanc, opinor* ait, *nō detrahent; ad quid enim utilis?* quosdam ex Agricolis, qui Principem jam mortuum esse

Constantia & magnanimitas.

læti jactârant, mandavit accersiri, atque in conclave admissos, gravi supercilio ac voce exceptos conterruit: ut qui ejuscemodi nuntios dignâ adhuc mercede munerari posset. tùm verò inflexo ad humanitatem sermone, adesse ac porrigere manum jussit, ut se non vidisse audivisséque solum Principem vivum, sed & contigisse assererent. Cùmque illorum unus, ceu declaraturus affectum, strinxisset chiragricam dextram arctius, dolore percitus exclamabat: *Apage callosis manibus, & rusticâ hac civilitate. an me putas stivam tractasse?* Et conversus ad suos: *ejusmodi*, ait, *medicis ad explorandam venam porrigendæ manus non sunt.* Glorioſius illud, quod inter acerrimos arthritidis herniæque dolores usurpare ex Augustino ad Deum auditus est: *hic ure, hìc seca, modò in æternùm parcas* Certè hic pietatis, religionisque amor, jam à teneris rectè instituto, constanter hæsit; ut hanc naturæ ferventioris, elatiorísque, neq; alterius imperium ferentis, impetus non prorsus oppresserit. Quin etiam principio, in Spirensis Ecclesiæ Judiciique Cameralis administratione, eâ laude moderationis versatus est, ut parem ingenio ac sedulitate, tum etiam expediendorum facilitate haberet neminem. Quæ illi deinde res ad Electorale fastigium viam patefecit. Quod insigni etiam religionis Ecclesiæque amplificandæ ardore ingressus, plures, haud multis annis, heterodoxorum Satrapias, ditionésque, Romanæ fidei, suæque Archidiœcesi adjunxit: donec variis subditorum, quibus cedere indecorum censebat, implicitus controversiis, ab hac cura, ad illos opprimendos versus, ignobili contentione, sibique juxta & diœcesi pernicioſissima, ætatem consumpsit. Cum utrorúmque (ut par est credere) delicta, longâ Deus calamitatum serie castigârit: exoſculandâ omnibus correctione, si cum hac vita fuerit absoluta. Epitaphium plures uni, non tamen uniusmodi, scripsêre. Fragmentum decerptum adjicio, quod loquentem his verbis introducit:

Principium regendi, quàm exitus felicior.

Epitaphium.

Viator

Vlator sta, & contemplare iacentem.
Hic situs sum
PHILIPPVS CHRISTOPHORVS ex familia Sötheren,
Archiepiscopus, Elector, Archicancellarius, Episcopus,
Administrator, Præpositus, Commendator, Iudex, &c.
Sed tot titulos brevis clausit tumulus,
Vltima mortalium rerum meta.
Hæc specta, & mundi vanitatem vivus plange,
Ne mortuus egeas lacrymis.
Ego morti subjectus sum, postquam præfuissem,
Spirensibus Episcopus annis XLII.
Trevirensibus annis XXVIII, mensibus IV, diebus XIII.
Quàm religiosè, fortiter, prudenter, justè,
Quid litaverim Deo, imperio, mitris, posteritati, mihi;
Expende fastorum, federum, actorũ, rationũ, indices,
Cõspice fana, & profana palatia, turres, aggeres, rudera,
Et dic satis est, quiescat anima & cineres,
Sat multa fecit, & passus est.
Habeat quietem moriendo,
Qui vivendo habere non potuit.

Corpus defuncti divisum in sepulturas diversas. Cor Spiram missum, intestina Capuccinis Treviri relicta, reliquum Metropolitana in æde ad lævam ingredientium ante aram S. Luciæ, collocatum, ignobili hactenus monumento, quod nunc Successoris opera cœpit erigi, nondum absolutum. Fideicommissum ex testamenti tabulis 15 Februarii apertis, Francisco Philippo à Söteren nepoti locuples obvenit, quod ad nuptialem Comitis thalamum, viam illi aperuit; spe, quàm successu feliciorem.

CAROLI CASPARI Successoris inauguratio avidè exspectata, haud multò post XII Martii die instituta est. Is legato Cæsaris, Comite Melchiore ab Hatzfeld aliorúmque Principum, ac suæ diœcesis nobilitate stipatus, Præposito Emmerico à Metternich, in Husmanni, Inauguratio Archiepiscopalis Caroli Caspari.

ni, nuper quoque defuncti, locum surrogato, Decano item Damiano Metternichio, ceterísque Capitularium sequentibus, postquam exhibitas Capitulationis leges, sacramento firmasset, datis acceptísque in fidem manibus, receptus est; pluvialíque, ut vocant, habitu candidatus, & ardentem manu cereum complexus, inter Præpositum Decanúmque, ex Capitulari domo ad summam Templi aram, deductus est. Cui insidenti Chorus hymnum Ambrosianum præcinuit, atque hinc ad sedem Archiepiscopalem deducto, non tantùm sacra templi organa, campanúmque æs; sed machinæ totâ urbe bellicæ festivò sonitu applausêre. Unde inter cõfertissimam multitudinem, vitam felicitatémque apprecantiũ, in Palatium, eminentiore ipse corporis staturâ, tanquam huic dignitati natus, incessit, datisque atque acceptis rursum ad gradus congratulantium Canonicorum dexteris, ubi aulam subiisset, ab initiato nuper Urbis Præfecto D. Lothario Braun à Smidburg, Ordinis Teutonici Commendatore, Urbisque Consulibus, ac Magistratu Treverico salutatus, Civitatis claves demissè oblatas accepit, benevolèque Cancellario Anethano interprete restituit. Quibus finitis, Cæsareus Moguntiacúsque ac ceterorum Principum Legati, salutationis officio perfuncti sunt, ac diei reliquum, in aula ac urbe tota novi Principis inauguratione læta, festis convivantium gaudiis transactum est. Posterâ die Urbs solenni juramento in fidem sui Archiepiscopi concessit, paribúsque hunc lætitiæque argumentis exegit; ut velut ex dura Hieme revirescens in Vere tellus, ad amœniorem solis ortum, exultare videretur.

Populi applausus.

Claves urbis oblatæ ac redditæ.

Cives sacramento obligati.

Quemadmodum verò huic populi exspectationi, inter aspirantem tranquillæ pacis auram responderit hactenus Princeps, quantum obæratæ inter bella diœcesi levamenti, quantum sacris profanisque ædibus decoris, locisq; adversus hostes infirmioribus munimenti, periclitantibus inter bella Treviris securitatis, pie-

Felix in pace regimen.

tati

tati religionique hinc inde labefactatæ ornamenti dederit; hæc aliáque, cùm mors actorum vitæ periodum clauserit, post me, sine fuco, adulationisque submotâ specie, rectiùs commemorabunt illi, quibus spes metùsque veritatem non eripiet. Mihi, atque ipsimet etiam Electori, sub cujus hæc auspiciis cœpi, hic terminare consultius visum est, fessamque his laboribus manum, ad quietem, aut sacratiora studia, transferre. Quod dùm facio, & inclinatâ jam valetudine Carolus Ecclesiæ suæ Adjutoris Successorisque digni adminiculo consultum iri desiderat, felici electionis auspicio, consentientibus Metropolitani Cleri suffragiis productus Nearchon est JOANNES HVGO AB ORSBECK, ejusdem Ecclesiæ, ad S. Agatham in Longviono, Chorepiscopus, & Cathedralis apud Nemetes ædis Decanus, illustri Orsbeeciorum, & Dominorum à Vernich Juliacæ ditionis familiâ, generis paterni, Matre verò de Petra, Electoris Caroli sorore, genitus, probéque in literis ac virtute, hujus potissimùm curâ, ad spes magnas, insigni, Romanóque in Seminario laudatâ indole, educatus. Ut divinâ jam pridem destinatione ad tam excelsum munus electus videretur, quam suo denique sacer Trevirorum Senatus calculo sub hujus anni 1672, quo hæc scribo finioque, principium, VII. Januarii probavit. Cui DEUS, unà cum avunculo, supremo Ecclesiæ Trevericæ capite, longam sospitet felicitatem.

Joannes Hugo ab Orsbeck Adjutor.





AVCTARIVM HISTORIÆ A PHILOHISTORE DATUM,

Quo ultimam Trevericæ Urbis cladem paucis exponit.

CONclusam Autoris Epitomen ANNO CHRISTI MDCLII. in morte Philippi Electoris, & Caroli Caspari auspiciis ultima clade Trevirorum, quæ in annum hujus seculi septuagesimum tertium, quartum, & quintum incidit, tanquam aliquo Tragœdiæ epilogo coronare visum est, quanquam corona hæc ex cupresso potius, quàm lauro decerpenda videatur, utpote funestis amicorum & hostium casibus referta.

Respirabat hoc tempore Metropolitana Trevirorum Urbs à pristinis aliquantum sub Philippo Christophoro acceptis vulneribus, benigniùs in pace sub CAROLO CASPARO per annos viginti habita; cùm repentè ex vicina illi Gallia, nova belli calamitas incubuit, ex qua nobilissimis sui corporis partibus mutilata, Templis, Suburbiis, Monasteriis domibúsque & opibus hominibúsque exhausta, vix unquam ad pristinum decus emerget. Cecidit, eversúmque est nobilissimum cum splendidissimo Templo S. Maximini Monasterium, Patrum Benedictinorum, quod prima sui ortus initia à Constantini Magni palatio, in sacram

Memorabilis Trevirorum, præsertim in Templis locisque sacris, ruina.

 ædem

ædem clauſtrúmque dicatorum Deo hominum verſo, ducit. Jacet dirutúmque eſt vetuſtiſſimum quoque D. Paulini Canonicorum Collegium, Ædem ſacram, multásq; circum domos complexum. Uterque locus Sanctorum hominum monumentis, & hic inprimis oſſibus Reliquiiſque Sanctorum Martyrum ſub Rictiovaro cadentium pleniſſimus, exteriſque juxtà & incolis venerandus, & quotidianis ferè Proceſſionibus hominum, Deum in ſanctis ſuis venerantium, adiri ſolitus. Exciſum funditus eſt Monaſterium S. Barbaræ Patribus Societatis Jesu ſuſtentandis attributum, & aliud Religioſis Virginibus ad Pontem Leonis jam olim vindicatum. Proſtrata funditus eſt ampliſſima Carthuſianorum Patrum habitatio, præter Eccleſiam plures domos complexa, quam Balduinus quondam, eximius Trevirorum Princeps ſuæ monumentum pietatis exciſtârat. Ædes S. Antonii in ſpeculam converſa, Uhrana flammis conſumpta, pluribus & Monaſteriis & Eccleſiis deſtinatũ exitium, niſi autor malorum Petrus Comes de Vignory Urbi Gubernator à Galliarum Rege impoſitus, in ipſa machinatione præceps, fractâ cervice occubuiſſet, finémque nocendi morte ſuâ feciſſet. Paucis omnia exponi nequeunt: breviter hic tantùm, Epitomæ in morem, perſtringentur.

Rex Galliarũ tranſitum immunem Navibus ſuis per Moſellã ad Batavos impetrat.

Galliarum Rex Ludovicus XIV. illaturus Hollandis bellum, quo ſe advenire ſubſidio Electori Colonienſi Maximiliano: & Monaſterienſi Principi Chriſtophoro ad ereptarum Urbium reſtitutionem, & religionis violatæ inſtaurationem ferebat, tranſitum per Moſellam navibus ſuis, & nonnullo etiam militi, innoxium Archidiœceſi promiſit, ut ab Electore Carolo impetraverat. Et principio quidem ſine noxâ id præſtitum, Rexque ipſe cum exercitu in Cliviam & Hollandiam progreſſus, Urbes complures, majori terrore, quàm vi apertas habuit, Noviomagum uſque progreſſus, Cumque hinc à dextera urbibus imperialibus,

à ſini-

à sinistra Belgicis metuendus incumberet; Imperator Rom. LEOPOLDUS exercitum, sub ductu Comitis Montecuculi, ad Rheni limites custodiendos submisit, qui Anno 1672. Brandeburgico adjunctus, nihil aliud nisi excubias agere visus est, opposito ad mutuam custodiam Turrenio, ad inferiores Rheni partes hibernante, Cæsareis per Diœcesin Paderbornensem maxima parte effusis. Hi verò cum deinde magis per Hassiam, Rhenum ascenderent, Gallus quoque Germaniæ ad Rhenum inhærens atque Archidiœcesi Trevericæ potissimùm, utraque illam ripâ graviter premebat. Unde fidem violari Elector questus, Turrenius verò hostem observandum sibi esse obtendens, dissidere cœperunt: In his verò angustiis; cum Cæsar pro suis apud Electorem, sibi Imperióque obnoxium, urgeret transitum; neque alius ad liberandas, ab utroque exercitu incumbente, ditiones suas pateret exitus, Imperatori, contra quem, salvâ fide, agere non poterat, obsequendum esse duxit. Cum propositum Cæsareis esset, Rhenum alicubi intercipere, ne liber Gallis ad Hollandos Frisiamque, atque inferiorem, cui imminebant, Germaniam pateret aditus, quem postea Novembri mense, occupata Bonna, Electorali Colonienſis Archiepiscopi sede, ex voto interclusére; ut ex universis sese Batavorum, & Frisiæ locis recipere coacti fuerint. Galli igitur, quamvis innoxium regiis navibus indulgeret Elector Trevericus, ut convenerat, transitum; veriti tamen ne consilia mutaret, Treviros Mosellamque cum ponte suæ potestatis, via aperta facere constituunt, postquam Princeps Condæus, cum exercitu amicè frustra aditum tentasset. Miles itaque Rochefortio duce Treviros aquis terraque alapsus, circumsidere sensim Urbem Augusto mense anni 1673 speciè transeuntium cœpit. Is verò simul ut fossas ducere, & ænea producere tormenta aggressus est, manifestum semet hostem professus, sedem præcipuam in S. Matthiâ, & Carthusiâ Urbi vicinâ fixit, & Amphithea-

Imperator ut Imperio caveat, exercitum ad Rhenum transmittit, Duce Montecuculi.

Unde Treviri hinc à Gallis, inde à Germanis pressi sunt.

Treviris Mense Augusto anni 1673. obsidetur.

Galli Trevirim obsidentes, quâ vi, quâ dolo intercipiunt

theatro, ac propinquo eidem colle S. Crucis ad suggestus machinarum curulium usus est, frequentique exoneratione in portam veterem, turrimque SS. Trinitatis usus, plurium dierum explosionibus, quamvis perductas ad Urbis muros fossas propius machinis, vix quicquam ad invasionem opportunum perpetravit, ut in collem reducendæ fuerint, & vicina mœnium pars ad portam novam respiciens quatienda: quæ ut recentior opere, facilius cessit, interius tamen vallo ac propugnaculo incumbente defensa, aditum non angustum modò, sed & difficilem, pluriumque circa jaculis expositum, præbebat. Quia tamen Galli per fossas ad Urbem propugnaculis externis destitutam, se se admoverant, cuniculisque, quanquam falsò, muros ipsos subiisse crediti sunt, & majoribus subvenientibus Trajecto subsidiis firmandi erant, exiguumque Urbis insperatò pressæ præsidium, longæ impar obsidioni ac pluribus Gallorum assultibus futurum videbatur, actum de Urbis tradendæ conditionibus est, missis ultro citróque legatis & obsidibus. Ex quibus qui in Urbem recepti fuerant, pacti cum Tribuno cohortium de milite cum armis educendo, deinde velut re ex debito peracta, urbe clam civibus excesserunt. Quos cum incolumes recepissent Galli, Proprincipi, Consulibus, aliisque qui cum ipsis erânt obsidibus, extrema minati sunt, nisi Urbem ad Regis arbitrium dederent; polliciti tamen multa de Regis ergà illos clementiâ; ut quà minis quà blanditiis hanc ad Urbem accessum impetrârint. Quam octava Septembris die, Deiparæ natalitijs consecrato, subiêre, post biennium eodem pœnè tempore desertori. Subindè missi ex utriusque partis consilio Illustris Dominus Lotharius Braun Urbis Proprinceps. & Adm. R. ac gratiosus Dns Franciscus ab Horst summæ ędis Scholast. cum aliquot proceribus, legati sunt, quiin Gallia de conditionibus traditæ urbis, audirent, Regisque gratiam experirentur. Hi ubi Metas attigissent, istic arcis custodiæ inclusi hodiedum an. 1676. receptâ licet urbe,

Legatos pro gratia Regis obtinendâ Procetes Ur

be, detinentur, lytro haud levi imposito redimendi. Ergò leges ex arbitrio Gallorum interceptæ urbi præscriptæ sunt, quæ seculares juxta Ecclesiasticosque menstruo gravatos ære, usque adeò exhausére, ut cùm demum plerique fugâ se subducerent, imparesque reliquos tributorum solutioni viderent, miseratione tacti, civibus, religiosisque, & clero urbis abstinere, in Archidiœcesim verò latius arma vimque explicare cœperunt. Quæ causa Electorem, ad subsidiarium ab Imperatore pro recipiendâ Urbe militem exorandum, vehementius impulit, qui post biennium occupatæ urbis postremò Augusti mensis die 4. anni 1675. obtentus est.

bis, Metis captivos detinent.

Gubernabat supremâ in milites civésque autoritate, Urbem, Petrus Comes de Vignory, ferociâ suâ, belgica jam ante gubernatione celebratus, & plerisque suorum etiam, ut metuendus, ità ingratus, qui desipere illum præ furore in pluribus, insanúmque palàm etiam jactabant. Muniendæ tamen urbi expeditum in paucis ingenium attulit, quo intra anni mensiúmque aliquot spatium, ita Urbem, in quadro pæne sitam, propugnaculis, vallis, fossis, loriciſq; atq; ingenti palorum circuitu inclusit, civibus, milite, rusticisque quaquaversum ad laborem coactis, ut alia jam prorsus á priore urbs esse videretur. Reductiones (ut munimenta in medio campo excitata vocant) extra Urbem tres, turri, vallis, propugnaculis, fossisque grandibus, ac palis dens è latéque fixis, munitæ erant. Quarum una lateritium Mosellæ pontem versus occidentem trans aquas tuebatur: altera versus meridiem dirutæ propinqua Carthusiæ, tertia septentrionem spectans perfectissimo opere ad ruris inclinati planitiem comparata erat, ac subterraneo curriculo, etiam machinis æneis pervio, adiri ex urbis fossâ poterat, expugnatu, ob diversa valla armatosque receptus difficilis. Illa verò urbis facies, quæ orientem spectat, præter ingentia duo in mœnium flexu cornua; semiluna-

Urbem Gallû egregiè, brevi tempore, muniunt.

lunatum in medio propugnaculum, maximis inclusum fossis vallisque & recessibus egregiè munitum latéque expansum continebat, quo hostem ex vicinis montibus Reductibúsque atque Amphitheatro indè ubi maximè formidandum urbi, arceret.

S. Maximini nobilissima & antiquissima Abbatia S. Benedicti diruta

Hæc munimenta dum instruit, impedimenta simul omnia, quæ videbantur defensioni officere submovet. Quatuor in propinquo Monasteria erant singula intra curulis machinæ jactum, Nobilissimum amplissimumque unum S. Maximini, ad boreale urbis latus in fronte meridiana: hoc quod supra meminimus Constantini M. temporibus, ex Aulâ Imperatoriâ in Ascetorium sacrum, templumque conversum, posteà in Abbatiam transisse. Cujus hac ætate Ecclesiâ, superiori erecta seculo, nihil tota Archidiœcesi illustriùs fuit, æstimatióque facilè ad talentum argenti excurrit, nondum omni ære, quo steterat, ut ferunt, exoluta. Caroli Magni & Dagoberti Regum liberalitate hæc domus olim locupletata, & privilegiis ornata, illius etiam hìc soror medio choro condita. Triplici crypta subterranea, sibi mutuò incumbente, & tamen externo sole irradiata, illustris; hospitium S. Athanasij illiccontrà persecutores latentis; præcipuè tamen trium Sanctorum Archepiscoporum, & aliorum plurium Sanctorum monumentis veneranda. Loco huic olim à barbaris gentibus ipsisque Francis in Galliam ex inferiori Rheni sede, Chlodovæo nondum Christiano, irrumpentibus, & superiori seculo ab hæreticis Treviros invadentibus ac possidentibus parcitum, qui nunc à Christianissimâ (sic loqui liceat) gente, ita excisus est, ut ad pristinum surrecturus nunquam decus videatur. Par ratio annexi eidem à dextro Abbatiæ post tergum latere Collegij Canonicalis, & templi antiquissimi, cum longo domuum ordine, unde tormentorum urbi ictus nocere vix poterant, funditus tamen eversi fuit. Neque enim hæc ullo ob-

Collegium quoque Canonicorum S. Paulini

sessæ

sessæ nunc urbis emolumento, sed detrimento etiam Gallorum magno fuêre destructa. Nam cum exteriora deindè horum opera, quibus urbem cingebant, vicina Maximinianis essent: non erat hic locus à Gallis deferendus. Quare fossa ad eundem ducta, suis illum præsidiis muniendum statuêre, & ad posteriores usque obsidionis dies tenuêre, multò deinde ejecti facilius, quàm si stetisset integer suis muris aquaticisque foveis, ac dumetis arboribusque etiam tectus: nunc cum ruinâ, aut captivitate omnium, qui intus erant, occupatus. Præterquam quod propugnaculis hic extructis, totum orientale urbis latus, per quod Cæsarei invaserunt, defendi magnopere potuisset. Ceterum ad oppugnandam Urbem hostibus parum hic locus, ob nimiam humilitatem servire poterat, nisi fortè templi turres, quarum geminæ erant, pro machinarum suggestu adhibere placuisset, quod cum ob vicinos colles parum oppugnantibus necessarium, & nec ab hæreticis Brandeburgico & Sikingiano bello tentatum sit; quomodo, ut à proprio Principe urbis invasore fieret, poterat timeri? Certè non erat à Gallis oppugnator formidandus, qui ex ullo circà urbem monasterio, cui utique parcitum volebat, hanc fuisset invasurus: præsertim ubi tam opportuni ad hanc rem colles valleque circumcirca supperant. Ut de ceteris quæ supra attigi monasteriis dirutis vix sit operæ pretium meminisse. Illud inprimis de Paulinianâ æde destructâ dolendum, quod tam vetusta innumerabilium pœnè martyrum istic sepultorum, & ossium sacrorum longa alraque strue surgentium, monumenta, disjecta nunc, pecorique etiam pervia, ac profanata spectentur. At præter hæc loca sacra plures quam sex suburbanos pagos, nullo quoque hujus belli emolumento diruit; Tres urbi viciniores, ad boreale Mosellæ latus unum, & ad meridionale alterum, medium versus S. Mathiam, tres deinde ab urbe remotiores, eis Mosellam unum S. Mathiæ & urbi propinquum, alte-

cum templo & domibus funditus eversum utrumque sine emolumento Gallorum

Plures pagi suburbani eversi, nullo etiam eorum comodo.

alterumque remotiorem ad pontem Conzianum, tertium ultra aquas Uhren, Sanctæ Helenæ quondam patriam. Quibus licebit Curens, orientali sub colle situm & Palatiolum quondam D. Dagoberto ejusque filiabus habitatum, addere, quorum illud flammis absumptum; hoc muris, & munimentis spoliatum est. Illud maximè admirandum, quod nihil horum, vel quicquam obsessis profuerit, aut obsidentes ex sua destructione remorari visum sit. Neque enim modò, neque aliàs, apertâ vi oppugnata urbs ab his partibus hosti patuit, semper ab illis collibus, ubi nihil horum interiacet, impetita. Galli ipsimet, qui Carthusiam sibi pro sede delegerant, hinc tamen ad vicinum collem egressi, vim omnem admoverunt. Ut nil nisi furor, & nocendi libido fuerit, tantis sacrorum profanorumque locorum ruinis, urbem, naturâ loci immunibilem, contra exercitum vimque grandiorem, ceu invincibilem firmare voluisse. Ipsi Gallorum proceres hominis impietatem detestabantur, Regemque malè ab illo de his rebus instructum sentiebant. Præcipuus urbis Prælatus, qui pro Principe in sacris aderat, amicè tot aras destruentem Sanctorumque monumenta effringentem monuit. *nunquam impunè sacra hæc violata fuisse*: Cui respondit: *Viderit Rex cujus jussa exequor.* At plerique hęc Turennio, qui ex propinquo consilia auxiliaque suppeditabat imputabant. Quem eodem tempore, idem, quo bini urbis hujus Gubernatores cecidere, exitus involvit. Observatumque est intra annum pleroſque hìc præsentium Tribunorum, ut Fourille, Coulange, Bandeville alioſque succubuisse. Defuit sanè homini consilium in multis, neque enim militem, neque machinas bellicas, tot propugnaculis, in tam vastâ urbe defendendâ, pares exspectari ab illo; neque valles collesque æquari poterant. Magna itaque inquietus homo molitus, sed parvo suorum commodo fuit. Cuniculis pyrio technicis suffossa pleraque, sed frustraneo opere, & in Gallo

Autores malorum intra annum sublati periêre.

lorum magis, quàm hostium perniciem verso. Quemadmodum verò suis ipse machinationibus à Deo justo vindice fulminatus occubuerit, deinde patebit.

Fatale tempus & urbis restituendæ, & hominis evertendi præsentire visus est. Quandoque enim velut trepidus, aliásque ut furens, cum de obsidione instante ageretur, mutari in formas varias, sibique parum constare compertus est. Utque dissimularet angorem animi, vix potuit, quanquam de hoste adventante contemptim admodum & inter suos loqueretur, & literas ad Crequium militis subsidiarij ductorem daret, quæ interceptæ exercitus Cæsarei Ducem Georgium Wilhelmum Luneburgico-Cellensem, Principem, cum fratre Ernesto Augusto Osnaburgensium, qui junctis copiis & imperio exercitui præerant, magnopere exacerbarunt, stimularuntque ad maturandam vindictam. Is quarto Augusti die anni 1675. octodecim circiter armatorum millibus eminus cœpit urbem cingere, quinque Gallorum millibus defensam. Illis posteà accessere Hispani Duce strenuo Louvigny, ac deindè fervente expugnatione mille circiter Moguntinensium ab Electore submissi. His Mareschallus Franciæ de Crequy subventurus, novem, decémve, ut plurimi credunt, millium exercitu, properabat, quæ causa, cur obsessuri, velut otiosi subsisterent, nondum formatis ad expugnandum castris, sed plerique extra teli jactum hærerent, speculaturi quà parte hostis, inter Mosellæ & saræ flumina procedens, aggressurus esset. Intereà tamen pons Mosellæ impositus infraque SS. Martyres fixus, suisque munimentis conclusus est, ac, tormenta bellica educta de navibus; stationes ad oppugnandam urbem delectæ ad orientalem urbis plagam, montemque Martis ac colles vicinos, prudentiq; Cellensis Principis arbitrio istic jungere vim jussi, ut ceteras urbis Reductiones, & ingentia opera frustranea redderent, sociatisque fossis, & murorum

Urbs à Cæsareis ductore Principe Lunæburgico obsidetur.

Pons primus Mosellæ imponitur.

ruí-

ruinis quatuor maximè locis destinatis, auxilio sibi invicem contra eruptūros adessent. Equitatus Lunæburgici pars maxima ultra Mosellam, oppositus S. Matthiæ Cœnobio, in Uhren substitit, ut si fortè hostis Mosellam alicubi vadabilèm cum equitatu transisset, aditum pontis occluderet. Cum his equitatus Gallorum egressus urbe, altero statim die velitari cœpit. Sed quod utrimque, præter turmas in campo explicatas, à tergo latenter structæ insidiæ, neutra pars aliam insequendo pressit, illi tantùm æneis aliquot ex S. Mathia machinis sunt petiti, paucorum, sed tamen Magistri equitum læsione. Intra Urbem tormentum grandius explosione ruptum balistariorum præcipuum sustulit. Sexta Augusti Curens Pagus, ad radicem collis Pauliniani situs, ne obsidentibus serviret à Gallis inflammatús est. Septima die aqua saliens urbis canalibus fontibusque subducta est, ac denique & aquæ ductus ultrò à Gallis, in fossis præcisus, ne subintrantibus serviret. Quia verò rumore vano sparsum, Cæsareos irruptionem ad Mosellam juxta domum Teutonicam meditari, cives, religiosi cleruſque omnis, & quotquot labori idonei essent, sub pœnâ laquei ad propugnaculum istic novum erigendum evocati sunt, diu noctuque alternatá inter hoc opera. Quod tanto rigore mandatum est, ut Carnifex arbori cum laqueis in manu adsisteret; suspensurus extempore laborem detrectantes, aut suspendendus ipse, si cunctaretur. Cumque senator quidam imperatum non implésse laborantium numerum crederetur, repentè is præceps crinibus ad suspendium raptabatur, à militum operumque præfecto; donec mox intercedentibus aliis compertum, postulatum numerum ab eo exhibitum fuisse. Idemque periculum Scribæ Civitatis filius ad S. Simeonem Canonicus, interpositis plurium precibus vix declinavit. Matres familiæ cum infantibus, & duo in singulis monasteriis religiosi ab hoc labore exempti, tum Patres Societatis (non

Velitationibus præluditur.

Pagus Curens èxuritur à Gallis.

Cives cum Ecclesiasticis, sub pœna suspendij, ad labores pro vallis periculosè coacti.

si-

sine invidiâ & obtrectatione aliorum) quòd ante biennium hi contra Galliæ Regem in urbe arma non susceptissent. Sed breve Manlianum hoc imperium Deo disponente fuit.

Funestus Gubernatoris plura Monasteriorum excidia molientis interitus.

Octavâ enim die quæ S. *Cyriaco* sacra est, cujus ante annum reliquias templo destruendo subtraxerat, Gubernator Vignorius, exitium parabat S. Matthiæ Monasterio & D. Virginis ad Martyres. Utrumque D. Benedicti est, & ad Mosellam: illud supra, hoc infra Urbem extrà grandioris tormenti jactum collocatum. Quorum hactenus salus ære redempta. Hæc igitur cum flammis injectis hosti statuisset eripere, ad D. quidem Matthiam sub noctem magno numero stipatus incessit. At cum jam à Cæsareis occúpatum, munitumque excubiis & propugnatoribus competisset, recepit ad Urbem sese, non absque discrimine, cum à suis excubitoribus, immemor datæ abs se tesseræ, pro hoste habitus, solutis sclopis exciperetur. Admissus denique, cum nonnihil quievisset, ultima noctis hora inter tenebras ad forum pergens, peditum equitumq; vim magnam consequi jubet, & D. *Matthiæ*, ait, *monasterium ab hoste præreptum est. Diabolus me hinc auferat, nisi Martyrum occupem evertamq;*. Progressus ad S. Simeonis portam, in ponte extructi à se propugnaculi equus, ceterà mansuetus & obsequens, reluctari, nec velle ultrà progredi. Cui impellendo dum ferocius calcaribus admotis agit, intereaque ex propugnaculo Maximinianis opposito, tormentum in hostem foris propius adversus excubias nostrorum instantem, laxatur, equus, velut fulminatus, ex ponte in fossas averso casu devolvitur, & pectori Vignory ephippio medio totus incumbit eliditque, fractis novem costis præcordia capite etiam ad lapidem contuso. Equus salvus & integer, homo repentè extinctus est, miserabile exemplum contra Dei sanctos pugnantium, & sic hominibus servientium, ut præ his

Deum

Deum non formident. Clamatum ab omnibus D. *Cyriacum* cum sociis Martyribus sanctisque Episcopis, quorum sedem temerè violaverat, vindices de cœlo adfuisse. Sed & reliqua ipsius facta, qui expendunt mortem vitæ conformem esse sentiunt. Cadaver, ceu porci cujuspiam, sale conditum arcæque inclusum fuit, in Gallias posteà deportandum.

D. de Bovilliers, Major Capitaneus Gubernatori succedit, cæterior militi, civibusque mitior.

In locum defuncti Gubernatoris successit Major Capitaneus D. de Bovilliers consiliorum licet, factorumque particeps, quod obsistere vereretur; multò tamen æquior prudentiorque & ad omnem casum imperterritus, atq; iccirco militi civibusque longè gratior. Hic, nona die, imperia in cives religiosos Ecclesiasticosque moderatus, paucis laborantium acquievit. Sub hæc cum propius accedere memoraretur Crequius, Dux Lotharingiæ, cum suis illi invigilans, Conzianum pontem, admotis tormentis, & præsidiarijs, aut dejectis, aut deditis occupavit. Subindè Luneburgensis equitatus, Uhranâ statione desertâ, infrà Urbem ad pontem (superiori ad S. Matthiam nondum exstructo) superandum, hostique occurrendum, discessit. Unde novus Gubernator, decimâ mensis, ad deserta ista tentoria pagumque succendendum egressus est. Quod nemine illic jam resistente difficile non fuit, cum ex inferiori Mosellâ, ob montium interiectorum angustias, subveniri vix posset. Excusari hoc factum posse videbatur; at quod relictum cum molendino templum, D. Helenæ olim reliquiis, & incolatu loci celebre, misso postridie milite, flammis injectis subverterit, cum nihil hinc incommodi magnopere esset metuendum, hoc sacrilegum multis visum est. Eodem tempore scaphas curribus impositas, cum incustoditum hoc crederet Mosellæ latus, subvehere in Eigel conatus est; ut vel pontem illic transituro Crequio sterneret, vel certè noctu impositum militem inferret urbi; sed hi latenti-

Pons Contianus supra Saram à duce Loth. occupatur.

Pagus Uhren à novo Gubernatore cum templo evertitur.

Caequius exiliariis copiis adest.

bus

bus ad Mosellam excubiis malè excepti, sese receperunt. Interea cum castra Crequius, munito utrimque montibus loco, Saræ inter ac Mosellæ confluentes locasset; neque hinc sine magno Cæsarei militis discrimine ejici posset, ideòque hi cis Saram collecti, numero circiter undecim millium, de aggrediendi hostem viâ consultarent; quòd hoc stante nihil tutò in urbis expugnatione geri posset, singulari Dei providentia factum est, ut naves Gallicæ, annonâ militari plenæ, secundo Mosellâ allaberentur, litusque contrà exercitum appulsæ tenerent. Quas ut Princeps Lunæburgicus conspexit, opportunum cum ceteris transeundi Contzianum pontem tempus adesse, hostemq; ex suo recessu extrahendi ansam dari ratus, postquam alium jam quoque infra lapideum, straviſſet occultè pontem ligneum, repentè divisis inter milites Cæsareos, Luneburgicos, Lotharingicos, Trevericos & Monasterienses invadendi hostes partibus, eâ lege, ut Cæsarei, quos illustris miles Marchio de Grana ducebat, plerosq; pedites, & Lotharingici, quorū Dux aberat, illis prævii equites, dexteram alam nostrorum, ad sinistram Gallorum per montes Mosellæ adsitos eniterentur; Monasterienſis verò equitatus, quem exercitatus quoque ductor Granvillerius regebat, explorato, quod tenebant, Saræ vado transmitterent, dextramque ex latere Gallorum alam impeterent. Luneburgici verò mediâ sese post superatum montem planicie, pro corpore exercitus, Gallis, huc utique ad naves suas annonamque tuendam descensuris, opponerent nisi hanc in conspectu perditam vellent, jam enim pro hac excipienda currus iverant. Marchio Crequius Gallorum Dux re cognitâ, magno animo defendendum commeatum suum ratus, neque existimans plenis castris tam subitò hostem, superato flumine, posse in acie paratum consistere, magna spe victoriæ vique tanta Luneburgicis incubuit, ut jam impares retro in flumen adigerentur. Quos ta-

Occasio pugnæ datur.

Primus impetus Gallis felix fuit.

tamen egregia virtute cum Erneſto Oſnaburgenſi Holſtenius ductor ſuſtentabat, inſtaurabatque. Quando Lotharingicus equitatus, ſuperato jam monte, ac dejectis exubiis tormentiſque ſecum tractis, poſitisque in fronte montis ſiniſtræ Gallorum alæ imminentis, machinis fulminare, atque ipſe cum Cæſareis, Trevericiſque, paulò altius montem tranſgreſſis, ſub animoſo Tribuno Barone de Elteren tanta vi ex declivi montis in hoſtem cœpit irruere, ut poſt breve certamen, in fugam equitatus Gallicus & ſiniſtra ala effunderetur, nudaretque reliquorum latera. Illos ergo cum Tabernas uſque perſecuti depuliſſent, reverſi per media hoſtium caſtra prædaſque intactas, à tergo reliquos in acie ſtantes, magnâ ſtrage ceciderunt, Marchione de Grana egregii Ducis militisque partes implente, cum armis quibus gravabatur abjectis, nudum, ſeſe medios in hoſtes ingereret. Intereà & Granvillerius cum ſuis Sarâ transvadato, Gallis in alam dextram improviſus incubuit, nec ſegnius rem egit, tormentis etiam in colle præparatis, ut jam Galli undique armis premerentur, & in ſilva paludibuſque, quas ſuo præſidio delegerant, in capturam adigerentur, premente jam à fronte Lunæburgico victore, & reliquis à lateribus. Hiſpani Luxenburgo in præſidium deſtinati, adeò feſtinatæ aggreſſionis ignari, quæ ex opportunitate properanda erat, adfuêre ſerius, ingenti ſuo dolore. Hi enim, ſi à tergo, quod cogitatum, aggreſſi, viarum, ut poterant, anguſtias obſediſſent totus ad internecionem exercitus corruiſſet. Exitus igitur pugnæ hic fuit, ut poſt atrox trium horarum prælium, disjecto equitatu, peditatúque aut occiſo, aut capto, maxima pars hujus exercitus interierit. Cæſa tria millia, capta duo cum Marchionibus de la Trouſſe, de Sourdis, de Anchure, de Genlise, & Longmaria, quorum tres ultimi graviter ſauciati. Obtenta tormenta bellica X. Vexilla plurima, commeatus totus, ingens, quæ vehebatur à Crequio in

Per ſtrategema circumventi cæduntur.

Maxima pars exercitus & ſuis ducibus pe-

in militiæ subsidium, pecunia, argentea diversorum supellex, Crequius cum tribus quatuorve reperto Saræ vado Saræburgum tenuit. Gallico adhuc firmatum præsidio, quod brevi post Dux Lotharingiæ expugnatum, dejecit, militibusque pro armis baculum tradidit, jussitque Compostellam hoc in habitu peregrinationem simulare, ut rustici transituris parcerent.

Saræburgum receptum.

Inter hæc Generalis vigiliarum præfectus exercitus Electoralis, Wolffgangus Fridericus de Ley, in obsidione urbis tantò periculosiori sorte substitit, quanto milite pauciore, statione potissima ad pontem infrà SS. Martyres stratum fixa. Huic sub vesperam nuntiata per Ducem Lunæburgicum victoria, annulo signatorio in fidei tesseram submisso. Unde terna explosione machinarum grandiorum suprà triginta est triumphatum, ex quibus terror ingens obsidentibus incussus, non solum ob amissam victoriam, sed etiam tot machinarum in se destinatarum tonitru. Et fuisset res paucorum dierum contentione transacta, si tanto in urbem, quanto in campestrem hostem fervore atque impetu debellandum, incubuissent. Sed res geminæ tardare sunt visæ. Prima quidem, quod die sub noctem altero, Crequius Saræburgo per nobilem incolam de Maleise Trevirim, sub specie Lotharingi militis Cæsareana trangressus castra, magno licet discrimine, & uno suorum apud Urbem à Gallicis vigiliis rrajecto, subierit: eo præcipuè consilio, ut fortiter hîc, aut moriendo, aut propugnando, amissæ victoriæ labem expungeret, altera causa ex parte Luneburgici Principis minimè festinantis magis occulta: mihi inter diversas, quæ ferebantur, illa visa probabilior est, quod ulteriorem in Lotharingiam, quam hujus Dux urgebat, & maturatâ victoriâ fortè Cæsar exegisset, expeditionem declinaret. Quâ spe Dux Lotharingiæ fraudatus, incli-

Triumphatum in castris juxta Urbem.

Tardior deinde fuit urbis expugnatio, ob admissum Crequium.

natam senio vitam brevi post in morte deposuit magnum ancipitis fortunæ exemplum.

Ergo die Mensis tertio decimo pleraq; exercitus pars spoliis locuples tedit, quibusdam adhuc Gallos, qui magna equitatus parte post Tabernas ex fugâ se collegerant, persequentibus, donec altera post luce circa Urbem frequentes, Tubicine submisso, deditionem urbis postularent: quâ negatâ ex duobus è monte Martis sugestibus, uno altiore supra amphitheatri viam in vertice, altero ad pectus collis Maximiniani humiliore, orientale urbis latus quati cœpit, cui tertius brevi suggestus ibidem adjectus est, & paucioribus primùm tormentis, deindè quindecim, turres concussæ murorum sunt, suggestusque machinarum in urbe dejectæ, ac paulatim ad muros declinari cœptum. Pons etiam superiorem Mosellæ partem, in insula fluminis D. Matthiæ oppositâ, illud hostibus clausit, aperuitque transituris in utramque partem Germanis. Hunc frustrà & cum clade bis aggressi Galli, licet nullis jam in Uhren castris hostis subsisteret, deindè intactum reliquerunt. Omissâ verò propugnaculi ad domum Teutonicam curâ, cives, quorum bini ex singulis domibus ad laborem vocabantur, in ruinis murorum, per objecta valla, fossasque instaurandis, magno discrimine tenebantur, cum tormentorum ictibus & cives, & puellæ aliquot, discerptæ cecidérint. Neque parcitum Gallis. Ipse tribunus Bovilliers, successor Vignorij, gestorum Consilioque factóve particeps, festo S. Helenæ die, cujus ante octiduum templum incenderat, inter urbis propugnacula obequitans, dum ad orientale latus militem pro excubijs stantem subsistendo tantisper commonet, moneturque de periculo explodentium subinde hostium: Explodant mihi, inquit per ludibrium, in posteriora. Quod, ut dixit, momento grandioris baliſtæ globo, medio tactus corpore, intestinis & posterioribus discerptus, cum e-

Crequium duobus ex suggestibus oppugnari cœpta.

Pons alter supra Urcem in Mosella sternitur.

quo

jacuit: præmium nauatæ in sacris locis diruendis habiturus operæ. Cujus mors tantò plus admirationis habet, quantò minus cautionis, cum fassus ipse in scripto etiamnum relicto sit. Sibi ante annum nocturno à spectro, aspectabili in forma, denuntiatum: dum noctu vigilans in lecto, de urbis contra hostem, qui instare ferebatur, defensione solicitus animum versaret: *Quid te affligis de Treviris? Vrbs capietur, & tu occideris.* Ad quod primo quidem exhorruit; sed post anni dimidium cum hostis imminens urbi disparuisset, contempsit. Expertus tandem, quòd fata nunquam divina fallant. Nihil his tamen commotus Crequius, qui experiri extrema decreverat, de refugio in urbe contra hostem invasorem muniendo, quo suos in periculo reciperet, meditabatur. Hoc in altera urbis parte juxta Mosellæ pontem primò moliri cœpit, variis ad hoc domibus præcipitatis, & vetusto desertoque templo incluso. At subinde mutato consilio summam ædem, quæ & perampla est, & cum Deiparæ perillustri Ecclesia communicato aditu ambituque jungitur, ut par militi præsidiario excipiendo hic locus esset, pro asylo delegit. Huc & annona, & pro equis devectum pabulum, vina etiam in cellam deportata, quin & aqua suppetebat de puteo haurientibus. Quædam adhæc inclusæ Canonicorum domus per palos, stellæ radiatæ in morem, cum loricis circumpositos. Palatium etiam Electoris muris perforatis, pro anteriore ab urbis mœnibus refugio aptaverat. Totus hortus, cum Electoris aula, & conclavibus, quæ orientem meridiemque spectabant, pertusis ad jaculandum muris, patebant. Vicinæ etiam Canonicorum civiumque ac religiosorum domus, ad parem defensionem vel dejectæ, vel instructæ. Ut nihil ad summam curam providentiamque à Crequio omissum fuerit. Sed enim invitis superis, ab antecessoribus nimium violatis, & in ædibus sacris ab ipsomet profanatis, hæc omnia parabantur. Siquidem miles cum ad

Crequius extrema in urbis defensione cogitans, asylum molitur.

extremum cuncta hæc discrimen à Crequio sustinendum videret instrui: ex quo ipse facilius cum paucis, spe ingentis lytri, asservandus, quàm gregarius miles, ferro hostium immolandus, emergeret; valde à suo duce alienatus est, jactatumque: *suorum illum his saluti, quemadmodum in pugna Contziana, consulturum.* Quæsitum etiam: *quâ hac autoritate, cum de regia nil constaret, agerentur?* Ipse nil his (seu sciverit, seu ignoraverit) retardatus solertiæ & ad muniendum se, & ad terrendum frequentibus eruptionibus hostem, nihil omisit, creditque hunc se cunctantius agentem, suis jam terruisse, paratis ad resistendum, & viribus & consiliis; militemque, promisso abs Rege succursu, ad pugnandum animavit. Tubicinem quoque ab hoste submissum pro deditione urbis risit, quod fossis nondum ad urbis propugnacula ductis, nulloque horum occupato, auderet abs se traditionem postulare, antè paulò propius secum marte experiendum esse, quàm de urbe obtinenda cogitandum. Eruptionibus inter hæc frequentibus, ut hostem in ducendis præsertim fossis, & tormentis propius locandis (quæ semel clavis uno in suggestu, sed quam par minoribus, confixerat) fatigabat; ita multos suorum, presertim Anglorum, prædestinationis fiduciâ cœcè irruentium, amittebat. Ut hi tandem, ab eodem gravius aversi, dicerent: *Videre se quod non tam à Deo, quam à Crequio ad mortem destinentur*, ideóque non occultè jactarent, *quorsum contra Cæsarem pugnare cogerentur, cuius hostes non essent?* Accessitque quod capti à Cæsareis, hunc illorum sensum alentibus, non ut hostes, sed amici benignè haberentur, atque etiam cum viatico, & literis fiduciarijs, dimitterentur in patriam.

Subsidia à Rege policitus, militem urget & eruptionibus atterit.

Angli plerisque amissis alienantur.

Dum hæc ultro citróque agerentur, Galli omnes ex hospitiis à Crequio ad extrema urbis evocati, vel pro fossis, vel pro mœnibus custodiendis excubabant: pars etiam ruderibus templi Cœnobiique Maximinia mi imposita, infesta Cæsareis explosione molesti

Galli in S. Maximini ruderibus detenti opprimuntur

erant. Baroni igitur de Elteren, à Generali de Ley commissum, has ut cum suis loco deturbaret. Quod ductis primum fossis, ac deinde festo S. Ludovici irruptione facta adeò fortiter feliciterque præstitit. (Lotharingis ante Urbem sub tormentorum ictibus, non minus generosè succursum avertentibus) ut Gallorum tre centi, aut trucidati, aut capti Sanctorum illic violatorum monumenta, suo sanguine tinxerint. Post hæc denique Germani urgentibus cum Principe Vaudemontio (qui supervenit) & Lovignio ducibus Hispanis, qui ex inferioribus, propiusque Urbem collocatis suggestibus tormentorum muros quatiebant, consilium capiunt propugnaculorum simul omnium ad orientem invadendorum. In mediam verò semilunam quæ præcipua erat, vis tota primùm incubuit, unde reliquis facilè dejicerentur. Præluserunt medio die ad impositi Mosellæ pontis portam, simulato assultu, milites Archiepiscopales, quo dum Crequius cum suis tendit, & vigiliarum mutatio in urbe haberetur, magno numero ex amphitheatri aliisque recessibus per apertos sese effundere campos rustici, cum milite, tum pedestri, tum equestri fascibus omnes onerati visebantur; nec tam cursim, quàm gradatim, neglectis tormentorum ex urbe ac deinde & sclopetorum explosionibus, quibus pauci admodum intercepti juxtà Urbem in campis vix quisquam ruere conspectus est. Pedestris miles suis instructus sclopis ad exteriorès interioresque, superatis fossis, loricas se distribuens, semilunæ postremò defensores in fugam fossasque urbis avertit, quò etiam primo ardore consecutus, exactos foveis ceterisque orientalis partis propugnaculis, in Urbem compulit, quibusdam eodem penetrantibus; sed in frequentiâ concursantium ad arma oppressi, audaciam, interitu luerunt. Foveas cum aliquamdiu victores tenuissent, frequentiáque manualium pyrobolorum ex urbe peterentur, exire non sine clade, à suis ducibus jussi sunt, & in loricis propugna-

Circa meridiem propugnacula urbis versus orientem invaduntur à Germanis, & occupantur.

culorum per circuitum se munire. Quod dum agunt omnes nudatis corporibus, multi illorum (quos ad ducentos censent) priusquam terram fasceisque ad protectionem congererent, occubuerunt, loco tamen vi Cæsareorum retento, & per noctem ad propugnationem abundè munito. Nova hæc res & improvisa fuit, quòd nondum ductis, ut solent, ad pleraquè propugnacula invadenda, fossis cursorijs, quòd pleno die, quòd patente in campo excursio facta esset, quòd muris nondum ad speciem invadendæ urbis dirutis. Hinc ergo ignaviam Germanorum ridere parcius, quàm in strategema, & delusionem suam versam agnoscerent. ut palàm jactarent, pari audacia propediem illos in urbe futuros.

Pluribus infra montem suggestibus tormentorum, muri impetuntur, & timetur à Gallis occupatio, quos plures casus affligunt.

Neque à veritate omen illorum abfuit, siquidem tormentis jam ex summo monte in planiciem, & propius Urbem, ad sclopeti jactum, tribus facilè locis collocatis triplicique præterea ordine in uno amphitheatro digestis, mœnia septendecim jam turribus ejus lateris nudata certatim urgentibus Cæsareanis, Hispano-Trevericis, Monasterienſibus ac Lunæburgicis, caput urbis juxta semilunam impugnantibus, quatuor magnis hiatibus patuere. Cumque primum, à dexteris urbis in fronte, cornu recepissent Angli Germanis ejectis, hi numero auctiores, eosdem vel ad se pellexerunt, vel armis rejecerunt, statione illic firmata. Gallos alij etiam casus affixerunt. Nam semel pyrij globuli juxta palatium in cumulum congesti, semel pulvis tormentarius casu incensus utrobique plures circumstantes sustulit. Hominem etiam ex officialibus ad cuniculum in foveas succendendum, cum aliquâ manu suorum, descendentem, Germani, qui sparso ante ingressum pulvere insidias observatas dolo præverterant, injecto igne fædè, quibusdam consumptis, ambusêre, ut dæmoni, quàm homini similior, ancipiti diu curâ superfuerit. Incendiarijs hic præfectus, malum quod multorum struxit domibus, perpessus est, diu perpetuos inter æstus ad medullas os-

sium penetrantibus, jactatus. Hæc inter Tubicen à Cæsareis adfuit, qui ultimò se deditionem, si salvi esse vellent, dicebat poscere: cui cum Crequius respondisset, quod si amissa sibi in pugna restituere, si captos laxare milites, si denique cùm impedimentis ábire omnibus paterentur, assensurum sese, neque aliis legibus velle. Quæ cum referentur ad castra, Lunæburgicis placuit, vi Urbem occupandam esse dedendamque in spolium victori militi, hac spe propositâ non defore animato militi successum, sed restituere huic proposito ceteri: neque enim amicam Urbem ultima clade multandam, cum Gallis constitutum esset, in extremis, flammam, jam delectis ad hoc incendiariis, Urbi ingerere, seque in refugio summæ ædis loco præmunito tueri: promovendas igitur mœnium pro facili aditu ruinas, & æquis, si possint conditionibus adigendos, ne cives, tantùm hactenus passi, exitio simul ultimo involvantur. Gallicus in urbe miles idem urgebat, cumque recusaret Crequius, indignati quod magno jam suorum imminuti numero, omnes in casum ultimum servarentur, legatos pro pace ex æquis legibus discedendi miserunt. Sed hi, quod nec salvo exeundi conductu ante impetrato, nec Gubernatoris Crequii voluntate adessent, ceu captivi primùm manere jussi, deindè tamen concesso armistitio horarum aliquot, postquam ultro citroque missum pro Crequii assensu frustra esset, ut quisque cum rebus suis miles urbe excederet, repentè à Cæsareanis, omni in muros tormentorum vi fulminatum est. Ut, cum jam ad invasionem (quam Germanis irritam fore Galli non credebant) spectarent omnia, palam in foro Crequio miles contradiceret, cumque stricto gladio obloquentes quosdam persequeretur, juberetque equites, dispositis per summæ ædis stationes equis, descendere, plures, strictis vicissim gladiis recusarunt, seque Regi pro muris & in campo, non pro templorum profanatione servire dictitabant. Tum marchio adducto in forum peditatu, equitibus, ni parerent, vim minatus est. Sed & illis ad

Intus foriſque de modo deditionis disceptatur, magno urbis spoliandæ & incendendæ discrimine.

Crequio miles, deditionem flagitans, repugnat.

hoc servitium invitis: cùm proclamarent; *quâ autoritate hæc auderet? & quis illum urbicæ huic militiæ præfecisset?* nihil ultra molitus, *vec vestrumet vos*, inquit, *ferro vestrum interire*, singulosque ad suas stationes redire jussit.

Reconciliatur, & ad summam ædem cum thesauris, hominibus & equis se ussi recipiunt.

Actum manè à quibusdam militiæ proceribus de conciliandis cum Duce suo equitibus, culpaque non iniiti Tractatus, in Cæsareanos rejecta est. Ergo supplices de genibus facti veniam orabant, seque ad ultimum propugnationis discrimen offerebant. Et Marchio, *non solum ignoscere se errori, sed & in fronte ait futurum propugnatorem testatus est, neque adhuc ad extrema deventum, & hostem semel repulsum, de quo confidat, iteratò non facile irrupturum tam luculenta clade ob impedimenta posita multatum iri.* Quod considerantes hæc ipsa postea Cæsareani, rectè sensisse Crequium sunt fassi, divinæque magis providentiæ, quám consiliis humanis hanc consternationem Gallorum suamque victoriam tribuerunt. Et verò illud, vergentibus ad extrema rebus, magis eminuit. Ibatur jam à Gallis ad Summæ ædis, haud procul à muris ruptis dissitæ, refugium: illuc adducta in propugnationem tormenta, illuc transporrati militares thesauri & quidquid cuique rarum, illic stabulabantur equi, dormiebant homines, & cæteris obstructis lapide aditibus duo tantum unus ad muros, & ad forum alter patebat. Vidimus equum colore griseum neque de grege, ad summam ligatum aram, & ex illa pabulantem, quem eadem nocte mors subita fulminavit, sequenti, quarto Septembris die, extraxêre pro canibus: vidimus perfusum undique pavimentum sacrum fimo ac sordibus ut Luneburgici hoc spectaculum detestati ad nos dicerent, *Talia perpetrant milites Christianissimi, quæ si facta à nobis essent, diceremur Achristiani.* Et displicuisse Superius manifestum est. Cum enim nocte illa & die insequenti pyrobolis (quibus & Palatij ala exterior, cui equile subest, succensa, tecto tenus periit) & tormentis adeò strenuè pugnaretur, ut neque stare il-

Equus ad summam aram stabulatus mortuus concidit.

lic miles ad iustaurandas præmuniendasque ruinas posset, & jam longis tractibus muri paterent, cuniculis etiam obsidentium geminis detri bata valla, cum triginta facilè Gallorum illic consepultis, foveas complêssent, ut inter duas turres, Hispanis præcipuè apertus planissimus esset, quà equites quáque currus transirent, aditus: Gallicus iterum intrà Urbem tumultuari miles (qui ex quinque millibus dimidiatus non supererat) & se quoque lanienæ præsenti tradi, vociferatus est, ut Crequius demum suos non minus quàm hostem formidans, in acceptandas traditionis leges consenserit. Itaque datis ultro citroque obsidibus missisque pacificatoribus agi cœptum est. At verò jussi Galli ad arbitrium se dedere, aut extrema experiri. Quæ tamen lex post longas moras, alternataque nuntia, ita mitigata est, ut pedites equitesque sine armis excederent, solis tribunis & Capitaneis, cum equis geminis, liceret ire; ægris commeatus in navibus Metas daretur, obsides Metenses redderentur, Crequius cum Commissariis, & primis legionum præfectis, captivi lege belli manerent. Quas ut ajebat, turpes adeò conditiones, cum subsignare detractaret Crequius, diesque sextus Septembris ad decimam horam vergeret, quâ parati ad exitum stare milites jussi: Angli qui eventum ex cunctatione, infelicem præsagiebant, à Germanis utrimque pro excubiis ad murorum ruinas stantibus invitati incolumes excesserunt, & cum sarcinulis dimissi in Hollandiam descenderunt, Crequium ferunt excedere conatum, cum equitatu; sed præclusa jam viâ, serius. Interea cum reliqui militum desertis excubiis in foro collecti ad egressum, ut sperabant, dandum starent. Germani per apertas ruinas, recessusque ex foveis in Urbem repertos intrant, lapsique ad S. Simeonis Portam (quæ Ecclesias diruas spectat) hanc perfringunt, & equitatui ingressuro viam pandunt. Qui recta in forum progressi, collectam illic Gallorum sine armis militiam, invadunt, spoliant, atque ante se, togis plerosque nudatos, ad novam portam pro exitu impellunt. Quâ etiamnum à Gallis cu-

Crescente periculo tumultuatur rursus miles & Crequius permittit cum hoste paciscí.

Anglis fuga ab hoste indulgetur.

Quam Crequius frustra quæritat.

Germani in Urbem penetrant nondum subscriptis conditionibus.

ſtodita, dum hæc panditur, intus foriſque Germanis impellentibus, incenſa pyrobolorum eſt magna vis in ipſo portæ aditu defoſſa, tectaque velut ad inſidias, quâ multi Germanorum Gallorumque non pauciores miſerè dilacerati ſunt; Ut proinde illi in hos ut autores furere partimque trucidare, part m denudare omnibus,& ultro citroque circum agere, nullo jam miſerante cœperint. Ambiguum tamen manſit; ſtudióne an caſu hic ignis injectus ſit? cum ipſos incenſores ſuſtuliſſe videatur. Crequius inter hæc ſuſque deque, ad requirendos ſuos, obequitans, à comite de Lippia comprehenſus eſt, oblatuſque Lunæburgico Principi, qui in cuſtodiam ad Electorem Confluentiam tranſmiſit. Intendens & Commiſſarij plures intercepti, nudatique aliqui etiam ad cutem, omnibus. Nam miles invaſor ſpoliis paſſim militaribus intentus fuit. Qui feliciores ex his erant, in ſummam ædem irruêre, ubi optima quæque depoſita, perfractoque choro Principis, vaſa aliquot argento auroque repleta invenêre, civibus in partem etiam prædæ convolantibus, ſed pleriſque iterum ac obvio milite ſpoliatis. Qui theſauris propriores fuere, refertis argento pileis in retro ſtantes effündebant, ut ipſi de fonte haurirent largius. Regiæ pecuniæ ad 80 cenſuêre millia, aliorum æſtimatio incertior eſt. Inde in domos, ubi Gallorum opulentiorum habitatio fuerat, & Judæorum (quos pyrobolos de muris vibraſſe falsò jactatum eſt) impetus factus eſt, nec religioſorum civiumque domibus, prætextu latentium Gallorum abſtinuere, donec Generalis Vigiliarum præfectus à Ley, qui Electoris nomine urbi præfectus erat, interdicto cuſtodiâque militari ſuorum, vim omnem prohibuit, ac pacificè Urbem moderari, violentiâ omni ſubmotâ, cœpit. Galli verò, ut aliàs ſæpe, ita & nunc experti ſunt; nullo ſuo emolumento, cum damno ſemper, occupatos Treviros; ut hic lapis offenſionis eorum videri poſſit, & Ciceroniana illa cautio haud incongruè populo Gallorum data videatur. *Treviros, quia capitales ſunt, vites.* FINIS

Galli omnibus nudati, & captus Crequius.

Theſauri Gallorum in ſumma æde direpti domus non paucæ ſpoliatæ & Judæi malè tractati.

INDEX.

A

ABsalon Abbas Springirsbacensis clarus scriptis & introductione disciplinæ. pag. 447

Ada soror Caroli M. Deo devota ad S. Maximinum sepulta varia donat: 217

Adhela filia Dagoberti bona sua testamento legat Palatiolensi Ecclesiæ. 174

Adulterium purgare studens sumptione SS. Synaxeos distorto ore maxillaque cœlitus punitur Episcopus. 330

Purgatur igne innocens, punitur nocens. 297

Adelbertus è S. Maximino cum aliquot sociis ad Rhutenos convertendos missus malè excipitur. 274

Episcopus Magdeburgi constituitur cum pallij Româ accepti dignitate. ibid.

Advocatus in S. Servatium injurius ab ursa occiditur. 334 Alius punitur. 319

Adolphus Nassovius cliens Ecclesiæ Trevirensis fit Imperator. 493

Temerè pugnans ab Alberto occiditur. 495

Aethiopes Dominicani veniunt Treviros. 631.

Agni Dei ex collo virtus. 639

Agrippina uxor Claudii Imp. Coloniam Ubiorum ex nomine constituit. 49

S. Agritius impensis Constantini & Helenæ varias Ecclesias excitat 75.

Aichspalter ignobilis Treviris in summa æde Canonicus repudiatus, Archiepiscopus Moguntiæ postea factus. 495

Albero Archiepiscopus castrum Arras ademptum recipit & Nantersburgum solo æquat: 389

Eidem jus advocationis in Abbatiam S. Maximini Conradus III. Imp. defert. 390

Eidem contrarius Innocentius Papa cum Henrico comite Lutzenburgico Maximianos tuetur. 391

Idem jus suum in Suffraganeas Ecclesias S. Bernardo favente propugnat. 391

Confluentinis Præpositum eligentibus se opponit, sed inconsultò literas Papæ discerpens excommunicatur. 394

Maximianos sibi obluctantes loco

co submovet aliosque sub Sigero introducit favente Cœlestino Pontifice Innocentij successore. 395

Monstrata cruce, super quam Palatinus juraverat, eum consternatum supplicem fecit. 401

Albigenses in gallia hæretici dominantur. 441

S. Ambrosius Treviros legatus mittitur. 95

Ambrosius S. Ambrosij pater præfectum Treviris agit. 77

S. Ambrosius noluit communicare cum Episcopis tribunal Imperatoris sequentibus. 96

Ambarvalia in siccitate Treviris instituit Egbertus Archiepiscopus. 290

In ijsdem jussit baculum S. Petri ab aliquo Canonico præferri. ib.

Amor philtro conciliatus autores perdit. 315

Amphiteatri rudera adhuc visenda Treviris. 8

Anabaptistis, sub Leidano rege ficto, monasterij invalescentibus se Episcopus Trevir. cum aliis opponit, 644

S. Anscharius Corbeiæ monachus Danos ad fidem convertit. 217

Primus Hamburgensium Episcopus constituitur. 220

Annulus receptus ex pisce signum receptæ gratiæ. 161

Apparatus principalis Caroli Audacis Treviris. 604

Aquæ ductus Treviris varij. 7

Admirabilis ex Eifliæ fontibus. ib.

Arnoldus Blanckenheimius Coloniæ ludis equestribus cum Gerhardo comite Montensi congressus uno momento uterque se hastâ trajecit. 540

Arnoldus Archiepiscopus fundator Parthenonis S. Agnetis Treviris. 476

Arnulphus Episcopus Metensis ab aula ad eremum transit annulo ex Mosella recepto felix. 161

Arlunensis Marchionatus Ecclesiæ Trevirensi devinctus. 331

S. Athanasius biennio Treviris amicè habitus restituitur. 79

Attalus apud Treviros illustris adolescens captivus mirè eripitur. 127

Attila ab Ælio Rom. Duce memorabili prælio vincitur, fugaturque. 115

Effusus in Italiam à Leone Papa occurrente sistitur. 116

Ausonius præceptor Gratiani Imp. ab eodem Treviris præfectus, & Consul fit. 91

Austrasiæ Regum Sedes Metæ, Treviri, & Rheni Metropoles. 125

S. Augustinus ex historia aulicorum Trevirensium conversus. 96

Aureæ Vallis asceterium Canonicis primum Regularibus, Cisterciensibus subinde Religiosis attributum. 367

B.

BAccharacensis thesauri è templo ablatio cœlitus punita. 523

Baculo non utitur Papa in Germania nisi Treveris, quod eò transmissus à S. Petro fuerit, ad excitandum S. Maternum. 287

Baculus S. Petri, quo suscitavit S. Maternum dimidiâ inferiori parte Ubiis concessus, dimidiâ superiori parte Treviris redditus. ib.

Baculo S. Petri olim solennia decreta signata. 288

Balduinus Archiep. Trev. non procul Travernebaco à vidua Spanheimen-

heimensi miro stratagemate captus. 516
Carthusianos PP, Treviris primum, Confluentiæ subinde recipit. 518
Balduinus Flandriæ Comes præficitur Byzantino Imperio, quo Latini post. 58. annos Græcorum perfidiæ rursus exciderunt. 436
S. Barbara Treviris è suo fonte scabiem abstergit. 708
Bassula consularis vidua ex Aquitanis Treviros delata filiam suam Severo Sulpitio in matrimonium dat. 105.
post filiam morte sublatam, generum suum ad mundi vanitatem spernendam induxit. ibid.
Beatus & Banto Treviris sacerdotes. 162
Bellum sacrum D. Bernardus suadet. 397 plures adeunt. 358
S. Benedictus in Italiæ monte Cassino Ordinem instituit, qui per Maurum Faustumque discipulos in Galliam & Treviros usque pervenit. 130
S. Beati Mons prope Confluentiam primo à Benedictinis tum à Canonicis, tertiò à Carthusianis PP. occupatur. 518
S. Bernardus Rodulpho Monacho suasit potius in templis concionatorem, quàm in campis ducem militum agere. 397
Post Ludovicum Galliæ regem etiam Conradum Imp. ad bellum orientale diversis miraculis excitat. 397
S. Bernardus religiosos suos primum in Aurea Valle, tum Wintersbachij, denique Himmerodij fecit sedem figere. 387
S. Bernardus Boppardiæ paralyticum sanat & Treviris in ipso urbis vestibulo cœcum luce restituit, & ibidem claudis gressum, surdis auditum reddit. 398
Bernea stellum occupatur à Poppone & diruitur. 307
Bertramus Borscheti dominus cum socero advocatus S. Willibrordi, ob malè actam advocatiam, à Deo punitus. 319
Bruno Archiep. Trev. ab officiis movet, quotquot sacros ordines ab Egelberto schismatico acceperant 361
Injunctam à Papa pœnitentiam, ut per triennium sine Dalmatica sacris operaretur, demississimè exequitur. 362.
Errore Berengarii contaminatos quaternos comprehendit, quorum unus abiurata hæresi solum constans. 369
Bruno Comes de Monte Archiepiscopatum Trev. fugit. 382
Bonifacius VIII. Româ in Galliam Avenionem sedem transfert 409
S. Bonifacius à Gregorio Papa in Hassiam mittitur. 181
Bullionio Duci ad bellum Turcicum parato militaturo se adjungunt Franci, & Sigemarus à Machrâ & Henricus ab Ascha, Nobiles Treverici. 358
Burichij, in agro Sarburgensi B. V. Mariæ Imago miraculosa. 630
Burgundiones Rheni accolæ plerique fabri lignarij. 12
Ex desperatione cladis ab Hunnis factæ ad Romanorum Deum transeundum statuunt baptismateque à Severo Archiep. Trev. initiantur. ibid.
Bursfeldensis disciplina plerisque locis

eis à Benedictinis PP. recepta. 573

C.

CArolus Casparus à Petra in electione plurium votis Prælatus. 801
Canonici Trevir. summæ ædis vitæ pertæsi communis, separatis familiis libertatem amplexi. 283
Horum exemplum secuti sancti Paulini Treviris, S. Castoris Confluentiæ, Moguntinenses, Wormatienses, Spirenses eodem traxerunt. 283
Capucini PP. suscepti Treviris. 721
Carolus M. mensibus ad Lunæ cursum duodecim, annum, & eosdem nominibus consuetis, distinguit. 204
Prumiæ & Aquisgrani Ecclesiam absoluit. 205
Inter virtutes, vitium carnis habuit, pœnitentiâ deletum. 205
Aquisgrani basilicam erigit. 205
Bellum Hungaricum aliquot annis cum gentis excidio ducit. 203
Alcuino præceptore dirigente Parisiis Academiam excitat. 205
Ejus duo filii simultatem posuerunt ad S. Goarem. 210
Carolus M. neglectum reverentiæ S. Goari præstitæ luit & expiat. 210
Carolomannus abdicato dominio fit Monachus. 188
Carmelitæ beneficio viduæ Margarethæ Treviris recepti. 490
Castitatis amore integrum Monasterium Treviris intra 30. dies extinctum. 243
Castitas conjugum. 313
S. Castoris Collegium Confluentiæ à Ludovico Imp. fundatum. 218
Castrum diœcesi Trev. intra Leucam non opponendum. 520
Cella Coronatorum Romæ cum omni proventu Archiep. Trev. datur. 281
Chrodegandus Metensis Episcopus Archiepiscopale pallium personæ non cathedræ acquirit. 194
Christi fides victoriarum causa in Clodovæo 123. & Constantino. 70
Christina Regina Suecix puella patri substituta bello præest. 762
Clavi Dominici Treviris Custos inductus fuit à Brunone Archiep. Colon. ut cum liateo exceptum templo efferret; sed sanguine hinc manante terretur. 278
Clavo Dominico Treveris similem efformat Theodoricus Episcopus Metensis, & Treverensem intra manicæ sinus abstrahit, sed manante hinc sanguine proditur. 317
Clotten pagus ad Mosellam adjudicatus Abbati in Brauvveiler S. Wolphelmo. 388.
Clementia Comitis Hohenbergensis filia Crafftoni Spanheimensi desponsa religionem cum sponso ad hoc inducto amplexa. 402
Clodovæus Rex Franorum adhuc gentilis in S. Remigium beneficus. 125
Per Clotildem conjugem informatus, Christo fidem in discrimine pugnæ addicit. ibid.
Rhemis solenni baptismate initiatur, allatâ per columbam ampulla, unde hodiedum Reges consecrantur. ibid.
Gothis devictis regnum Tolosanum occupat. ibid.
Clotildis miraculo pacem impetrat filiorum & Nepotis. 113

Co-

Colonia Trajana apud sanctos fundata. 50
Concilium Tridentinum Trev. admissum. 669
Conjugium infelix. 336. felix. 68. & 313
Conradus è Comitibus de Phulinga ex Præposito Colonie nsi Archiep. Trev. proponitur, sed repudiatur à Clero. 341
Ex alta rupe Urzichio proxima dejicitur tertio, sed innoxius semper descendens strictis gladijs à parricidis interficitur. ibid.
Ejus parricidæ, uno excepto, omnes à Deo puniti. ibid.
Constantinopolitani templi nobilissima spolia delata Treviros per Henricum ab Ulmena nobilem Trevirensem. 423
Consules Treviris anno 1442 primùm cœperunt. 584
Cometa anno 18. belli prænuntius. 725
Cometæ duo mortem & irruptionem nunciant. 223
Confluentia cum agro Meinfeldico Archiepiscopatui Trevir. jungitur. 308
Constantinus pontem Rheno imponit, & Trevirim egregiis ædificiis ornat. 70. Contra Maxentium visâ apud Treviros cruce cœlesti animatur. 70. Lepra percussus baptizatusque mundatur. 72. in Oriente Constantinopolim erigit. 76
S. Cornelij Papæ caput Treviris asservatur. 60
Crux cœlitus oblatâ victori militi. 431 donum 437
Crucibus Treviris pluit, quæ vestibus adhærebant. 272
Crucis signum pro sceptro Rudolpho Imp. 481. In harum recordationem Henricus Archiepiscopus crucem in foro lapideam erigit. ibid.
Cuno Malbergensis castri dominus, Hemmerodii Monachus, feria sexta sibi moriendum Abbati indicat. 431. Abstracto equo de armento sibi commisso, Comitem Isenburgicum ad Dei tribunal provocat. 431
Curiositas in toga Christi scrutanda plectitur cœcitate. 430

D.

DAda S. Arnolphi conjux Treviris velata. 163
Dagobertus Rex postulante Heraclio Judæos regno proscribit. 164. Irminæ filiæ Christo desponsæ horrea sua cum amplis possessionibus donat. 165
S. Maximini Asceterio amplissima prædia ad centonarium numerum alendum donat. ibid. Clodovæo ex Mantilde suscepto se ad pœnitentiam confert. ibid. Moriens ab Antistitibus petit tribus à morte annis quot hebdomadis tria sacrificia, 166
Dani Moguntiæ baptizati. 217
David Hemmerodensis Monachus proscriptos Monasterio Religiosos abitum parantes, retinet, propositâ ope DEI ad vesperum adventurâ. 415. Ejus sanctitate conspicui Zona puerperis salutaris. 420
Democratia Urbium Episcopalium restricta. 457
Dens S. Joannis Baptistæ Comiti Seimensi deliranti mentem reddidit. 438

Dens S. Petri argenteæ ſtatuæ incluſus. 530
Diaconus Virdunenſis, interceſſione B. V. reſuſcitatus ſeveram pœnitentiam agit. 264
Dominicani & Franciſcani in Trevirenſem ditionem admiſſi, egregiis viris excellentes. 452
Domus Probationis Societatis Jeſu conſtituta Treviris. 703. Ejus Tyrones theſaurum inveniunt. 745
Dorſtenſonius ex Dania victor geminam cladem refert de Cæſarianis. 786

E

EBerhardus Archiep. Trevir. Judæos, niſi converterentur, urbe moturus, abijſdem magicè in cerea ejus effigie conſumpta toſlitur. 339
Eberhardi Cluſæ infra Treviros B.V. miraculoſa, 587
Eberhardi Cluſanæ Virginis ope nobiles Trevirenſes captivi è vinculis exempti. 620
Egelbertus Archiep. Trev. ſchiſmaticus. 351
Ehrenbreitſtenium apertum Gallis. 760
Fame à Joanne de Werdt rurſus expugnatum. 773
Eiflia Monaſterium mergitur per nubifragium cadaveribus ad 4000. paſſuum inundatione projectis. 569
In Eiflia Ludovicus Dudelfelſius Nobilis Parthenonem excitat B. Thomæ Cantuarienſis ob celebria occiſi miracula. 417 Eccleſiam in honorem Divi Conſecrat Theodoricus Archiep. 451
Eliſabetha Gorlitzia Bavariæ & Lutzelburgiorum Princeps, ingrata ſuis, quod Burgundo Ducatum vendidiſſet, per ultimum ſeptennium miſerè Treviris vivit. 584 Sepelitur in templo SS. Trinitatis juxta Altare ſummum ubi ejus Epitaphium. 585
B. Eliſabetha Schonaugienſis conſulta de reliquiis SS. Urſulæ & Sodalium. 408
S. Engelbertus Archiep. Colonienſis à Friderico Comite Iſenburgico occiſus. 453. & à Deo vindicatus. 454. Epiſcopatum Trevirenſem fugit comes. 382
Epiſcopus Trevirenſis per Galliam primas. 41
Epternacum à Batavis invaditur, Abbasque non niſi magno lytro dimittitur. 695. Ibidem proceſſio ſaltantium ad S. Willibrordum feſtis Pentecoſtes. 186
Epternacenſis Abbatiæ principia à S. Willibrordo 175. Abbatiæ jus Monetæ cudendæ Otto III Cæſareo diplomate induget. 283
Eremus Epiſcopatui piè præfertur 161. Eremus in Urbe. 317
Erneſtus Landgravius Haſſiæ cum conjuge fidem complexus orthodoxam. 774
S. Eucharius cum SS. Valerio & Materno Trevirim à S. Petro miſſi. 39 Maternum in Alſatia mortuum excitat, poſt 40. dies baculo S. Petri. 39. ſacrificulos à Deo punitos ſanat, 40 Viduæ Albanæ filium reſuſcitat, eumque cum matre & aliis baptizat. 41
SS. Euchariſtiâ paſta puella duodennis per triennium alium cibum reſpuit. 217

Eucharistiam indignè sumens igne correptus conflagrat. 264
Illusor ejus morte punitus. 689
Eugenius papa Treviris honorificè exceptus. 399
Excommunicati panem canis recusat. 355
Exemplum vita principis est. 655

F

FAmes & sterilitas in Germania per 6. Annos. 324
Ferdinandus II. pervincentibus Catholicis Rom. Rex electus, & coronatus Francofurti. 724
Ferdinandus filius Ferdinandi II. Wallensteinio sublato præfectus, Ratisbonam capit, ad Nordlingam de Hornio & Wimarienſi triumphat. 766
Filii impii Ludovici Pii rebelles puniuntur. 221
Flagellantium secta exterminata. 531.
S. Florinus apud Rhætos natus, apud Confluentes celebratur. 308
Folcardus in S. Maximini Asceterio doctrina & virtute clarus. 394
Franciscus nobilis à Sickingen varias ditiones cum Trevirensi vastat. 633. Lethaliter saucius ad pœnitentiam ritu Christiano expiatus redit. 636
Freusbergensis Satrapia cum Veldensi comitatu ad Treviros & fidem accedit 744
Fridericus Imp. cum filio Maximiliano & Carolo Audace magnificè Treviros ingressus & exceptus. 603. & seqq.
Fridericum Palatinum cum conjuge Elisabetha loco Ferdinandi regis Bohemiæ coronant Bohemi. 726
Fuldense Monasterium S. Bonifacius inchoat. 188

G.

GAlliarum Rex pro Imperatore eligendus proponitur. 632
Galli Dunkerka aliisque locis potiuntur. 790
S. Gereon cum sociis Coloniæ Martyrio affecti. 75
B. Gertrudis B. Elisabeth Landtgraviæ Hassiæ filia, Aldenbergensi Parthenoni Præfecta. 476
Germaniæ proceres Romanæ sedi adhærentes Henricum potestate imperandi suspendunt. 349
Germania per sexennium sterilitate, fame, & peste afflicta. 324
Gibellina & Guelfica factio per Italiam 460
S. Glodesindis Virginis corpus imminentis adventitatis tempore oleum, ceu lachrimas, ab oculis fudit. 245. Publicè per Angelos Christo desponsatur. 163
Godefridus Bullionius Hierosolymæ à se occupatæ Rex salutatur. 359
S. Goar in honorem Deiparæ Oratorium ad littus Rheni excitat, hospitalitate, aliisque virtutibus clarus. 126. Ad tribunal à Rustico Episcopo Trev. citatus hunc perinfan. em reum agit. 138 Ad Archiepiscopatum declinandum febrim septennalem à Deo exorat. ibid. Pallium suum in solis radios projicit, in quibus ut in trabe hæret. 140. Ejus nova Ecclesia imbre non tangitur 194. Ejus Ba-

Basilica solenniter, nec sine prodigiis, consecrata. Ejus contemptores puniti. 197. Eum præternavigantes impune non negligunt. 216. Suardum Procuratorem regium, postquam & contumeliis & immeritâ exactione gravâsset, sui oratorii clientes in somno verberibus plurimis mulctavit 210. Eundem sanitati rursus integræ restituit, præter unicum vulnus in genitalibus. ibid.
S. Goaris oppidum dat Prumiensis Abbas Hoinsteniis & Cattimelibocis beneficii loco, unde ad Landgravios Hassiæ transiit. 427
S. Goar Ludovici Imp. podagram levat. 222
Gratianus Imp. Græcis Latinisque Professoribus lautâ Treviris dat stipendia. 92. Navicularis prærogativam nobilitatis decretam confirmat. 93
Goslaria Urbs in Brunsuicensi patria accipit corpus S. Valerii Episcopi Trever. pro quo accipit Monasterium S. Matthiæ Vilmariam ad Loganam. 331

H.

Hassiæ Landgravius dolo hæretici inductus arma contra Ecclesiasticos principes sumit vixque à Richardo Archiep. componitur. 640
Hæretici perduelles à Joanne Archiep. Trevir, solo exilio mulctati in gratiam principum 667
Hastiludium infelix. 540
Hæresis Arriana oppresso Ethnicismo invalescit. 78
Hæretici aulæ Regis Gal. submoti. 677. Urbe Trev. submoti. 661
Heinsbergæ in terra Juliacensi castrum regale excitarum. III.
S. Helena Treviris Constantinum ad fidem convertit. 68. In Orientem profecta reliquias insignes adfert. 72. Moritur Romæ, & illic magnificè sepelitur. 76
S. Helenæ memoria ex pago Uhlen ubi nata creditur ad Metropolitanum templum translata, 18. Augusti celebratur: ibid.
Henricus comes Palatinus, conjuge, propter quam Monasterium deseruit, interfectâ insanit, & Epternaco includitur. 335
Henricus ab Ulmena Eques Trevirensis, victor redux Byzantio, templo S. Matthiæ particulam Crucis ad 8. digitorum longitudinem donat. 437
Henricus Imp. moriens Gronæ in Saxonia Cunegundem uxorem virginem relinquit. 313
Henricus Imp. S. Heriberto Archiep. Colon. malè offensus conciliatur. 311
Henricus Comes Limburgensis excommunicatus buccellam panis porrigit cani, qui cum illam respueret, pœnitentiâ ductus, veniam supplex petit & liberationem. 355
Henricus Comes Lutzenburgicus cum Alberone Archiep. Trev. coram Imperatore per D. Bernardum conciliatus. 396
Henricus Comes Seinensis de hæresi suspectus coram inquisitore Maspurgio Dominicano se gemino judicio purgat. 451
Henricus Seinæ Comes gigas. 435
S. Hieronymus Treviris studet. 90
Hermannus de Woda Archiep. Colon.

Ioh. seductus à Bucero. 650
Hildolphus Trevir. Archiep. fit Eremita. 194. Exemplo suo Erhardum Ratisbon. Episcopum ad idem solitudinis genus provocat. 194
Hildegardis Virgo neglectæ pietatis & justitiæ arguit Trevirenses eisque ingrata denuntiat. 412
Hildegundis Novesiana Virgo juvenem mentita Schönaugiæ in Monasterio sub Josephi nomine recipitur. 423. Mirabiles expeditiones pro Trevirensi Ecclesia suscipit. ibid. Non procul Augusta ob furtum suspecta ad supplicium insons rapitur, laqueo damnata, & post biduum præcisa vivere deprehenditur. ibid. Inde ab Angelo Custode Veronam ad Papam ducta monetur solum sibi restare vivendi biennium. ibid.
Himmerodii florent Walterus de Birbach cultor B. V. aliique. 431
Himmerodienses in pauperes liberales. 431. horum liberalitatem compensat Deus per Gerardum ad S. Simeonem Præpositum, qui moriens 600 argenti libras Himmerodiensibus legavit, ex quibus 100 largiuntur pauperibus. 431
Himmerodii philomelas D. Bernardus in lectione precum jussit conticescere. 295
Hirundines ex summa Æde Treviris proscribit Egbertus Archiep. 295
Hillinus Archiep. Trev. novum privilegium obtinet in bona Cleri morientis. 404. D. Bernardi ope pacem inter Virdunenses & Metenses conciliat. 406. Confluentinam arcem & alias munit, & illam puteo altissimo instruit, 414
Homicidium graviter à Deo vindicatum 342. & 454
Honores fugere. 138. & 382

I.

Jacobus ab Eltz Archiep. Trev. tota diœcesi Tridentinum promovet. 676. Patres Societatis Jesu ex ruinosis ædibus in frequentiorem locum traducit. ibid. Elisabetham Maximiliani Cæsaris filiam Carolo IX. Galliarum Regi adducit. 677. Aulicos hæresi infectos amovet. ibid. Administrandæ Prumiensis Abbatiæ jus accepit confirmatum. 680 De intentata morte Ob revocatam Prumiensem disciplinam lætatur. 686. Urbem Trevirensem suæ libertatis studiosam obsidet, suique juris facit. 675
Jacobus à Sirk Archiep. supremi per imperium Cancellarij munus obtinet. 584.
Ingelheimium haud procul Moguntiâ sedes Caroli Magni. 199
Joannæ Romæ ficti Pontificis fabula. 229
Joannes Archiep. Stratagemate Viennensem Comitem ad Erangium superat. 439
Joanna Virgo rustica ex agro Tullensi Gallos ab Anglis liberat. 576 Post multas victorias capta ab Anglis, ceu venefica, flammis exusta. 576. Eadem fictè rediviva Udalrico à Manderscheidt Comiti per schisma elato contra Trevirenses debellandos se offert; sed fuga se & manifestis sceleribus prodidit. 578
Joannes Trithemius Abbas Spanhei-

heimensis, ex cognomine ad Mosellam pago ortus, discussâ omnis Magiæ infamiâ celebratur ingenio & eruditione recondita. 622
Joannes ab Isenburg Archiep. Trevir. publicè in provinciali Synodo proponit, quid in se emendandum sit cujus exemplum secutus Nicolaus Schinen Suffraganeus, tum ad Abbates alios deventum 655.
Joannes à Petra Archiep. Trev. PP. Societatis Jesu ad Academiam evocat. 667
Joannes I. Muris Urbem Trevirensem claudit & omnem diœcesin castellis munit. 426
Joannes II. Ecclesiæ disciplinam à Monialibus S. Agnetis orditur, quibus alias substituit Bonnâ vocatas, sub disciplina & cura Cœnobitarum Eberhardi Clusanorum. 596
Joannes V. ad concilium Trid. proficiscitur. 656.
Joannes VI. Confluentinos motus supprimit. 668. Concilium Trident. finitum admittit. 669
Joannes Bavarus primùm Leodiensis Episcopus ducta Elisabetha Gorlitzia fit Dux Lutzenburgicus. 567. Cum Gorlitzia conjugecivitate Trevirensi donatur. ibid.
Joannes VII, dictus à Schönenberg spurium Friderici Palatini illusorem Venerabilis Sacramenti ignibus addicit. 689. Deprecantem delictum, & publicè adorantem Eucharistiam mitiori capitis supplicio afficit. ibid. Sanctimoniales extra Urbem S. Medardi sociat in Urbe S. Agnetis. 690. Truchsesium Colonienſem Archiep. Apostatam studet retinere. 687. è medio tollit veneficos, & in his Prætorem Urbis Magiæ convictum. 692
Veneno appetitus à veneficis per puerum incautè prodentem liberatus; quamvis aliquid mali adhæserit, cum Agnum Dei fortè noctu è collo deposuisset. 689.
Joannes Olevianus publicè contra fidem Romanam declamat lanificibus & sartoribus adhærentibus 663. Obsistunt maxime tribus doliaria & nautica 665
Joannes Stoussius Consul Oleviano domum hospitalem S. Jacobi aperit & palam ad dicendum producit. 664.
Judæi Archiepiscopum tollunt. 339
Adolescentem crucifigunt. 488
Judæi male tractati a civibus Trevirensibus, vel semetipsos occidunt, vel simulatè fidem fatentur, 358.
Juliacense bellum originem capit post ducem Juliæ Willhemum defunctum. 712
de Juliaco Brandeburgici cum Neoburgico Principe certamen. 714
Julia & Montes Neoburgico, Clivia Brandeburgico Principi cedit; ib,
Julius Cæsar profectus in gallias contra Arioviſtum. 16. apud Treviros Romanorum socios castra metatur. 17, Romæ dictaturam accipit & hostes cædit, 23. Ut tyrannidis affectator cæd tur. 15
Julianus Cæsar S. Martinum Deo militaturum, ob metum impendentis altero die certaminis retinere conatur dedentibus se, sine pugna, hostibus liberum Martinum dimisit. 84
Jurantes falso ad D. Maximini sepulchrum puniuntur. 131

L.

LAmpades semper ardentes. p. 11
Lacense Monasterium & templum assignatum PP. Benedictinis adjuvante D. Hedvvige, Domina Nickenichii. 357
Leges variæ in jure Treviris latæ. 89
Leopoldus Austriæ Dux Popponis Archiepiscopi Trevir. pater sanctis adscriptus. 612
Leo IX. Papa Treviros venit, à quo Pons Leonis juxta Trevirim nomen nactus, quem venienti Eberhardus Archiep. straviť. 329.
Leo IX, comite Eberhardo Archiep. Rhemis concilio interest, ubi, diversi simoniæ, non sine prodigio, convicti punitique. ibid.
S. Maximini religiosis vetera privilegia confirmat. 330
Lotharius Imp. relicto filiis regno in Monasterium Prumiense abit. 230
Lotharingiæ duces ab Arnoldo Archiep. Trevir. victi, ad paeem compelluntur. 418
Lotharius Archiep. Trev. Canonizationem quinque Sanctorum totâ diœcesi celebrat. 733
Sacris D. Ignatii exercitationib' se excolit, eo gustu ut nullum sibi in vita tempus jucundius utili usque fluxisse dixerit: 730
Lutherus Wormatiensibus comitiis à Richardo Archiep, Trevir. frustra ad saniora revocatus, damnatur. 632
S. Lucius Britanniæ Rex sit Christianus. 57
Ludovicus Pius Caroli M. filius Aquisgranensi porticu lapsâ gsaviter læsus, aliis percuntibus ip se vicesimâ die convaluit 214
Irmgarde uxore mortuâ Juditham Bavaram duxit. 215. Fundat Corbeiam Saxoniæ. 217. Rebellant ei filii, & victores Patrem cum Noverca ad Monasticen cogunt. 220
Subinde exuto cucullo, regiæ dignitati redditur, mortuis intra annum omnibus contra eum conspirationis autoribus. 221
Redditur eidem Juditha conjux è monasterio reducta. 222
Ludovicus Arensteinius varia trans-Rhenum Monasteria excitat. 396.
Lutzenburgi⊛ Bironius Gallorum Dux cum clade rejicitur. 696
Lutvvinus Mediolacensis Monasterii primus autor. 185. Eodem die Rhemis & Lauduno sacros ordines confert. 176
Mortui corpus adverso flumine Mediolacum transit. 180
Luicarda libera & severa Virgo Parshenoni Horreensi in pœnam cœlitus præficitur. 359

M.

MAgi puniti 698
Malum authores ferit, 316
B. V. Mariæ templum elegans juxta ædem summam Treviris à Cunone sacellano Theodorici Archiep, ex quadrato latere eductum, 163. Exhibet stanti in aditu uno columnas omnes & effigies 12. Apostolorum impressas, 466
Contiguum summo templo Treveris, Coloniæ, Moguntiæ & aliis locis; ut per hanc ad filium accessus proprior. 467. B. V. cultor honoratus. 431. Neglector morbo corrigitur. 589

Martyres Trevirici. 65. Religiosi. 250.
Mariæburg. Parthenon excitatus sub disciplina Springirsbacensis abbatis, nunc evanuit solâ æde sactâ in monte superstite. 410
Margarita austriaca ex moniali Trevirensi Ottocari rursum conjux infelix. 403
Margarita Documa singularis pœnitentiæ Treviris fœmina. 718
S. Maternus Coloniæ D. Virginis & S. Petri templa excitat. 50. Tungros, Eburones, & Arduennates instruit. ibid. distantibus valdè locis sacrificat die eodem Natalis Domini. ibid.
S. Materni funus navi impositum adverso flumine Treviros commeavit. 52
S. Martino Magnericus varias Ecclesias excitat. 148
S. Martinus paralyticam depositam, & Tetradii proconsulis adhuc Ethnici servum à dæmonio vexatum, cum domini totiusque familiæ conversione, sanitati restituit. 99. Presbytero suo ut digniori, antequam Imperatori, præbibit, hoc probante, ibid.
In templo S. Martini deblaterantes officium Clerici, per spectabilem in Pontificio habitu virum, exesse jussi. 282
S. Matthiæ Monasterium gloriâ miraculorum B. Celsi late inclarescit. 286. & 293
S. Matthiæ corpus primo repertum cœlesti odore proditum, 332
Tangi impatiens præterquam ab uno è religiosis, cujus deinde digiti sæpe oleo stillant. 332
Ejus corpus perditum denuò repertum, ejusque intercessione plures ad vitam revocantur. 379
S. Matthiæ loculus in Monasterii incendio immobilis & incombustus. 384
S. Matthiæ reliquiarum avidus furtim sublegere volens relicto incautè fomite Monasterium incendit. 384. Eodem incendio & ipse monachus prostratus interiit. 384
Maximilianus Mariam Burgundam Joanne Archiep. deductore ducit 609.
S. Maximinus apparet in somno Carolo Martello, eique sanitatem corporis & animæ reddit. 183. Longo post mortem tempore incorruptus invenitur. 254
Miraculosè servat puerum filium Reginonis & Engelæ de Brambach. 274
S. Maximinus per quietem Ducem Giselbertum verbis & flagris castigat, ob malè perpetrata in Monasterium suum. Eundemque impulit ad abbatiam non modò liberam sed & locupletiorem reddendam. 263
S. Maximini Monasterium cum recenti hospitali conflagrat 467
S. Maximinus in legatione mortuus Trevirim transfertur per S. Paulinum successorem. 81
Mediolacensis abbatia multorum Archiepiscoporum Trevitensium mater. 246
Megengaudius in S. Maximinum impius, à Deo punitur punitusque resipiscit. 252
Metas Carolus V. Imp. magna sui clade frustra tentat. 651
Milo Archiep. ab apro in venatione occiditur. 191
Mons Thabor ædificatur à Theodotico Archiep. 448

Moselianus Dux relictâ familiâ sit Monachus. 380
Mutinensis Comitis uxor conjugis sui capite plexi innocentiam, ferri candentis probatione, Ottoni Imp. contra Augustam, falsò adulterii accusantem, ostendit. 297
Maria Augusta accusatrix rea comburitur. ibid.

N.

NEoburgici ducis conjux Anna Catharina Constantia gaudio Coloniæ moritur. 803
S. Nicetius Archiep. Trevir. exulatum migrat, cum Diacono, prædicens revocationis diem & horam. 136. Urbem Trevirensem peste inguinariâ liberat. 136
Nicolaus Cusanus (à Cusa Trevirerensi vico dictus) celebratur Romæ insigni zelo & eruditione. 582. Purpura donatus in Germaniam, disciplinam, Ecclesiæ renovaturus, ablegatur. 589. Suspecta habet Clusæ initia, at æger Aquisgrani voto Clusanæ virgini nuncupato restitutus, eadem promovet. ibid. Universitatis Trevir. erectionem laudat. ibid.
S. Nicolai chorus cum Sanctorum reliquiis aræ impositis excitatus à Brunone Archiep. instauratus à Carolo Casparo Archiep. 374
Nicolaus Papa, frustra studet Trevirensi summæ ædis Canonicis ignobiles miscere 491
Nomina Episcoporum Metensium diverso pro meritis colore cœlitus consignata. 278.

O

OLeum pro lacrymis fundit in adversis corpus Glodesind. s 245.
Ottocarus Bohemiæ rex Austriæque Dux à Rudolpho victus Austriam pactione cedit. 42
Ordolphus Scholerius Treviris senator, historiæ Trevirensis scriptor & instaurator Parthenonis ad Pontem Leonis, 526

P.

PAlatium Helenæ in suum am Ædem, & Constantini Magni in S aximini conversum. 10
Palmachius cum senatu Trevirensi Martyrio affecti. 65. hos secuta plebs Trevirensis pro Christo Martyr. ibid.
Palatioli monialis philtro illevit vestimentum, quo in sacris usus Poppo Archiep, Unde eversum Monasterium. 315
S, Paulini templum perstat contra flammas, Tumba soluta hæret in aëre. 44
S. Paulini reliquiis Ecclesiam ejus & memorabile sepulchrum instruit Felix Archiep. Trevir. 102
S. Paulinus pro fide exul & Martyr. 85.
S: Petrus Apostolus Romam venit Claudio Cæsare. 41
Palatinorum inferioris Rheni Comitum familia extincta, bona Cæsari addicta. 394
Paulus nobilis Belga, Episcopus Virdunensis incola Montis Transmoselani Treviris oppos-

ti nomen illi reliquit. 161
Peſtis graſſatur ob infectas à Judæis aquas, qui miſerabiliter necantur. 531
Philippus Dux Burgundiæ cum Urbe Trever. vetus pactum renovat, 551
Philippoburgum à Caſparo Bamberg dolo capitur 767
Philippus Chriſtophorus Archiep. Trev. ſeorſim omnes impellit ad tributa & ad retractandas querelas apud Papam & Cæſarem. 764 Metropolitanos aliquot ſuis beneficiis ſpoliat. 765. Ignobiles Canonicos pro nobilibus ſubſtituit. 766. Richelium Cardinalem in Adjutorem deſtinat. 767. de munienda Urbe ſolicitus ipſe capitur Hiſpanis in urbem perrumpentibus. 768. in Belgium abductus regimen Capitulo dedit. 770 pro Agritio S. Maximini Abbate Commendator conſtituitur. 737 graviter premit ſubditos 741 Metternichios repetundarum accerſſit. 739. Attinetur Viennæ captivus Cæſaris & Pontificis. 773 è carcere ſuos proceres Treviris excommunicat. 778, Ab Innocentio X. & Ferdinando III. libertate donatur. Regalia à Cæſare accipit certis conditionibus. 785 Reverſus non niſi per Gallos reddi urbi voluit. 785. Moritur, ejusque Epitaphium 804
Pax univerſalis multa à Germanis ad exteros tranſtulit. 793
Pax Trevirenſis à Carolo Caſparo à Petra Noribergam profecto procurata. 799
Pacis Trevirenſis leges inter Principem & Capitulares 799
Pipinus Radbodum Friſiæ Regulum debellat. 174. De libidine correptus S. Lambertum permittit occidi, 175. Eccleſiæ Trevirenſi ſingularia dat Privilegia. 196
Piſcator Maſaniellus Neapoli detractans vectigalia autor rebellionis 790
Piſcina in acie palatii dominorum de ponte. 9
Pœnitentia Regis Dagoberti ſeria 165
Pœnitentia reſuſcitati 264
Poppardienſes Martyres ſub Antonino Imp. inventi. 434
Poppo Archiep. Trev. ob tractata liberius Monaſtica bona Jeruſalem profectus. 316 cum S. Simeone Treviros redux eidem permiſit ſolitudinem in porta nigra. 317
Poppo S. Maximini Abbas à Monachis veneno fruſtra petitur, conſumptis intra annum omnibus qui propinaverant. 316. Argentinenſem Epiſcopatum fugitans, omnibus Imperii Abbatiis, eorumque Præſulibus conſtituendis præficitur magno diſciplinæ profectu. ibid.
Poppo Archiep. Trevir. ex Auſtriacæ familia recluſo in gratiam Maximiliani Cæſaris monumento incorruptus. 630
Plaſtice & pictoria artes Treviris privilegiis ornatæ. 136
Plectrudis Coloniæ Agrippinæ religioſam familiam inſtituit, in qua Noitburgis ejus neptis excellens. 178
Prumienſis Abbatia à Pipino fundata cui Canonici ad S. Goarem ſubjecti. 193
Prumienſibus hæreditas ex Francia per ſagittam tranſmittitur 247

Pru-

Prumienſes religioſi fiunt Martyres 250

Prumiæ inferioris Parthenon nomen habet à Gerardo egregio antiſtite authore condita illic Baſilica B. V. Mariæ & SS. Gordiano & Epimacho. 427

Prumienſis abbatiæ adminiſtrandæ jus datum Jacobo ab Eltz Archiep. Trev. à Maximiliano II. ib,

Prumienſis Abbatia per clientes peſſumdata à Cunone utcunque reſtituitur. 549

Prumienſis abbas Dietherus Balduino Archiep. ejusque ſucceſſoribus, aſſentientibus cœnobitis, ſe, abbatiam, & omnia in ſacris & politicis ſubmittit 529

Puerorum & puellarum exercitus ductore Nicolao adoleſcente Agrippinate ſpe terræ ſanctæ recuperandæ coit, & diſſipatur. 445

Q.

Quintilius Varus in Weſtphalia profligatur. 32.

R.

Radbodus ſummus Cancellarius Regis Caroli Simpl & Archiſacellanus, impetrat ab eo jus eligendi Epiſcopi liberum Clero & populo. 258.

Reipublicæ. Trevirenſis varium regimen 6

Reliquiæ SS. Martyrum Trev. cum S. Paulino inventæ. 344

Reliquiarum Trevir. os ſacrum contemptum perfundit contemp ricem ſanguine, quem triduo in populi conſpectu fundit. ibid,

Religioſa vita conjugio prælata. 402

regno. 188. & 230,

Ruſticorum multa millia armata pugnant pro libertate inſanè & infeliciter 638

Richardus à Greiffenclau Archiep. Trevir. diſertè pro Franciſco Galliarum rege ad imperium evehendo perorat. 632. Magnanimiter Sickingiano's depellit. 635. publicâ ſupplicatione Deo gratias agit & Clemens Papa ei gratulatur. 637. contra rebelles ruſticos Palatino & Haſſo ipſe ductor ſuccurrit, ſuoſque fines tuetur. 638

Rineccum Ottonis comitis domicilium flammis injectis funditus everſum. 402

Rudolphus Habsburgicus coronatus hærentes in obſequio præſtando principes impulit crucis ſigno *hoc* (inquit) *mihi pro ſceptro futurum eſt.* 481

Ruſticus Epiſcopus Trevirenſis detecto per infantem crimine in Monaſterio Deiparæ reginæ Martyrum ſacro pœnitentiam agit 138. poſt pœnitentiam moriens miraculis clarus. 139

Rutilenſe Monaſterium infra Theodonis villam prius à PP. Benedictinis, nunc Carthuſianis incolitur. 143

S.

Sacrificium *Miſſæ audiens*, abſens vincit in haſtiludiis 431

Salvianus Treverici excidii ſæpius repetiti ſpectator. 110

Saltantium proceſſio ad S. Willibrordum, 186

Saltantium ſecta pernicioſa apud Tre-

Treviros. 548
Saltantes sine ullo remedio circumacti ad S. Joannem juxta Kylburg curati. 555
Sanctorum neglectus in Carolo Mag. plexus. 210
Schonaugiæ Monasterium virorum & Virginum instituitur. 376
Severus Archiep. cum S. Germano Antisiodorensi Pelagianam hæresin in Britania coercet. 114
Severus Sulpitius religiosè vivit Treviris in domo, quæ postea S. Bernardum hospitem excepit. 105
Eidem S. Martinus visus est, libellum tenens, quo suam vitam complexus erat. 99
Seynensi infra Confluentiam Monasterio obvenit brachium S. Simonis Apostoli donatum Brunoni Seynæ Comiti. 435
Sigebertus puer sub tutoribus rex Austrasiis datur sanctè recturus. 164. Ei Thuringi victores rebellant. 167. Variis locis monasteria duodecim erigit. 168. Eo sanctè mortuo Grimoaldus conatur sufficere filium Childebertum; at Grimoaldo capto, eiusque filio, Childericus in regnum Austrasiæ suffectus. 170
Sigismundi Imp. studiis consilium Constantiense indictum, ubi Hus & Pragensis hæretici condemnantur, & comburuntur. 598
S. Simeon Trev. Eremita ab Ebervvino vitæ ejus scriptore Abbate Theologiensi receptus, sanctè vivit 309. In nigra porta urbis latitat in obscuro angulo. 317. Pane & aqua pastus inter assiduas preces, & millle Dæmonum terrores sancte vivit. ibid. Morienti invitatus, adest Ebervvinus, à quo petit, ut in eâ qua vixerat parte, sepelleretur, quod factum, multis post mortem clarus miraculis. 320
Sex à morte annis sanctis accensetur. 322. Porta ab eo inhabitata, obstructo infernè per altissimos gradus aditu, in ejus templum mutata Ibid.
Simplicitas à Deo honorata. 140
Simoniaci puniti 329
Springirsbacense Monasterium nobilium Canonicorum instituitur 365.
Societas Jesu ab Archiep. Joanne à Petra Treviros vocata. 668
Stilico æmulo Rufino sublato, Gothos profligat sub Alarico. 105
Cum Eucherio filio ambitione suâ perit. 108
Stubæ Parthenon crucem inæstimabilis pretij è spoliis Constantinopolitanis ab Henrico ab Ulmen Equite Trev. accepit. 437. Eidem Parthenoni idem ab Ulmena reliquias ex sindone Christi, coronâ spineâ purpureo vestimento, spongia, cunabulis Christi, Zonâ Deiparæ donavit. ibid.
Parthenon Stubensis sub S. Augustini regula inchoatus. 389
Suffraganeum primum Trevirensem creat Theodoricus Archiep. Trev. 464
Spirense judicium constituitur. 616
Sponsalia Glodesindis cum Christo celebrata. 163
Steinfeldiæ in Eiflia primò Virgines, tum Canonici Springirsbacenses, postmodum Præmonstratenses Clerici instituti. 259
Sueciæ rex adjuncto Saxone Tillium fatali prælio cædit, victoriam prosecutus ad Rhenum usque effunditur. 754

Rhenum transgressus columnam erigit. 755
In Saxonia cum Pappenheimio occumbit Suecis tamen prælio victoribus. 761
Sueci sub Dorstensohnio victores. 785

T.

TEmplariorum apud Treviros initium. 382. Ordo excisus, qui diversa apud Treviros loca occupaverat. 507
Terræmotus & lues ingens 451
Teutonicus Ordo sub votis & regula S. Augustini constituitur. 428
Ei primus é Trevirensi nobilitate præfectus Henricus à Walpot. ib. in Trevirensi ditione primo apud Confluentes, deinde Treviros receptus. ibid.
Theodorici Archiep. Trev. indulgentia Canonici summæ ædis à communi vita recedunt. 283
Theodoricus Metensis Episcopus vidit omnium suorum successorum nomina, pro cujusque merito, auro, argento, plumbo, in tabula exarata. 278. Proprium nomen cùm argento signatum reperisset, dicere solitus, laboratutum se ut auro signetur. ibid.
Theodoricus Prætor Trevirensis ob magiam accusatur, & plectitur pœnitens. 691
Theodoricus Mosellanorum Dux factus Cœnobita Mediolacensiis. 380
S. Theodulphi Rhemensis abbatis incorruptum corpus, ex veteri SS. Trinitatis Ecclesia ad PP. Dominicanos translatum. 462
Trevirensis prima Urbs Europæ. 2
Lingua olim ex Belgicis & Germanicis vocibus mixta. 3
Religio cum gallis communis fuit. 3. Urbs libertate Romanorum gavisa. 63
Trevirorum eversio parum ad morum correctionem profuit. 106
Urbs à Nortmannis prædis exhausta, ab ijsdem flammis consumpta. 244. Sententiâ Cæsaris Rudolphi Archiepiscopo plenè subjicitur. 681
Trevirensis annorum calculus à Festo Annuntiationis D. Virg. tribus Mensibus serius hoc est 25. Martii ducitur. 563
Trevirensi ditioni nocuit religio ad 24. annum redacta 795
Toga Christi Treviris esse convincitur, 74. ostenditur magnâ lætitia 430. ejus abdendæ cura injecta ratione hominis cœnobitæ curiosi, qui quod arcana vestimenti rimaretur, utroque oculo orbatus est. Ibid.
Textura admirabilis, nec discerni potest, an textum, an acu opus factum. ibid. Post 300. annos occulta sub Richardo mira populi commotioni monstrata, 627
Spectantibus indulgentiæ concessæ à Leone X. 629
Toga B. V. candida, diu ignorata in lucem & populi cultum producta. 628
Truchsesio Colonienſi Archiep. exautorato substituitur Ernestus Bavarus. 687
Truchsesiani belli reliquiæ Treviros premunt. 690

V.

VAlentinianus Imp. Martino assurgere nolens erumpente è sella igne erectus. 86

Vas vini plaustrale tribus aureis væniit. 557
Venus hodiedum lapidarij ad S. Matthiam, in statua solet. 5
Victorina animi virilis fœmina Mater Castrorum Treviris dicta 61
S. Victor cum sociis Xantis interimitur. 66
Virgo sexum mentita inter monachos vivit insons. 423
Virgo miles heroica. 576. fallax miles. 578

W

WAdgassense Præmonstratensium Monasterium instituitur sub Alberone. 387
Walterus de Birbach Deiparæ cultor audiendo sacro occupatus, videtur in publico hastiludio palmam referre, concurrente in ipsius persona angelo. 431. Pro aqua vinum haurit. ibid.
Wallensteinio sublato, Ferdinandus Cæsaris filius exercitui præfectus Suecos cædit. 766
S. Wendelinus ex regia Scotorum stirpe pastor ovium, non sine miraculis. dictum ab ejus nomine oppidum. 162
Wetzlarienses Ecclesia fundata ab Hermanno & Udone illustribus fratribus. 253
S. Willibrordus Epternacense Monasterium ope S. Irminæ erigit. 175. Paroeciam S. Pauli Treviris consecrat. 176. auctor Monasterij Trevir. ad SS. Martyres, ubi aram portatilem reliquit. 182 Epternaco Calicem & Embricæ Arcam, in cujus medio sacra Eucharistia usque ad tempora Sasbodi ultimi Archiepiscopi Ultrajectini, asservata, Mnemnosynon reliquit. 182
Wittekindus sub mendici habitu Paderbornæ Christianorum sacra lustrat. 201
Wenceslaus Dux Lutzenburgensis Caroli IV. Imp. frater in vita & morte infelix, 555
Wesalia superior oppugnata pyrio pulvere primum tum invento à Berchtoldo Germano. 560. Parum territa novo hoc pugnandi genere integro anno obsidionem sustinit. 560
Wilhelmus Juliæ princeps victus bello supplex Carolo V. affinitate jungitur. 649
Wilhelmus Nassovicus Belgarum rebellium dux ab Albano cæditur. 675
S. Wernerus adolescens à Judæis horribili Martyrio afficitur Wesaliæ Trevirorum. 488
S. Wolffgangus ex Suevica Phullingensium familia Treverim veniens juventutem primum instituit, mox licet eligitur summæ ædis Decanus. 271
Wolffgangus Wilhelmus Juliæ Princeps mutata religione à Brandeburgico Hollandisque bello petitur, defenditur ab Hispanis. 676

Y.

YOlanthys Virgo Viennensis in Eiflia comitis filia, Treviris mundi vanitatem edocta, sanctè vixit. 471

FINIS.

ERRATA
SIC CORRIGE


PAg.39.in fine *supstione* lege superstitione. p. 75. pro 65. lege 75. p.72.sub finem. *lapra* l. lepræ p. 94. apud Gratiavum l.Gratianum. p.131.linea ultima *theodaati* l. Theodati p. 133. in principio *immississet* l. immisisset. p. 139. in fine Rusticos l.Rustico. p. 144. in medio *obstetissent* l. obstitissent. p. 185. ad marginem *paccata* l.pacata. p. 235.ad marginem in *loharingice* l. lotharingia. p. 239 ad marginem *ad ludovico* l. à Ludovico. p.239.in medio pascitur l. pacisci tur. p 239.in fine *sunt* l.sint. p.265.in medio *prehensium* l.prehensum. p.280. in princ. *ex catenta* l. catena. p. 302. ad marginem *vitæ* l. vitæ. p 312. in principio *erant* l. erat. p. 318. in princ. *feliei* l. felici. pag. 322. in medio *augustæ* l.angustæ. p. 323.in fin. *sevitate* l.levitate. p. 329.in medio *perficit* l pervicit. p.331.in fine *largiius* l. largitus p. 356. in medio *fredus* l. fædis. p. 358. in medio *penetrassers* l. penetrassent. p.373.in fine I*mpusitus* l.imposítus. p. 375. ad margin. *pietate* pietati studet. p 384 in princip. *advolvans* l. advolans p. 401. in fine *desisus* l. diffisus. p. 424. in fine *intercepta* l. intercepti p.427.ad marg amplissimas *adde* clientelas. p. 430.in princ.*contexam* l. contextam. p. 440. in medio *ilum* l. illum. p. 442. in medio *inquid* l. inquit. p. 445. ad marg. terræ *sive* l. sanctæ p. 447.ad marg.*palatinus* l. palatinatus. p 448. in medio *judicorumque* l.judiciorumque. p. 449. in medio *Priderici* l. Friderici. p.425.in med.iste prioris,hic.*addendum* lectoris. p.461. in princ. *tuncicella* l.tunicella. p.463.num. ad marg.163 l.463. p- 494.in princip. *dicentis* l.ducentis. p.502. in princ. *canditatis* l. canditatis. p. 505. in med. *aliquot* l. aliquod. p. 517. in med. *fecilitatu*


†

l.fe-

ERRATA.

l. felicitatis. p. 525. ad finem *gravarret* l gravaret. pag. 552. ad marg. *Gregorius* l. Gregorio. p. 591. ad marg. *fucurrendum* l. succurrendum. p. 597. ad finem *ibi eidem* l ibidem. p. 612. in princ. *obſtetiſſe* l. obſtitiſſe. p. 617 in med *clientes* l. colentes. p. 615. in princ. l. Agrippinenſis. p. 631. in med. *ſurrogendo* l. ſurrogando p. 639. ad marg. *ejuratur* l. ejurantur. p. 645. ad marg. *conciliando* l. conciliandis. p. 660. ad fin. *ad Iſenburg.* l. ab Iſenburg. p. 662. ad finem *trnaſeundi* l. *tranſeundi.* p. 664. ad finem *uſſit* l. juſſit. p. 666. ad marg. *revociant* l. revocant. p 670 in med *Lutzenburgicis* l. Lutzenburgicis. p. 678. ad marg *breviaviavum* l. breviarium. p 662. in med. *conſenſu* l conſeſſu. p. 693. ad marg. *templius* l. templis. pag. 694. ad marg. *Ioannis* l. Ioannes. p. 707. in princip. *volunt.* l. nolunt. p. 708. in med. *indicias* l. inducias. p. 712. ad marg. Ferdinan. l. Ferdinando p. 730. in marg. 230. l. 730. p. 801. in princ. Namedij *adde* Huſman.


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Th
5225
UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN